UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

urn:nbn:de:hbz:466:1-75232

Visual Library

M. 482a

M. IV.
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CRIMEN FORI ECCLESIASTICI,

SEU

Decretalium Gregorii IX. Pont. Max.

LIBER V.

Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus,

In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri Quinti, quæ tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus.

TOMUS I.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

Soc. JESU, SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horúmque in Alma, & Electorali Universitate Ingolstadiana Professore Ordinario, & Primario, nunc Episcopalis Universitatis Dilinganæ Cancellario.

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem,

Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII.

Sumptibus JOANNIS ANDREÆ dela HAYE Bibliopolæ Academici.

DILINGÆ

Formis Joann. Ferd. Schwertlen, Episcopalis Princip. Aulæ, & Civit. Typographi.

M. DCCXXVII

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

FACULTAS
R. P.
PROVINCIALIS

Cum Privilegio Cæsareo.

EGo Josephus Preiss, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum R. P. N. Michaële Angelo Tamburino Societatis universæ Præposito Generali, Librum, cui Titulus est, *Liber Quintus Decretalium &c.* à P. FRANCISCO SCMALZGRUEBER Societatis nostræ Sacerdote, & SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore conscriptum, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, probatúmque, Typis in lucem edi permitto, ac Domino Joanni Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academico Ingolstadiensi jus concedo usurpandi ad decennium Privilegij Cæsarei, quo Typographis, ac Bibliopolis omnibus adimitur copia, vulgatos à Societatis JESU Patribus Libros absque Superiorum, Authorúmque consensu in eâdem, vel diversâ Linguâ recudendi, vel intra Sacri Romani Imperij & Provinciarum Sacræ Cæsareæ Majestati hæreditario Jure subjectarum fines importandi. Hanc Facultatem de una tantùm impressione intellectam, manu mea, & Officij Sigillô firmavi. Oeniponti 14. Septembris 1717.

L S

JOSEPHUS PREIS,
Soc. JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHUS TITULORUM

Contentorum in hoc Tomo I. Libri V.

DECRETALIUM

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

§. I. De Processu contra Delinquentem notorium, & in Flagranti deprehensum. fol. 2.
§. II. De Accusationibus. 10.
§. III. De Denuntiationibus. 44.
§. IV. De Inquisitionibus. 58.
§. V. De Criminis Delatione per viam Exceptionis. 78.

TITULUS II.

De Calumniatoribus. 81.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

§. I. De Natura, & Varietate Simoniæ. 89.
§. II. De Pactione Simoniaca. 101.
§. III. De Pretio Simoniaco. 121.
§. IV. De Merce Simoniaca, sive Re Spirituali. 136.
§. V. De Pœnis Simoniacorum, & Obligatione restituendi per Simoniam ablata. 166.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub Annuo Censu concedant. 190.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

§. I. De gradibus, & Honoribus Litterarijs. 194
§ II. De Magistro, præsertim Theologo, & Præbenda Theologali. 206.
§. III. De Pretij exactione pro Licentia, & Officio docendi. 208.

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, eorúmque Servis. 212.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

§. I. De Hæresis natura, varietate, & requisitis. 236.

§. II.

§. II. De quibusdam Cautelis adversus Hæreticos. 245.
§. III. De Pœnis Hæreticorum, præsertim de Spiritualibus. 264.
§. IV. De Pœnis Hæreticorum temporalibus. 275.
§. V. De Judice in Crimine Hæresis, absolutione ab isto, & obligatione vitandi Hæreticos. 293.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis. 311.

TITULUS IX.

De Apostatis, & reiterantibus Baptisma. 318.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt. 329.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expositis. 338.

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, & Casuali.

§. I. De Natura, & Varietate Homicidij, & Mutilationis. 345.
§. II. De Homicidio Voluntario Justo 350.
§. III. De Homicidio Voluntario Injusto. 384.
§. IV. De Homicidio Casuali. 404.
§. V. De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio, vel Mutilatione, & de Compensatione Damnorum inde secutorum. 415.

TITULUS XIII.

De Torneamentis. 425.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello

§. I. De Duelli Natura, Varietate, & Prohibitione. 428.
§. II. De Pœnis Duelli illiciti. 441.

TITULUS XV.

De Sagittarijs. 449.

TITULUS XVI.

De Adulterijs, & Stupro.

§. I. De Fornicatione simplici, & Concubinatu. 450.
§. II. De Stupro. 456.
§. III. De Adulterio. 471.
§. IV. De Crimine Incestûs, Sacrilegij Carnalis, & Peccato contra Naturam. 485.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiarijs, & Violatoribus Ecclesiarum.

§. I. De Raptu Personarum. 497.
§. II. De Rapina Rerum. 515.
§. III. De Incendiarijs, & Violatoribus Ecclesiarum. 502.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

§. I. De Furti natura, & varietate. 572.
§. II. De Obligatione, quæ nascitur ex Furto. 588.
§. III. De alijs diversis Furtorum generibus, & eorum pœnis. 610.

TITULUS XIX.

De Usuris.

§. I. De Usura Lucratoria. 624.
§. II. Examinantur diversi Casus, & Statuitur, an in illis committatur Usura. 636.
§. III. Causæ, ob quas occasione Mutui accipi potest aliquid ultra Sortem. 654.
§. IV.

§. IV. De Emptione Censûs. 673.
§. V. De Anatocismo, sive Usuris Usurarum. 693.
§. VI. De Usurarum promissarum solutione, & solutarum dominio. 695.
§. VII. De Usurarum Restitutione. 700.
§. VIII. De Judice Criminis Usurarum, ejus Probatione, & Pœnis. 716.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi 726.

TITULUS XXI.

De Sortilegijs. 748.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda. 784.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum. 788.



CRIMEN FORI ECCLESIASTICI, SEU *Decretalium Gregorii IX.* LIBER V.

POst enarratas Libris duobus præcedentibus Cauſas, de quibus in Judicio Eccleſiaſtico agitur civiliter, ſequuntur illæ, de quibus criminaliter in eodem diſceptatur, ſeu ipſum *Crimen Fori Eccleſiaſtici*, ejúsque pœnæ. In quinque omnino Partes dividi Liber hic poteſt. *Pars Prima*, poſtquam Accuſationibus, Denuntiationibus, & Inquiſitionibus regulam, ac normam ſtatuit, enarrat ea maximè Crimina, quæ in vilipenſionem rerum Spiritualium, & Orthodoxæ Fidei ſubverſionem tendunt. *Secunda* ſubjungit illa, quibus proximi vita, fama, & fortunæ læduntur. *Tertia* perſequitur Delicta reliqua: maximè verò illa, quæ perpetrantur Eccleſiaſticorum Ordinum temeraria ſuſceptione, & ſuſceptorum uſu ſacrilego, exceſſu privilegiatorum, injurijs, & damnis illatis. *Quarta* pœnas Criminibus tum Vindicativas, tum Medicinales ſtatuit. *Quinta* non tam huic Quinto Libro propria, quàm præcedentibus quatuor communis, Significationem Verborum explicat, & certas Judici Eccleſiaſtico, quibus Sententiam conformet, Regulas ponit.

PARS I.

De Criminibus oppositis Cultui Divino, & veræ Religioni?

EX Criminibus, quæ Cultui Divino, & veræ Religioni bellum movent, sex in hac *Prima Parte* examinantur, nimirum Simonia, Judaismus, Paganismus, Hæresis, Schisma, Apostasia, & Sacrilegium, quod iteratione Baptismi committitur. Quomodo hæc, & alia Crimina in Judicium deduci possint, Titulus primus, quasi Procœmialis istius Libri, commonstrat: cui adhæret Secundus *de Calumniatoribus* ad arcendam Calumniam, quæ in Accusatione sæpe committitur.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

CRimina, quæ in Judicium deducuntur, aliquando sunt notoria, aliquando primùm notitia illorum acquiri debet à Judice: quod triplici maximè contingit modo, videlicet Accusatione, Denuntiatione, Inquisitione *c. qualiter 24. ℣. contra quos h. tit.* Addi quartus potest, Delatio per viam Exceptionis.

§. I.

De Processu contra Delinquentem Notorium, & in Flagranti Crimine deprehensum.

SUMMARIUM.

1. *Quot modis aliquod Delictum fieri possit notorium notorietate Juris?*
2. *Quid sit notorium notorietate facti, & quotuplex?*
3. *Quid sit Notorium in genere, & quid occultum?*
4. 5. 6. *Requisita, ut crimen aliquod dici possit notorium notorietate facti.*
7. *In notorijs non adstringitur Judex ad observantiam Ordinis Judiciarij.*
8. *Hinc in ijsdem non est opus accusatione, vel denuntiatione.*
9. *Libello, Contestatione litis, vel Juramento calumniæ.*
10. *Aut citatione.*
11. *Vel sententiâ condemnatoriâ in scriptis prolatâ.*
12. *Nec locus est eo casu Appellationi.*
13. *Vel recusationi Judicis.*
14. 15. 16. *Requisita, ut ratione criminis notorij Judex procedere adversùs reum possit, Ordine Judiciario non observato.*
17. &c. *An, & quomodo procedi possit adversùs deprehensum in flagranti?*

1 QUæritur 1. quotupliciter Delictum aliquod dicatur esse *Notorium*? R. Dupliciter, Notorietate Juris, & Facti. *Notorietate Juris notorium* dicitur illud, cujus Notorietas à Jure, vel in Judicio oritur. Scaccia *de Judic. l. 1. c. 76. n. 2.* Sic Notorium Delictum aliquod fieri potest triplicitèr. 1. Per Spontaneam confessionem rei, in Judicio factam, & non revocatam *c. vestra 7. c. fin. de cohab. Cler. & mul. & c. cùm olim 24. fin. de V.S.* 2. Per plenas Probationes Judiciales, quales sunt depositiones duorum testium omni exceptione majorum, & Instrumentum publicum productum in Judicio, quibus, quòd in causa conclusum jam sit, opponi nil ampliùs potest *c. cùm olim. cit. & l. fin. C. de Probat.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 23. & seqq.* 3. Per Sententiam definitivam condemnatoriam ad pœnam, vel declaratoriam criminis, quæ transiit in rem judicatam *c. vestra*, & *c. fin. citt.* imò etiam per interlocutoriam, si eacum cognitione causæ facta est, & in rem judicatam transiit. Mascard. *de Probat. concl. 1108. n. 31.* quia res judicata pro veritate habetur. Reduci ad hoc genus Notorietatis solet etiam *Notorietas Præsumptionis*, fundata in circumstantijs, ex quibus Jus aliquid ita præsumit, ut id haberi velit pro veritate, & ex eo perinde, ut ex alia probatione plena ad sententiam condemnatoriam procedi possit; sic enim siquis palàm, & omnibus cernentibus in domo sua retineat mulierem suspectam, Juris præsumptio est, intercessisse inter eos copulam carnalem P. Wiestner *hic n. 5.*

Facti Notorietate notorium est, quod 2 perpetratum est in oculis hominum, puta to-

totius, vel majoris partis alicujus viciniæ, Parochiæ, Collegij &c. ut ulla tergiversatione celari, vel negari nequeat. Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 38. & duob. seqq.* Fagn. *in c. vestra cit. n. 77.* Wiestner *hic n. 3. v. facti.* Tale delictum erat illius, qui novercam suam uxoris loco habuit, & propterea absens ab Apostolo judicatus, atque in interitum carnis Sathanæ traditus est, omisso Juris ordine. *1. Corinth. 5. v. 1. & 5.* Hoc facti notorium triplex est, permanentis, transeuntis, & interpolati. *Notorium facti permanentis* est, quod notoriè se exhibet oculis, & facti continuationem habet, ut id videre omnes possint. Sic notoria est incarceratio Clerici, qui in carcere publico, & omnium oculis patente detinetur; concubinatus ejus, qui concubinam retinet domi, communem cum ea mensam, lectum, & proles ex illa habet; felonia Vasalli, qui insuper habito Juramento fidelitatis, dominum suum hostiliter persequi non desistit. *Notorium facti transeuntis*, seu *momentanei* illud dicitur, quod in conspectu populi, vel majoris partis illius commissum est, & nec continuationem, nec iterationem facti habet: quale est homicidium patratum in platea, aut foro publico, blasphemia, aut contumelioſa verba prolata palàm, & plurimis audientibus. *Notorium* denique *facti interpolati*, quod publicè fit, & sæpiùs iteratur, non tamen continuè, ut cùm verba blasphema, vel contumelioſa sæpiùs iterantur publicè. Gloss. *in c. vestra cit. V. notorium*, Abb. *ibid. n. 15.* Sylv. *V. notorium n. 2.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim. §. 8. à n. 8.* Saccia *l. 1. de Judic. c. 76. n. 7.* Fagn. *in c. Vestra cit. à n. 78.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* Wiestner *hic n. 4.*

Ex his facilè colligitur, quid sit Notorium in genere, & quid occultum Delictum. *Notorium in genere* illud Delictum dicitur, quod vel in Jure, vel ex facto suo ita certum habetur, ut nulla ampliùs discussione egeat, neque ulla tergiversatione celari possit *can. de manifesta 17. caus. 2. q. 1. c. Super eo 3. de testib. cogend.* *Occultum* verò in genere dicitur illud, quod non ita certum est. Et hujus duæ sunt species, Occultum scilicet simpliciter, & Occultum non simpliciter, sed pene, seu quasi occultum. Si probationes removeantur in totum, ut quia nulla ratione actus probari potest, dicitur *Occultum simpliciter*: & ita occulti sunt actus merè interni; quia soli DEO noti sunt. Si verò non removeantur in totum probationes, ut quia actus probari potest, sed cum difficultate, & sic solùm deest Judicialis indago, dicitur *pene occultum*, seu *quasi occultum*: & tales actus ferè sunt Dolus, simulatio, furtum, adulterium, suppositio partûs, Sodomia, Simonia, Conspiratio, tractatus de nece inferenda, Venenatio, & alia Delicta, quæ per se clàm, & in occulto committi solent, aut per accidens ita committuntur. Farin. *prax. crim. q. 18. n. 105. & q. 21. n. 7.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 27.* Wiestner *hic n. 2.*

Quæritur 2. quid requiratur, ut aliquod crimen dici possit Notorium notorietate facti? 4

℟. Tria communiter requiruntur. 1. *Qualitas loci*, ut scilicet sit factum in loco publico. Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 16.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 55.* & apud hos alij. Hinc quod commissum est in domo privata, aut villula, vel etiam in parva Parochia, in quibus non reperiuntur decem homines, non potest dici notorium. Scaccia *l. 1. de Judic. c. 76. n. 6.* quia debet esse multitudini notum, ut notorium dici possit *c. fin. de cohab. cler. & mulier.* Imò consideranda est etiam ipsa qualitas loci publici; nam pro hujus diversitate major, vel minor notitia criminis commissi requiritur. Si delictum commissum sit in aliqua Parochia, seu vicinia, sufficit, illud notum esse Parochiæ, seu viciniæ, aut saltem majori eorum parti, puta, si ageretur de probando Concubinatu. Si verò sit commissum in loco publico civitatis, essétque delictum arduum, deberet dici cognitum toti Civitati, vel ejus majori parti: & si diceretur commissum in aliquo loco, qui totam Provinciam respiceret, deberet dici manifestum toti Provinciæ, vel majori illius parti. Scaccia *l. cit.*

2. Ad inducendum Notorium requiritur etiam *Qualitas temporis*: Et propterea, si Delictum diceretur commissum de nocte, regulariter non posset dici notorium, ut post *Durand. Bald. Foller. Capr.* notat Scaccia *l. cit.* intellige, nisi Delicto de nocte commisso tanta hominum multitudo fuerit præsens, ut ab his notitia ejus commissi ad aures majoris partis de Communitate perveniat; tunc enim temporis respectu Notorij habenda non foret ratio, quippe quod ideo solùm Notorietatem impedit, quia de nocte non solet esse tantus populi affluentis concursus, quantum Notorietas facti exigit. 5

3. Requiritur *Adstantium multitudo*: quot autem hominum scientia requiratur ad faciendum Notorium, Juris nostri Interpretes non modicum variant, ut videre est apud Durand. *Specul. de Notor. crim. §. jam de Notorio n. 5.* nam aliqui requirunt notitiam totius viciniæ, alij majoris partis, alij trium, nonnulli decem hominum. Communior cum Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 18.* Saccia *l. cit. n. 5.* Passerin. *Trib. Regul. q. 10. n. 3. fin.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 29.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* König *hic n. 51.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 250.* id reponunt in arbitrio Judicis; quia ubi aliquid non est à Jure taxatum, vel definitum, censetur illud esse commissum arbitrio Judicis; in quo arbitrio ne erret Judex, 6

dex, considerare debebit circumstantias actûs, & temporis. Mascard. *l. cit.*

7 Quæritur 3. quid interſit, an crimen ſit notorium, an occultum? R. Intereſt plurimum; nam quando occultum crimen eſt, Judex in ejus cognitione adſtringitur ad obſervantiam Ordinis Judiciarij, ad cujus obſervantiam non adſtringitur, quando crimen notorium eſt, prout per modum Regulæ tradunt DD. ex *can. prohibentur* 14. §. *bis omnibus*, *can. quæ Lotharius* 16. §. *in manifeſtis*, *cauſ.* 2. *q.* 1. *c. ad noſtram* 21. *de Jurejur.* & ratio eſt, quia Ordo Judiciarius ſolùm introductus eſt ad criminis, aut Juris dubij veritatem inveſtigandam: qui finis ceſſat in caſu, ubi hæc eſt notoria. Et in hoc diſcedit Judicium criminale à Judicio Civili, ubi notorium non excuſat ab obſervatione Ordinis Judiciarij; nam in hoc Judicio regulariter Judex non ſupplet principaliter agendo *l. un. C. ut quæ deſunt Advoc. part.* & *l. dies* 4. §. *hoc autem* 8. *ff. de damn. infect.* Farin. *prax. crim. q.* 21. *n.* 61. Ex quibus.

8 *Sequitur* 1. in notorijs non eſſe opus accuſatione, vel denuntiatione. Gomez *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 44. *poſt medium.* Farin. *prax. crim. q.* 21. *n.* 62. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 32. Gonzal. *in c. evidentia* 9. *h. tit. n.* 2. Vallenſ. *hic* §. 6. *n.* 2. Pirhing *n.* 104. Wieſtner *n.* 8. Reiffenſtuel *n.* 254. & ſumitur ex *c. evidentia cit.* ubi S. Auguſtinus, *Evidentia*, inquit, *patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris.* *Ratio eſt*, quia regulariter accuſator requiritur, ut crimen manifeſtetur, & in Judicio per probationem publicetur *can. quisquis* 3. *cauſ.* 2. *q.* 8. & *l. fin. C. de accuſ.* atqui hæc manifeſtatio jam habetur per evidentiam facti *c. fin. de cohabit. cler. & mul.* Igitur non erit neceſſe exſpectare accuſationem, vel Denuntiationem.

9 2. In delictis notorijs non requiritur Libellus, Conteſtatio litis, Juramentum calumniæ, & aliæ ſolennitates pertinentes ad Judicij ordinationem. Gomez *l. cit.* Farin. *n.* 65. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 79. *n.* 8. Paſſerin. *Trib. Reg. q.* 10. *n.* 10. Wieſtner *hic n.* 9. Reiffenſtuel *n.* 254. *Proceditque* hoc, ſive agatur contra abſentem, ſive contra præſentem, ſive ſit notorium facti interpolati, ſive momentanei, ſive continui, ut cum alijs notat Farin. *l. cit.* Ratio eſt, quia ad has ſolennitates, ut *n.* 7. dixi, Judex in cauſa Notorij non adſtringitur. Imò doctrina hæc etiam locum habet in Cauſis Civilibus; quia Jura, quæ ab obligatione offerendi Libellum, conteſtandi litem, & præſtandi Juramentum calumniæ in notorijs liberant, loquuntur indiſtinctè.

10 3. Non eſt opus Citatione: quod intellige, quando ita certum eſt crimen, ut nulla omnino defenſio ipſi competat; fruſtra enim citatur is, qui citatus nihil relevans poteſt opponere. Farin. *n.* 67. Paſſerin. *n.* 11. Wieſtner *n.* 10. Reiffenſtuel *n.* 257. Secus, quando aliqua poteſt reo competere defenſio, vel dubium ſit, an non competat, vel poſſit competere; tunc enim omnino neceſſaria foret Citatio, ut communiter ab omnibus receptum teſtatur Farin. *l. cit. n.* 72. Et hinc non facilè contra reum abſentem etiam in notorio delicto, citatione non præmiſſa, eſt procedendum; quia fortè Exceptio aliqua, cauſam ejusdem relevans, ipſi competit. Similiter reus etiam in notorio crimine citari debet ad Sententiam: de quo teſte Farin. *n.* 69. nullus dubitat. *Excipitur* tamen, quando mora cederet in præjudicium Reip. propter futurum ſcandalum in populo; quia tunc ratione ſcandali vitandi poteſt reus condemnari, etiam ſine citatione, ut alijs *citt.* notat Farin. *n.* 73. nam ad vitandum ſcandalum in Jure permittuntur multa, quæ aliàs de ſui natura illicita, & prohibita ſunt. Oportet tamen hoc caſu certum eſſe delictum, & ita quidem, ut ſimul etiam certum ſit nullam reo defenſionem competere.

11 4. Etiam non eſt opus in Notorio Delicto, ut Judex ferat ſententiam condemnatoriam ſolenniter, & in ſcriptis. Gomez. *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 45. Farin. *n.* 115. quia regulare eſt, quòd quando Judex procedit ſine ordine, & figura Judicij, non requiratur, quòd ſententia feratur in ſcriptis. Sufficiet ergo ſententia non ſolennis, & præceptum Judicis, reo pœnam intimantis, vel eum mittentis ad ſupplicium pro tali crimine, niſi tamen reus id eſſe notorium neget; tunc enim opus foret Sententiâ notorij declaratoriâ. Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 8. Farin. *n.* 116. Paſſerin. *q.* 10. *n.* 12. Pirhing *hic n.* 104. Wieſt. *n.* 11. Reiffenſtuel *n.* 258. Unde contraria Sententia, quæ ait, in Notorijs etiam Sententiâ declaratoriâ non eſſe opus ſolùm procedit, quando vel eſt notorium facti permanentis, ita, ut quotidie, & ſemper oculis hominum obverſetur, vel per reum non negatur notorium: imò etiam in his duobus caſibus conſultius aget Judex, ſi pronuntiet ſuper notorio, ut cum *Foller.* notat Farin. *l. cit.*

12 5. Non eſt in caſu Notorij locus Appellationi, ſed iſta non obſtante, Judex ad executionem poteſt procedere *c. cùm ſit* 5. *fin. de Appell.* ibi, *Niſi fortè manifeſtus raptor, vel fornicator exiſtat.* Procedit autem hoc ſolùm caſu, quo in delinquentem decernitur pœna, tanquam in reum notorij criminis; nam ſi ad hanc ſimpliciter, & notorietate non expreſſa, condemnaretur, locus appellationi foret Durand. *Specul. tit. de notor. crim.* §. 8. *n.* 25. Clar. § *fin. q.* 94. *n.* 2. Gomez. *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 47. Farin. *q.* 21. *cit. n.* 117. Paſſerin. *q.* 10. *n.* 13. Wieſt. *hic n.* 12. Reiffenſtuel *ibid. n.* 260.

13 6. Non admittitur recuſatio Judicis tanquam ſuſpecti *c. propoſuit* 24. *de Appell.* quod

quod verum est solùm casu, quo pœna pro delicto determinata est Jure, Statuto, vel consuetudine; nam si arbitrio Judicis infligenda sit, cùm in taxatione illius excedere Judex possit, recusatio illius, tanquam suspecti, admittitur. Gomez. *n. 46.* Farin. *n. 130.* Haun. *n. 37.* Wiest. *n. 13.* Reiffenstuel *n. 255.*

14 Quæritur 4. quid requiratur, ut ratione criminis notorij Judex procedere adversùs reum possit, ordine Judiciario non observato? R. 1. debet ipsum factum, quod in Delictum cadit, esse notorium: Tale erit, quando crimen patratum est coram decem, aut saltem sex hominibus, qui illud certò, & per sensum cognoverint; quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiritur, ut illud patratum sit coram populo, vel majore illius parte. Ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem homines *can. unio 3. caus. 10. q. 3.* Sanch. *l. 6. cons. c. 3. dub. 3. n. 10.* Passerin. *Trib. Regul. q. 10. n. 4.* Wiest. *hic n. 5.* Reiffenstuel *ibid. n. 252.*

15 2. Debet notorium esse factum, non tantùm in se, sed etiam in ratione delicti; quia nisi hoc modò notorium sit, locus erit tergiversationi, & excusationi, cui tamen locus esse non debet in Delicto notorio *c. tua nos 8. de cohab. Cler. & mulier.* Clar. *§. fin. q. 9. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 49.* Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 30.* Passerin. *q. 10. cit. n. 5.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 265.* Distinguendum tamen videtur inter facta, quæ ex sui naturâ maleficium arguunt, & inter facta, quæ ex sui natura bona, vel indifferentia sunt: ut *primi generis* facta etiam in genere Delicti notoria dici possint, sufficit ipsum factum notorium esse, & non apparere de Exceptione, quæ oppositæ facto malitiam tolleret; contrà *in secundi*, & *tertij generis* factis, ut notoria fiant in genere Delicti, necesse est, ut notoriæ sint circumstantiæ, quarum adminiculo naturam hæc facta mutant, & mala efficiuntur. *Ratio* utriusque est, quia factum ponderatur secundùm naturam suam, & tale præsumitur, quale à natura sua est *l. suus quoque 4. §. fin. ff. de hæredib. instit. l. frater 1. C. ad leg. Corn. de Sicar.* Farin. *l. cit. n. 51.*

16 3. Debet constare etiam de ipsa notorietate; nam in hac fundatur processus in causa Notorij: consequenter testes, quibus notorium crimen probatur, deponere non tantùm debent de ipso crimine, sed etiam de notorietate ipsius, quòd scilicet præsente, & inspectante populo, vel majore illius parte sit perpetratum *c. cùm dilectis 15. de Purgat. Canon.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim. §. 8. n. 17.* Farin. *q. cit. n. 105.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 76. n. 11.* Passerin. *q. 10. n. 9.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* Wiestner *hic n. 7.* Reiffenstuel *ibid. n. 263.* in qua probatione cautè omnino procedere Judex debet, nec statim credere asserentibus Delictum esse notorium, cùm notoria dicantur multa, quæ non sunt talia *c. consuluit 14. de Appellat.* Ideo honestiùs, tutiúsque aget, si quantumcunque delictum videatur esse notorium, super ejus notorietate recipiat à vicinia depositiones testium, quotquot haberi commodè possunt: imò non facilè omittet ipsam etiam citationem, & monitionem Rei, ut ita se liberet à periculo pœnæ, cui aliàs depositio officio foret obnoxius, si Judiciario ordine non observato, ad condemnationem, & executionem processit ut cum alijs notat Fagnan. *in c. Vestra 7. de cohabit. Cler. & mulier. n. 95.*

17 Quæritur 5. an, ordine Juris non observato, procedi etiam possit contra reum, in flagranti crimine, ut loquimur, sive in istius actu deprehensum, & apprehensum? R. Distinguendo: Vel enim reus delinquit in conspectu ipsius Judicis, pro Tribunali sedentis, aut aliàs Jurisdictionis actum exercentis; vel à Ministris, aut etiam ab alijs ita repertus ducitur ad Judicem.

18 *Si primum*, ad punitionem illius, tanquam notorij delinquentis, procedere Judex, ordine Juris non observato, potest, ita, ut nec processu, nec probatione opus sit; quia aspectus Judicis inducit ipsi evidentem probationem quoad decisionem causæ *l. eâdem 2. ff. de feriis, l. si irruptione 8. §. ad officium 1. ff. fin. regund. l. minor 32. ff. de minor.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim. §. 8. n. 12.* Salycet. *in l. 7. C. de accusat. n. 91.* Gomez. *l. 3. var. c. 1. n. 48.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 158.* Passerin. *Trib. Reg. q. 10. n. 17.* Wiestner *hic n. 17.* Reiffenstuel *n. 268.* Ne tamen, si postea in Syndicatu negaretur, condemnatum commisisse delictum in ejus præsentia, Judex periculum pœnæ incurrat, tutiùs aget, si etiam hoc casu recipiat probationes delicti, ut sic ex actis probare possit, commissum in sua præsentia esse delictum. Farin. *n. 159.* & alij *suprà.* Follerus *pract. crim. V. item quod notorius n. 27.* suadet, ut Judex, commisso delicto, reum in continenti examinet: & siquidem Delictum confiteatur, decernere sine alia probatione, vel solennitate pœnam eidem poterit. Si verò neget, super eo recipiat testes, & siquidem in Rei, ut loquuntur, confrontati facie adversùs ipsum deposuerint, ad punitionem illius procedet: & ita practicari apud Farin. *l. cit.* testatur Lud. de Penna *in l. quotiens 17. C. de Dignit.*

19 *Si secundum*, & reus in flagranti deprehensus, & apprehensus ducatur ad Judicem, imprimis à Notario in Actis Judicialibus describenda est Relatio eorum, qui reum Judici sistunt, & recipiendi testes super Delicto, & deprehensione in flagranti; deinde examinandus ipse reus: ubi interest, an examinatus fateatur Delictum sim-

pliciter, an cum excusatione, quæ pœnam excludat, vel diminuat, v. g. quòd occiderit justæ defensionis gratiâ, quòd acceperit rem alterius in compensationem crediti &c. an verò Delictum omnino neget. *Si primum*, pœna ipsi secundùm facti, & personæ qualitatem est decernenda. Farin. *q. 21. cit. n. 133. & 143.* *Si secundum*, ei statuendus est terminus ad allegationis, seu exceptionis suæ probationem, nec antea condemnandus reus, quàm ex allegatis, & probatis constet, quòd ipse nihil relevans afferat, vel afferre possit. Farin. *n. 143. cit.* *Si tertium*, repetendi sunt testes super Delicto, & deprehensione in flagranti jam recepti: quorum testimonijs si convictus appareat, & post terminum ipsi datum relevans nihil afferat, promerita ipsi pœna est infligenda. Si verò non sit plenè convictus, deveniendum est ad torturam; quia deprehensio in flagranti facit, ut reus sine alijs indicijs torqueri possit. Farin. *n. 148.* Passerin. *n. 21. & 22.* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 268.*

Dubitatur, an reo deprehenso in flagranti, postquam delictum extra, vel in tortura confessus, vel de ipso legitimè convictus est, infligi pœna sine prævia Sententia possit? Affirmat Glossa communiter recepta in *l. ictus fustium 22. V. eod. pr. ff. de his, qui not. infam.* & hoc ipsum frequentissimo omnium consensu in plerisque locis observari ait Covar. *in c. alma de sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 1. n. 9.* Juxta principia jacta *n. 1.* præferenda videtur doctrina Clari §. *fin. q. 8. n. 4.* & Farin. *q. 21. n. 153.* qui Sententiam hoc casu exigunt, sed absque solennitatibus Jure præscriptis prolatam, sive Decretum de pœnæ executione: à quo Decreto, tanquam Juris executione, Appellationem negant, nisi in casu, quo infligitur pœna arbitraria, & in hac Judex excedat. P. Wiestner *hic n. 12.*

§. II.

De Accusationibus.

SUMMARIUM.

21. 22. 23. *Definitio Accusationis, & hujus explicatio.*
34. &c. *Modus eam proponendi.*
27. &c. *An exprimi in ea debeat etiam dies commissi delicti?*
30. &c. *Quid si in Libello accusationis propositum tempus, locus, aut qualitas non sit probata?*
33. *An in Libello accusationis facienda hodie sit Inscriptio?*
34. *Quando arrestari possit Accusatoris persona?*
35. 36. *An, & quando Libellus Accusationis continere debeat Conclusionem in causa?*
37. &c. *Quinam accusare possint?*
72. &c. *Et qui accusari?*
80. &c. *An accusari possint absentes?*
83. 84. *An unus à pluribus?*
85. &c. *An accusari aliquis possit de crimine de quo ille nullâ laborat infamia?*
88. &c. *An præcedere debeat monitio secretæ?*
92. &c. *An accusari de crimine iterum possit, qui de eo per sententiam semel est absolutus?*
99. &c. *Quæ sint partes Judicis in admittenda accusatione?*
103. &c. *An quis ad accusandum obligetur?*
106. &c. *An desistere liceat ab inchoata jam accusatione?*
110. &c. *Quis sit Effectus Accusationis ex parte Judicis?*
114. &c. *Ex parte Accusatoris?*
117. &c. *Et ex parte Accusati?*
121. &c. *Modi, quibus extinguitur Actio criminalis?*

21 QUæritur 1. quid sit *Accusatio?* R. Est *delatio Rei criminis in Judicium, ad publicam vindictam solenniter facta.* Ita quoad sensum Clar. §. *fin. q. 12. n. 1.* Canis. *summ. l. 4. tit. 19.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 1. n. 1.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Wagnereck *ad Rubr. eod. not. 2.* Vallens. *hic §. 1. n. 1.* Zoes. *n. 1.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 3.* Wiestner *n. 19.* Reiffenstuel *n. 3.*

Dixi 1. *Delatio:* in quo distinguitur Accusatio ab Inquisitione; nam Inquisitio præviam criminis delationem, aut manifestationem, ex instituto propositam, non prærequirit, sed ad eam instituendam sufficit fama, & indicia.

22 Dixi 2. *Rei criminis:* quod ex sententia Lauterbach. *ff. h. tit. §. 14.* & aliorum, debet esse publicum, & grave. Sed videtur distinguendum, quo Judicij genere agatur de crimine; nam causæ graviores expediuntur Processu Ordinario, Summario Delicta leviora juxta *l. levia 6.* & *ibi* Brunnem *ff. h. tit.*

Dixi 3. *in Judicium*; nam causæ criminales, si criminaliter de ijs agatur, coram Arbitris proponi non possunt *c. causa 9. fin. de in integr. restit.* & *l. non distinguemus 32. §. Julianus 6. ff. de recept. qui Arbitr.* sed requirunt authoritatem Judicis, & quidem competentis. Talis in hoc genere causarum erit, qui mixtum saltem Imperium habet, cuique criminosus subjectus est titulo domicilij, vel loci Delicti. Miller. *ad Struv. Exerc. ad Pandect. 49. th. 6.* Lauterbach. *l. cit. §. 1.* Magnif. P. Schmier *tr. de Judic. c. 3. sect. 5. per totam.*

Dixi

23 Dixi 4. *ad publicam vindictam:* quo differt Accusatio ab Actione, & Denuntiatione Evangelica; nam per Actionem intenditur satisfactio, & utilitas privata ejus, qui damnum, & injuriam passus est; per Denuntiationem verò correctio delinquentis: utilitas verò publica per utramque tantùm intenditur mediatè, quam immediatè procurare Criminosorum condemnatione, & pœnis cogitat accusatio.

Dixi 5. *solenniter facta:* ad quam solennitatem olim requirebatur, ut Accusator se inscriberet ad pœnam talionis, sustinendam in casu, quo Delictum non probaverit. Sed hodiernis moribus Inscriptio hæc ob periculum minuendæ Accusationis per consuetudinem sublata est, & ejus loco subrogata cautio de satisfactione, præstanda propter injuriam, & expensas. Struv. *Exercit. 49. cit. th. 9.* Lauterbach *ff. h. tit.* §. 17. Et hinc de ea Inscriptione non est amplius necesse in Definitione Accusationis mentionem fieri.

24 Quæritur 2. quomodo proponi Accusatio debeat? R. Proponi debet in scriptis per Libellum *l. libellorum 3. pr. ff. h. tit.* vel saltem viva voce ab Accusatore prolatam, Notarius describere in actis debet: quod Curiarum praxi receptum esse testatur Clar. §. *fin. q. 12. n. 7.* Leff. *l. 2. de Just. c. 30. n. 2.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 1. n. 3.* Pirhing *hic n. 2.* König *n. 52.* Reiffenstuel *n. 6.* idque non immeritò; sic enim prohibetur variatio, & Judex magis dirigitur ad conformandam petitioni Accusatoris sententiam. *Excipitur*, si crimina forent levissima; tunc enim non est necesse, ut Accusatio in scriptis efferatur, vel viva voce prolata in scripta redigatur *arg. l. levia 6. ff. h. tit.* Sanch. *l. 6. cons. dub. 50. n. 6.* Passerin. *n. 3. cit. in fin.* König *n. 52.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 6.*

25 Ut rite formatus censeatur Accusationis Libellus, exprimi in illo debent sequentia. 1. Nomen Judicis *l. Libellorum cit. pr.* junct. Gloss. *V. Consul.* ut appareat, an sit competens, necne. 2. Nomen, & cognomen accusatoris, & accusati *pr. cit.* ut appareat, an accusare, vel accusari possint. 3. Species criminis, ut secundùm istius qualitatem Judex pœnam mensurare possit *pr. cit.* 4. Locus, & tempus patrati criminis *pr. cit.* 5. Inscriptio, seu subscriptio accusatoris in crimen, sive ad pœnam talionis *pr. cit.* & *c. super his 16. h. tit.* quod statuendi justissima causa fuit, ut coërceretur temeritas accusatorum *l. fin. C. de furt.*

26 Hæc Jure communi spectato, Hodie de praxi passim Accusationis loco succedit simplex querela, in qua refertur crimen: nec solennis porrigitur Libellus; neque fit Inscriptio. Passerin. *Trib. Reg. q. 7. art. 7. n. 5.* Schamberg. *hic n. 5.* Debet tamen Querela hæc, quæ loco Accusationis succedit, continere nomen querelantis, querelati, Judicis, & commissi Criminis speciem, locum, & tempus: quæ nisi fiant, in ijs locis, & casibus, in quibus ex forma Statutorum specialium Judex non potest procedere, nisi ad querelam partis, non procedet Querela. Farin. *prax. crim. q. 12. n. 5. & 6.* Clar. §. *fin. q. 12. n. 3.* Passerin. *Trib. Reg. q. 7. art. 1. n. 5.* Secus est in ijs locis, & casibus, in quibus, ut hodie plerumque fit, Judex procedere potest, & procedit ex Officio; nam in his non disputatur multùm super requisitis in Querela, an adsint, vel non. Farin. *n. 6. cit.* Passerin. *n. 5.*

27 Dub. 1. quale tempus exprimi in Libello, vel Querela debeat? R. Exprimi debet annus, & mensis commissi criminis; alias hoc non expresso, accusatio criminalis erit ipso Jure nulla, etiamsi pars non opponat, ut teste Clar. *q. 12. cit. n. 9.* communis habet opinio, & probat ratio, quia sine expressione temporis, & loci, accusatio fiet incerta, ita, ut Reus, probando negativam coarctatam, non possit se aliquo modo defendere, aut testes, qui contra ipsum deposuerunt, de falso convincere. *Excipitur* in Delictis successivis, quale est Ebrietas, item in levibus; nam in his annus, & mensis non est exprimendus. Scaccia *l. 1. de Judic. c. 51. n. 3.* Guazzin. *defens. 3. c. 3. n. 4.*

28 Dies commissi criminis non est necessariò exprimenda; quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur, cùm quis facilè possit obliviscì diei, vel etiam hebdomadæ, in qua commissum est Delictum; nec enim tempus ita cadit sub sensum, ut locus. Leff. *l. 2. de Just. c. 30. n. 4.* Pirhing *hic n. 2.* cum alijs. *Excipitur*, nisi Delictum ratione certæ diei esset specialiter punibile, aut expressio illius ad sui defensionem reo specialiter foret utilis; tunc enim, saltem hoc exigente, foret exprimenda. Farin. *prax. crim. q. 1. n. 19. & 20.* Guazzin. *reor. defens. 3. c. 3. n. 10.* Passerin. *Trib. Reg. q. 7. art. 1. n. 4.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 62.* Vallens. *hic* §. *1. n. 3.* Zoes. *n. 1.* Honor. *n. 16.* Wiestner *n. 23.* Reiffenstuel *n. 9.*

29 Dixi *Dies commissi criminis*; nam Accusationis institutæ dies est exprimenda *l. libellorum 3. ff. h. tit.* quod etiam de substantia requiri, bene docet Ameno *tit. 9. V. Denuntiatio* §. *4. q. 4. n. 34.* tum quia in Jure, ubi præscribitur forma, requiritur dies *l. cit.* tum quia bene potest contingere, ut valor Processûs à die dependeat, prout sit, si tali die Judex fuisset suspensus, vel accusator inimicus accusati &c. Et sic consuetudine servari testatur Clar. §. *fin. q. 12. n. 8.* & quamvis *ibidem* putet expressionem diei porrectæ Accusationis non esse de substantia, ut propterea, si omittatur, vitietur Querela, vel Accusatio, addit tamen, casu, quo Notarius

tarius non faceret apparere in actis, quo die fuisset porrecta Querela, eum posse, tanquam imperitum, & suspectum privari officio.

30 Dub. 2. an, si Delictum probetur patratum in alio loco, vel tempore, aut sine qualitate quæ in Libello Accusationis expressa est, Rei condemnatio adhuc sequi possit? Negat Bartol. *in l. is, qui reus n. 9. ff. de publ. Judic.* cum quibusdam alijs, imò, ut DD. isti volunt, cum communi Sententia. Sed melius adhibetur distinctio: Vel enim qualitas diei est de substantia Delicti, quia v. g. adest Statutum disponens, ne tali die aliquid fieret, vel non est de illius substantia, sed factum, quod proponitur, est ita Delictum uno die, prout in alio.

31 *Si primum*, procul dubio debet probari dies ad hoc, ut reus de ipso facto, tanquam de Delicto, puniri possit, ut bene advertit Clar. *pract. crim. §. fin. q. 12. n. 14. Si secundum*, probato Delicto, licèt non sit probata dies Delicti, in Libello accusationis proposita, condemnatio Rei sequi debet; tum virtute Clausularum, quæ de Stylo ponuntur in accusatione, ut est illa *Non se adstringens &c.* & illa *Salvo jure &c.* tum quia Judex ex officio potest supplere Libelli Accusationis defectum, ut sustineatur Judicium. Clar. *l. cit.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 51. n. 39. ℣. ego tamen*, Guazzin. *defens. 2. c. 3. n. 13. ℣. nec non expressò*, Passerin. *Tribun. Reg. q. 7. art. 1. n. 6.*

32 Idem dicendum, si in Libello proposita sit certa qualitas Delicti, e. g. quòd accusatus fecerit percussionem cum sanguine, vulnerationem cum cicatrice perpetuò mansura, & qualitate non probata, probatum sit delictum; nam tali casu reus condemnari debet de principali Delicto, de quo est convictus, ut communiter servari cum alijs testatur Clar. *§. fin. q. 66. n. 4. prop. fin.* quia hodie pars in Querela se non adstringit ad aliquam certam condemnationem, sed utitur Clausula generali, qua petit accusatum condemnari *pro prædictis, & quolibet eorum &c.* ut proin sufficiat Delictum principale fuisse probatum. Similiter, si in Processu contra Reum fuit probatum Delictum, vel qualitas non contenta in accusatione, Reus in pœnam ordinariam, illi Delicto, vel qualitati debitam, condemnari potest. Guazzin. *Defens. 3. c. 4. n. 2.* Passerin. *n. 7.*

33 Dub. 3. an adhuc hodie in Libello Accusationis sit facienda Inscriptio in crimen, sive ad pœnam talionis? ℟. Negativè; nam pœna talionis, saltem in foro Civili, hodie ab usu Judiciorum recessit, ut *infrà Tit. 2. n. 16.* dicam. Loco illius hodiernis moribus Accusator per idoneos fidejussores, & pignora cavet de Accusatione ad finem Judicij usque prosequenda, de solvendis in casu succumbentiæ expensis, déque resarcienda injuria, & omni damno *l. si cui 7. §. cavent 1. ff. h. tit. l. qui crimen 3. C. de his, qui accus. non poss.*

34 Antequam verò Accusator hujusmodi Cautionem præstet, *per Constit. Crim. Carol. V. art. 12.* jubetur arrestari ipsius persona, ita tamen, ut tam ad ipsum, quàm ad accusatum, si defensionem suam prosequi velit, omnino indulgendus sit accessus liber earum personarum, quibus prior pro Cautione fidejussoria, posterior pro ostensione innocentiæ suæ uti cupit. *Const. crim. cit. art. 14.* *Excipitur*, si accusator sit persona in magna Dignitate constituta; nam hic Vadem, qui cum accusato paris conditionis sit, Judicio sistere potest, ut loco ipsius custodiæ committatur, qui tamen & ipse custodia hac liberandus erit, si Cautionem fidejussoriam ipse præstare voluerit. *Const. cit. art. 14. fin.*

35 Dub. 4. an in Libello Accusationis sit apponenda Conclusio, seu petitio pœnæ determinatæ? ℟. Non esse necessariò apponendam. Et hoc est discrimen inter Libellum, quo proponitur Actio Civilis, & inter Libellum, quo proponitur Accusatio: in priori post facti narrationem, & causam applicatam, poni debet Conclusio, ut sciatur, quid, & quantum Actor petat, cùm in ipsius sit arbitrio vel totum, vel partem petere: in posteriori autem sufficit sola facti narratio, & obligatio ad probandum sine conclusione ad pœnam; quia quando constat de Delicto, tunc Lex ipsa facit Conclusionem ad pœnam, quam remittere, vel moderari non est in Accusatoris potestate. Engl *hic n. 4.* Magnif. P. Schmier *tr. de Delict. p. 1. c. 4. n. 45.*

36 Si tamen etiam in Libello criminali apponatur Conclusio, propterea ille non vitiatur. Græveus *p. 1. obs. 61. n. 20.* König *hic n. 54.* Quin & de usu, ac praxi fori Libellus Criminalis ita concluditur: *Quare peto ipsum puniri juxta formam Juris, & Statutorum*, den Beklagten der begangenen Missethat halber nach Ausweisung der Rechten zu bestraffen/ ut patet ex *Constitut. Crim. cit. art. 89.* & notat Clar. *§. fin. q. 31. n. 13.* Decian. *tr. crim. l. 7. c. 43. n. 4.* König *n. 54. cit.* Addit Gaill. *l. 1. obs. 61. n. 19.* consultò Conclusionem, & petitionem certæ pœnæ addi, si tale sit Delictum, cujus pœna pecuniaria est, & partim Accusatori, partim fisco applicanda.

37 Quæritur 3. quinam accusare possint? Inutilis hodie videtur hæc quæstio, cùm, ut hactenus dictum est, hodie de consuetudine, etiam nemine accusante, in quocunque Delicto Judex possit procedere ex Officio. Multo magis igitur procedere poterit, instante aliquo accusatore, licèt inhabili; nam, ut Clar. *§. fin. q. 14. n. 1. ℣. scias tamen*, & Farin. *prax. crim. q. 12. n. 3.* advertunt, Querelantis instantia, etiamsi facta sit ab eo, qui accusare non potest, aperit viam Judici

ad

ad inquirendum de Delicto, per Querelam delato. Sed his non obstantibus, cum DD. *citt.* dicendum, quæstionis istius etiamnum hodie non modicam esse utilitatem, 1. In ijs locis, in quibus cessante prædicta consuetudine, servatur Jus commune. 2. In ijs, in quibus ex speciali Statuto extra certos casus Judex procedere non potest, nisi ad partis querelam; nam cùm ista hodie loco accusationis successerit, ad querelam non admittentur, nisi illi, qui de Jure ad accusandum admittuntur. His prænotatis ad Quæstionem

38 Respondet Macer JCtus *l. qui accusare, pr. ff. h. tit. Qui accusare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt.* Est enim Edictum de non accusando prohibitorium: in quo genere Edictorum, quod non est prohibitum à Jure intelligitur esse concessum *c. inter corporalia* 2. junct. Gloss. *V. non incurritur. de translat. Episc.* & *l. ab ea parte 5. ff. de Probat.* Quare generaliter loquendo accusare permissum erit omnibus, qui non specialiter, & expressè reperiuntur Jure prohibiti. Durand. *Specul. l. 1. partic. 2. tit. de Accusat. n. 1.* Clar. §. *fin. q. 12. n. 1.* Gomez. *l. 3. var. c. 1. n. 31.* Farin. *q. 12. cit. n. 8.* Pirhing *hic n. 3.* ubi tamen distinguendum est, num crimen sit publicum, vel privatum.

39 *Publici criminis* accusatio plerumque conceditur cuivis de populo §. *publica 1. Inst. de Publ. Judic.* quòd illa puniri maximè pertineat ad utilitatem publicam. Gomez. *n. 31. cit.* Farin. *n. 8. cit.* Less. *l. 2. de Just. c. 30. n. 19.* Guazzin. *Defens. reor. 3. c. 1. n. 2.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 42.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 21.* Vallens. *hic* §. *2. n. 1.* Pirhing *n. 3.* König *n. 49.* & alij passim. Contrà *de privato crimine* accusare ij duntaxat possunt, qui suam, vel suorum injuriam prosequuntur, ut cum *citt.* notat Farin. *n. 7.* & sumitur ex *l. manifestissimi 22. C. de furt.* Hæc tamen Distinctio non facit Regulam perpetuam; nam Actiones populares, & de suspectis Tutoribus removendis, licèt Publica non sint Judicia, cuivis tamen è populo conceduntur *l. popularis actio 4. ff. de Popular. action.* Contrà adulterij, & suppositi partûs crimina sunt Judicia publica, ad istorum autem criminum accusationem admittuntur soli parentes, & hi, ad quos ea res pertinet *l. quamvis 30. C. ad Leg. Jul. de adulter.* & *l. lege Cornelia 30.* §. *de partu 1. ff. de Leg. Corn. de falsi.*

40 Quænam verò Crimina publica, quæ verò privata sint, ut rectè observant Clar. *pract. crim.* §. *1. n. 6.* Farin. *q. 18. n. 17.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 2. & 3.* Wiestner *hic n. 25.* desumendum est à Lege, & consuetudine, quæ illa adnumerat Delictis publicis, vel privatis; ac propterea, quia Jus, & consuetudo Delictum privatum adnumerare potest Delictis publicis, fit, ut denominatio Delicti publici, & privati non sit constans. De Jure Canonico, ut cum *citt.* notat Passerin. *Trib. Regul. q. 9. n. 1. & 5.* omnia Delicta censentur Publica: quin etiam de Jure Civili per consuetudinem, & locorum Statuta discrimen inter Delicta publica, & privata passim sublatum est, quòd Judex in omnibus procedat ex officio, & ad Accusationem quivis admittatur Clar. *n. 6. cit.*

Præscindendo à consuetudine, & lo- 41
corum Statutis, *Privata Delicta* censentur injuriarum, furti, damni arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, expilatæ hæreditatis, termini moti &c. Gomez. *l. 3. var. c. 1. n. 9.* Farin. *q. 18. cit. n. 15.* Quæ pro *Publico* habentur, in triplici classe consistunt. Nam 1. aliqua directè sunt contra DEUM, aut res Divinas, ut blasphemia, Apostasia, Hæresis, Simonia, Magia, Sacrilegium &c. 2. Alia sunt contra Principis, aut Reip. Majestatem, ut perduellionis, & alia læsæ Majestatis crimina. 3. Alia committuntur quidem contra privatam personam, quia tamen Jus publica esse voluit, Publicis accensentur, ut Homicidium, Parricidium, Adulterium, Stuprum, Venesicium, Crimen falsi, Vis publicæ, & privatæ, ambitûs, peculatûs, repetundarum, fraudatæ annonæ &c. *l. non omnia 1. ff. de Publ. Judic.* Wiestner *hic n. 25.*

Dixi autem *n. 38.* generaliter loquen- 42
do permissum esse accusare omnibus, qui non specialiter, & expressè prohibentur; nam plura hominum genera in plerisque, & aliqui in omni Delicto ab Accusatione removentur. Hinc

Dub. 1. quibus hominum generibus accusare non sit permissum? R. Hos enumerat Macer *l. qui accusare 8.* & *duabus seqq. ff. h. tit.* quem è vestigio sequitur Gratianus *can. prohibentur 14. caus. 2. q. 1.* juxta quos textus plura sunt capita, ex quibus aliquis ab accusando removetur.

Et 1. quidem *ob Sexum* Mulieres, prout patet ex *l. qui accusare cit. l. non est 1. ff. eod. l. de crimine 12. C. de his, qui accusare &c.* quia facilè inducuntur ad habendum amorem, vel odium. *Excipiuntur* crimina quædam atrociora, de quibus Farin. *q. 12. n. 16.*

2. *Ob Ætatem* Impuberes, utpote 43
sufficienti intellectu ad perpendendum Accusationis negotium nondum instructi. Puberes autem, tametsi ante vigesimum annum completum testes in criminalibus causis agere nequeant *l. in testimonium 20. ff. de testib.* ab Accusatione tamen non arcentur. Sumitur ex *l. si maritus 15.* §. *lex Julia 6. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* ubi Minores excluduntur à sola accusatione Adulterij, & ab hac quidem tantùm, quando proprium Matrimonium non est violatum. Igitur cùm ex-

clusio unius sit inclusio alterius ; alia crimina accusare poterunt , dummodo illius ætatis sint, ut postulare , seu in publicum procedere valeant , videlicet 17. annorum *l. hunc titulum 1. §. initium 3. ff. de postul.* eisque assistat Curator *l. clarum 4. C. de auth. præstand.* Imò consuetudine hodierna indistinctè admittuntur omnes minores ad accusandum , dummodo 14. ætatis annum impleverint. Clar. *§. fin. q. 14. n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 12. n. 15.* Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 7.* Reiffenstuel *hic n. 16.*

44 3. *Ob Conditionem* Servus ; quia nec in Civilibus ad agendum admittitur *l. servus 6. C. de Judicijs* Ex eodem capite *l. accusare cit. fin.* Libertini prohibentur accusare Patronos suos. An verò ob Conditionem suam accusare sine consensu Patris prohibeatur *Filiusf.* dissident inter se DD. nam aliqui cum Gloss. *in l. fin. pr. v. necessitate V. imponenda C. de bon. quæ liber.* volunt, Filiumfam. sine consensu Patris accusare non posse. Alij tamen cum Clar. *§. fin. q. 14. n. 5.* & Farin. *q. 12. n. 10.* eum etiam sine consensu patris admittunt ad accusandum , ex illa ratione ; quia Accusatio pertinet ad Jus publicum , causam nempe publicam. In ijs verò, quæ ad Jus publicum spectant, non attenditur jus Patriæ potestatis *l. filiusfam. 9. ff. de his, qui sui , vel alien. Jur.* Hinc Clar. *l. cit.* ait , se in praxi de hac doctrina nunquam dubitari vidisse. Illud certum est, quòd filiusfam. cum consensu Patris accusare valeat, etiam Jure communi spectato. Reiffenst. *hic n. 18.*

45 4. *Ob Delictum* Infames : ubi distinguendum est inter Jus Canonicum, & Civile ; nam Jure Civili ab accusatione repelluntur tantùm Infames infamiâ Juris , *l. is , qui Judicio 4. ff. h. tit.* Jure Canonico autem etiam Infames infamiâ facti *can. quærendum 18. caus. 2. q. 7. can. infames 17. caus. 6. q. 1.* Huc reducuntur *Criminosi* , & qui ipsi in reatu sunt *l. neganda 19. C. de his , qui accusare &c. l. siquis 5. ff. de Publ. Judic.* ubi iterum discrimen faciendum est inter Jus Canonicum , & Civile ; nam Jure Canonico quivis Criminosus , etiam nondum accusatus repellitur ab accusando, ut notat Clar. *q. 14. cit. n. 9. cum alijs.* At Jure Civili , ut criminosus repellatur ab accusando, necesse est, ut sit accusatus , & ejus nomen inter reos receptum ; nam simpliciter accusatus , si nomen ejus inter reos nondum receptum sit , potest tam de majori , quam de minori crimine , & sive suam , aut suorum, sive etiam extranei injuriam prosequatur, accusatorem suum , vel alium reaccusare. Secus , si nomen ejus inter reos jam sit relatum; tunc enim nequit accusare alium, nisi priùs se purgaverit , & appareat esse innocens *l. neganda cit.* vel nisi majus crimen illo , de quo ipse fuit accusatus, suo accusatori , vel alteri objiciat *l. prius 1. C. eod.*

46 *5. Ob sacramentum* Miles , qui stipendia meret , ne obtentu Accusationis à signis , & servitijs militaribus abstrahantur. Ad Veteranos , extra Castra degentes, hæc prohibitio non extenditur ; quia non militant , cons. in his causa prohibitionis cessat: quamvis delatores esse prohibeantur propter honorem, & merita militiæ *l. deferre 18. §. Veterani 5. ff. de Jur. fisc.* Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 8.* Quoad Milites nostri temporis Decian. *l. 3. tr. crim. c. 16. n. 7.* distinguit inter eos , qui sunt in expeditione, & castris, & inter illos , qui manent otiosi domi , & ad custodiam Civitatum : *illos* putat , etiamsi non subeant Sacramentum more Romano , ab Accusatione tamen adhuc arceri, quòd in his militet ratio assignata , ne scilicet disciplinam militarem deserant ; secus verò de *istis*, seu posterioribus: in quo tamen, ut idem Author *n. 8.* addit, in arbitrio Judicis relinquendum est , quando ad accusandum sint admittendi. Rosbachius tamen *prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 13.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 23.* & alij existimant, Milites nostros ad accusandum indifferenter admitti.

47 *6. Ob Imperium* Magistratus ; quia sicut hic sine fraude in Jus vocari nequit , sic æquum est , ne alios interea in jus vocet , vel accuset. Quod tamen DD. communiter intelligunt de Magistratu Romanorum majore , non etiam de inferiore, qui sine Imperio , & potestate est, ut Magistratus municipalis , & Judex Ordinarius *l. nec Magistratibus 32. ff. de Injur.* & *l. de Ordinario 4. C. de Offic. Præfect. Prætor. Orient. & Illyr.* quod optimè probat Decian. *l. 3. tr. crim. c. 15. n. 4. & duob. seqq.* ex *l. qui accusare cit.* ibi *Propter Magistratum , potestatémve* , ubi Lex restringit prohibitionem ad eos duntaxat Magistratus , qui *Potestatem*, seu Imperium merum habent. *Neque obstat*, quòd textus loquatur alternativè; quia ut idem Decianus *n. 6.* cum Gloss. & Bartol. *in l. 2. V. vel pecudem ff. ad Leg. Aquil.* notat, cùm alternativa ponitur inter genus, & speciem, non servat naturam suam , sed exponitur *vel* pro *id est*, ut adeo sensus sit *propter Magistratum , id est, potestatem , seu merum Imperium.* Clariùs idipsum indicant verba *l. cit.* immediatè subsequentia, ubi pro Regula ponitur, ut accusare non possint, qui non possunt in Judicio conveniri. Certum autem est, quòd in Judicio conveniri possint Magistratus minores *l. nec Magistratibus cit.* Ergo etiam accusare poterunt. Solùm ergo accusare non permittentur Magistratus majores , & qui merum Imperium habent, & quidem solùm, dum in Magistratu sunt. Lauterbach *ad ff. h. tit. §. 5.* Miller. *ad Struv. Exerc. ad Pandect. 49. th. 7. Lit. N.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c 4. n. 22.* Ne ob eorum

rum potentiam accusatus opprimatur: quæ ratio in minoribus Magistratibus cessat, cùm non ita magna sint prædita potestate.

48 7. *Ob turpem quæstum*, qui duo Judicia adversùs duos reos subscripta jam habent; vel pecunias accusationis gratiâ receperunt; quia præsumuntur non æqua intentione ad accusandum prorumpere, qui tantopere laborant sanguinem humanum profundere per textus *citt.*

8. *Ob suspicionem calumniæ*, qui falsum testimonium subornati dixerunt *can. prohibentur cit.* & *l. alij 9. ff. h. tit.*

9. *Ob paupertatem*, qui minùs quàm 50. aureos in facultatibus suis habent *l. nonnulli 10. ff. eod.* nisi tamen constet, quòd bonæ conversationis, & honestæ sint vitæ. Gloss. *in l. cit.* Clar. §. *fin. q. 14. n. 19.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 22. n. 16.* Farin. *q. 12. n. 50.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 44.* Carpz. *pract. crim. p. 3. q. 104. n. 29.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Pirhing *hic n. 6.* König *n. 23.* Reiffenstuel *n. 27.*

49 Dub. 2. an præter enumeratos ab accusando repellantur adhuc alij? *R.* Præter enumeratos, & *can. prohibentur*, & *l. qui accusare, l. alij, l. nonnulli, citt.* comprehensos plures adhuc sunt, qui ab accusando prohibentur vel simpliciter, vel respectu certarum personarum.

Et quidem 1. *ob defectum animi* furiosus, mente captus, & prodigus. Decian. *tr. crim. l. 3. c. 11. n. 1. & 2.* furiosus quidem, & mente captus; quia in Judicijs voluntas requiritur, cùm in illis dicatur quasi contrahi *l. licèt 3. §. idem scribit 11. ff. de pecul.* prodigus autem; quia æquiparatur pupillo habenti tutorem, vel minori habenti curatorem *l. si curatorem 3. C. de in integr. restit.* & *l. Fulcinius 7. §. adeo 9. ff. ex quib. caus. in possess. eat.* *Neque obstat*, quòd prodigus obligetur ex delicto, ut cum Gloss. *in l. si quis in tantam q. 3. C. unde vi* communiter docent *Interpp. & DD.* apud Decian. *l. 3. cit. c. 11. n. 3.* cons. etiam videatur posse accusare de delicto; nam disparitas est, quia ex delicto cùm obligatur, delictum jam est commissum, & ideo meritò puniendus, ne delinquendi occasio ipsi detur: contrà dum accusat, cùm accusator deficiens in probatione condemnetur ad expensas, & subeat pœnam talionis, periculum incurrit, ne facilitate sua profundat bona sua, ob quòd periculum interdictum ipsi est bonis suis.

50 2. *Ob defectum corporis* Surdi, & muti, si tales sint à nativitate: secus, si ex accidenti tantùm, præsertim si scribere noverint. Decian. *c. 11. cit. n. 14. & trib. seqq.* König *hic n. 17.* Wiest. *ibid. n. 27.* *Ratio primi* est, quia non possunt sufficienter explicare consensum, & voluntatem suam: & ideo agere non possunt civiliter, vel postulare pro se, vel pro alijs *l. hunc titulum 1. §. initium 3. ¥. propter casum. ff. de postuland.* & *l. mutus, & surdus 43. pr. ff. de Procurator.* multò minùs igitur accusare poterunt, cùm ad munus accusandi ob gravitatem causæ criminalis major utique personæ habilitas requiratur. *Ratio secundi*; quia mutus, & surdus ex accidenti, si scribere noverit, accusatoris officia omnia implere potest saltem scribendo, & legendo. Igitur cùm nulla Lex eundem ab accusatione removeat, ad eam est admittendus. Multo magis ad accusandum admitti potest Surdus tantùm, aut mutus tantùm, & cæcus, circa ea, quæ sensu proprio possunt percipere, aut quæ perceperunt, antequam in infortunium illud inciderent; nam circa hæc possunt esse testes. Decian. *n. 6. &c.*

3. *Ob vinculum censuræ* Excommunicatus, sive ligatus Excommunicatione majore; nam hic ab agendo repelli potest, & debet *c. intelleximus 7. de judic.* & *c. pia 1. de Except. in 6.* Ergo nec accusare potest; quia accusator in causa criminali proprius est actor. Idque servandum etiam in foro Civili. Clar. §. *fin. q. 14. n. 16.* Farin. *q. 12. n. 29.* Pirhing *hic n. 6.* König *n. 19.* Reiffenst. *n. 24.* cum alijs. Excommunicatus Excommunicatione minori ab accusando non repellitur. Farin. *n. 32. & 33.* & ratio disparitatis est; quia Excommunicatus Excommunicatione majore ab agendo, & accusando repellitur, quòd ista Censura eum privet communicatione cum fidelibus, quâ communicatione non privat Excommunicatio minor. §

4. *Ob reverentiam* filius prohibetur accusare patrem; quia nec contra ipsum agere potest civiliter sine venia *l. quicunque 4. §. Prætor ait 1. ff. de in Jus vocand.* quòd intelligendum etiam de filio naturali, spurio, adoptivo, emancipato: nec de parentibus, & filijs tantùm, sed etiam de descendentibus quibuscunque respectu suorum Ascendentium; nam etiam hi nomine Ascendentium, & illi Filiorum nuncupatione veniunt. Decian. *l. 3. cit. c. 14. n. 1. & trib. seqq.* Ob eandem reverentiæ, & gratitudinis obligationem accusare prohibetur Libertus patronum, vel ejus hæredem *l. qui accusare 8. fin. h. tit.* Alumnus Educatorem *l. iniquum 17. C. de his, qui accusar. non poss.* Vasallus Dominum *2. feud. 53. §. 1. ¥. similiter.* Discipulus Magistrum, cùm filio ille, iste patri æquiparetur, utpote qui eundem docuit vitam meliorem vivere: quorum omnium ratio est, quia nimis inhumanum, & brutorum feritate crudelius est vitam naturalem, vel civilem, quam accepisti à parentibus, & patronis, per accusationem ijsdem eripere.

5. *Ob conjunctionem sanguinis* accusator Fratris non potest esse Frater, ita quidem, ut accusanti exilij pœna statuatur *l. si magnum 13. & l. fororem 18. C. de his, qui accusar.* nimis enim inhumanum videtur, ut frater fratris publicam damnationem desiderat, §

ret. *Excipitur* nisi crimen sit leve ; de hoc enim frater fratrem accusare potest *l. citt.* item si accuset ad vitam propriam conservandam, ut quia frater fratris vitæ insidias parat ; nam ex ejusmodi causa etiam pater potest accusare filium *l. propter insidias 14. C. eod.* Non est autem discrimen hic faciendum inter fratres germanos, consanguineos, & uterinos ; quia *l. si magnum cit.* indistinctè loquitur, ejúsque ratio in jure sanguinis fundatur. Fratrum tamen nomine non veniunt hìc fratres patrueles, fratres adoptivi, fratres spirituales, & multo minùs Privigni, die zusammen = gebrachte Kinder. Decian. *l. 1. cit. c. 13. n. 19. & seqq.* quia non sunt proprè fratres.

54 6. *Ob familiaritatem* accusare prohibetur quis eum, cujus familiaritati inhæsit *l. siquis 20. C. de his, qui accusar.* imò si acclamaverit, ultore gladio ferire in *l. cit.* jubetur ; quia, ut *ibid.* Arcadius, & Honorius Impp. loquuntur, *vocem funestam amputari oportet potiùs, quàm audiri. Excipiuntur* familiares Episcopi, & aliorum Prælatorum ; nam hos, si accusare Episcopum suum, vel Prælatum velint, non possunt hi ab accusando repellere *c. nulli 5. h. tit.* licèt repellere illos, si ita ijsdem videbitur, possit Judex. Decian. *c. 14. n. 11.* cum *Gloss. Felin.* & alijs. *Ratio exceptionis* est, quia Episcopus, & Prælatus debet habere familiam sanctam, & cùm semel approbaverit eorum fidem, non potest amplius illos reprobare. Intellige autem, si tales sint, quorum mores ob assiduam cum ijs conversationem Prælatus, vel Episcopus potuit cognoscere, ut sunt eorum Cubicularij : secus, si tales sint, cum quibus non adeo frequenter conversatur ; nam in his cessat ratio textûs *c. nulli cit.* imò etiam priores repelli possunt, si alio laborent impedimento, quia v. g. sunt Laici, Excommunicati &c. ob quod impedimentum repelli non familiares possunt. Decian. *l. cit. n. 13. & seqq.*

55 7. *Ob odium* Inimicus capitalis, aut aliàs valde infestus non permittitur accusare eum, quem aversatur *c. meminimus 13. h. tit.* Quia talis præsumitur accusare potiùs privatæ vindictæ causâ, quàm zelo Justitiæ. Talis esse præsumitur 1. accusatus respectu ejus, qui illum accusavit ; nam hic, nisi suam, vel suorum injuriam prosequantur, reaccusare accusatorem suum non permittuntur in pari, vel minori crimine, licèt possint de majori *l. prius 1. & l. neganda 19. C. de his, qui accusar.* 2. Qui tulit testimonium in causa criminali respectu ejusdem causæ, nisi coactus tulerit *c. cùm P. 10. h. tit.* quia ex tali testimonio præsumitur oriri inimicitia inter testem, & eum, contra quem testis deposuit. 3. Judæus, Paganus, Hæreticus respectu Christiani, & Catholici *can. Pagani 25. caus. 2. q. 7.* quod circa Hæreticos in Germania non procedit, cùm in hac Hæretici cum Catholicis mixti degant. 4. Laicus respectu Clerici *c. cùm P. cit.* quia horum accusatio præsumitur ex odio proficisci. 5. Inimicis cohabitantes, & cum eis frequenter versantes ; quia ejusdem voluntatis, & affectionis esse creduntur, cujus sunt ij, qui domestici, & familiares sunt *c. repellantur 7. h. tit.*

8. *Ob conditionem* Clerici, & Religio- 56
si, qui prohibentur accusare Laicos *can. sicut 6. caus. 2. q. 7.* tum quia accusatio est genus illaudabilis, intentionis *can. siquis 50.* & *ibi* Gloss. *V. illaudabilis q. cit.* ideóque Clericus se immiscere non debet hujusmodi odiosis litigijs ; tum quia Clerici debent esse segregati à vita, & actionibus Laicorum. Abb. *in c. cùm P. 15. n. 8. h. tit.* Farin. *q. 12. n. 12. v. limita 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 22.* Engl *hic n. 6.* Pirhing *n. 4.* Schambog. *n. 6.* Reiffenstuel *n. 19.* qui tamen distinguunt, utrum agatur ad publicam vindictam, vel solùm ad privatæ injuriæ satisfactionem ; nam *Si primum*, indistinctè neganda est Clericis, & Religiosis authoritas accusandi, sive agatur ad pœnam sanguinis, sive non, ob rationes allegatas. *Si secundum*, licitè Laicum Clericus accusat, modò in casu, quo pro delicto pœna sanguinis imponenda venit, protestetur, quòd non intendat agere ad vindictam, seu pœnam sanguinis, vel aliam corporalem ; quia aliàs daretur Laicis ansa impune delinguendi in Clericos. Neque hoc casu Clericus irregularis efficitur, etiamsi dein Judex, insuper habita protestatione Clerici, reum condemnet ad pœnam sanguinis ordinariam, in quo differt Clericus accusator, prosequens suam, suorum, vel Ecclesiæ suæ injuriam, à Clerico, deponente testimonium in hujusmodi causa, qui non obstante simili protestatione, Irregularis efficitur, si reus postea pœnâ mortis, vel mutilationis plectatur. Clar. *q. 24. n. 9.* Farin. *n. 12.* Pirhing *n. 4.* König *n. 13.*

Dub. 3. an hactenus recensiti aliquan- 57
do ad accusandum admitti possint? *R.* Plerosquè illorum in certis casibus ad accusandum admitti posse, imò debere. Et 1. quidem, quando suam, ac suorum injuriam prosequuntur *can. de crimine 1. & can. seq. caus. 15. q. 5. l. certis 2. §. pupillis 1. ff. h. tit. l. de crimine 12. C. de his, qui accusar.* *Suorum* autem nomine cum *Aut. Gomez.* Farin. *n. 58. fin.* vult intelligi hic consanguineos usque ad sextum gradum, ultra hunc reliquos reputari pro extraneis, nec prosequentem istorum injurias censeri prosequi injurias suorum.

2. In crimine læsæ majestatis *l. in quæ- 58
stionibus 8. ff. ad Leg. Jul. Majest.* & alijs atrocissimis, uti est crimen Hæresis ; quia hæc Majestatis crimini æquiparatur *c. vergentis 10. de Hæretic. c.* item Simoniæ, Sacrilegij, Latrocinij, Assassinij, Testimonij falsi, falsa-

tæ

æ monetæ, fraudatæ annonæ, Censûs, aut pecuniæ publicæ, *per textus*, aut *arg. l. famosi 7. ff. ad Leg. Jul. Majest. & l. vix certis 53. ff. de Judic.*

19 3. Quando agitur de Ecclesiæ, vel Monasterij, aut alia utilitate publica *arg. c. illa 3. c. nulli 5. & c. ex parte 11. b. tit.* Et ex hoc capite Laicus, etiam extraneus, accusare potest Prælatum, vel alium Clericum super dilapidatione bonorum Ecclesiæ. Clar. §. *fin. q. 14. n. 21.* Farin. *q. 12. n. 13.* ℣. *si verò*, Honor. *hic n. 4.* Pirhing *ibid. n. 4. ℣. 2. prohibentur.*

60 Dixi autem, *plerosque ex enumeratis an 42. in recensitis modò casibus admitti posse ad accusandum.* Nam aliqui ne quidem in istis casibus admittuntur ad accusandum, alij verò in uno solùm, vel altero.

Absolutè repelluntur 1. infantes, amentes, furiosi, quos defectus rationis à munere isto repellit. 2. Surdi, ac muti simul, si tales sint, ut mentem & voluntatem suam satis explicare non possint, ut per se patet. 3. Excommunicati Excommunicatione majore ob periculum participationis, quod periculum cùm urgeat etiam in casibus à *n. 57.* recensitis, ideo hujusmodi Excommunicati ne quidem in criminibus exceptis, aut quando se, suorúmque injuriam prosequuntur, ad accusandum admitti possunt. Decian. *tr. crim. l. 20. à n. 4. Excipitur* casus rarissimus, quo verteretur causa boni publici, & hujus periculum aliter, quàm accusatione ab Excommunicato facta averti non posset. *Ratio* est, ut sic Censura Ecclesiastica magis timeatur, Communionis periculum evitetur, & contumaciæ vitium reprimatur. Farin. *q. 12. n. 31.* Pirhing *hic n. 6.* König *n. 19.* Reiffenstuel *n. 24.*

61 Limitatè ab accusando repelluntur. 1. Inimicus respectu ejus, respectu cujus inimicitias gerit; nam hic quidem admitti debet ad accusandum, quando suam, vel suorum injuriam prosequitur, ut notat Clar. §. *fin. q. 14. n. 17. in fin.* & Farin. *q. 12. cit. n. 44.* ubi rationem dat, quia aliàs nullus accusando prosequi injuriam suam posset, cùm omnes illi, qui prosequuntur suam, vel suorum injuriam, præsumantur inimici esse accusato propter injuriam. Extra hunc casum tamen ab accusando inimico inimicus repellitur, etiam in criminibus exceptis Decian. *tr. crim. l. 3. c. 25. n. 6.* Farin. *n. 39.* & alij apud istos: quia non minùs Reip. interest, ne quis injustè damnetur, quod facilè fieret, si capitales inimici ad accusandum inimicum in criminibus præfatis admitterentur. *Et extenditur hoc 1.* etiamsi accusatus culpâ suâ dederit causam inimicitiæ; nihilominus enim excipere potest contra inimicum accusatorem; dummodo causam inimicitiæ non dederit fraude, & dolo, ut nempe accusatorem posset repellere. Abb. *in c. repellatur, 7. h. tit. n. 5.* Decian. *l. cit. n. 16.* Reiffenstuel *hic n. 25. fin. Extenditur* 2. etiamsi esset reconciliatus inimico suo, si reconciliatio sit recens; secus, si dudum antea facta. Decian. *n. 21.* Farin. *n. 41. & duob. seqq.* Pirhing *n. 9. fin. Extenditur* 3. etsi crimen opponat per modum Exceptionis tantùm, si hæc voluntaria sit, seu sponte opposita. Decian. *n. 15.* Farin. *n. 40. ℣. amplia 2.* Pirhing *n. 9. cit.* & sumitur ex *c. meminimus 13. h. tit. Extenditur* 4. etsi crimen, de quo accusare inimicum vult, sit notorium; quia non deerunt hoc casu alij accusatores, & si desint, ex officio inquiret Judex. Decian. *n. 8.* Farin. *l. cit. Excipitur* causa Hæresis; nam in hac accusare potest etiam inimicus; quia tunc dicitur prosequi suam injuriam, cùm id, quod in Divinam Religionem committitur, in omnium inferatur injuriam. Decian. *n. 7.* Farin. *n. 39.*

62 2. Liberi Parentes suos, & Liberti Patronos accusare quidem possunt in criminibus exceptis, ut ex crimine læsæ Majestatis cum communi expressè concedit Decian. *l. 3. cit. c. 14. n. 23.* de crimine Hæresis patet *can. legi 13. caus. 23. q. 8. & c. litteras 14. de præsumpt.* quod multo magis concedendum de consanguineis, & à tenera ætate alimentatis, cùm minor istorum conjunctio, & minor obligatio ad reverentiam sit. Extra crimina excepta tamen accusatio Parentum, Patronorum &c. ipsis non permittitur, etiam quando propriam suam, aut suorum injuriam persequuntur; sed sufficiet eo casu, si civiliter eosdem conveniant, casu, quo fortè rerum suarum jacturam ab ijs sunt passi, Engl. *hic n. 13.*

63 3. Clerici agere quidem civiliter contra Laicos possunt, prosequendo suam, suorum, vel Ecclesiæ suæ injuriam, cum protestatione, quòd non intendant pœnam sanguinis, ut dictum est *suprà n. 56.* criminaliter tamen accusare illos etiam in criminibus exceptis nequeunt, ob Irregularitatis periculum, quam incurrerent casu, quo ad ipsorum accusationem reus plecteretur pœnâ mortis, vel mutilationis. Interim tamen nihil obstat, quo minùs Parochus, vel Concionator absque speciali designatione hominis, vel pœnæ in genere monere possit Magistratus, ut pro securitate publica, & ad scandalum vitandum Justitiam administrent, & in malefactores inquirant. Engl. *hic n. 7.*

64 Dub. 4. an Clerici, præsertim familiares, accusare possint Episcopum suum, vel Religiosi Abbatem, aut Prælatum suum? Videntur non posse ob reverentiam, & obedientiam ipsis debitam.

Sed aperti Juris est, utrisque permissam esse accusationem, Clericis quidem respectu Episcopi *c. nulli 5. h. tit.*

Religiosis verò respectu Abbatis, aut Præpositi sui Regularis *c. illa 5. & c. ex parte 21. eod.* quòd ea spectet utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterij, cujus interest, pro Pastore, & Administratore non habere Lupum, aut Dissipatorem. Barbos. *in c. illa cit n. 2.* & *in c. ex parte n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 2.* & *in c. 2. eod. n. 3.* Vallens. *hic* §. *2. n. 6.* Canis. *n. 4. fin.* Zoes. *n. 2.* Honor. *n. 6.* Pirhing *n. 10.* Schambog. *n. 8.* König *n. 14.* Reiffenstuel *n. 19.* Et procedit etiam de Fratribus Conversis, seu Laicis; nam cùm horum etiam interfit habere bonum Prælatum, ad hunc accusandum admitti debent. Abb. *in c. 5. cit. n. 2.* Pirhing *n. 13.* Antequam tamen Religiosus admittatur ad accusandum suum Prælatum, præmitti Summaria causæ cognitio debet, quâ disquiratur, etiam in absentia partium, an accusare volens procedat bono, vel malo zelo; nam si alij sine tali prævia inquisitione non accusant, multo minùs accusare Prælatum Religiosis permitti debet. Joann. Andr. *in c. cit. n. 9.* Abb. *n. 9.* Pirhing *n. 11.*

65 Ubi de bono zelo accusare volentis constiterit, provolare iste ad accusationem Prælati sui potest, etiam veniâ ad accusandum ab hoc non impetratâ, vel petitâ; quia fortè eam negaret. Abb. *in c. ex parte cit. n. 6.* Durand. *Specul. de Actore* §. *un. n. 18.* Sanch. *l. 6. moral. c. 12. n. 19.* Barbos. *in c. ex parte cit. n. 2.* Pirhing *hic n. 10. not. 1.* Schambog. *n. 10.* Wiestner *n. 84.* cum alijs. Quoties verò Religiosus accusat Abbatem suum, sunt ei ministrandæ de rebus Monasterij expensæ litis, usque dum hæc debitum finem accipiat, prout deciditur *c. ex parte cit.* & redditur *ibi* ratio, quia Monachus proprium non habet. Quod intelligendum non solùm de expensis ad victum, sed etiam de ijs, quæ necessariæ sunt ad litem prosequendam. Gloss. *fin. in c. ex parte cit.* Joann. Andr. *ibid. in fin.* Anchar. *n. 3.* Abb. *n. 9.* Felin. *n. 4.* Sanch. *l. cit. n. 20.* Pirhing *hic n. 11.* Idque verum est. sive Monachus accuset, sive denuntiet Abbatem; nam licèt textus *c. ex parte cit.* loquatur de accusatione, eadem tamen est ratio de denuntiatione, ut cum *citt.* advertit Innoc. *in c. cit. fin.*

66 *Excipiendi* tamen sunt tres casus, in quibus Monasterium Religioso suo subministrare expensas pro lite non tenetur. Et 1. quidem, si Religiosus Abbatem accusans habeat peculium aliquod; quia tunc cessat ratio *c. ex parte cit.* nempe quòd Religiosus aliunde non habeat, ex quo solvat expensas. Abb. *in c. cit. n. 9.* Felin. *n. 4.* Sanch. *n. 21.* Pirhing *n. 12.* 2. Si accuset ob causam non Monasterij, sed propriam. Sanch. *n. 23.* Et idem dicendum, si prosequatur causam Electionis suæ, quâ electus est ad Dignitatem extra Monasterium: secus, si eligatur ad Prælaturam in suo Monasterio; nam tunc Monasterium tenetur ministrare expensas necessarias ad litem sibi super electione motam, cùm ejus interfit. Felin. *n. 4.* Sanch. *n. 26.* Pirhing *n. 11.* 3. Si Monachus alium, quàm Abbatem accuset. Gloss. *in can. cùm pastor 58. V. eod. caus. 2. q. 7.* Pirhing *l. cit.*

Similiter Abbati accusato à Monachis 67
debet Monasterium tribuere expensas ad se defendendum, usque ad finem litis; quia etiam Monasterij interest non deponi Abbatem culpæ expertem. Gloss. *in c. ex parte cit. V. alia*, Joan. Andr. *ibid. n. 8.* Abb. *n. 15.* Sanch. *n. 24.* Pirhing *n. 11.* Idque extenditur etiam, quando Abbas remotus est ab administratione, sive ab illa suspensus; adhuc enim debent illi subministrari expensæ à Monasterio ad se defendendum: secus, si esset omnino privatus titulo, i. e. verè, ac realiter depositus, cùm tunc nihil ampliùs habeat commune cum Monasterio. Ita *citt.* Nunquam tamen Abbati Monasterium subministrare tenetur expensas, ut se defendat, quando habet peculium ad id sufficiens. Sanch. *l. cit.*

Neque contrarium probat reverentia 68
& obedientia debita Episcopo, vel Abbati, cùm clari Juris textus accusationem permittat. Hoc solùm sequitur, quòd à tali Religioso propterea non minor obedientia præstanda sit Prælato. *Excipitur* casus, quo præciperet, ut ab accusatione desisteretur; tale enim præceptum, tanquam injustum, & in Ecclesiæ, vel Monasterij detrimentum cedens, non obligaret *c. olim 26. h. tit.*

Dub. 5. quando accusare permittan- 69
tur Servi? R. Regulariter quidem, ut dictum est *suprà n. 44.* non permitti Servis potestatem accusandi: quod verum est, etiamsi suam propriam injuriam vellent prosequi. Gloss. *in can. omnibus 2. caus. 4. q. 6.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 8. n. 2.* nisi hanc contra ipsius patronum vellet prosequi in casu statim referendo. Et intelligendum hoc etiam est de Statu Liberis, ut patet ex *l. statu liberi 29. pr. ff. de stat. liber.* ubi dicitur, quòd Statu liberi nihil penè à Servis differant, maximè in criminalibus.

Plures tamen sunt casus, in quibus 70
Servi ad accusandum admittuntur. Et 1. quidem in criminibus exceptis. Decian. *c. 8. cit. n. 4. & quinque seqq.* 2. Quando Servus communi opinione pro libero habitus fuit; nam tali casu Accusatio ejus valet *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* 3. Quando accusavit, & nil ipsi fuit oppositum, vel supplicavit, & impetravit Rescriptum; quia tunc poterit accusationem prosequi, & impetrata exequi *l. universis 6. C. de precib. Imper. offerend.* 4. Quando vult accusare interfectorem Domini sui *l. licèt 1. C. eod.* cujus textûs Constitutio licèt loquatur tantùm de Supplicatione, ob parita-

ritatem tamen rationis procedit etiam in Accusatione; nam Supplicationem Servi, deferentis intersectorem Domini sui, duæ causæ admitti faciunt, atrocitas scilicet criminis, & fidei exemplum, quæ rationes etiam suadent deferendum ejusdem Accusationi *Cons. ex l. quoniam 1. C. pro quib. caus. Serv. pro præm. libert. accip.* ubi Servus, si necem domini accusaverit, & ejus necis reum convicerit, pro præmio libertatem consequitur. Ergo necesse est, ut accusatio ejus priùs legitima fuerit.

71 Utrùm verò, & quibus casibus Servus accusare dominum suum possit, controversia est inter DD. Antonius Matthæus *de crim. tit. de Accusat. c. 1. n. 4.* putat, accusationem Domini Servo solùm concedi in crimine læsæ majestatis, nixus textu *l. siquis 30. C. de his, qui accusar.* ibi, *Majestatis autem crimen tantùm excipimus.* Sed clari sunt textus *l. vix certis 53. pr. ff. de Judic. & l. nullo 7. ff. ad Leg. Cornel. de falsi.* ubi Servus permittitur accusare dominum suum de suppressis tabulis Testamenti, quo libertas sibi dabatur. Hinc alij ad Legum correctionem excludendam ex *l. siquis cit.* eliminant particulam taxativam *Tantùm*: nec sine fundamento; nam *in l. un. Cod. Theodos. ne propt. crimin. serv.* ubi ea Constitutio reperitur, particula ista non ponitur, ut advertit Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8. circ. princ.*

72 Quæritur 4. quinam accusari possint? R. Accusari possunt generaliter delinquentes omnes, nulla ætatis, vel sexûs habita ratione, modò non careant usu rationis ad delinquendum requisito, & Lege non prohibeantur. Clar. §. *fin. q. 16. n. 1.* Wesenbec. *ff. h. tit. n. 10.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 9. n. 1.* Pirhing *hic n. 23.* Reiffenstuel *ibid. n. 34.* Magnif. P. Schmier *tr. de Delict. p. 1. c. 4. n. 33.*

73 Prohibentur autem accusari 1. *infantes, furiosi, amentes*; nam illos innocentia consilij, hos calamitas, & fati infelicitas excusat, ut dicitur *l. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Et hoc adeo verum est, ut furiosus, qui ante furorem homicidium, vel aliud delictum capitale commisit, donec resipiscat, nec reus postulari, nec ultimo supplicio, aut pœnæ corporali addici possit, cùm satis ipso furore puniatur *l. Divus 14. ff. de Offic. Præsid.* Ita post *Bald. Josan. Rip.* tenent Clar. §. *fin. q. 60. n. 7.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 22.* König *hic n. 33.* contra Fachin. *l. 9. contr. c. 3.* *Excipitur*, si crimen sit atrocissimum; pro hoc enim etiam furiosum propter exemplum puniri posse, notat Hippol. *in l. 1. n. 58. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* cùm etiam pecora rationis expertia eo casu morte puniantur, non propter conscientiam peccati, sed quia refricant indignam memoriam facti.

74 2. *Minores 25. annis*, si puberes, aut paubertati proximi, & doli capaces sint, accusari quidem possunt, sed non aliter, quàm dato à Judice Curatore, qui liti, aut causæ assistat, & in ea authoritatem præster; aliàs processus, & Judicium irritum, ac nullum erit *l. clarum 4. C. de Author. præstand.* Idque obtinet, quantumvis Minor accusatus Patrem habeat, qui legitimus ejusdem Administrator est; nam etiam tunc Judex in causa criminali illi Curatorem dabit vel ipsum patrem, vel alium quemcunque idoneum, si ita visum eidem fuerit, quòd legitima Patris administratio solùm pertineat ad bona adventitia filij, & lites super his motas *l. res, quæ 1. C. de bon. matern.* quod procedit, spectato Jure communi; nam praxis nullum penitus Curatorem minori adesse finit, teste Carpzov. *prax. crim. p. 3. q. 145. n. 32.* König *hic n. 34.* Reiffenstuel *ib. n. 35.*

75 3. Frustra accusantur *servi* de crimibus, quæ vel Civitatis amissionem, vel pœnam pecuniariam secum ferunt; quia cùm nec Civitatem, nec proprij quidquam habeant, pœna hujusmodi in eos non cadit, sed durior eis extra ordinem imminebit *l. hos accusare 12. §. fin. ff. h. tit.*

76 4. Accusari regulariter nequeunt *ante condemnationem mortui*, ut habetur *l. ex judiciorum 20. ff. h. tit. l. similes 1. & seqq. C. si reus, vel accusat. mort.* Quia crimina mortalitate extinguntur. *l. fin. ff. ad leg. Jul. Majest.* unde nec in hæredes pœna Delicti transit *l. ex judiciorum cit. l. si pœna 20. & l. crimen 26. ff. de pœnis*, cùm æquitas postulet, ut delicta suos teneant Authores, nec ulteriùs progrediatur metus pœnæ, quàm delictum reperiatur *l. sancimus 22. C. eod.* Reiffenstuel *hic n. 37.* *Excipitur* repetundarum, & Majestatis (non quomodocunque, sed perduellione, & hostili animo in Remp. vel Principem) læsæ judicium, item Hæresis, & alia similia crimina; hæc enim Judicia etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur *l. ex judiciorum & l. fin. citt. l. Manichæos 4. §. in mortem 4. C. de Hæretic.* Quodsi lis cum defuncto contestata, & condemnatio, præsertim ad pœnam pecuniariam, secuta fuerit, antequam condemnatus obijt, vel accusatus sibi mortem conscivit, pœna bonorum ademptionis adversùs hæredes ejusdem transit *l. ex judiciorum cit.* Clar. §. *fin. q. 51. n. 16.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 9. n. 2.* König *hic n. 45.*

77 5. Accusari nemo regulariter potest, *si lapsum sit tempus, quo Actionibus criminalibus præscribitur*; sicut enim in Actionibus Civilibus, ita & in causis criminalibus certum constitutum est tempus, quo elapso Delictum obliteratur, & nulla ampliùs accusatio, vel inquisitio admittitur, usque adeo, ut Judex hujus Exceptionis, quamvis à reo non opponatur, vel allegetur, rationem habere debeat, cùm ex officio suo pro defen-

fensione Rei labórare teneatur *arg. l. hic titulus 1. §. generaliter 1. ff. de Legat. præstand. l. de pretio 8. ff. de Publ. in rem action. l. si non 19. ff. de Pœnis, l. in crimibus 1. ff. de Quæstion. Auth. qui semel C. quomodo & quand. Jud.* cùm publicè interfit, innocentes defendi *l. servum 33. §. publicè 2. ff. de Procurator.* Carpzov. *Jurispr. for. p. 1. const. 25. defin. 3.* Et hinc si deprehendat Judex, actionem criminalem esse præscriptione sublatam, non magis tunc poterit condemnare reum, quàm si antea fuisset punitus; quia Satisfactio criminis, & præscriptio pari passu ambulant *l. sed si 17. §. ante judicium 6. ff. de injur.* Boër. *decis. 26. n. 12.* Carpzov. *l. cit. n. 2. & 3. Proceditque hoc*, etiamsi reus post præscriptionem temporis fateatur Delictum à se commissum, aut aliunde illud fiat notorium; quia per præscriptionem non tantùm accusatio, sed ipsum etiam maleficium aboletur. Farin. *prax. crim. q. 19. n. 14.* Carpz. *l. cit. n. 4.* Quomodo autem aboleatur Delictum præscriptione temporis, dicetur *infrà n. 121.*

78 6. Accusari non possunt *Supremi Principes.* Superiorem in terris non recognoscentes, etiam in solis temporalibus. Host. *Sum. hic n. 7.* Talis in Spiritualibus est Summus Pontifex, cujus causa à nemine, quàm DEO judicatur, nisi causa sit Hæresis *can. si Papa 6. dist. 40.* In temporalibus Imperator, qui licèt in Civilibus arbitrium Electoris Palatini sponte eligat juxta *Auream Bullam tit. 5. §. 3.* in Criminalibus tamen Judicem, aut Arbitrum non habet. Vitriar. *Inst. Jur. Publ. l. 3. tit. 12. n. 17.* Rhetius *simili tr. l. 1. tit. 4. n. 64.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 35.*

79 7. Nequeunt accusari *Legati Imperatoris*, iterum *Magistratus populi*, durante eorum officio, nisi circa hoc delinquant, & *qui Reip. causâ absunt*, prout habetur *l. hos accusare 12. ff. h. tit.* in his enim executio accusationis differtur usque ad depositionem officij, data interim cautione de Judicio sisti *l. si adulterium 38. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Canis. *l. 4. summ. tit. 19. §. 10.* König *hic n. 38.* Reiffenstuel *ibid. n. 39.* Addidi, *Nisi delinquant circa suum Officium*; nam de Delictis factis in Officio bene convenire Magistratus possunt. Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 14.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 39.* Ratio est, quia tempore Magistratûs delinquendo inhonorant ipsam suam dignitatem, & offendunt Supremum Principem, aut Remp. à qua Magistratum acceperunt, modo speciali; digni proinde sunt, qui etiam, durante Magistratu, accusari, & puniri possint, ut hoc modo frenum habeant rite suum officium administrandi. Cautus tamen, & circumspectus sit Magistratus Superior, ne antè decernat Processum, quàm Delicto delato, validis, ac certis indicijs instruatur, ne aliquin quisque subditorum pravo affectu, vel odio correptus adversus Magistratum suum præsumat insurgere *arg. l. Prætor. 7. §. præterea 2. ff. nec patietur ff. de Injur.* quia regulariter præsumitur pro Magistratu, nisi alia conjectura sit in contrarium. Gaill. *l. 1. obs. 17. n. 6. & 7.* König *hic n. 38.*

Dub. 1. utrum absentes possint accusari? 80
R. Proponi quidem accusationem contra absentem posse, ut accusatus citetur à Judice ad comparendum. Quodsi tamen ille legitimè citatus non comparuerit, nec realiter citari, seu corporaliter apprehendi possit (quia fortasse profugus est, aut Judex, sub cujus districtu latet, non præbet alteri Judici auxiliares manus) interest, an crimen tale sit, ut mereatur solùm pœnam pecuniariam, aut quæ existimationem contingit; an verò tale, ex quo pœna corporalis, vel in metallum, aut alia similis relegatione major infligenda venit.

Si primum, poterit accusatio unà cum 81
Judicio criminali ad finem usque perduci, & pœna illa in absentem, si priùs admonitus per contumaciam absit, statui, ac procedi usque ad relegationem. Brunnem. *in l. absentem 6. C. de Pœnis n. 3.* Vallens. *hic §. 3. n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 37.*

Si secundum, accusatio unà cum Judi 82
cio manet suspensa; *neque enim, inauditâ causâ, quenquam damnari æquitatis ratio patitur*, ut dicitur *l. Divi 1. ff. de requirend. vel absentib. damnand.* Solùm ergo annotabuntur ipsius bona, h. e. à Judice obsignantur, sive arrestantur, ut si intra annum redierit, & se purgaverit, integram rem suam recipiat. Sin autem labi eundem passus sit, bona ejus omnia annotata in fiscum deferuntur, sequente infamia, pœna autem alia non infertur *l. fin. ff. eod.* nisi intra annum decesserit, quo casu expirabit criminis causa, & bona ejus transmittuntur ad successores *l. Divi cit. §. fin.* Brunnem. *l. cit.* Engl *hic n. 19.* König *n. 39.* Sed licèt hoc ita sit, spectato Jure tamen, ut Farin. *q. 11. n. 3. & præmitto 4.* & Brunnemann. *l. cit. n. 4.* advertunt, quod de annotatione dictum, & quòd annus exspectari debeat, non ita videtur hodie observari. Et ideo si absens, & contumax, sicque pro confesso habitus compareat ante sententiam, omnia evanescunt, & acta præcedentia resolvuntur in vim simplicis citationis, auditúrque accusatus & quoad bona, & quoad personam. Si verò post sententiam ad manus Curiæ venerit, nec quoad bona, nec quoad personam auditur, sed absque alio processu sententia contrà eum lata executioni mandatur. Farin. *l. cit.* Videantur dicta *Libr. 1. tit. 2. n. 61*

Dub. 2. an accusari quis possit à plu- 83
ribus? R. Interesse, an plures isti velint accusare reum super eodem crimine, an super diverso. *Super eodem crimine* plu-

ces

res simul ad accusandum admittuntur tum solùm, quando omnium specialiter interest accusationem moveri, prout colligitur ex *l. si accusatoribus 4. C. h. tit.* & notat *ibi* Brunnem. *n. 3.* in cæteris casibus, si plures accusent, Judex unum ex illis, qui ætate, moribus, & dignitate, vel alia qualitate reliquos præcelluerit, eliget *l. si plures 16. ff. h. tit.* Lauterbach *ibid.* §. 7. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 33. Proceditque* hoc, sive plures illi simul accusationem proponant, sive pendente accusatione, ab uno proposita, alij accusatores superveniant; nam generaliter *l. bi tamen 11. §. fin. h. tit.* statuitur quòd *ab alio delatum alius deferre non possit*: cui concordat *l. qui de crimine 9. C. eod. Excipitur*, quando accusatione pendente prior accusator decessit, vel ab ea destitit, quia v. g. abolitio privata intervenit, aut pactum, vel transactio, utpote quæ eundem quidem ab accusatione excludunt *l. qui destiterit 2. ff. ad S. C. Turpill.* non verò alium §. *fin. cit.* König *hic n. 40.*

84 Contrà *super diverso crimine*, etsi ex eodem facto nascatur, nihil obstat, quin de uno accusatus, de altero ab alio accusetur *l. qui de crimine cit.* Sic qui occidit hominem in Ecclesia, & homicidij, & sacrilegij; qui vitiavit sororem alij nuptam, tam adulterij, quàm incestûs à diversis Accusatoribus reus agi potest *l. nunquam 2. ff. de privat. Delict. l. si adulterium 38. ff. ad leg. Jul. de adult. l. fiquis 10. C. de Episc. & Cleric.* Schneidevv. *ad Inst. de Public. Jud. n. 7.* König *l. cit.*

85 Dub. 3. an accusari aliquis possit de crimine, de quo ille nullâ laborat infamiâ? *Ratio dubitandi* est, quia accusatione, quam non præcedit infamia, læditur existimatio delinquentis. Igitur cùm Lex Charitatis prohibeat, famam, & existimationem alterius per criminis occulti manifestationem lædi, ut licita sit accusatio, præcedere illam infamia debet. *Conf.* quia ad Criminum punitionem procedendum est secundùm notitiam publicam, atqui sic non procederetur, si nullâ præcedente infamiâ, institueretur accusatio. Ergo &c.

86 Sed tenenda est affirmativa Sententia, quam etiam defendunt S. Thom. *2. 2. q. 68. art. 1. ad 3.* Card. de Lug. *de J. & J. D. 37. n. 76.* & *77.* quos citat, & sequitur P. Wiestner *hic n. 40.* quia nullo Jure requiritur, ut accusationem præcedat infamia: textus autem, qui ad criminalem Processum exigunt diffamationem delinquentis, vel alia indicia criminis huic æquipollentia, intelligi debent de casu, quo Judex procedit per viam Inquisitionis.

87 *Ad Rationem dubitandi* delinquentis occulti accusatio adversari Charitati, & Justitiæ nequit, cùm spectet ad Reipl. utilitatem publicam, utpote cui bonum privatum debet cedere. *Ad Conf.* notitia publica non tantùm obtinetur per diffamationem, & indicia huic æquipollentia, sed etiam per depositiones testium, quos accusator producit, & per alias allegationes, quibus crimen esse occultum desinit, & incipit fieri publicum, ut *l. cit.* observat Doctor Angelicus.

Dub. 4. an reus criminis accusari de eo possit, nullâ prævia admonitione secreta? 88
Aliqui cum Sylv. *V. Accusatio q. 3.* putant necessariò præmittendam admonitionem secretam juxta illud, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* Matth. *18. v 14.* Alij contrà cum Gloss. *in c. licet 31. V. inscriptio de Simon.* S. Thom. *in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. quæst. 1.* Abul. *in Matth. l. cit. q. 97. ad 6.* Wagnereck *in c. 1. V. postquam h. tit.* negant eam monitionem necessariò præmittendam.

Concordari Sententiæ istæ ope distin- 89
ctionis possunt, quâ utuntur Sanch. *l. 6. cons. dub. 28. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 30. n. 10. & trib. seqq.* Wiestner *hic n. 42. & 43.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 27. & 28.* Vel enim crimen omnino occultum, & certa spes est delinquentem secreta monitione corrigendum, & damnum eo illatum, vel inferendum tertio, aut Reip. justa satisfactione compensandum, aut impediendum; vel contrà reus jam est diffamatus de crimine, aut si diffamatus non est, prævidetur damnum, inde imminens tertio, vel Reip. non tollendum, vel impediendum.

Si primum monitionem præmitti ac- 90
cusationi Lex Charitatis præcipit, utpote quâ docemur, ut minimo, quo possemus, dispendio proxmi publica, & privata damna tollamus, & avertamus: quamvis accusans, ea monitione omissâ, contra Justitiam non delinquat, modò crimen sit probabile in Judicio, ut rectè advertit Less. *l. cit. n. 10.* & rationem dat; quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, ut crimina in aliorum exemplum puniantur, sicque omnes à malo absterreantur: unde reus non potest queri de injuria sibi illata, quòd antè non fuerit monitus.

Si secundum, nulla opus est monitio 91
ne, sed statim deferri crimen ad Judicem potest, & casu, quo aliter damnum Reip. vel etiam privato imminens averti non potest, debet; quia periculum, quod Reip. vel privato innocenti imminet, est majoris momenti, quam infamia, & damnum omne, quod reus ex accusatione incurret. Neque hic, ut rectè monet Less. *n. 13.* scrupulosè examinandum est, an fortè reus privata emendatione sit emendandus; quia in re tanti momenti eligendum est id, quod tutius est; facilè enim posset talis privatim monitus simulare emendationem, & pœnitentiam, ac interea occultè exequi, quæ destinaverit. Itaque in hujusmodi Delictis, quæ in Reip. vel tertij innocentis detrimentum vergunt,

nisi certò constet, privata monitione periculum caveri posse, ea non est adhibenda: secus est in alijs delictis, ex quibus non impendet incommodum, nisi ipsi peccatori.

92 Dub. 5. an accusari de crimine iterum possit, qui de eo per sententiam semel est absolutus? Videtur respondendum affirmativè, quòd res, inter alios acta, ijs tantùm, inter quos acta est, non etiam alijs præjudicet *c. quamvis 25. de sent. & re judic. l. si neque 1. & l. res inter 2. C. quib. res judic. non noc.* Quòd verum etiam est in criminalibus, ut patet ex *l. Juris 3. C. eod.* ubi Imperatores, *Juris manifestissimi est*, inquiunt, *& in accusationibus his, qui congressi in Judicio non sunt, officere non posse, siquid fortè præjudicij videatur oblatum.*

93 Sed dicendum, postquam reus de aliquo crimine semel est absolutus, eum neque ab eodem, neque ab alijs de eodem crimine regulariter accusari posse. Clar. §. *fin. q. 57. n. 1.* Covar. *l. 2. var. c. 10. pr.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 30. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 1. n. 51.* Barbos. *in c. 6. h. tit. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 2. & seqq.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 40.* Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Canis. *ibid. n. 4.* Zœs. *n. 5.* Honor. *n. 12.* Engl *n. 15.* Pirhing *n. 24.* König *n. 41.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 41.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 38.* & alij magno numero apud Barbos. *l. cit. n. 2.* propter claros textus *c. de his 6. h. tit. l. si cui 7. §. ijsdem* junct. Gloss. *V. accusari, l. senatus 14. ff.* & *l. qui de crimine 9. C. eod.* *Ratio est*, quia de delicto hominis non debet sæpius quæri *l. licèt 6. §. fin. ff. nautæ, caupones &* c. alioquin nulla reo constaret fides, & ratio innocentiæ suæ. Zœs. *ff. h. tit. n. 20.* *Conf.* quia accusaturo obstat Exceptio rei judicatæ; cùm enim, ut pulchrè Donell, *in l. sæpe 63. ff. de re judic.* Accusatio, respiciens publicum interesse, omnibus collectivè de populo competat, is, qui criminaliter agit, totum Jus populi in Judicium deduxisse censetur: proinde cùm omnes censeantur egisse, superato per Sententiam absolutoriam illo Judicio, omnibus populum, & Remp. constituentibus præjudicabitur.

94 Dixi, *de eodem crimine*; nam de alio crimine, etsi ex facto prioris criminis ortum sit, accusari reus denuo potest, ut patet ex *l. qui de crimine cit.* & notat *ibid.* Brunnem. *n. 6.* Gonzal. *in c. 6. h. tit. n. 4. circ. med.* Wiestner *hic n. 49.* Unde siquis vitiavit sororem suam alij nuptam, absolutus de crimine Incestûs, adhuc accusari potest de Adulterio; diversa enim crimina non tam numero factorum, quàm ratione, & qualitate æstimantur. Gonzal. *l. cit.* Addidi *regulariter*; nam varij casus sunt, quibus iterata ejusdem criminis Accusatio permissa est.

95 Et 1. quidem, si de crimine civiliter tantùm, & ad privatum interesse priùs est actum *l. un. C. quand. civil. act. criminal. præjud.* Gomez. *l. cit. n. 7.* Pirhing *hic n. 26. limit. 4.* Wiestner *ibid. n. 50.*

2. Si cùm criminaliter ageretur, reus absolutus, vel condemnatus solùm est per viam Exceptionis, si hæc proposita sit in Judicio non ad puniendum, sed ad removendum ab accusatione, vel testificatione. Abb. *in c. 6. h. tit. n. 3.* Felin. *ibid. n. 4. & 5.* Decian. *tr. crim. c. 30. n. 2. fin.* Pirh. *l. cit. limit. 6.* Wiestner *n. 50.* Secus esset, si proposita in Judicio fuisset Exceptio ad eum finem, ad quem proponi accusatio solet; tunc enim de crimine per Exceptionem proposito absolutus non posset amplius accusari, Decian. *l. cit.*

3. Si cùm per viam Accusationis 96
procederetur, reus absolutus duntaxat fuit ab observatione Judicij *can. prohibentur 14.* junct. Gloss. *V. absolutione caus. 2. q. 1. l. libellorum 3. §. quodsi libelli 1. ff. hoc tit.* dummodo alius accuset, non autem primus accusator; quia hic ob inimicitiam, quæ finita etiam accusatione, remanere censetur, ab accusando repellitur, saltem de Jure Canonico. Covar. *l. 2. var. c. 10. n. 1.* Decian. *c. 30. cit. n. 27.* Gonzal. *in c. 6. hoc tit. n. 7.* Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Pirhing. *n. 25.* Wiestner *n. 51.*

4. Si à criminis accusatione liberatus est per viam Transactionis; nam eo casu, licèt accusationem non possit repetere ille, cum quo transactum est, potest tamen alius, instituto novo Processu. Abb. *in c. 6. cit. n. 3.* Felin. *ibid. n. 3. limit. 2.* Covar. *c. 10. cit. n. 5. limit. 9.* Clar. §. *fin. q. 57. n. 6.* junct. *q. 58. n. 4.* Pirhing *hic n. 26. limit. 5.* Wiestner *ibid. n. 52.*

5. Si secundus accusator probet, aut 97
saltem indicia afferat accusationis non fideliter institutæ, vel collusionis inter primum accusatorem, & reum accusatum *l. prævaricationis 3. §. namsi 1. ff. de Prævaricat. l. fiquis 11. C. hoc tit.* Gloss. *in c. 6. v. replicari hoc tit.* Felin. *ibid. n. 11.* Clar. *q. 57. n. 5.* Covar. *n. 1. limit. 2.* Decian. *n. 22.* Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Pirhing *n. 25.* Engl *n. 15.* König *n. 41.* Wiestner *n. 53.* Rationem dat Clar. *l. cit.* quia non debet dolus primi accusatoris obesse secundo accusare volenti, pro quo stat favor publicus, ne crimina maneant impunita.

6. Si accusator secundus suam, aut suorum injuriam prosequatur, & per proprium Juramentum doceat, se accusationem ab alio institutam ignorâsse *l. si cui 7. §. ijsdem 2. ff. hoc tit.* Gloss. *fin. in c. 6. cit.* Abb. *ibid. n. 9.* Felin. *n. 12.* Covar. *limit 3.* Decian. *n. 23.* cum proximè *citt.*

7. Si absolutus, aut punitus tantùm 98
fuit in foro conscientiæ interno; quia in hoc accusatio, & punitio tantùm tendit ad reconciliationem DEI peccato offensi, non verò ad vindictam publicam, & satisfactionem læ-

ſæ Reip. Gloſſ. *ſæ. in c. cit.* Abb. *n. 3.* Clar. *n. 30.* Decian. *n. 22.* Barboſ. *in c. cit. n. 8.* Pirhing *n. 27.* Wieſtner *n. 54.* Idque procedit, etiamſi delinquenti publica Pœnitentia ſit impoſita à Sacerdote; quia & hæc imponitur ad ſatisfactionem præſtandam DEO, & ad tollendum ſcandalum, non verò ad ſatisfactionem Reip. læſæ. Covar. *n. 3.* cum *cit.* Et hinc etiam per ſuſceptionem Baptiſmi non tollitur accuſatio criminis ante illum commiſſi; quia Baptiſmus tollit quidem peccatum, & pœnam peccati, quæ huic infligitur à DEO, non autem tollit pœnam, quæ imponitur in foro judiciali humano, cùm jus quæſitum Reip. ad ſatisfactionem pro læſione petendam nequaquam auferat, ſicut etiam non aufert jus quæſitum tertio. Pirhing *l. cit.* cum cæteris.

2. Denique, ſi crimen ſit fori mixti, v. g. adulterium, uſura, ſacrilegium, magia &c. ut patet ex dictis *Libr. 2. Tit. 1. n. 63. & 64.*

Ad Rationem dubitandi *n. 92.* allatam dico, regulam illam ſolùm procedere in caſibus hactenus allatis.

99 Quæritur 5. quæ ſint partes Judicis in admittenda accuſatione, & Accuſatoris in hac proponenda? *Et 1. quidem dubitatur*, an Judex ex officio repellere poſſit Accuſatorem inhabilem, ſeu non idoneum, etiamſi pars contra illum non excipiat? R. affirmativè, Sumitur ex *c. ſi legitimus 1. hoc tit.* ubi ſtatuitur, ut *ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus.* Idque verum eſt, ſive accuſatus contra illum excipiat, ſive non excipiat; nam textus generaliter loquitur, igitur etiam non excipiente accuſato, ex officio Judex repellere Accuſatorem illegitimum debet, & ipſum accuſatum abſolvere ab obſervatione Judicij. Gonzal. *in c. ſi legitimus cit. n. 9.* ſicut enim Reip. intereſt delicta detegi, & in Judicium deduci ad publicam vindictam, ita etiam illi expedit, ne ab omnibus propoſita accuſatione fatigetur accuſatus; alioquin eveniet ſæpe ſæpius, ut innocentes privato odio per iniquas accuſationes fatigentur, nocentes contrà Adverſarij prævaricatione, vel tergiverſatione evadant pœnam.

100 Quod ſaltem verum eſt, quando accuſator eſt omnino, & prorſus inhabilis, puta Judæus, infamis, & ſimules, qui repelluntur odio ipſius perſonæ; nam cæteros, qui non ſunt omnino inhabiles, ſed expreſſo, vel tacito partium conſenſu habilitari poſſunt, parte non opponente, Judex ex officio ab accuſationis munere non repellit, quippe qui hoc ipſo, quòd pars contra eos non oppoſuerit, habilitati cenſentur. Item notandum eſt, an ab accuſatore inhabili accuſatus, fuerit infamatus; tunc enim, licèt Judex repellere talem accuſatorem poſſit ex officio, abſolvere tamen accuſatum non ſtatim debet, ſed priùs indicere eidem Purgationem Canonicam *can. Presbyter 13. cauſ. 2. q. 5.*

Ex quo ſequitur, quòd antè omnia quærendum ſit de legitimitate, ſive habilitate perſonarum, quæ litigare volunt in Judicio, *arg. l. ſi quæremus 4. ff. qui teſtam. facer. poſſ.* Abb. *n 1. 1. hoc tit. n. 1.* Pirhing *hic n. 13.* Et cùm Exceptio hæc, quòd accuſator non ſit legitimus, Dilatoria ſit, ideo ante litem conteſtatam proponenda eſt, nec poteſt poſtea opponi, niſi reus ignoraverit hanc Exceptionem ſibi competere. Abb. *in c. cit. n. 2.* Pirhing *l. cit. ſn.* Judici tamen per hoc, quòd Exceptio iſta non ſit oppoſita legitimo tempore, non præjudicatur; quia accuſatus ſolùm proprio, non Reip. quæſito Juri renunciare poteſt. Et hinc licèt privatus ob culpam, vel defectum ſuum non admittatur ad repellendum accuſatorem ſuum, poteſt tamen Judex ratione Reip. illum repellere; quia illegitimus accuſator non tantum ob commodum accuſati, ſed etiam ob dignitatem Judicis, & comodum Reip. repelli debet. Pirhing *hic n. 16.*

Hodie tamen, quia per conſuetudinem in pleriſque locis abrogata eſt, vel ceſſavit propriè dicta Accuſatio, non magni refert, qui accuſare poſſint, vel non poſſint; nam Judices Denuntiationem, & Querelam, à quocunque porrigatur, accipiunt, utpote qui ex Officio ſuo poſſunt per Inquiſitionem procedere ad Querelam à quocunque porrectam. Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 4. Excipitur*, ubi peculiari Statuto cautum eſt, ut Judex extra certos caſus non poſſit procedere, niſi ad partis Querelam: de quo dictum eſt *ſuprà n. 37.*

101 Dub. 2. an quis ad accuſandum obligetur? Negant aliqui ea inducti ratione, quòd damnum, ex quocunque crimine imminens Reip. tolli, aut impediri valeat ope Denuntiationis.

Sed meliùs adhibetur diſtinctio: Vel enim is, qui dubitat, an obligetur ad accuſandum, poteſt crimen illud probare, vel non poteſt. *Si hoc ſecundum*, ad accuſandum non obligatur, imò non poteſt accuſare, ut rectè obſervat Sanch. *l. 6. Conſ. dub. 28. n. 1.* Ratio eſt, quia accuſando injuſtè læderet famam Rei, ſéque exponeret pœnæ calumniatorum, quin Reip. conſuleretur.

102 *Si primum*, videndum, an Reip. per crimen læſæ ſola delinquentis Denuntiatione conſuli valeat, an verò contra. *Si prius*, accuſatio ommitti poteſt *arg. l. un. C. ut nem. invit. ager. vel accuſ. cogat* Gloſſ. *in can. quapropter 46. V. deferre 2. q. 7.* Angel. *V. accuſatio n. 2.* Wieſtner *hic n. 41.* König *ibid. n. 5.* Pirhing *n. 18.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 29.* Dixi, *accuſationem hoc caſu omitti poſſe*; non enim omitti neceſſariò debet, ſed in arbitrio, volentis crimen deferre ad Judicem, eſt, an hoc caſu velit delinquentem accuſare, vel ſolùm de-

nuntiare. Cæterùm, ut bene notat P. Schmier *l. cit. n. 30.* vix aliquis Authorum est, qui hoc casu suadeat accusationem; tum quia propter obligationem plenissimæ probationis est plena periculi; tum quia plerumque facit, aut excitat desiderium vindictæ, quod hominibus Christianis oppidò probrosum est; tum denique quia inter familias accusantis, & accusati perpetuum odium generat.

105 *Si posterius*, ad accusandum obligatur, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 68. art. 1. in Corp.* Sylv. *V. Accusatio q. 2.* Laym. *l. 3. tr. 6. c. 3. n. 6.* Pirhing, Wiestner, Schmier *l. citt.* docent ex ratione, quòd Lex Charitatis quemvis obliget ad consulendum communi bono, quandocunque licitè, & sine gravi incommodo potest: imò si damnum commune tantum sit, ut etiam proprio privato præferri debeat, obligatio accusandi urget etiam cum proprio accusantis damno.

106 Dub. 3. an desistere liceat ab accusatione jam inchoata? *Certum est* non licere casu, quo accusandi obligatio datur. Quando accusator non tenetur ad accusandum, distinguendum est, an accusationis Libellus jam sit oblatus Judici, an verò non. *Si hoc secundum*, accusatio liberè potest deseri, prout factum est in casu *c. licèt 14. h. tit.* ubi Canonici Bisuntini à sui Archiepiscopi accusatione sine pœna recesserunt. Desistenti tamen imponitur silentium perpetuum, ne deinceps eundem de eodem crimine accuset, aut infamet *c. licèt cit.* & *ibi* Vivian. *v. sed ei* Gonzal. *n. 3.* Wagnereck *not. 1.* Vallens. *hic* §. *2. n. 8.* König *n. 60.* Reiffenstuel *n. 51.*

107 *Si primum*, videndum est, ex qua causa velit ab Accusatione desistere; nam si ideo velit desistere, quòd advertat se errâsse, & quem accusavit, innocentem esse, non solùm potest, sed etiam debet ab accusatione inchoata desistere: & idem est, quando advertit, crimen à se probari non posse. Sylv. *V. accusatio n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 30. n. 14.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 2. n. 11. & 12.* Vallens. *n. 8. cit.* Pirhing *n. 20.* König *n. 60.* Reiffenstuel *n. 52.* Wiestner *n. 47.* Ut tamen calumniatorum pœnam effugiat, probare debet, se probabili errore ductum ad accusandum accessisse, aut probationis copiam per mortem, absentiam, malitiam testium, aut Rei sibi subductam. Abb. *in c. fin. de calumn. n. 5.*

108 Si nullum probabilem errorem, vel impedimentum sibi occurrens allegare possit, deseri ampliùs accusatio cœpta nequit *l. quæsitum 5. ff. ad S. C. Turpill.* & *arg.* à sensu contrario ex *can. fin.* ibi, *Si quem pœnituerit accusàsse criminaliter, & inscriptionem fecisse*, junct. Gloss. *V. pœnituerit cauf. 2. q. 8.* Abb. in *c. 14. h. tit. n. 6.* Gonzal. *ibid. n. 4. fin.* Vallens. *hic* §. *2. n. 8.* Pirh. *n. 19.* Wiestner *n. 45.* Reiffenstuel *n. 50.*

Quoad pœnam, quâ desistens ab Accusatione plectitur, distinguendum est, an crimen, à cujus accusatione desistit, sit privatum duntaxat, an verò publicum. *Si privatum*, ab ejus accusatione sine Rei, vel Judicis consensu desistens punitur solùm pœna extraordinariâ, arbitrio Judicis infligenda *l. siquis 7. §. si Stellionatum 1. ff. ad §. C. Turpill.* Sylv. *V. Accusatio n. 8.* Less. *c. 30. cit. n. 30.* Pirhing *n. 19.* Wiestner *n. 46.* & cæteri Passim. *Si verò publicum sit*, præterquam, quòd ab ejusmodi accusatione, si eam prosequi velit, repellatur *l. qui desiterit 2. ff.* & *l. quamvis 3. C. ad S. C. Turpill.* incurrit alias pœnas ejusdem Senatus-consulti, scilicet pœnam quinque Librarum auri fisco applicandam *l. prævaricationis 3. ff. de Prævaricat.* & infamiam *l. si pro eo 2. C. ad S. C. cit.* atque insuper in expensis, & damnis punitur *l. qui crimen 3. C. de bis, qui accus. non poss.* 109

Quæritur 6. quis sit Effectus Accusationis? *R.* Effectus Accusationis varij sunt; nam aliqui concernunt Judicem, alij Accusatorem, alij Accusatum. 110

Ex parte Judicis Effectus Accusationis est, quòd eâ positâ possit accusatum citare, ut personaliter compareat *c. Juris 1. h. tit. in 6.* idque non verbaliter tantùm, sed etiam realiter, & per Apparitores, modò delictum sit atrox, & pœnam corporalem post se trahat, & Judici antea constet per certa, & sufficientia quædam indicia, ac conjecturas, vel alias probationes, quòd accusatus hujusmodi Delicti reus sit; aliàs namque capi, & incarcerari nequit; etiamsi Accusator se offerat ad subeundum & ipse carcerem, donec maleficium legitimè probet *l. Divus ff.* & *l. fin. C. de custod. reor.* Consonat *Ordin. crim. Carol. V. art. 6. & 11.* Imò si Judex temere aliquem incarceret, vel innocentem diutiùs detineat, incidit in Syndicatum. Carpzov. *prax. crim. p. 3. q. 111. n. 70* & quia capto gravem ignominiam, ac irreparabile damnum infert, eidem adversùs Judicem actio injuriarum conceditur *l. nec Magistratibus 32. ff. de Injur.* Farin. *prax. crim. q. 27. n. 135.* Fleck. *Biblioth. Jur. Civil. l. 6. tit. 5. n. 16.* König *hic n. 57.* 111

Porro capturam decernere in Male factores solus ille Judex potest, qui delicti cognitionem habet; privatis enim carcerem habere, vel aliquem delicti, aut debiti causâ capere, vel alio modo detinere non licet *l. un. C. de privat. carcer.* Executio ejus fit per lictores, satellites, milites, aut publicos ministros, quibus omnino credere, ac parere oportet, licèt de mandato Judicis nihil doceatur, modò se expressam commissionem habere asserant, & tales sint, quibus ejusmodi citatio, vel captura demandari solet. Ijdem non debent captivum percutere, vel aliâ injuria afficere, nisi captivus moram, aut resistentiam fecerit: multò minùs pos- 112 sunt

sunt eundem in vita, & membris lædere, nisi sit profugus; tunc enim impune illum possunt traijcere, modò ita fugi t, ut postea vix amplùs capi possit, quod contra graviores maleficos, non verò civiles reos procedit. Damhoud. *prax. crim. c. 84. n. 35.* Fleck. *l. cit. n. 7.*

112 In levioribus Delictis, quæ tantum pecuniariam, aut levem corporalem pœnam merentur, præstita cautione, captivus carceris relaxationem impetrare potest *l. de custodia 1. ff. de custod. & exhib. reor.* quod adeo verum est, ut Judex absque justa causa idoneam cautionem refutans, ei de injuria, & Syndicatu teneatur. Menoch. *l. 2. cas. 303. n. 3.* Reusner *l. 3. conf. 1. n. 24.* Fleck. *l. cit. n. 12.* Secus in Delictis gravioribus; nam in his non admittitur Fidejussor, quòd hujus cautione Judicium non fiat securum, cùm Fidejussor se ad capitalem, aut gravem corporalem pœnam nequeat obligare. Menoch. *l. cit. n. 16.* Fleck. *n. 13.*

113 Quodsi reus capi non possit, nec aliter comparare velit, ei petenti à Judice, merum imperium exercente, conceditur *Salvus Conductus*, seu cautio, quâ Judex eidem permittat securitatem veniendi, & sine metu carceris in Judicio comparendi. *Ordin. crim. art. 76. & 156.* qui tamen Salvus Conductus, nisi Judex expressè non tantùm securitatem veniendi, sed etiam redeundi promiserit, exspirat, quando Delictum vel propria Rei confessione, vel aliunde liquidò probatum est; quia Salvus Conductus tantummodo contra squalorem, & horrorem carceris ad causam in Judicio liberiùs dicendam, non autem contra Juris, & Justitiæ executionem deservit. Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 112. n. 83.* Besold. *D. de Regal. c. 7. n. 5.* Haun. *tom. 6. de l. & l. tr. 3. c. 5. contr. 6. per tot.* Fleck. *l. cit. tit. 7. n. 4.*

114 *Ex parte Accusatoris* Effectus Accusationis sunt tres. 1. quod subscriptione in crimen, facta conijciatur in similem custodiam, ibidémque detineatur, donec finiatur Judicium, ut si fortè in probatione deficiat, pœnæ talionis subijci possit *l. nullus 2. C. de exhib. & transmitt. reis, & l. fin. C. h. tit.* Verùm hæc similitudo custodiæ eadem ratione, quâ subscriptio ad pœnam talionis à foro recessit, & accusator tamdiu solùm in carcere detinetur, usque dum cautionem præstiterit de expensis, & injuria in casum succumbentiæ præstandis *Ordin. crim. art. 12.* unde custodia accusatoris tunc demum locum habet, quando ille hujusmodi cautionem præstare nequit. Fleck. *tit. 1. n. 8.*

115 2. Quòd Accusator crimen, cujus accusationem adornat, teneatur probare *can. sciant 2. caus. 2. q. 8.* in qua probatione si defecerit, & conf. temere litigâsse convictus fuerit, tenebitur ad reficiendas litis à se intentatæ expensas. *Ordin. Crim. art. 12. & 13.* Jure Canonico *c. accusati. 8. h. tit.* siquis aliquem accusaverit per calumniam, & sine culpa accusati, præter pœnam talionis, vel aliam extraordinariam decretum est, ut per 40. dies in pane, & aqua, quæ *Carena* vocatur, vel *Quadragena*, cum septem sequentibus annis pœnitentiam agat: si verò per talem delationem, sive accusationem aliquis debilitatus, i. e. mutilatus est membro, per tres Quadragesimas pœnitere debet, ubi, ut rectè notat Pirhing *hic n. 40. not. 2. fin.* quando imponitur jejunium certorum annorum in pane, & aqua, non intelligitur, quòd pœnitens quotidie jejunare debeat, sed per tres ferias Canonicas in qualibet hebdomade, sc. feria II. IV. & VI.

116 3. Quòd post Litis Contestationem, aut etiam postquam oblato Libello, inscriptio facta est, Accusationem prosequi teneatur, nec desistere ab illa possit, antequam absolutionem, seu veniam Magistratûs impetraverit, nisi velit notari infamiâ, vel etiam pœnam arbitrariam sustinere, ut dictum est *suprà n. 107. & 109.* nam publicè interest, Accusationem non intermitti, ut si vera sit, delictum puniatur; si falsa, ut puniatur calumniator, & sic absterreatur, ne imposterum ita licenter in innocentiam cujusque grassetur. Vallens. *hic §. 2. n. 8.* König *ibid. n. 60.*

117 *Ex parte accusati* alius Effectus est, dum pendet Accusatio, alius, postquam finita est. *Dum pendet Accusatio*, vel Denuntiatio, etsi non infamet, gravat tamen opinionem accusati, vel denuntiati, ut interim ad novas Dignitates sive Ecclesiasticas, sive Sæculares promoveri nequeat *c. omnipotens 4. h. tit. l. reus 7. ff. de muner. l. un. C. de reis postuland.* Estque hoc ita verum, ut promotio sic accusati, denuntiati, vel inquisiti non teneat, etiamsi postea per sententiam pronuntietur innocens, sed nova requiratur promotio *l. qui status 8. ff. de re militar.* Ratio est, quia declaratio innocentiæ debet præcedere promotionem, nec sufficit eam subsequi; in his enim principium spectandum est, seu an quis habilis sit tempore Electionis, seu promotionis *arg. c. dudum 14. de Elect. & c. si eo tempore 45. eod. in 6.* unde cùm principium fuerit vitiosum, declaratio innocentiæ subsequens non retrotrahitur ad tempus promotionis. Fagnan. *in c. 4. cit. n. 24. Excipitur*, nisi appareat, accusatorem per calumniam accusâsse, vel denuntiâsse seu eo animo, ut promotionem impediat *l. qui de libertate 29. ff. de liberal. caus.* Felin. *in c. 4. cit. n. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Gonzal. *n. 9.* Hinc ne fraudulenter objiciatur crimen, ut promovendi impediatur commoditas, debet præfigi terminus accusatori, intra quem probet: quo elapso, & nihil probato, poterit Superior ferre Sententiam inter-

locutoriam super Innocentia delati, & postea ipsum promovere. Vivian. *in c. 4. cit. fin.*

118 Dixi autem, *non posse accusatum, pendente accusatione, promoveri ad Dignitates*; nam obtentis uti non prohibetur, ut notat Gloss. *in can. nonne caus. 8. q. 4.* Covar. *l. 2. var. c. 8. n. 4.* Menchaca *Illustr. contr. c. 84. n. 26.* Gonzal. *in c. 4. cit. n. 11.* quia in amittendis honoribus, & dignitatibus antea obtentis, & illarum usu viget diversa ratio; & longè majus vertitur præjudicium, quàm in his, quæ de novo conferuntur, consequendis. Unde meritò plus requiritur, ut dignitates antea obtentæ amittantur, quàm ut noviter obtinendæ impediantur, cùm in illis de damno, & pœna, in his verò de lucro agatur *arg. l. fin. C. de Codicill.* junctâ *l. Titio 70. §. Titio 1. ff. de condit. & demonstr.*

119 Imò ut Accusatio etiam quoad honores, & dignitates consequendas effectum hunc sortiatur, plura concurrere requisita debent. 1. debet esse Dignitas, cujus consecutio per Legem humanam annullari potest; nam si nequeat annullari, uti est promotio ad SS. Ordines, in hac effectum suum non exerit, sed collati etiam accusatio valent, licèt exercitium illorum lege humana impediri possit. Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 9. fin.* 2. ut Accusatio teneat, & facta sit à legitimo accusatore *c. meminimus 13. h. tit.* Felin. *in c. 4. cit. n. 2. limit. 2.* Pirhing. *n. 45. limit. 1.* nam si nulla sit accusatio e. g. ob defectum Jurisdictionis, processum vitiosum &c. etiam condemnato super crimine aliàs famoso non irrogatur infamia, ut est casus *can. imprimis 7. §. quia ergo caus. 2. q. 1.* 3. Ut crimen, de quo aliquis accusatur, vel denuntiatur, sit grave, ut colligitur ex *c. omnipotens cit.* ibi, *De quo tanta, & talia nuntiantur*, i. e. gravia, ut exponit *ibidem* Joan. Andr. *n. 1. 7. talia.* Secus ergo est, si crimina sint minora, & levia; hæc enim promotionem ad Dignitates, etsi probata sint, non impediunt. Fagn. *l. cit. n. 17.* Gonzal. *n. 10.* Pirhing *limit. 2.* Reiffenst. *n. 138.* 4. Ut accusatus sit persona singularis; nam si accusetur, vel denuntietur Collegium, qui de Collegio sunt, pendente lite non impediuntur promoveri ad honores, nisi cujus persona in accusatione, vel denuntiatione specialiter, & nominatim expressa est. Felin. *n. 16. limit. 4.* Pirhing *limit. 3.* 5. Ut accusatio de crimine fiat criminaliter ad pœnam, seu vindictam publicam; nam si civiliter solùm ad interesse proprium prosequendum, non impedit promotionem accusati ad Dignitates; quia infamiam non irrogat *c. tuæ 5. de Procur. c. super his 16. fin. h. tit.* Fagn. *n. 15.* Pirhing *limit. 4.* Reiffenstuel *n. 136.* 6. Ut non appareat ex conjecturis, reum calumniosè, & eo animo delatum esse, ut à novis honoribus arceatur. Fagn. *n. 17.* Gonzal. *n. 10.* Barbos. *n. 3.* Pirhing *n. 52.* & dictum est *suprà n. 117.* 7. Ut nondum lapsus sit annus à die propositæ accusationis; nam eo elapso, si adhuc lis per sententiam definita non sit, potest reus novos consequi honores, nisi per eum steterit, quò minùs intra annum finiatur causa *l. reus 7. ff. de muner.* quod procedit Jure antiquo; nam hodie accusatio non terminatur anno, sed biennio: unde hoc novo Jure exspectandum erit biennium; imò quia hodie nec biennium observatur, ex consuetudine hodierna limitatio ista modò locum non habet. Gonzal. *n. 10. cit.*

120 *Facta Accusatione*, & crimine legitimè probato, sequitur condemnatio Rei ad pœnam ordinariam, & certam, squa Jure statuta est, vel aliam condignam arbitrariam, & extraordinariam *c. si constiterit 12. h. tit.* Host. *Summ. h. tit. n. 12.* Zœs. *n. 5.* Pirhing *n. 57.* Schambog. *n. 15.* De hac condemnatione *Ordin. Crim. art. 92. & seqq.* Judici, & Assessoribus præscribitur, ut post causam plenè discussam, & factam ab utraque parte conclusionem, integra Acta Judicialia in medium proferant, singula diligentissimè examinent, ac ponderent, & sententiam summa cum accuratione, & providentiâ, prædictæ *Ordinationi* pro facti cujusque ratione maximè conformem meditentur, eámque scriptis comprehensam, & denuo requisitis, atque collectis singulorum Assessorum suffragijs comprobatam, Judex per juratum Actuarium publicari, & alta voce in præsentia partium prælegi jubeant: in quo *Constitutio hæc Carolina* discrepat à *Jure communi*, ex cujus præscripto Judex ipse sententiam recitare tenetur, exceptis personis Illustribus *l. hac lege 2.* & *l. seq. C. de sentent. ex peric. recit. Novell. 71. c. 1.* König *hic n. 62.*

121 Quæritur 7. quibus modis tollatur, & extinguatur Actio criminalis? *R.* Extinguitur quatuor maximè modis.

1. *Præscriptione*, si scilicet à die commissi criminis lapsum sit tempus, à Jure pro extinctione Actionis criminalis præscriptum: & hoc quoad crimen Peculatûs juxta *l. peculatûs 7. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* & quoad Delicta carnis juxta *l. mariti 29. §. sex mensium 5. & §. seq. ff.* & *l. adulter. 5.* junct. *l. reos 8. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* est quinquennale; quoad alia verò delicta, uti etiam quoad crimen raptûs, & adulterij cum incestu perpetrati vicennale *l. vim passam 39. §. præscriptione 5. ff. ad Leg. Jul. de Adult. l. querela 12. C. ad Leg. Cornel. de fals. l. anni 2.* & *l. seq. ff. de requir. reis.* *Procedit* autem hoc solùm quando crimen patratum transit, & cessat; nam in illis, quæ successiva sunt, & permanentia, ut est Matrimonium initum contra Canones, Hæresis, Apostasia, & similia, in quibus delinquens perseverat, & delictum continuat, nulla præscriptio locum habet, nisi à tempore cessantis delicti. Pirhing *hic n. 46.* Imò etiam

in

in Delictis transeuntibus, ut notat Fleck. *Biblioth. Jur. Civil. l. 6. tit. 1. n. 18.* quoad vindictam publicam præscriptio hodie non ampliùs videtur attendi.

122 2. *Transactione*; quia nemo invitus crimen accusare, vel manifestare tenetur, nisi sit crimen læsæ Majestatis, vel aliud in futurum noxium secundùm dicta *n. 103. & duob. seqq.* Porro de Jure Civili duntaxat transigi potest de criminibus, pœnam ultimi supplicij irrogantibus *l. transigere 18. C. de Transact.* Bachov. *D. 7. th. 5. lit. B.* Fleck. *tit. 1. cit. n. 19.* Hodie tamen etiam de Adulterio. Heig. *q. 29. n. 79.* Carpzov. *prax. crim. q. 550. n. 14.* & de criminibus, ultimum supplicium non inferentibus tam ante, quàm post institutam accusationem gratis, vel etiam remuneratione interveniente transigere permissum est, ut notat Fleck. *n. cit.* ita, ut nec reus pro confesso, aut convicto habeatur (quia delicta debent evidenter probari) nec accusator in pœnam prævaricationis, vel S. C.ti Turpilliani incidat: de quo vide dicta *Libr. 1. Tit. 36. n. 9.* Per ejusmodi tamen Transactionem soli accusatori quoad interesse suum privatum, non autem fisco quoad publicam vindictam, & continuationem Processûs præjudicari censetur, maximè cùm hodie, accusatore quocunque modo deficiente, Magistratus contra reum inquisitoriè procedat. Carpzov. *l. cit. q. 104. n. 50.* Fleck. *n. 20.*

123 3. *Morte accusatoris* ante latam Sententiam; nam isto mortuo nomen Rei aboletur, postulante reo *l. libellorum 3. §. fin. ff. h. tit.* quod tamen intellige solùm quoad eandem instantiam; nam, ut *l. cit.* dicitur, alij ex integro repetere reum licet, si hoc faciat intra triginta dies utiles. Multo minùs mors Accusatoris præjudicat Judici; nam hic ex officio potest accusationem prosequi, & processum ad finem perducere *l. accusatore 13. pr. ff. de Publ. Judic.* Clar. §. *fin. q. 51. n. 9. & 11.* Pirhing *hic n. 46. V. 2. extinguitur.*

124 4. *Morte Rei delinquentis*: nam pœna ab hæredibus exigi nequit *l. defuncto 6. ff. de Publ. Judic.* conf. etiam ipsa Accusatio cessat, quippe quæ mortuo accusato in hæredes ejus non transit *l. similes 1. & seqq. C. si reus, vel accusator &c.* Quod tamen intelligendum de pœna corporis afflictiva; nam quantum attinet ad pœnam pecuniariam, bonorum confiscationem, & realis damni vindicationem rectè distinguit Fleck. *l. cit. n. 23.* inter Jus Civile, & Canonicum. Jure Civili post contestationem litis tam ex publicis, quàm ex privatis Delictis Processus continuatur etiam contra hæredes delinquentis *l. un. C. ex delict. defunct. l. omnes 26. l. constitutionibus 33. & l. sciendum 58. ff. de O. & A.* Jure Canonico hæredes delinquentis, etiamsi cum defuncto lis nondum sit instituta, ad reparationem realis damni pro viribus hæreditarijs directè conveniri possunt *c. fin. de Sepult. c. ex præsentium 3. fin. de Pignor. c. tua nos 9. de Usur.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 10. n. 60.* Quod Jus hodiernis moribus observari testatur Fleck. *n. 23. cit.* & meritò; quia obligatio defuncti, quâ ex suis bonis læso satisfacere debeat, non fuit extincta, sed ipsa bona affecisse, & ad hæredes transijsse censetur.

125 Sed hoc intelligendum de illa pœna pecuniaria, quâ vindicatur reale damnum illatum alteri; nam si nullum reale damnum per Delictum illatum alicui à delinquente est, sed pœna pecuniaria solùm imponitur ad vindictam delicti, alia adhibenda distinctio est, & videndum, an reus mortuus sit ante sententiam condemnatoriam contra eum latam, an post illam. *Si ante*, accusatio criminalis non transit in hæredes illius, etiamsi lis cum defuncto sit contestata *l. ex judiciorum 20. ff. h. tit. Si post sententiam condemnatoriam*, tunc quælibet pœna pecuniaria in hæredes delinquentis transit. Farin. *q. 10. cit. n. 45.* Pirhing *hic n. 46. Excipiuntur* quædam crimina, in quibus etiam post mortem rei delinquentis procedi potest contra hæredes delinquentis, quamvis lis contestata non fuerit, ut bona eorum fisco vindicentur *l. ex judiciorum cit.* & tale est crimen læsæ Majestatis, Hæresis &c. Clar. *q. 51. cit. n. 13.* Farin. *n. 30.*

§. III.

§. III.

De Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

126. *Definitio Denuntiationis, & Species triplex.*
127. *In quibus Delictis Evangelica locum habeat?*
128. *Quis ita denuntiare possit?*
129. *An etiam ille, qui juravit se nolle denuntiare?*
130. *Modus in hac Denuntiatione adhibendus.*
131. &c. *An iste ex præcepto sit observandus?*
138. &c. *An ordini in hac observando renuntiari possit?*
143. &c. *An Superiori denuntiari possit delictum Religiosi jam emendati?*
148. &c. *Quomodo in praxi gerere se Superior debeat, post factam sibi Denuntiationem Evangelicam?*
150. *Quis sit Effectus hujus Denuntiationis, & usus?*
151. *Definitio Denuntiationis Judicialis.*
152. *Divisio in Generalem, & Specialem?*
153. &c. *Differentia ejus à Denuntiatione Evangelica.*
157. &c. *Quænam crimina judicialiter denuntiari possint?*
160. &c. *An socius criminis admitti possit ad denuntiandum Socium?*
163. *Quando Denuntiationi Judiciali sit locus in foro Canonico?*
164. *Denuntiationis Canonicæ definitio, & divisio.*
165. *Quis ad eam faciendam admittatur?*
166. *Ejus effectus.*
167. *Definitio Denuntiationis Civilis, & divisio.*
168. *In privatam,*
169. *Et publicam.*
170. *Forma hujus Denuntiationis.*
171. *Et Effectus.*

126 QUæritur 1. quid sit *Denuntiatio in genere*, & quæ ejus Species? R. Communiter describi solet, quòd sit *Delatio, sive manifestatio criminis Superiori facta sine solennitate.* Ita Host. *Summ. h. tit. Rubr. de Denunt. n. 1.* Sylv. *V. Denuntiatio n. 1.* Honor. *hic n. 57.* Pirhing *n. 86.* König *n. 95.* Reiffenstuel *n. 58.* & quoad sensum communiter DD. alij.

Species ejus communiter referuntur tres, Evangelica, Canonica, & Judicialis. Abb. *in c. novit 13. de Judic. n. 33.* Durand. *Spec. tit. de Denunt. §. 2. n. 8.* Marant. *de Ord. Jud. p. 6. tit. de Denunt. n. 1.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 1.* Wagnereck *in c. 14. V. quando not. 1. h. tit.* Vallens. *hic §. 5. n. 1.* Pirhing *n. 86.* König *n. 96.* Wiestner *n. 56.*

Rectiùs fortasse alij secundùm TT. bifariam illam dividunt in Evangelicam, & Judicialem; Judicialem verò in Canonicam, & Civilem; nam & Canonica Judicialis est.

127 Quæritur 2. quid sit *Denuntiatio Evangelica*? R. *Denuntiatio Evangelica* sic dicta, quòd à Christo tradita sit in Evangelio *Matth. 18. v. 15.* est alicujus criminis Rei ad Superiorem delatio, non ut ille, inflictâ pœnâ, publicè plectatur, sed ut ad pœnitentiam perducatur, & correctus resipiscat. Locum habet Denuntiatio hæc in quovis peccato occulto, modò non sit omnino occultum, sed quod possit probari, saltem per duos testes; quia omnino occulta soli DEO servantur *can. si omnia 7.* junctâ Gloss. *V. eod. caus. 6. q. 1.* Abb. *in c. 13. de Judic. n. 41.* Pirhing *hic n. 86.*

Denuntiare sic possunt omnes, dummodo in peccato, saltem graviori, & scandaloso ipsi non perseverent; nam si hujusmodi crimine Denuntians ipse obstrictus sit, denuntiatus illum criminis exceptione potest repellere, etiamsi ille injuriam suam persequatur. Gloss. *in can. si peccaverit 19. V. eod. caus. 2. q. 1.* Abb. *in c. 13. de Judic. n. 39.* Honor. *hic n. 60.* Pirhing *n. 86.* König *n. 99.* Wiestner *n. 58.* Reiffenstuel *n. 77.* & colligitur ex *c. cùm dilectus 20. h. tit.* *Ratio* est, quia præterquam quòd is, qui propria non corrigit, indignus sit, ut corrigat, & audiatur, præsumitur non bono zelo denuntiare peccata aliena, cùm ipse in se illa non corrigat. 128

Potest autem ita denuntiare etiam ille, qui juravit se nolle denuntiare; quia tale Juramentum est pernicioſum, ac illicitum *c. quemadmodum 25. §. ult. de Jurejur.* Imo ex opinione Abb. *l. cit. n. 35. & 36.* quem cum alijs sequuntur Pirhing *l. cit.* & Reiffenstuel *n. 79.* quilibet ex præcepto Charitatis fraternæ ad hanc Denuntiationem obstringitur, eò quòd verba Evangelica apud *Matthæum* sint imperativi modi. 129 Quæ opinio maximè procedit in ijs, ad quos correctio spectat ratione curæ, vel officij, ut sunt Prælatus, Curatus, Paterfam. Maritus, Rector Provinciæ *can. duo ista 35. caus. 23. q. 4.* & *ibi* Gloss. *V. Episcopo*, Joan. Andr. *in c. 13. de Judic. n. 6.* König *n. 99.* Quoad cæteros obligationem istam non pauci negant, & putant correctionem hanc solùm esse de consilio, sicut alia pia opera.

Mo-

130 Modus in hac Denuntiatione adhibendus præscribitur apud *Matth. 18. v. 15. & duob. seqq.* nam 1. corripiendus delinquens est privatim absque arbitris, idque non tantùm semel, sed iterum, ac tertiò; deinde coram uno, vel duobus testibus; & denique si secretis his admonitionibus insuper habitis, non resipiscat, tum demum ad Ecclesiam, sive Superiorem, tanquam Patrem corrigendus deferri debet. Palao *tr. 6. D. 3. p. 8. n. 1. & 2.*

131 Dub. 1. an relatus fraternæ correctionis modus sit præceptus? Gloss. *in can. si peccaverit 19. V. eod. caus. 2. q. 1.* putat tantùm esse de consilio, saltem respectu Laicorum, quòd præceptum de eo observando videatur esse nimis durum: Salmeron. *tom. 4. in Evang. p. 3. tr. 11.* Existimat præcepti quidem esse, sed præceptum hoc non esse extendendum, nisi ad ea peccata, quæ injuriosa, & damnosa sunt corripienti, propter verba, *si peccaverit in te.* Matth. *v. 15. cit.*

132 *Sed dicendum*, ordinem hunc in quibuscunque proximi peccatis regulariter non tantùm Divino, sed etiam naturali Jure præceptum, & observandum esse. Ita S. Thom. *2. 2. q. 33. art. 7.* Suar. *tom. 4. de Relig. l. 10. c. 7. à n. 10.* Cornel. à Lapid. *in Matth. v. 15. cit. §. 3.* Conink *D. 28. dub. 8. n. 138.* Palao *tr. 6. D. 3. p. 8. n. 4.* Wiestner *hic n. 60.* Reiffenstuel *ibid. n. 62.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 132.* Et quidem, quòd ordo iste observandus sit *Jure Divino*, expressè decisum est *c. novit. 13. V. & Rex de Judic. c. licèt Heli 31. V. cùm igitur de Simon.* & *c. cùm ex injuncto 12. V. nec quisquam de Hæret.* ubi Alexander III. & Innocentius III. ejusmodi correctionem fraternam *Mandatum Divinum*, & *Evangelicam Regulam* appellant. Quòd verò idem ordo etiam sit *præcepti naturalis*, probat evidens ratio; nam Lex Charitatis omnibus insita exigit, ut proximus peccans corrigendo in salutis semitam reducatur, quàm minimo id fieri potest, ejusdem damno, & præjudicio famæ illius, honorisque. Id autem fit, quando ordo relatus observatur. Ergo &c.

133 Dixi autem *Regulariter*; nam varij casus sunt, quibus delinquens, dicto ordine non observato, statim denuntiari potest, & sæpe debet Superiori. Et 1. quidem, quando Delictum jam est notorium; tunc enim, cùm jus famæ unà cum possessione jam supponatur amissum, statim ad Superiorem, & Judicem deferri potest, juxta præceptum Apostoli *1. Timoth. 2.* ibi, *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant*; quia ut *can. si peccaverit 19. caus. 2. q. 1.* loquitur Augustinus, *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* S. Thom. *2. 2. q. 33. art. 7. pr.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 3. concl. 1.* Palao *tr. 6. D. 3. p. 13. n. 8.* König *hic n. 106. fin.* Wiestner *n. 61.* Reiffenst. *n. 65.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 134.*

2. Quando delictum etiam occultum, cedit in damnum Reip. aut etiam tertij privati, & id secreta monitione impediri non potest, ut sunt proditio, conspiratio, hæresis, susurratio, perturbatio pacis, & charitatis communis &c. nam quia in his aut rarò, aut nunquam sperari potest correctio delinquentis ex secreta monitione, ideo iste statim hac omissa denuntiari debet, ut provideatur bono communi, & caveatur damnum tertij. Laym. *concl. 2. & 3.* Palao *n. 5.* Reiffenstuel *n. 66.* Magnif P. Schmier *n. 135. cum citt.* & colligitur ex *Matth. v. 15. cit.* ubi studiosè dixit Salvator, *si peccaverit in te*, non *in multitudinem*, denotans, in Delictis privatis duntaxat, non in publicis, & Reip. noxijs, ordinem ibi præscriptum esse servandum.

3. Quando secreta correctio aut nobis damnosa, aut peccanti non profutura censetur; quia obligatio non datur ad inutilia, aut nociva: & hinc *S. Augustinus*, relatus *can. siquis 4. de Pœnit. dist. 7.* ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Hinc melius facit ille, qui Delictum occultum proximi, quod per seipsum corrigere non valet, statim Superiori denuntiat, non ut Judici, sed ut patri, ut illud pro sua, quâ pollet, authoritate in secreto studeat emendare. Laym. *n. 6. concl. 6.* Palao *n. 10.* Engl *hic n. 29.* König *n. 107.* Reiffenstuel *n. 67. & 69.* Schmier *n. 137.* qui cum Passerin. *Trib. Regul. q. 9. n. 43.* notat, Prælatos regulares universaliter à strepitu Judicij abstinere debere, quamdiu delinquentes paternè corrigere, & scandala præcavere possunt.

4. Quando Delictum sibi statim, absque communicatione cum aliena persona, denuntiari Prælatus præcipit, ut respectu certorum Delictorum solent Inquisitores Hæreticæ pravitatis. Palao *n. 4.* qui *n. 11.* addit, præceptum hoc statim denuntiandi absque communicatione cum alia persona intelligendum de Delictis, de quibus certò constat, quòd contineantur in Edicto. Secus est, quando is, qui scit, delictum esse commissum, dubitat, an illud contentum sit sub Edicto; tunc enim absque dubio poterit consulere Confessarium, vel alium virum doctum: neque hanc communicationem intendit Superior prohibere.

Ad Argumentum pro Sententia contraria *n. 131.* allatum dico, præceptum servandi ordinem à Christo pro correctione fraterna præscriptum non esse nimis durum, cùm, ut vidimus, non pro omnibus circumstantijs obliget. Verba *si peccaverit in te* cum *S. August. Chrysost.* & alijs PP. Suar. *tom. 4. de Relig. l. 7. c. 7. n. 12.* &

Lorca 2. 2. q. 33. art. 8. D. 46. membr. 1. n. 12. explicant, ut idem significent, *si peccaverit te sciente*, sive *cum tuo contemptu, & scandalo:* vel dici cum Cornel. à Lapide *adv. 15. cit. ℣. dices* potest, sub peccatis nobis illatis per Synechdochen comprehendi omnia peccata, quòd cùm proximum debeamus diligere, sicut nos ipsos, injuriæ huic illatæ censeantur nobis illatæ.

138 Dub. 2. an dicto Evangelicæ Denuntiationis, & correctionis ordini valeat renuntiari? Negant Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 1. l. 4. c. 14. pr.* & Lorca *2. 2. q. 33. art. 8. D. 47. n. 13.* ex ratione, quòd ordo iste Jure Divino præscriptus sit intuitu non tantùm privati ejus, qui corrigitur, sed publici boni, quod ex ordinis istius observatione resultat in Remp. cùm plurimum conferat ad conservandam pacem Communitatum, & evitationem rixarum, aliorúmque incommodorum. *Conf.* sæpe Prælatus est minùs aptus ad corrigendum alio particulari, tum quia gratus non est delinquenti, tum quia non habet tantam peritiam tractandi proximum, & fortè etiam, quia delinquentem aliàs aversatur. Ergo saltem in hoc casu non licet, omissa correctione utili, descendere ad denuntiationem inutilem: cons. pro hoc casu etiam non potest subditus renuntiare præscripto ordini; quia talis renuntiatio esset prodiga famæ, & pernicioſa renuntianti.

139 *Sed dicendum*, ejusmodi Renuntiationem cuilibet in particulari, & totis præsertim Communitatibus permissam, imò laudabilem esse. Suar. *tom. 4. cit. l. 10. c. 7. n. 28.* Thom. Sanch. *l. 6. mor. c. 18. n. 43.* Joann. Sanch. *D. 46. select. n. 28.* Ribadeneira *de Inst. Societ. JESU c. 34.* Conink *2. 2. D. 28. Dub. 11. n. 297.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 5. ℣. præterea.* Palao *tr. 6. D. 3. p. 9. n. 2.* Wiestner *hic n. 63. Ratio est*, quia ut communis DD. sententia cum S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 5. ad 3.* defendit, quilibet est dominus suæ famæ, & honoris. Igitur huic suo juri renuntiare, famæque suæ detrimentum subire ex fine honesto potest *arg. c. si terra 6. de privil.* Talis finis honestus est major Spiritualis correcti profectus, submissio, & humilitas propria, major securitas à relapsu, major communitatis integritas; negari enim non potest, Communitatem magis servari indemnem, & ipsos subditos circumspectiùs processuros, si sciant, peccata propria occulta à quolibet, qui extra Confessionem, vel periti consilij casum notitiam eorum habet, manifestanda esse Superioribus.

140 *Conf. 1.* ex Instituto Societatis JESU, cujus sequaces majoris abnegationis, & profectûs Spiritualis gratiâ contenti esse debent, si per quemcunque, qui hoc extra Confessionem intellexerit, secreta monitione prætermissa, defectus illorum occulti manifestentur Superiori. *Exam. Gen. c. 4. n. 8. Summar. Const. Regul. 9. & 10. & Congreg. VI. Gener. Decret. 52.* non potest autem dici inhonestè, & illicitè sic esse statutum, ut patet ex Constitutionibus Apostolicis Gregorij XIII. Pauli III. & Julij III. qui institutum Societatis ex integro approbârunt, etiam pœnâ Excommunicationis in impugnatores propositâ. *Conf. 2.* potest aliquis, & laudabiliter quidem, humilitatis, & profectûs Spiritualis studio, Prælato proprio, vel alijs manifestare defectus occultos proprios. Ergo ex simili fine potest permittere, ut ijdem manifestentur ab alijs *Conf. 3.* si proximus jam amisisset famam apud Prælatum suum, apud hunc rectè potest quis agere de ejus peccato, modò id faciat ex bono fine. Ergo idem videtur dicendum, quando proximus ex justa causa non vult servare suam famam apud Prælatum, sed potestatem ejus alteri facit.

Rectè tamen hoc loco advertunt *l. 141 citt.* Suar. *c. 12. n. 3. & 35.* Sanch. *c. 18. n. 50.* Palao *p. 9. n. 7.* Wiestner *n. 64.* cessionem illam famæ respectu defectûs occulti in Societate tantùm fieri, ut ad Superiorem, tanquam Patrem, non tanquam Judicem deferatur; quia sic cedenti est utilior, & minùs onerosa: quo modo actus gestus in dubio semper præsumitur, ut rectè ostendit Menoch. *l. 4. præsumpt. 9. per totam.* Unde licèt Prælatus in denuntiatum animadvertere queat moderata, & paterna correctione, judicialiter tamen, & rigorosè contra eum procedere non potest, ut ex allegatæ Societatis Jure ostendunt *Suarez, Sanchez, Palao l. citt.*

Ad Argumentum contrarium huic fini 142 non obest manifestatio defectûs, facta ex voluntate ipsius delinquentis, renuntiantis juri suo ob studium profectûs sui Spiritualis; sicut fini, intento per Sigillum Sacramentale non obest manifestatio facta ex voluntate, & licentia expressa ipsius confitentis, ut rectè observant *Sanch., Palao, Wiestner l. citt. Ad Conf.* imprimis rarò omnino contingere potest casus, quòd non melius, vel saltem æquè bene correctio, & emendatio delicti obtineatur per Superiorem, præsertim in Societate, ubi Superiores tot informationibus de vita, & moribus factis constituuntur: deinde esto, æquè bene, vel etiam melius obtineatur illa per inferiorem, ut rectè Palao *n. 5.* notat, læsio illa famæ proximi, ex delatione ad Superiorem facta contingens, abunde compensatur per fructum Spiritualem, quem ille haurit ex tam generosa renuntiatione Juris in suam famam.

Dub. 3. an Superiori denuntiari valeat 143 delictum Religiosi jam emendati? Affirmant Richard. *in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. in Corp.* Angel. *V. Denuntiatio n. 10.* Graff. *p. 1.*

p. 1. *decis. l. 2. c. 69. n. 30.* ex ratione; quia tali delicto cognitò, Superior potest removere pericula, & occasiones peccandi, quod admodum proficuum est Religioso, quamvis jam emendato.

144 Sed tenenda est Sententia negativa, quam etiam defendunt S. Thom. *Quodl. 11. art. 13. ad 3.* Sot. *relect. de Secreto membr. 2. q. 4. concl. 4.* Navar. *Man. c. 24. n. 23.* Valent. *t. 2. D. 3. q. 10. p. 3. §. sed rectius*, Sanch. *l. 6. mor. c. 18. n. 49. & 60.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 1. pr.* Palao *tr. 6. D. 3. p. 12. n. 4.* Wiestner *hic n. 65.* & alij, id desumentes ex verbis, *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. *v. 15. cit.* quibus Christus, fratre emendato, desistendum non obscurè insinuavit. *Ratio est*, quia Evangelica Denuntiatio in Delictis occultis ex Divina institutione ordinatur ad correctionem fratris delinquentis. Non bene autem applicatur medium, fine jam obtento. Ergo &c.

145 *Procedit hoc* saltem in casu, quo certum est denuntiaturo, quòd frater sit emendatus. Quando dubium est, an delinquens emendatus sit, distinguendum est, an Delictum vergat in damnum tertij, vel Communitatis, an verò in damnum solius delinquentis. *Si primum*, casu, quo dubium est, an delinquens sit emendatus, vel periculum sit recidivæ, nisi Prælato manifestetur, denuntiandum illud Prælato est; quia damnum communitati, vel tertio faciendum etiam sub dubio præponderat famæ particularis delinquentis, & communitas, vel tertius innocens habet jus, ut præservetur à damno sibi imminente, etiamsi hoc sit cum aliqua jactura honoris alicujus nocentis. Sanch. *l. 6. mor. c. 18. n. 47.* Palao *p. 12. cit. n. 6. & apud* hos *citt.*

146 *Si secundum*, interest, an delinquens cesserit Juri ad suam famam quoad Denuntiationem delicti sui, an verò non. *Si prius*, denuntiari Superiori poterit, etiam stante dubio de emendatione delicti; quia adest finis correctionis, ac proinde causa honestans Denuntiationem. *Si posterius*, non potest stante prædicto dubio, Delinquens denuntiari Prælato; quia dum dubitatur, an emendatus delinquens sit, ignoratur, an adsit causa honestans denuntiationem; nam hæc solùm correctio est. Quando autem ignoratur, an adsit causa honestans Denuntiationem, non potest denuntiari delinquens, utpote qui habet jus certum ad famam, & jure certo spoliari non debet ob causam dubiam. Ergo &c.

147 *Ad Argumentum* contrarium *n. 143.* allatum dico, id solùm procedere, quando adhuc periculum recidivæ subest; nam stante periculo probabili relapsus, manifestandus delinquens est, ut præservetur, ut cum *D. Thom. Adrian. Sot. Valent.* notat Palao *p. 1.* & probat ratio: nam ob finem istum etiam posset denuntiari privato, si absque istius opera delinquens à relapsu præservari non posset. Periculum autem relapsûs probabile, ut idem Palao *l. cit.* advertit, tunc imminere censetur delinquenti, quando ita proximis peccati occasionibus est innodatus, ut moraliter loquendo judicetur casurus, nisi ab illis divertatur.

Dub. 4. quomodo in praxi gerere se 148
debeat Superior, vel Judex facta sibi Denuntiatione Evangelica, seu paterna? R. Distinguendo, an Delictum adhuc sit occultum, & nemini præjudiciosum, an verò notorium, vel occultum quidem, sed in damnum Communitatis, vel tertij cedens.

Si primum, Superior, seu Judex debet se accommodare justæ, & rationabili intentioni, seu petitioni denuntiantis, illiúsque modo denuntiandi; cons. ex tali Denuntiatione judicialiter adversùs denuntiatum procedere, & punire illum ita non potest, quamdiu emendatio delinquentis sperari potest. Potest tamen 1. eundem punire injunctâ pœnitentiâ moderatâ, quæ neque infamiam irroget, neque delictum, si grave sit, manifestet. 2. Potest à loco, vel ministerio, ex quo periculum iterum delinquendi eidem nascitur, ipsum removere, si fieri id possit absque infamia delinquentis. 3. Potest de modo correctionis adhibendæ cum aliquo, vel aliquibus Consultorum suorum tractare, si hoc necessarium judicat ad remedium adhibendum. 4. Potest eidem Denuntiatio socium fidelem adjungere, qui ejus actiones exploret, & ad Superiorem referat. 5. Potest, si ei moraliter constet de delicto subditi, saltem per delationem unius testis oculati, de quo nulla potest esse suspicio falsitatis, graviter subditum reprehendere etiam coram duobus, vel tribus testibus, minis eum terrere, injungere præceptum, etiam sub Excommunicatione, si ita necessarium videatur, ne locum suspectum adeat &c. Palao *tr. 6. D. 3. p. 11. n. 1. & seqq.*

Si secundum, non est necesse, ut Su- 149
perior juxta petitionem denuntiantis corrigat denuntiatum secretò, sed potest præcipere delatori, ut relicta denuntiatione fraterna, ad Judicialem transeat: cui præcepto tenebitur obedire delator, nisi ob grave periculum sibi imminens excusetur; nam ut rectè dicitur *in Decret. 58. Congr. Gen. 6.* quando prudenter judicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo provideatur bono communi, vel personæ tertiæ, nisi assumatur in ea re officium Judicis, tunc tenebitur subditus ad Denuntiationem Judicialem Superiori faciendam. *Ratio est*, quia bonum commune, & innocentis tertij particulari nocentis præferri debet. Quare hoc casu delator, petens solum effectum Denuntiationis Evangelicæ, audiri non debet, cùm irrationabiliter petat, sed potiùs urgeri

geri debet ad satisfaciendum obligationi suæ. Ludov. de Ameno *prax. crim. tit. 9. V. Denuntiatio* §. 1. n. 7. Palao *p. 11. cit. n. 11.* Reiffenstuel *hic n. 75. & 76.*

150 Dub. 5. quis sit *Effectus* Denuntiationis Evangelicæ, & quando præcipuè sit ejus usus? R. *Effectus* illius est delinquentis correctio, & aliquando rei debitæ restitutio: ad quam, si delinquens sponte illam præstare nolit, Censurâ Ecclesiasticâ, imò etiam immissione in possessionem bonorum compelli potest. Bald. *in Auth. ad hæc C. de Usur. n. 1.* Felin. *in c. novit. 3 de Judic. col. fin.* Mrant. *de Ord. Judic. tit. de Denunt. n. 5.* König *hic n. 111.*

Usus Denuntiationis istius est tum maximè, quando quis læsus est in foro sæculari, aut propter deficientiam actionis, tranitum sententiæ in rem judicatam, vel alia obstacula non auditur, nec tamen proximus excusatur à peccato; nam ad Judicium Ecclesiæ pertinet cavere peccata, & illa tollere *c. novit. cit.*

151 Quæritur 3. quid sit *Denuntiatio Judicialis?* R. Est delicti apud competentem Judicem facta manifestatio. Fleck. *Biblioth. Jur. Civil. l. 6 tit. 3. n. 1.* Differt à *Diffamatione*; quia hæc fit extrajudicialiter: ab *Accusatione*; quia Accusator se obligare debet ad crimen, quod reo opponit, probandum, Denuntiator verò non tenetur regulariter in Judicio proponere probationes, sed Judici relinquit, an ipse in Delictum; & concurrentibus alijs indicijs, in delinquentem velit inquirere. Fleck. *l. cit. n. 6.*

152 Duplex communiter dicitur esse Denuntiatio Judicialis, videlicet alia *Generalis*, quando quis delictum absque denominatione delinquentis prodit. Alia *Specialis*, quando delictum simul, & delinquens apud Judicem denominatur. Denuntiare autem delictum potest omnis, qui accusare. Brunn. *ad l. 18. ff de Jur. fisc.* quod Fleck. *l. cit. n. 4.* rectè monet intelligendum de Jure veteri; nam de hodierno procedendi stylo ad denuntiandum admittuntur etiam, qui accusare non possunt. Et hi quidem sunt duplicis generis; nam aliqui denuntiant sponte sua, vel ex conscientiæ motu: alij ex necessitate vel officij, veluti fiscalis, officialis, aut custos ratione causæ ad officium suum pertinentis; vel defensionis, seu ad defendendum jus suum, veluti si testi objicitur crimen, ut removeatur à perhibendo testimonio.

153 Dub. 1. quomodo differat Denuntiatio Judicialis ab Evangelica, seu Charitativa? R. Multiplex inter istas discrimen est. 1. Finis Denuntiationis Charitativæ est emendatio fratris, vel ut tertiæ personæ, aut bono Communitatis provideatur; hinc ex motivo Charitatis procedere debet: contrà finis Judicialis Denuntiationis est, ut satisfiat Communitati læsæ; tendit enim in quandam injuriam Communitatis, si ejus membra delinquant: & hinc Denuntiatio ista per se, ac directè procedit ex motivo Justitiæ vindicativæ.

154 2. Denuntiare charitativæ potest etiam ille, qui nec probare, nec indicijs sufficientibus ostendere potest, quòd denuntiatus deliquerit, v. g. quia solus hoc vidit, modò existimet fidem sibi aliquam habendam à Superiore. Contrà denuntiare quis judicialiter non potest alterum, non præcedente infamia, vel indicijs criminis; quia cum sine his ad punitionem delati procedere non possit Superior, frustra hujusmodi Denuntiationem faceret.

155 3. Qui judicialiter denuntiat, nomen suum (spectato Jure communi) inscribere debet, & postea vocatus coram Judice comparere ad publicam testimonij depositionem, Reique convictionem: qui autem charitativè denuntiat, non debet inscribere suum nomen: imò Prælatus deferentem nullo modo manifestare potest, nisi necessitas postulet ad finem correctionis obtinendum; tunc enim, ut *n. 149.* dictum est, deferens consensum dare tenetur, aut si dare eundem nolit; ipso etiam invito, revelari poterit.

156 4. In Denuntiatione charitativa Prælatus non debet crimen occultum, & grave manifestare alijs, si solus emendare id possit; quia tendit ad delinquentis correctionem tantùm. Contrarium fit in Denuntiatione Judiciali; nam cùm ista eò directè tendat, ut reus per testes convictus, aut confessus, in publicam notitiam veniat, & puniatur ad exemplum aliorum, necessariò manifestari alijs delictum ita denuntiatum debet. Videatur Laym. *l. 3. tr. 6. c. 3. n. 5.*

157 Dub. 2. quænam crimina judicialiter denuntiari possint? R. Denuntiari possunt crimina omnia etiam merè præterita, & emendata, nec ampliùs committenda, tam privata, quàm publica, tam aperta, quàm occulta, & de quibus nulla adhuc extitit delinquentis infamia. Ita cum *S. Thom. Sylv. Petr. Navar.* docent *Less. l. 2. de Just. c. 30. n. 11.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 13.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 3. n. 15.* Fagnan. *in c. qualiter 24. h. tit. n. 72.* Reiffenstuel *hic n. 88.* Ratio est, quia publicitas, & infamia delicti tantùm requiritur ad Processum, media Inquisitione instituendum *arg. c. inquisitionis 2.* & *c. qualiter 24. h. tit.* ubi infamia supplere debet vices accusatoris, sine quo nullus condemnatur: secus est in Denuntiatione, utpote in qua ipse denuntians vices accusatoris gerit, licèt per inscriptionem ad accusandum se non obliget.

158 Dixi, *Dummodo probari possit*; nam crimen omnino occultum, nisi vergat in præjudicium Communitatis, vel tertij, judicialiter denuntiari non potest *arg. can. si tan-*

tantùm 2. & can placuit 3. caus. 6. q. 2. can. qui crimen 4. caus. 24. q. 8. l. nostris 8. & l. fin. C. de calumn. Ratio est, quia cùm Denuntiatio Judicialis ad vindictam publicam publico Judicio inferendam tendat, sicut accusatio; publico autem Judicio sine legitima probatione nemo puniri valeat, injustè quis judicialiter denuntiatur de crimine, quod probari nequit, cùm sine fructu fama ejus lædatur. In ò neque potest Judex recipere Denuntiationem Judicialem, vel vi illius ad Inquisitionem procedere, & Processum instituere, nisi videat à Denuntiante tales denominati testes, aut talia probationis offerri media, per quæ delictum sufficienter probari valeat; secus faciens censebitur esse calumniator, utpote Judicium publicum sine probationibus attentans: nec effugiet pœnam calumniatorum saltem extraordinariam, arbitrio Judicis imponendam, ut cum *Ameno* notat Reiffenstuel *hic n. 89.*

159 Excepi autem, *nisi crimen vergat in præjudicium Communitatis, vel tertij*; nam delinquens adversùs tertium, vel commune bonum, si alia via non suppetat impediendi damnum, denuntiari debet Superiori, ut Judici, etiam ab eo, qui solus scit, modò notitiam ejus non hauserit ex Confessione, & per manifestationem delicti damnum illud impediri aliquo modo possit, quamvis non perfectè. Ita expressè Sylv. *V. correptio q. 5.* Valent. *D. 3. q. 10. p. 3. pag. 677.* Less. *l. 2. de Just. c. 30. n. 43.* Sanch. *l. 3. de Matr. D. 13. n. 2.* Palao *tr. 6. D. 3. p. 13. n. 16.* Ratio est, quia hæc Denuntiatio non tam ad punitionem delinquentis, quàm ad præcavendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non est curandum, quòd ipse delinquens infametur, aut per Denuntiationem vexetur; nam bonum privatum cedere bono communi, vel tertij innocentis debet. *Neque obstat* delictum probari non posse; quia hoc casu non denuntiatur delictum, ut illud probetur, sed ut impediatur damnum, ad quod hujusmodi Denuntiatio servit eatenus, quatenus viam aperit Judici, ut inquirat, & quærat media illud impediendi.

160 Dub. 3. an Socius criminis admitti possit ad denuntiandum Socium, ejúsque Denuntiatio sit attendenda? Affirmativam videtur probare 1. *l. quoniam 1. C. de fals. monet.* ubi Constantinus Imp. rescripsit, falsos monetarios ab omnibus inquirendos, *ut investigati tradantur Judici, facti conscios per tormenta illico prodituri.* 2. *l. Divus 6. ff. de custod. & exhib. reor.* ubi Marcianus, *Caput*, inquit, *mandatorum extat, quo Divus Pius, cùm Provinciæ Asiæ præerat, sub Edicto proposuit, ut Irenarchæ, cum apprehenderint Latrones, interrogent eos de Socijs, & receptatoribus, & interrogationes litteris inclusas, atque obsignatas ad cognitionem Magistratûs mittant.* Frustra autem mitterentur, si in Judicio non deberent attendi. 3. *Const. crim. Carol. V. art. 31.* ubi disertè asseritur, dictum Socij criminis facere indicium contra eum, qui pro Socio nominatus est.

Contrà negativa sententia videtur de- 161
duci 1. ex *can. non est 3. caus. 3. q. 11.* ubi ex *Decreto Hadriani Papæ* dicitur, *non esse credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se priùs probaverint innocentes; quia periculosa est & admitti non debet Rei adversùs quemcunque professio.* 2. Ex *l. fin. C. h. tit.* ubi Impp. Honorius, & Theodosius inquiunt, quòd *veteris Juris authoritas de se confessos ne interrogari quidem de aliorum conscientia finat.* Simile quid habetur *l. repett 16. §. is qui 1. ff. de quæstion.* 3. Ex *ratione*; quia meritò suspicio esse potest, hujusmodi Denuntiationem idcirco fieri, ut vel ob dignitatem denuntiati denuntians consequatur impunitatem sceleris, vel si hostis ejusdem est, ut ejus supplicio in ipsa supremorum suorum sorte satietur.

Controversiam decidit *Const. crim.* 162
cit. art. 31. ubi Denuntiatio Socij criminis admittitur solùm, quando quinque hæc observantur. 1. Ut Denuntiatio facta sit ad generalem Judicis interrogationem in ipsa tortura. Hinc nulla est, siquis sponte nominet alium non interrogatus, vel si interrogatio speciatim v. g. de Titio, vel Cajo proposita sit; quia talis interrogatio speciem suggestionis habet. 2. Ut Judex denuntiantem interroget de omnibus circumstantijs, an, quando, ubi, quomodo auxilium sceleri denuntiatus ipsi præstiterit. 3. Ut Judex diligenter exploret, num denuntians, seu nominans cum nominato graves inimicitias foveat, & in eo casu nihil planè fidei denuntianti dabit, nisi alia indicia verisimilia denuntians proferat. 4. Ut nominatus sit talis persona, in quam delicti, quod in Denuntiatione continetur, suspicio possit cadere; nam si honestæ sit vitæ, iterum non est credendum nominanti. 5. Ut reus in illa nominatione constanter perseveret, eámque non revocet, vel in illa vacillet; secus enim admittenda illa non est, nisi ex statu denuntiati, & alijs circumstantijs indicium capiatur, quòd revocationem denuntians tantùm fecerit, ut Socios à periculo liberet. Quæ omnia, si copulativè concurrant, Denuntiatio Socij contra nominatum facit indicium proximum ad torturam; secus, si vel unum defuerit. König *hic n. 103.*

Dub. 4. quando Denuntiationi Judi- 163
ciali sit locus in foro Canonico? R. Locus eidem est maximè in sequentibus casibus. 1. si is, qui denuntiatur sit Clericus, ut quando Clerici, vel Religiosi conqueruntur de injustis oppressionibus, quas patiuntur à suis Prælatis; nam denuntians judicialiter est quoddammodo actor, actor autem sequitur forum Rei. 2. Si is, qui denuntiatur, sit quidem Laicus, crimen tamen,

de quo denuntiatur, suapte naturâ Ecclesiasticum sit, ut Hæresis, Simonia &c. 3. Ob defectum Justitiæ in foro sæculari, quia vel Judex sæcularis est negligens, vel nullus est, qui judicet, vel in eo foro non datur actio, aut repetitio, e. g. ex nudo pacto. 4. Ratione pacis violatæ, vel juramenti non servati à Laicis *arg. c. novit. 12. de Judic.* 5. Si persona sit miserabilis, quæ denuntiationem proponit. 6. Si sit causa Spiritualis, & Ecclesiastica, vel huic annexa, ut si agatur de Matrimonio ob Impedimentum Canonicum non contrahendo, vel contracto dissolvendo *c. ad dissolvendum 13. de Despons. impub. c. cùm inhibitio 3. de clandest. Despons.* Abb. *in c. 13. cit. n. 48 & seqq.* Azor *p. 3. c. 21. dub. 5.* Pirhing *hic n. 90.*

864 Quæritur 4 quid, & quotuplex sit *Denuntiatio Canonica?* R. *Denuntiatio Canonica* est delatio criminis ad Superiorem Ecclesiasticum sine solennitate Accusationis. Wagnereck *in c. 14. ¶. quando not. 3. h. tit.* Duplex est, scilicet Generalis, & Specialis.

Generalis apud Superiorem agitur, ut impediatur delictum aliquod, vel damnum, aliúdve incommodum, ejúsque continuatio: cujus exempla passim inveniuntur in Jure nostro, præsertim *c. præterea 12. de Sponsal. & Matr. c. ad dissolvendum 13. de Despons. impuber. & c. fin. de clandest. desponsat.* quibus textibus denuntiari debet Impedimentum impediens, ne cum illo contrahatur Matrimonium, & dirimens, ut cum eo contractum dissolvatur.

Specialis, fit eidem Superiori, ut qui malè præest, vel administrat, corrigatur, aut si post trinam, vel binam saltem admonitionem incorrigibilis sit, à Prælatura, Officio, vel Beneficio removeatur *can. Metropolitanum 45. can. sicut 46. &c. caus. 2. q. 7. can. filijs 31. caus. 16. q. 7. c. custos 1. de Offic. Custod. & c. licet 31. de Simon.* Schambog. *hic n. 35.*

865 Ad *Generalem* admittuntur omnes: imò si eam facere possit sine gravi suo incommodo, & ad damnum, vel peccatum, aut eorum continuationem impediendam judicet profuturam, denuntiare tenetur quivis: Engl *hic n. 30.* Pirhing *n. 87.* Wiestner *n. 66.* Reiffenstuel *n. 147.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 140.* & patet ex *c. novit. 13. de Judic. c. ad dissolvendum*, & *c. fin. cit.*

866 *Specialis* Denuntiatio ijs duntaxat competit, quorum interest habere bonum Prælatum, Administratorem, Subditum: adeoque soli Religiosi & Clerici suum Prælatum, & soli Parochiani suum Parochum eo fine denuntiare possunt, ut ab Officio removeatur. Abb. *in c. novit cit. n. 59.* Marant. *tit. de Denunt. n. 7.* Honor. *hic n. 77.* Pirhing *n. 87.* Wiestner *n. 67.* Reiffenstuel *n. 147.* Schmier *n. 141.*

In *Generali* Denuntiatione non est opus, ut præcedat monitio. Gloss. *in c. ad dissolvendum cit. V. denuntiari*, Honor. *n. 81.* Schambog. *n. 35.* König *n. 108.* Specialis requirit monitionem prævium Engl *n. 30. cit.*

Effectus Denuntiationis Canonicæ *Generalis* est, ut impediatur delictum, damnum, vel aliud incommodum. *Specialis* delinquentis correctio, imò & punitio; si enim correctionem contempserit, distinctione Ecclesiastica coërcetur, ab exercitio SS. Ordinum suspenditur, ab Officio removetur &c. per *can. quapropter 47. caus. 2. q. 7.* König *n. 112.*

Quæritur 5. quid sit *Denuntiatio Civilis*, & quotuplex? R. *Denuntiatio Civilis* sic dicta, quia à Jure Civili originem suam trahit, est delatio criminis ad Superiorem tanquam Judicem, vel ad interesse proprium, vel ad vindictam publicam. Differt à *Canonica* 1. ratione Originis; quia Canonica originem suam adscribit SS. Canonibus. 2. Ratione Judicis, coram quo proponitur; nam Canonica proponi solùm potest coram Judice Ecclesiastico, Civilis etiam coram Sæculari, quamvis & ipsa locum habeat in foro Canonico. 3. Ratione finis; nam Canonica tendit ad removendum peccatum, vel damnum, Civilis ad satisfactionem pro damno, vel læsione, quam per delictum vel persona privata, vel ipsa Respublica passa est. Hinc duplex est Denuntiatio Civilis, una privata, altera publica. 167

Privata est, quâ denuntians proprium 168
suum interesse, sive damni privati reparationem, aut debiti satisfactionem intendit, ut fit, quando gravamen sibi illatum à Patre, Domino, Prælato Judici denuntiat filius, servus, Religiosus, ut ab ipso ex officio releventur; item quâ quivis alius à Judice satisfactionem petit ex pacto nudo, vel ex contractu, quo læsus est infra dimidium. Abb. *in 6. novit. 13. de Judic. n. 48. & 51.* Marant. *de Ordin. Judic. tit. de Denunt. n. 3.* Wagnereck *in c. 14. ¶. quando not. 1. h. tit.* Pirh. *hic n. 87.* Schambog. *n. 94.* Wiest. *n. 68.* Reiffenstuel *n. 84.* Denuntiatio hæc in foro Sæculari admittitur, etiam monitione non præmissa: in foro tamen Canonico hæc præmittenda est, si absque incommodo potest, & spes sit emendationis, tollendíque injusti gravaminis. Abb. *l. cit. n. 48.* Durand. *specul. tit. de Denunt. §. 2. n. 12.* Honor. *hic n. 71.* Pirhing *n. 91.* cum *citt.* & hoc colligitur ex *can. indignè 2. caus. 12. q. 2. c. novit. 13. de Jud.* & *c. siquis 2. h. tit.* Ratio est, quia Lex Charitatis docet, privata damna cum minimo, quo possunt, proximi damno esse tollenda.

Publica vindictam, & Reip. per cri 169
men læsæ satisfactionem spectat, ut Accusatio: ab hac tamen differt in eo, quòd ad Denuntiationem etiam publicam nulla opus

opus sit inscriptione *c. super his 16. h. tit.* & denuntians etiam privatus non subeat onus probandi, saltem ex recepta consuetudine, sed tantùm aperiendi indicia, quibus Judex ex officio moveri potest ad ulteriorem Inquisitionem. Laym. *l. 3. tr. 6. c. 3. n. 4.* Fieri potest Denuntiatio hæc vel à constitutis ad id publicis Ministris, vel etiam à privatis. Abb. *in c. 13. cit. n. 48.* Marant. *l. cit. n. 1.* Pirhing *hic n. 87.* Schambog. *n. 34.* Si à publicis Ministris ad id constitutis, ut ferè consuevit, denuntietur crimen, non est opus præmitti monitionem denuntiandi. Durand. §. *2. cit. n. 10.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 55. n. 2.* Wiestner *hic n. 69.* sed Judex Denuntiatione facta, & allatis aliquibus criminis indicijs, in denuntiatum inquirit ex officio, prout factum est *c. fin. h. tit.* Quando fit à privato aliquo, præmittenda est monitio, sicut Accusationi, siquidem crimen sit occultum, & emendatio sperari possit, ut cum *Sanchez, Palao*, & alijs notat P. Wiestner *n. 69. cit.* quod saltem verum est in foro Ecclesiastico; nam in foro Sæculari necessaria illa non est, cùm ex consuetudine, quæ est optima Juris interpres, constet, quòd nullus Judex denuntiantem judicialiter interroget de prævia monitione: quod tamen fieri deberet, si illa necessaria foret: imò finis hujus Denuntiationis contrarium suadet; nam eò tendit, non ut corrigatur reus, sed publicè puniatur. Reiffenstuel *hic n. 98.*

170 *Forma* Denuntiationis Civilis ferme coincidit cum forma Accusationis, in cujus locum successit. Hinc 1. debet esse scripta vel manu denuntiantis, vel Actuarij, aut Notarij Judicij, cui denuntians causam narrat, & in acta referendam dictat. 2. debet exprimi nomen denuntiantis, ne temere quis calumniari possit, & ut, si per calumniam denuntiârit aliquem, ad detectâ, ad expensas condemnari queat. 3. Exprimi debet nomen denuntiati, sive delinquentis proprium, vel alia signa æquipollentia, quæ illum demonstrent; quia talis demonstratio vice nominis fungitur *l. certum 6. ff. de reb. credit.* 4. Exprimi debet ipsum Delictum, quod denuntiatur, cum omnibus circumstantijs loci, ac temporis *arg. l. libellorum 3. ff. h. tit.* Videatur Clar. §. *fin. q. 7. n. 11.* Bost. *tr. crim. tit. de accus. n. 3.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 71. n. 2.* König *hic n. 109.*

Effectus Denuntiationis Civilis unus 178
Judicem, alter Denuntiantem spectat. *Judici* aperit viam ad Inquisitionem Specialem contra denuntiatum, quemadmodum Diffamatio, & Querela. Scaccia *c. 71. cit. n. 3.* Carpz. *pract. crim. p. 3. q. 108. n. 54.* König *hic n. 113.* quam Inquisitionem si Judex omittit, facit litem suam, & de Syndicatu tenetur. Brunnem. *Proceff. Inquis. c. 1. n. 10. & 11.* amittitque Jurisdictionem criminalem, seu merum imperium. Gaill. *l. 1. obs. 28. n. 1.* König *l. cit.* Reiffenstuel *n. 125. Denuntiantem* hæc Denuntiatio adstringit, ut testes nominet, probationes, quas habet, Judici suggerat, & ea, quæ de crimine novit, ostendat; non verò, ut absolutè probet. Reiffenstuel *n. 129.* Utrum verò testis esse possit in causa denuntiata, diffident inter se DD. Præferenda videtur Sententia distinguens inter causas leviores, vel in quibus agitur de peccato vitando, & inter graviores, præsertim capitales: in prioribus admitti pro teste Denuntians potest, non item in posterioribus, ob affectionem ad causam, quæ in prioribus non solet adeo esse magna, major in posterioribus, quòd Denuntians, si calumniatus fuerit, punitionem timere debeat. Videatur *Libr. 2. tit. 20. n. 65.*

§. IV.

De Inquisitionibus.

SUMMARIUM.

172. *Definitio Inquisitionis.*
173. *Ratio illam introducendi.*
174. *Divisio in Generalissimam,*
175. *Specialem,*
176. *Et mixtam.*
177. 178. *Alius Divisionis modus.*
179. *Tribus maximè modis fieri solet.*
180. 181. *Differentia inter hos modos.*
182. &c. *Differentia Inquisitionis ab Accusatione, & Denuntiatione.*
185. *Quis Inquisitionem facere possit?*
186. *De quo crimine?*
187. *Et contra quem?*
188. &c. *Quinam eximantur ab Inquisitione severa?*
191. &c. *An præcedere hæc debeat Inquisitionem Specialem?*
199. *Qualis ad hanc requiratur diffamatio?*
200. 201. *Maximè si inquirendus sit Prælatus Ecclesiasticus?*
202. &c. *Casus, quibus inquiri potest in delinquentem, infamiâ non laborantem?*
211. &c. *Alia requisita ad Inquisitionem Specialem?*
215. &c. *An, & quomodo constare de corpore delicti debeat?*
219. &c. *Quibus casibus tempus, & locus non debeat exprimi?*
221. &c. *Quid observandum sit in Examine, & Interrogatorijs Inquisitorialibus?*

224.

224. &c. *Quæ sit forma Inquisitionis severæ?*
230. &c. *An pendente Inquisitione, inquisitus accusari possit?*
232. *Effectus Inquisitionis Generalis.*
233. &c. *Et Specialis.*
235. &c. *Effectus Inquisitionis severæ.*
237. &c. *An crimen, delictum, & probatum per viam Inquisitionis, pœnâ ordinariâ puniri possit?*

172 QUæritur 1. quid sit *Inquisitio?* ℟. *Inquisitio generatim sumpta est criminis, vel criminosi per Judicem legitimè facta indagatio.* Ita Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 84.* Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 4. n. 1.* Gonzal. *in c. inquisitionis 21. h. tit. n. 8.* Vallens. *hic §. 4. n. 1.* Engl *n. 23.* Pirhing *n. 47.* König *n. 64.* Wiestner *n. 70.* Reiffenstuel *n. 149.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 61.* Hodie Processu Accusatorio Inquisitorius multo frequentior est, & adeo invaluit, ut quæ olim erat remedium extraordinarium, jam transierit in ordinarium. Farin. *prax. crim. q. 12. n. 1.* Passerin. *Trib. Regul. q. 8. art. 1. n. 1.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 60.*

173 Ratio illam introducendi justissima fuit, ne deficientibus, qui reos deferrent ad Judices, delicta maximo Reip. damno manerent impunita *c. qualiter 24. h. tit.* & *l. congruit 13. ff. de Offic. Præsid.* *Neque obstat*, quòd sine accusatore nemo sit condemnandus *can. de manifesta 17. §. sciendum, caus. 2. q. 1. c. un. pr. Ut Benef. Eccl. sin. dimin. conf. l. rescripto 6. §. siquis 2. ff. de muner. & honor.* in casu autem Inquisitionis institutæ nullus sit accusator, vel si aliquis est, ille sit ipse Judex contra Regulam sumptam ex *c. forus 10. de V. S.* ubi Judex, Actor, Reus, & testes referuntur, tanquam personæ in Judicio necessariò distinctæ. Dicendum enim, Accusatoris vicem eo casu supplere non Judicem, sed publicam infamiam, criminis indicia &c. juxta *c. qualiter cit.* ibi, *Non tanquam idem sit accusator, & Judex, sed quasi denuntiante famâ, vel deferente clamore, officij sui debitum exequatur*, ut DD. passim advertunt cum S. Thom. *2. 2. q. 67. art. 3. ad 2.*

174 Quæritur 2. quotuplex sit Inquisitio? ℟. Triplex est. Una *Simpliciter Generalis*, & propterea ab alijs *Generalissima* dicta, quâ Prælatus, vel Præses Provinciæ, aut alius Magistratus Sæcularis, ex mero officio, nullâ certâ personâ, & crimine expresso, investigat, an in Provincia Diœcesi, Civitate, vel Monasterio crimina quædam, vel excessus committantur, prout contingit in Visitationibus *c. perniciosam 1. de Offic. Ordin. c. sicut 25. h. tit. c. Romana 1. de Censib. in 6. l. congruit 13. ff. de Offic. Præsid.* Clar. §. *fin. p. 3. n. 1.* Fleck. *l. 6. Bibl. Jur. Civil. tit. 4. n. 4.* Passerin. *Trib. Regul. q. 8. art. 1. n. 3.* Fagnan. *in c. qualiter 24. h. tit. n. 41.* Gonzal. *in c. 21. eod. n. 10.* Wagnereck *in c. fin. V. ad inquirendum not. 1.* Honor. *hic n. 43. & 44.* Engl *n. 23. ℣. est autem*, Pirhing *n. 48.* König *n. 65.* Reiffenstuel *n. 150.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 66.*

Altera *Simpliciter Specialis*, quâ Judex 175 vel ex mero officio, vel ad alicujus offensi querelam, vel ad Officialis publici denuntiationem in certam personam de certo, & speciali Delicto, an istius rea illa sit, indagat juxta *l. ea quidem 7. C. h. tit.* Fleck. *l. cit. n. 4.* Passerin. *n. 3.* Gonzal. *n. 10.* Wagnereck *not. 1.* Honor. *n. 45.* Pirhing *n. 48.* König *n. 65.* Reiffenstuel *n. 151.* Schmier *n. 66.*

Tertia *Mixta*, sive partim generalis, 176 partim specialis, quâ vel nullo determinato crimine expresso, in certam personam, &, quæ crimina perpetrârit, quod rariùs; vel quod frequentiùs contingit, nullâ certâ personâ expressâ, in certi criminis v. g. homicidij, aut furti commissi authorem inquiritur. Sylv. *V. Inquisitio 1. n. 1.* cum *citt.*

Aliqui duas duntaxat Inquisitionis 177 Species agnoscunt, Generalem scilicet, & Specialem. *Generalem* dicunt illam, quâ alicujus Provinciæ, vel loci Status omnino generaliter, vel potiùs, quâ certi delicti author, nullâ personâ expressâ, inquiritur. *Specialem* verò, quâ investigatur de una, vel pluribus certis, ac determinatis personis, an delicti, quod commissum esse constat, reæ, vel participes sint.

Prior ad delinquentem investigandum, 178 *Posterior* ad eum condemnandum, & puniendum tendit: ad quod deveniri solet per duplicem viam, scilicet per Inquisitionem mansuetam, & per severam. *Mansueta*, seu *Mitior* peragitur per solas interrogationes, aut articulos, ad examinandum reum formatos. *Severa* est, in qua cruciatus corporis, & tormenta ad expressionem veritatis adhibentur; & aliàs simpliciter *Quæstio*, vel *Tortura* vocatur.

Quæritur 3. quot modis fieri soleat In- 179 quisitio Specialis? ℟. Fieri solet tribus maximè modis. 1. Ex mero officio Judicis, ut quando Judex inquirit contra aliquem sine accusatione, querela, aut denuntiatione alterius. 2. Ad Querelam alicujus, qui tamen non vult stare in Judicio, tanquam accusator, sed solùm exponit Querelam Judici, eáque propositâ Judex ex Officio suo ad testes, & informationes recipiendas procedit. 3. Ad Denuntiationem alicujus publici Officialis, ad denuntianda Delicta deputati, quâ propositâ, inquirere Judex ex Officio suo potest, etiam nulla præcedente infamia; nam per solam Denuntiationem excusatur à calumnia *l. ea quidem 7. C. h. tit.* Marant. *de Ordin. Judic. p. 6. tit. de Inquisit. n. 12.* Azor *p. 3. l. 18. c. 17. dub. 1.* Pirhing *hic n. 48.*

Dif-

Differunt modi isti inter se in plu-
180 bus, ut videre est apud Gloss. *in c. qualiter 24. ℣. ad inquirendum h. tit.* Abb. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 75.* nam

1. Quando ex Officio suo procedit Judex ad Inquisitionem Specialem, tunc recipit Juramentum ab ijs, contra quos facienda est Inquisitio: non item, quando procedit ad instantiam, seu petitionem alterius, ne instruat Adversarium; sed tunc ipse Adversarius probare debet, quæ denuntiavit.

2. Quando procedit ex officio, non tenetur recipere probationem super fama; satis enim est, quòd de ea sibi constet; sed de veritate inquiret, postquam ipsi constat de infamia, licèt inquisitus neget se infamatum: neque tenetur ipse Judex fidem facere de infamia; cui enim faceret, cùm ipse sit Judex? Contrà est, si procedat ad instantiam, & petitionem alterius; tunc enim tenetur probationes assumere, & fidem facere super infamia.

181 3. Si Judex procedit ad petitionem, vel querelam alterius, admittit probationes contrarias super bona fama: non item, quando procedit ex officio; quia non ita præsumitur contra Judicem, sicut contra partem *arg. c. in nostra 4. de Procurat. c. ad audientiam 13. de præscript.*

4. Quando proceditur ad instantiam, fit litis contestatio cum eo, qui petit Inquisitionem *c. cùm dilectis 15. de Purgat. Canon.* Secus est, quando proceditur ex officio; quia tunc non est, cum quo fiat litis contestatio: fit tamen quasi litis contestatio inter infamiam, quæ tenet locum accusatoris, ex una, & responsionem inquisiti ex altera parte.

5. Quando proceditur ex officio, possunt recipi testes etiam post publicatas attestationes; cùm enim dicta testium semper sint nota Judici, cessat tunc timor subornationis eorum: secus est, quando proceditur ad petitionem partis.

182 Quæritur 4. quomodo Judicium Inquisitionis differat ab alijs Judicijs, scilicet Accusationis, & Denuntiationis? ℟. Differt in pluribus, ut videre est apud Durand. *Specul. l. 3. part. 1. tit. de Inquisit. §. 1. n. 33.* Pirhing *hic n. 76.* nam

1. In Inquisitione fama habetur loco accusatoris *c. qualiter 24. h. tit.* & *c. licèt Heli 31. de Simon.* in alijs autem Judicijs nullus sine accusatore, vel denuntiatore damnatur *can. relatum 3. caus. 5. q. 2.* & *c. un. ut Benef. Eccl. sin. dimin. confer.*

2. In causa Inquisitionis testes recipiuntur, etiam lite non contestata: quod non fit in alijs regulariter *c. quoniam 5. §. sunt & alij, ut lit. non contest.*

183 3. In Judicio Inquisitionis recipiuntur testes minùs idonei, cùm fit Inquisitio tam in capite, quàm in membris, vel super statu Ecclesiæ; admittuntur enim qualescunque testes ex ipsa Ecclesia, quòd ipsi meliùs nôsse censeantur veritatem, ut notat Durand. *l. cit. n. 21.* quod non fit in alijs causis *c. ex parte 7. de testib. & Attest.*

4. Inquisitio fit de criminibus manifestis per famam *c. qualiter 24. h. tit.* alia verò Judicia instituuntur etiam super occultis, dummodo probari possint *can. plerumque 27. caus. 2. q. 7.*

5. In Judicio Inquisitionis proceditur quandoque ad remotionem inquisiti, dum negotium agitur *can. fin. caus. 3. q. 2.* probata tamen priùs suspicione dilapidationis *c. licèt 31. ℣. quia verò, & c. per tuas 32. de Simon.* in alijs non item *can. volumus 2. caus. 16. q. 4. c. de Quod vult deo 1. de Judic.*

6. In Inquisitionis Judicio, si crimen 184
sit grave, Prælatus convictus removetur ab administratione *c. qualiter cit.* ibi, *Quatenus, si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab Ordine, ab administratione tamen removeatur omnino.* In Judicio accusationis deponitur *c. super his 16. c. inquisitionis 21. h. tit.* In Denuntiatione verò Judex non debet imponere pœnam ordinariam, sed pœnitentiam, & ad illam compellere. Abb. *in c. qualiter cit. n. 10. not. 14.*

7. Accusatio, Inquisitio, & Denuntiatio tendunt ad diversos fines, & effectus; nam Inquisitio fit ad investigandam & reperiendam veritatem, Accusatio ad puniendum delictum, Denuntiatio ad emendandum delinquentem, ut ait S. Thom. *2. 2. q. 67. art. 3. ad 2. cum alijs.*

8. Accusator debet se inscribere ad pœnam talionis, si non probaverit, subeundam; in Denuntiatione verò debet præcedere Charitativa monitio: neutrum requiritur in Inquisitione, etiamsi fiat ad petitionem, vel Denuntiationem alterius. Gloss. *in c. qualiter cit. V. ad inquirendum. ℣. & cùm proceditur*, Joan. Andr. *ibid. n. 37.* Fagnan. *n. 82. & 83.* Pirhing *hic n. 77.*

Quæritur 5. quis Inquisitionem facere 185
possit, de quo crimine, & contra quem? ℟. Inquisitionem facere potest Judex loci, in quo Delictum commissum est, aut delinquens reperitur, si Judex ille Jurisdictionem criminalem in simili Delicto habet: distinguere enim oportet inter crimina; nam de criminibus capitalibus, & ijs, quæ mutilationem corporis, aut fustigationem infligunt, inquirere solùm illi possunt, qui habent Jurisdictionem altam: contrà de illis, quæ solùm mulctâ pecuniariâ, & carcere coërceri solent, inquirere valent etiam, qui bassam duntaxat Jurisdictionem habent: pro qua re cujusque loci consuetudines, & Jura oportet attendere. Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 4. n. 8.* Potest etiam hodie Jurisdictio criminalis delegari, quod de Jure Civili non potuit: sed delegatio hæc rarissimè, & restrictè accidit, ut notat idem Fleck. *n. 7.*

186 Inquiri potest de omni crimine. Salycet. *in l. ea quidem 7. C. de accus.* Heig. *p. 1. q. 39. n. 7. & seq.* Fleck. *l. cit. n. 9.* modò sit crimen magnum, & scandalosum, per quod Reip. tranquillitas turbetur *arg. c. inquisitionis 21. h. tit.* & *l. levia 6. ff. eod.* cujusmodi scandalosa, & atrocia sunt ea, quæ ad altam Jurisdictionem pertinent, & ultimum supplicium, aut etiam fustigationem, vel mutilationem corporis merentur. De levioribus Delictis, quorum pœna solùm est dehortatoria; pecuniaria, seu carceris, & quæ regulariter ad bassam Jurisdictionem pertinent, Magistratus non tenetur inquirere, & præstat sæpiùs dissimulare ejusmodi delicta, quàm in ea inquirere, nisi Inquisitio necessaria apparuerit. Fleck. *n. 9. cit.*

187 Inquirere autem Judex tantùm potest in eum, qui eidem ratione causæ, domicilij, vel loci delicti subjectus est, nec specialiter ab accusatione privilegiatus; cùm enim Inquisitio in locum Accusationis successerit, consequens est, eum, qui liber est ab Accusatione, etiam ab Inquisitione liberum esse. König *hic n. 69.* Hinc quia personæ Ecclesiasticæ coram Judice Sæculari accusari nequeunt, ideo hic in eorum Delicta non potest inquirere: & vicissim quia Magistratus Ecclesiastici recipere non possunt accusationem personæ Laicæ circa crimen fori merè Laicalis, ideo neque inquirere possunt de tali crimine in personam Laicam, nisi simul Jurisdictionem sæcularem habeant, qualem plerique Germaniæ Episcopi habent, cùm simul sint Principes Imperij.

188 Qui ab Inquisitione severa, seu Tortura eximuntur, reduci possunt ad duo capita; nam vel eximuntur ob defectum animi, aut corporis, vel ob conditionem, & statum. Ob defectum animi, aut corporis eximuntur 1. Impuberes *l. de minore 10. pr. ff. de Quæst.* & *l. cùm aliter 1. §. impuberi 33. ff. de S. C. Silan.* 2. Furiosi *l. siquis 3. §. furiosi 11. ff. eod.* 3. Muti, & surdi simul, tam ex natura, quàm ex accidenti tales, si litteras ignorent *l. siquis cit. §. surdus 8.* & *§. mutum 10.* 4. Senes, & decrepiti *l. siquis cit. §. ignoscitur. 7.* 5. Valetudinarij, qui versantur in periculo vitæ *arg. l. quæstionis 7. ff. de Quæst.* 6. Mulieres prægnantes *l. prægnantis 3. ff. de Pœnis.*

189 Ob conditionem, & statum eximuntur 1. Magistratus majores *l. Divo Marco 11. C. de quæstion.* & *l. severam 10. C. de Dignit.* 2. Milites *l. milites 8. pr. C. de quæstion.* 3. Nobiles, utpote qui plebejorum, quibus tormenta videntur esse præstituta, turbâ exempti sunt *l. un. C. de Equestr. Dignit.* 4. Doctores, qui non tantùm privilegia militum participant *arg. l. Advocati 14. C. de Advoc. diversi. Judicior.* sed etiam reipsa sunt nobiles *arg. l. excusantur 2. §. fin. l. diximus 4. fin. ff. de Excusat.*

Excipitur crimen læsæ Majestatis, 190
Hæresis, Simoniæ, Proditionis, & similia valde enormia, in quibus nec status, nec conditio tribuit immunitatem à tortura: de quibus Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 117. n. 87. & seqq.*

Quæritur 6. an Inquisitionem præ- 191
cedere debeat Infamia? Et, 1. *quidem dubitatur*, utrum Infamia debeat præcedere *Inquisitionem Generalem?* *Certum est*, non debere præcedere Infamiam cujusquam certæ personæ; nam etiam sine hac inquiri generaliter in Delicti authorem potest. Clar. *§. fin. q. 6. n. 1.* Marant. *de Ord. Judic. p. 6. tit. de Inquisit. n. 29.* Less. *l. 2. de Just. c. 29. n. 108.* Gonzal. *in c. 21. h. tit. n. 10.* Wagnereck *in c. fin. eod. ℣. ad inquirendum not. 3.* Vallens. *hic §. 4. n. 6.* Zœs. *n. 6.* Honor. *n. 43.* Pirhing *n. 50.* König *n. 74.* Wiestner *n. 74.* Reiffenstuel *n. 158.* & communi consensu DD. cæteri. *Ratio est*, quia per Inquisitionem generalem solùm inquiritur, an qui notitiam criminis habent, authorem illius sciant; & si hunc ignorant, an non aliquis de illo sit diffamatus: in qua Inquisitione, cùm nulla exprimatur certa persona, nulli fit ulla injuria.

Difficultas solùm in eo est, an Ge- 192
neralis hæc Inquisitio prorsus nullam, etiam delicti infamiam prærequirat? Distinguunt aliqui inter Inquisitionem Generalem Generalissimam, & inter Generalem secundùm quid, seu Mixtam. Ad Generalem generalissimam concedunt, nullam etiam delicti infamiam prærequiri; putant autem prærequiri ad Mixtam, seu Generalem respectu solarum personarum. Sed immeritò, cùm in ijs textibus, quos allegant, solùm sermo sit de Inquisitione speciali.

Et hinc Passerinus *Trib. Regul. q. 8. n.* 193
14. & 38. Fagnan. *in c. qualiter 24. h. tit. n. 57.* Honor. *hic n. 45.* Pirhing *n. 54.* König *n. 74.* Reiffenstuel *n. 164.* cum communi advertunt, etiam ad Inquisitionem mixtam, quâ, nullâ certâ personâ expressâ, investigatur, quis criminis reus sit, delicti diffamationem non exigi, sed sufficere verisimilem, seu rationabilem ejus suspicionem. *Ratio est*, quia nuspiam in Jure statutum est, quòd non possit inquiri de delicto non famoso, sed solùm prohibetur, ne fiat Inquisitio specialis contra delinquentem non famosum: & ideo ubi Superior habet qualemcunque verisimilem suspicionem, quòd aliquod delictum fuerit commissum, potest inquirere, an hoc verum sit, & ex consequenti potest inquirere generaliter, ut inveniat delinquentem.

Quòd verò ad Generalem Genera- 194
lissimam Inquisitionem fama Delicti non requiratur, patet 1. ex *Trid.* quod *sess. 7. c. 8.* & *sess. 21. c. 8. reform.* Episcopos ad visitationem annuam suarum Diœcesium, & faciendam in his Inquisitionem generalem

lem obligat, quamvis nulla præcesserit fama de commissis in Diœcesi à Clero, vel populo certis Delictis. 2. *ex praxi* Regularium Prælatorum, qui Monasteria, & Conventus Regiliosorum sibi subjectorum statis temporibus visitant, quamvis nulla tam delictorum, quàm delinquentium diffamatio, vel etiam suspicio præcesserit. 3. *ex ratione*; quia per talem Inquisitionem nulli fit injuria, cùm de nemine in particulari fiat Inquisitio.

195 In neutro tamen casu, sive cùm sit Inquisitio Generalissima, sive cùm Generalis respectu solarum personarum, tenentur subditi manifestare authorem criminis occultum, nisi de eo publica infamia, vel alia sufficientia indicia præcedant. Et hoc verum est, etiamsi Judex sub Juramento interroget generatim, quis delictum commiserit, ut notat Less. *l. 2. de Just. c. 29. n. 109. & 118.* Pirhing *hic n. 54. fin.* Ratio est, quia Judex non habet jus inquirendi de reis occultis, & cons. non potest obligare subditos, ut eos manifestent, sed solum eos, qui infamiâ aliquâ laborant. Multo minùs reus occultus, interrogatus à Judice, tenetur seipsum prodere. Less. *l. cit. n. 117.* *Excipitur*, si crimen adhuc esset patrandum, vel continuandum, aut si ex eo grave damnum alicui immineret, quod alio modo commodè declinari non posset; hoc enim casu subditus interrogatus à Judice, deberet patefacere authorem, etsi omnino occultum, & nullâ laborantem infamiâ, ut sic Judex opportuna possit adhibere remedia ad damnum ejusmodi præcavendum. Less. *n. 119.*

196 Dub. 2. an publica infamia præcedere debeat Inquisitionem specialem, quâ inquiritur in certam personam, an criminis perpetrati rea sit? R. regulariter debet præcedere Infamia. Ita Clar. *§ fin. q 6. n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 29. n. 121.* Farin. *prax. crim. q. 9. n. 1* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 59. n. 8. & 14.* Barbos. *in c. 19. h. tit. n. 1. & 3.* Fagnan. *in c. qualiter 24. n. 59.* Gonzal. *in c. 21 n. 10.* Passerin. *in c. 1. tit. eod. in 6. n. 8.* & *Trib. Regul. q. 8. art. 2. n. 8.* Canis. *Sum. l. 4. tit. 19. §. 13.* Vallens. *hic §. 4. n. 2. &* 3. Honor. *n. 46.* Engl *n. 24.* Pirhing *n. 56.* Schambog. *n. 29.* König *n. 75.* Reiffenstuel *n. 173.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. 6. 4. n. 81.* & patet ex *c. cùm oporteat 19. c. inquisitionis 21. §. tertiæ, c. qualiter 24. h. tit. c. si is 2. eod. in 6. c. licèt Heli 31. de Simon.* *Ratio est.* quia Judex ad criminum punitionem non debet procedere, nisi ex scientia publica. talis autem de crimine non habetur, quod nec publica diffamatione, aut huic æquivalente alia insinuatione in Judicium deductum est. ergo &c. *Cons.* quia meritò quisque queri potest sibi fieri injuriam, si in vitam ejus Juridicè inquireretur, cujus fama alioquin est integra; nam per talem Inquisitionem redditur suspectus, & jacturam famæ, atque existimationis suæ patitur, quod sine gravi causa non licet.

Estque hoc adeo verum, ut non suf- 197
ficiat quoque ad Inquisitionem specialem instituendam, quòd duo, vel plures etiam juratò affirment, aliquem crimen aliquod se videntibus commisisse, de quo non laboret infamiâ aliquâ, & clamosa insinuatio non præcessit *c. inquisitionis cit. §. tertiæ.* quia aliàs adhuc occulta res est, & minimè per publicam Inquisitionem prodenda: Hinc necesse erit, ut rumor de tali homine, & commisso ab ipso crimine sparsus sit per majorem partem viciniæ, Collegij, vel Universitatis, in qua inquirendus moratur. Less. *c. 29. cit. n. 123.* Vallens. *hic § 4. n. 5. ℣. quod adeo.* *Excipitur* crimen læsæ Majestatis Divinæ, aut humanæ, monetæ falsitæ, latrocinij &c. in quibus etiam ex sola confessione Socij in Socium inquiritur *l. Divus 6. ff de custod. & exhib. reor. l. quisquis 5. C. ad. Leg. Jul. Majest. l. quoniam 1. C. de fals. monet.* Vallens. *l. cit. ℣. Excipitur.*

Extra hæc crimina, si Inquisitio spe- 198
cialis de crimine in certam personam, non præcedente aliquâ criminis infamiâ, vel alijs indicijs instituatur, Processus, sic à Judice institutus, est nullus *c. inquisitionis §. tertiæ, & c. qualiter citt.* & notant *ibi* DD. & ita quidem, ut neque per subsecutam delicti plenam probationem, ipsámque criminis confessionem convalescat, ut de eo inquisitus condemnari, & puniri possit. Durand. *speccul. tit. de Inquisit. §. 4. n. 6.* Farin. *q. 9. n. 8. & seqq.* Barbos. *in c. qualiter cit. n. 5.* Wagnereck *ibid. V. ad inquirendum not. 2. ℣. 3.* Pirhing *hic n. 58. not. 6.* Schambog. *n. 29.* Wiestner *n. 78.* Reiffenstuel *n. 198.* *Excipitur*, nisi iste in Inquisitione esset præsens, & cùm opponere posset, se de crimine diffamatum non esse, taceret; hoc enim casu juri suo renuntiâsse, & Processum contra se formatum approbâsse censeretur, neque eum postea impugnare posset *c. fin. h. tit. in 6.* Clar. *§ fin. q. 6. n. 9.* Farin. *q. 9. cit. n. 12.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 84. n. 18.* Canis. *Summ. l. 4. tit. 19. §. 13.* Passerin. *in c. fin. cit. n. 6.* Vallens. *hic §. 4. n. 5. ℣. hinc etiam*, Zoes. *n. 6.* Pirhing *n. 62.* cum alijs *suprà.*

Dub. 3. qualis requiratur diffamatio 199
ad Inquisitionem Specialem? R. non sufficit quævis, sed debet esse talis, ut 1. originem habeat non à malevolis, vel maleticis, sed honestis, & fide dignis personis. 2. ut ad aures ipsius Superioris pervenerit. Et quidem 3. ut sæpius illuc pervenerit. Ita clarè desumitur exc. *qualiter 24. h. tit.* Ratio est, quia aliàs, si ex qualibet fama contra aliquem inquiri posset, nullus quantumvis honestus vir unquam securus esset à Speciali Inquisitione, & inde sequentibus præjudicijs,

cùm ex una parte vix ullus esset, contra quem malevoli, & improbi non malè loquantur, ex altera verò parte dictum unius facilè sequatur multitudo *c. cùm in juventute 12. de Purg. Canon.* Fagnan. *in c. qualiter cit. n. 9.* Barbos. *ibid. n. 7. & seqq.* Wagnereck *V. sed à providis not. 1.* Passerin. *in c. 1. eod. in 6. n. 2.* & præcipuè *à n. 24.* Reiffenstuel *hic n. 191.*

200 Quod multò magis observandum est, cùm Inquisitio Specialis instituenda est contra Prælatum Ecclesiasticum; in hoc enim multo magis requiritur præcedens infamia, quòd status ejus sublimior sit. Hinc, ut adversùs ipsum Inquisitio Specialis institui possit, necesse est, ut infamia sit clamorosa. Discrimen tamen faciendum est aliquod inter Prælatum Regularem, & Sæcularem; nam ut speciali Inquisitione contra Prælatum Sæcularem procedi possit, diffamatio non solùm clamorosa, sed talis esse debet, ut sine gravi scandalo dissimulari, & sine periculo tolerari nequeat *c. qualiter cit. §. sed cùm super.* Ut verò procedi possit adversùs Prælatum Regularem, sufficit, si clamorosa sit, etsi dissimulatio, & tolerantia ejus scandalum grave, & periculum non afferret. Abb. *in c. qualiter cit. n. 9.* Sylv. *V. Inquisitio 1. n. 10. pr.* Honor. *hic n. 47.* Pirhing *n. 60. not. 11.* Wiestner *n. 68.*

201 Est etiam aliùd triplex discrimen inter Inquisitionem specialem, quæ instituitur contra Prælatum Sæcularem, & inter eam, quæ instituitur contra Prælatos, & subditos Regulares, ut colligitur ex *c. qualiter cit. 1. §. fin.* Nam 1. in hac posteriore Ordo Juris non est observandus usquequaque, & ad unguem: intellige, quoad subtilitatem, & solennitatem Judicij; nam hæ in causis Regularium remittuntur: secus quoad veritatis probationem; ista enim nequaquam est omittenda. Joann. Andr. *in c. cit. n. 31. Host. ibid. fin. V. usquequaque*, Pirhing *hic n. 78. arg. Clem. 2. de V. S.* 2. Prælati Regulares facilius, & liberius removeri ab administratione possunt, quàm Prælati Sæculares; nam ad hos removendos sufficiunt etiam leviores causæ, & probationes. Host. *l. cit. V. facilius*: imò Priores Claustrales, & Officiales minores ab Officijs suis, & administrationibus removeri possunt ad libitum Abbatis, etiam sine ulla causa, & nullo Juris ordine servato, ut notatur *in c. ad Monasterium 6. §. tales, de Stat. Monach.* & notat Fagnan. *in c. qualiter cit.* 3. contra Regulares, non reperiuntur tot Exceptiones, sicut contra Sæculares, & in ipsis Exceptionibus non est necessarium ita exactè servare formam, seu ordinem procedendi. Host. *l. cit. V. liberius.*

202 Dub. 4. quibus casibus speciali Inquisitioni locus sit adversùs delinquentem criminis infamiâ non laborantem? Ꝛ. plures ejusmodi casus à DD. passim enumerari. Et quidem

1. Si adversùs delinquentem adsint indicia criminis valde propinqua: qualia juxta Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 4. n. 6.* sunt, si quis propositum habuit delinquendi, aut minas fecit, ex quibus secutum est crimen, si conversatus est cum ipsis delinquentibus, aut similis farinæ hominibus, si inventus in loco, ubi delictum commissum fuit, si apud ipsum inventa res furtiva, si fugit ob metum inquisitionis &c. quia hæc succedunt loco diffamationis. Marant. *de Ord. Jud. p. 6. tit. de Inquisit. n. 22.* Boss. *tit. de Inquisit. n. 8.* Farin. *prax. crim. q. 9. n. 28.* Guazzin. *Reor. Defens. 9. c. 1. n. 14.* Passerin. *Trib. Reg. q. 8. art. 5. n. 18. & in c. 1. h. tit. in 6. n. 37.* Pirhing *hic n. 61.* König *n. 76.* Wiestner *n. 79.* Reiffenstuel *n. 185.*

2. Quando crimen, de quo inquiritur, cum crimine, de quo convictus, vel diffamatus quis est, connexum est, vel plerumque esse conjunctum solet: & sic in eum, qui convictus est de adulterina consuetudine cum conjugata, inquiri potest de cæde mariti reperti in camera adulteræ, in infamatum de homicidio, de spoliatione cadaveris occisi &c. Innoc. *in c. qualiter 17. h. tit. n. 3.* Abb. *ibid. n. 7.* Sanch. *Cons. l. 6. c. 3. dub. 21.* Wiestner *hic n. 80.* Reiffenstuel *ibid. n. 186.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 93.* 203 Aliud est, quando crimen, de quo inquirere vult Judex, non est connexum; nam nisi etiam de hoc diffamatus sit, inquirere de illo Judex in delinquentem, de alio convictum, sine alijs adminiculis nequit, ut rectè Sot. *l. 5. de Just. q. 6. art. 2. ¥. enascitur*; Sanch. *dub. 21. cit. n. 2. in fin.* Wiestner *n. 96.* Schmier *n. 91. & 92.* Ratio est, quia licèt infamatus de uno crimine jam amiserit famam, & existimationem suam, non tamen amisit totaliter, sed partialiter, remanente adhuc jure ad famam quoad alia crimina; nam utique in communi hominum æstimatione majus dispendium patitur existimationis ille, qui plura, quàm qui unum, Delicta commisit. Alia ratio est in criminibus connexis; in his enim ipsa connexio ex uno suspicionem trahit ad alterum.

3. Quando Judex procedit ad denun-204 tiationem Officialis publici *l. ea quidem 7. C. h. tit.* vel per Inquisitionem Generalem venit in alicujus Rei notitiam; quia Generalis est præparatoria ad Specialem. Marant. *l. cit. n. 24.* Less. *l. 2. de Just. c. 29. n. 125.* Farin. *q. 9. cit. n. 11. & 19.* Fagn. *in c. qualiter 24. n. 66.* Barb. *ibid. n. 16.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 30. & 52.* Wiestner *hic n. 81.* Reiffenstuel *n. 176.* *Neque refert*, quòd testis fortè peccaverit revelando, eò quòd delinquens nullâ laboravit infamiâ; quia, ut rectè notat Less. *l. cit.* ex quo crimen deductum est in publicam Judicis notitiam, sive bene, sive ma-

malè, ille tenetur contra illud procedere per particularem Inquisitionem, & illud punire. *Conf.* quia si privatus quispiam extorsisset crimen alterius per injuriam, & deduceret illud in Judicium, Judex deberet contra illum procedere, ut facilè fatentur omnes. ergo etiam procedere debebit, dum per injuriam in Judicio detegitur à privato.

885 4. Quando Judici denuntiatur etiam à privato, sed probo, & fide digno viro: quod tamen intellige, ut hoc casu Judex inquirere possit super infamia, ita denuntiati; nam ad inquirendum super crimine non est sufficiens talis denuntiatio; unde hoc casu, non nisi repertâ infamiâ, pergere valet ad inquirendum super crimine, Abb. *in c. licèt 14. h. tit. n. 4. not. ult.* Felin. *ibid. n. 3.* Farin. *q. 9. cit. n. 17.* Passerin. *n. 30. cit.* Pirhing *n. 61.* Wiestner *n. 82.* Reiffenstuel *n. 177. & seqq.*

886 5. Si Papa, vel Princeps alicui proprio motu, & non ad postulationem partis committat inquisitionem super crimine alicujus., dummodo Princeps non simpliciter narret, reum jam esse diffamatum, sed asserat sibi de Delicto ex ejus fama, & certâ scientiâ constare. Marant. *n. 25.* Farin. *n. 13.* Pirhing *n. 63.* quia sicut Princeps potest inquirere, non præcedente diffamatione Rei, ita & potent Delegatus ab illo per mandatum, Motu proprio emanatum.

887 6. Si Judex ad Inquisitionem specialem de crimine processit, præsente inquisito, & non contradicente, nec reclamante; quia tunc valet processus, etiamsi non probetur infamia, nec potest ulteriùs opponi contra Processum, ut dictum est *suprà n. 198.* & notant Marant. *n. 27.* Clar. §. *fin. q. 6. n. 9.* Farin. *n. 12.* Pirhing *n. 62.* Ratio est, quia, quod infamia præcedere Inquisitionem debeat, est introductum principaliter in favorem ipsius Rei, qui tacendo censetur renuntiare huic suo Juri, ideòque sibi imputare debet, quòd passus sit inquiri super veritate criminis, priusquam constaret de infamia. Idem dicendum, quando reus contumaciter abest; quia habetur pro præsente. Pirhing *n. 63. not. 2.*

888 7. In criminibus læsæ Majestatis, Hæresis, Apostasiæ, & alijs enormibus, atque in Reip. gtave damnum tendentibus delictis; nam in his ad Inquisitionem specialem instituendam sufficit non levis suspicio. Farin. *q. 9. cit. n. 14. & 15.* Leff. *l. 2. de Just. c. 29. n. 128.* Scaccia *de Judic. l. 1. c. 84. n. 19.* Passerin. *Trib. Reg. q. 8. art. 6. n. 23. & in c. 1. h. tit. in 6. n. 47. & 48.* Barbos. *in c. qualiter cit. n. 12.* Pirhing *hic n. 64. v. 5.* Wiestner *n. 82.* Reiffenstuel *n. 189.*

889 8. Quando Inquisitio non tendit ad publicam punitionem, sed ad solam correctionem delinquentis; aut damni evitationem, ut cùm inquiritur in vitam, & mores personæ evehendæ ad Prælaturam, Parochiam, Ordines &c. ne promoveatur indignus. Abb. *in c. qualiter 24. n. 11.* Sylv. *V. Inquisitio 1. n. 10. v. tertium*, Durand. *tit. de Inquisit. §. 3. n. 41.* Marant. *tit. de Inquis. n. 32.* Passerin. *in c. 1. cit. n. 6.* Wiestner *hic n. 84.* Reiffenstuel *n. 175.*

890 9. Quando Delictum directè tendit in præjudicium tertij privati, & multo magis Reip. Innoc. *in c. licèt 31. de Simon. n. 1.* Sanch. *Conf. l. 6. dub. 19. n. 15.* Wiestner *hic n. 85.*

891 10. Quando Inquisitio Specialis instituitur adversùs Religiosum; cum distinctione tamen, si intendatur sola Religiosi correctio, non verò pœna illius, saltem gravis, v. g. Depositio, incarceratio, ejectio &c. Wiestner *n. 86. & 87.* cum alijs *supra.*

892 Quæritur 7. quænam alia præter Infamiam, aut huic æquivalentia indicia requirantur ad Inquisitionem Specialem? R. 1. ut fiat à Judice competente *arg. Rubr. & textuum C. si à non compet. Jud.* Sylv. *V. Inquisitio 1. q. 1. dict. 2.* Marant. *de Ordin. Judic. p. 6. tit. de Inquis. n. 102* Farin. *prax. crim. q. 9. n. 53.* Haun. *tom. 6. de J. & Jr. tr. 3. n. 91* Wagnereck *in c. fin.* V. *ad inquirendum not. 5. h. tit.* Pirhing *hic n. 49.* Wiestner *ibid. n. 88.* Unde quæ à Judice Sæculari formatur contra personas Ecclesiasticas, ipso Jure nulla est. Imò nec omnis Judex competens inquirere criminaliter potest, sed ille tantùm, qui merum imperium habet: & propterea Judices Civiles, qui causæ criminalis cognitionem non habent, & qui nec corrigere, nec punire possunt, etiam non habent potestatem inquirendi. Sylv. *dict. 2. cit.* Farin. *n. 56.* Pirhing *n. 49.* König *n. 68.* *Excipitur*, si causa criminalis incidat in causam Civilem, agitatam coram Judice Civili; nam hoc casu iste etiam cognoscere, & inquirere poterit de causa criminali incidente, si tamen illa sit connexa cum causa civili, & quidem ita, ut hæc sine illa definiri non possit, ut, si testis falsum deponat coram Judice Civili. Farin. *n. 57.*

893 2. Ut priùs de Corpore Delicti, seu quòd commissum Delictum sit, constet *l. cùm aliter 1. §. item illud 24. & l. necessarios 5. §. non aliàs 2. ff. de S. C. Silan.* Et procedit hoc etiam casu, quo reus ejusmodi Delictum à se commissum fatetur; nihilominus enim condemnari; vel torqueri propterea nequit, antequam Judex miserit in locum, in quo Delictum commissum dicitur, & ibi inquisiverit, an commissum sit, & sic habeatur notitia de illo commisso. Clar. §. *fin. q. 4. n. 1.* Marant. *l. cit. n. 18.* Farin. *q. 2. n. 7.* Boss. *tr. crim. tit. de Accus. n. 31.* Guazzin. *teor. Defens. 4. c. 1. n. 1.* Brunneman. *in l. cùm aliter cit. n. 4.* Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 108.* Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit 4. n. 13. & 14.*

Passerin. *Trib. Regul. q. 8. n. 70.* Wagnerek *in c. fin. V. ad inquirendum not. 5. h. tit.* Valens. *hic* §. *4. n. 2.* König *n. 73.* Wiestner *n. 89.* Reiffenstuel *n. 201.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 77.* quia non est in arbitrio hominis de sua vita disponere, sicut in causa civili, ubi quoad temporalia bona seipsum quis potest ex sua confessione condemnare *arg. l. liber homo 13. ff. ad. Leg. Aquil.*

213 3. Ut Inquisitio contineat Delicti circumstantias, præsertim loci, ac temporis, scilicet anni, & mensis. Clar. *q. 31. n. 11.* Farin *q. 1. n. 11. & 12.* Haun. *tr. 3. n. 90.* Wagnereck *not. 5.* König *n. 77.* Wiestner *n. 90.* Reiffenstuel *n. 210. arg. l. libellorum 3. ff. h. tit.* & meritò, ut sic inquisito facilior reddatur sui defensio.

4. Ut is, contra quem Judex de Delicto aliquo vult inquirere, de eo non sit absolutus, neque ab eo actioni criminali præscriptum. Haun. *n. 90. cit. in fin.* & *n. 91.* Wagnereck *not. 5. cit.* Wiestner *n. 94.* cum Farin. *n. 60.*

5. Ut idem sit præsens, aut saltem citatus, & per contumaciam absens. Clar. *q. 11. n. 2.* Farin. *q. 1. n. 69.* Haun. *n. 92.* Wagnereck *not. 5.* Wiestner *n. 95.* Reiffenstuel *n. 207.* qui tamen addunt, Curiarum praxi istud non observari.

214 6. Ut eidem Inquisito ostendantur capitula, seu puncta Inquisitionis, & nomina testium, ut sic Exceptiones suas formare contra dicta, & personas testium possit *c. cùm oporteat 19. c. inquisitionis 21. c. qualiter 24. fin. h. tit.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 79.* Engl *hic n. 25.* König *n. 77.* Reiffenstuel *n. 208.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 86.* *Excipitur*, si timeatur, ne si nomina, & dicta testium publicentur, ijs grave periculum immineat, & consequenter, ne propter hoc ipsum testes se subtrahant, aut veritatem in Examine metu mali imminentis dissimulent *arg. c. fin. de Hæret. in 6.* & *ibi* Barbos. *n. 7.* Reiffenstuel *n. 209.* König *n. 79.* qui ex *Claro* addit, quandoque hoc medium observari, ut testium nomina quidem publicentur, sed in confuso, ita, ut nesciat reus, quisnam hoc, vel illud deposuerit.

215 Dub. 1. quomodo Judici, per viam Inquisitionis specialis procedenti, de Corpore Delicti constare debeat? R. discrimen statuendum est inter Delicta; nam aliqua sunt *facti permanentis*, & post se vestigia relinquunt, ut homicidium. furtum commissum cum effractione, incendium, falsatio monetæ &c. alia verò sunt *facti transeuntis*, & vestigia post se non relinquentis, ut blasphemia, Magia, injuria verbalis &c.

216 De *prioris generis* Delictis constare Judici regulariter debet liquidè, & certò, puta, per ocularem inspectionem cadaveris occisi, effractæ cistæ, ædium exustarum, falsæ monetæ &c. De *posterioris generis* autem sufficit constare per conjecturas, & præsumptiones; quia in ipsis Delicti corpus certò investigari non potest. Clar. §. *fin. q. 4. n. 3. & 4.* Farin. *q. 2. n. 4. & 13.* Guazzin. *reor. defens. 4. c. 2. n. 13.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 52.* Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 108.* Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 4. n. 14.* Wiestner *hic n. 89.* Reiffenstuel *ibid. n. 203.*

Dixi, *regulariter constare Judici debere per ocularem inspectionem &c.* intelige, nisi Delictum occultum sit, & corpus Delicti propterea non facilè manifestabile, prout fit, quando Cajus dicitur occidisse Mævium, & ejus cadaver projecisse in aquas; nam hoc casu etiam Delicta facti permanentis pro Delictis facti transeuntis habentur, ut proin sufficiat de eo constare per conjecturas, & præsumptiones in ordine ad faciendam super eo inquisitionem specialem. Fleck. *l. cit. n. 15.* 217

Porro si de corpore Delicti, puta, homicidij quidem constat, dubitatur autem, an dolo, an verò casu, aut facto proprio illud contigerit, dubium hoc resolvi, & qualitas Delicti cognosci debet ex ipsius cadaveris inspectione, si hoc extet, per Judicem, & Medicos, Chirurgos, aliòsque peritos facta, item ex circumstantijs, aliisque indicijs delicti. Farin. *prax. q. 122. n. 62.* in quem finem quandoque cadaver effoditur. Carpzov. *pract. crim. p. 1. q. 16. n. 8.* 218

Dub. 2. quibus casibus Inquisitio, & eâ receptæ testium depositiones sine mensis, vel etiam anni, ac determinati loci expressione sustineantur? R. tres maximè casus refert P. Wiestner *hic n. 91. & duob. seqq.* 219

1. Si alicubi Statuto introductum, vel praxi Tribunalium receptum est, ut adversùs certi generis delinquentes, v. g. Usurarios, aut concubinarios diffamatos, aut graviter suspectos summariè, & solâ veritate facti inspectâ, procedi soleat. Menoch. *vol. 1. cons. 100. n. 93.* Boss. *tit. de Inquisit. n. 98.* Farin. *prax. crim. q. 1. n. 17.*

2. Quando crimen ante complures annos est perpetratum, ut verisimile sit testes ejusmodi circumstantiarum non amplùs recordari. Alex. *l. 2. cons. 65. à n. 3.* Farin. *prax. q. 64. n. 93. & 99.* Imo idem Farin. *q. 79. n. 44.* & Guazzin. *Reor. defens. 19. c. 7. n. 4.* volunt ejusmodi oblivionem quinquennio, quandoque triennio, aliquando, etiam minoris temporis lapsu induci. 220

3. Quando delictum tractum Successivum habet, ut sunt crimina Hæreseos, Usurarum, Concubinatûs, aut alterius consuetudinis carnalis. Tusch. *pract. V. Libellus concl. 320. n. 32.* Menoch. *l. cit. n. 91.* Farin. *q. 1. cit. n. 17.*

Dub. 3. quid observandum sit in Examine, & Interrogatorijs Inquisitorialibus? R. si Judex generalem Inquisitionem instituat, cavere omnino debet, ne testem de 221

hac,

hac, vel illa persona certa interroget, e. g. an Mævius Cajum occiderit, vel in mortem ejus sit machinatus; quia ejusmodi suggestiones periculosæ sunt *l. in criminibus 1. §. qui quæstionem 21. ff. de Quæstion.* adeo, ut Magistratus sic absque sufficientibus indicijs specialiter inquirens inquisito injuriarum teneatur. Cothman. *vol. 1. cons. 47. n. 46.* Fleck. *l. 6. tit. 4. n. 17.* nisi Princeps ejusmodi Inquisitionem jusserit, juxta dicta *n. 206.*

222 Si Specialis Inquisitio fiat. 1. proponi debent Interrogatoria personalia communia de conditione personæ Rei, quodnam sit ejus nomen, qui parentes, quæ patria, quæ Religio, vitæ conditio habitatio, conversatio &c. Deinde subjungantur Interrogatoria realia, ad rem, & causam delicti, ejúsque scientiam pertinentia: inter quæ sequens servandus est ordo: priùs regulariter proponi debent Interrogatoria debiliora, generaliora, & remotiora à facto: paulatim ea, quæ facto magis, magísque propria, ac propinqua: tandem specialia, imò specialissima quoad objecta, causas, effectus, adjuncta, & circumstantias delicti, de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est. Scaccia *l. 1. de Judic. c. 86.* Brunnem. *proceff. Inquif. c. 8.* König *hic n. 81.*

223 Addidi, de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est; nam de alijs, de quibus nulla infamia, aut indicia præcesserunt, interrogari non potest, nisi fortè connexionem habeant cum principali. Similiter non potest Judex interrogare de Socio criminis occulto, nisi hoc tale sit, quod socium necessariò requirit, vel quod cum Socijs factum dicitur, vel quod exceptum est, & Reip. noxium. König *l. cit.*

224 Dub. 4. quæ sit forma Inquisitionis severæ? R. Consistit in sequentibus. 1. Ut ad eam procedi possit, præcedere debent indicia criminis urgentia, certa, & concludentia, ita, ut nihil pene deesse videatur, quàm Rei confessio *l. in criminibus 1. §. sed & 1. & l. unius 18. §. Reus 1. ff. de quæstion. l. milites 8. §. oportet 1. C. eod. Ordin. Crim. Carol. V. art. 18.* Roland. à Vall. *vol. 1. cons. 24. n. 24.* Farin. *prax. crim. q. 37. n. 74. & 79.* Bocer. *tr. de Quæst. c. 3. n. 10.* Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 11. n. 10.* König *hic n. 84.* ubi ex Farin. *l. cit.* tradit, quòd nec longo usu induci, nec à Principe mandari possit, ut quis sine indicijs etiam in criminibus exceptis torturæ subjiciatur: imò quanto crimen est gravius, & atrocius, tanto præsumptiones, & indicia debent esse graviora, & vehementiora, cùm tunc agatur de graviori periculo.

2. Ad torturam procedendum non est, quando reus per testes de visu, vel per alia media, & argumenta de crimine plenè convinci potest; quia tortura veluti remedium extraordinarium, inventa solùm est in subsidium, & defectum legitimarum probationum *l. edictum 8. pr. l. Divus 9. pr. ff. de Quæstion. Ordin. Crim. Carol. V. art. 69.* ubi disertè cavetur, quòd, si reus legitimis probationibus convictus in negatione delicti perseveret, non torqueri, sed damnari, & puniri debeat. König *hic n. 84. ℣. secundo*, Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 99.*

225 3. Post obtenta, & legitimè probata indicia, si ea Judex ad torturam sufficientia esse agnoverit, interloquendo pronuntiat reum esse torquendum, diémque certum executioni præfigit. *Ordin. crim. cit. art. 45.* Antequam verò reipsa suscipiatur tortura, *Ordin. crim. cit. art. 46.* vult, ut reus in præsentia Judicis, duorum saltem Assessorum, & Actuarij Judicialis, seriò, etiam sub torturæ comminatione, de spontanea delicti confessione facienda interpelletur. Quodsi in negatione criminis perseveraverit reus, juxta eandem *Ordin. art. 47.* Judex ipsi injunget, ut indicia diluat, & innocentiam suam probet: in qua probatione si deficiat, tandem torturæ subijcitur. König *n. 84. ℣. tertiò.*

226 4. Ipsa verò tortura ita est suscipienda, ut torquendus *salvus sit vel innocentiæ, vel supplicio*, ut *l. quæstionis 7. ff. de Quæst.* inquit *Ulpianus.* Hinc ætatis, sexûs, virium, ac totius constitutionis corporis, item affectuum animi, delicti, & indiciorum maximè habenda est ratio; nam pro horum diversitate temperanda tortura est. *Ord. crim. cit. art. 58.* Waizenegger *de Servit. Dæmon. differt. 6. c. 9. n. 151.* ubi *n. 158.* ait, ex eo solo maleficium taciturnitatis non esse præsumendum, nec inusitata propterea tormenta adhibenda, quòd reus, usitatis tormentis subjectus, crimen non fateatur; quia sunt, qui vel solâ patientiâ, & fiduciâ bonæ conscientiæ tormenta contemnunt.

227 5. In ipsa tortura Judex, vel Commissarius reum ad certos Inquisitoriales articulos, ab accusatore, vel à Fiscali, vel ab ipso Judice exhibitos examinare, superfluas tamen quæstiones, & ad factum non pertinentes rejicere debet. Fleck. *l. 6. tit. 11. n. 20.* Cavere etiam Judex debet, ne reum de alio Delicto interroget, quàm de quo ex verisimilibus indicijs suspectus est, nisi eum eo, super quo legitimè quæritur, si ejusdem generis, aut ex eodem dependentiam, vel connexionem habeat. Bocer. *de quæstion. c. 5. n. 5.* Fleck. *n. 20. cit.* König *n. 85.*

228 6. Ab Actuario autem gradus, & instrumenta torturæ, temporis diuturnitas, Rei responsiones, lamentationes, gestus, & aliæ circumstantiæ annotari debent. *Ordin. cit. art. 46.* Fleck. *n. 22.* Porro inter Responsiones Rei, non illæ, quas facit in ipso torturæ actu, sed quas eo paulisper remisso facit, attendi debent, ut statuitur in *Ord. cit. art. 58.*

7. Post

229 7. Post confessionem à reo in tortura obtentam, & intervallum unius, vel plurium dierum reo, extra torturæ locum constituto, in præsentia Judicis, & duorum Assessorum ab Actuario prælegitur confessio in tormentis facta, ipséque denuo interrogatur, an in ea adhuc persistat, vel ab ea recedat ex toto, aut ex parte, & quidquid tum dixerit, simili modo diligenter annotari debet. *Ord. cit. art. 58. §. 2.*

230 Dub. 5. an pendente Inquisitione, inquisitus accusari possit? ℞. Affirmativè, si Jus commune spectemus; nam hoc Jure spectato, Inquisitio est remedium extraordinarium. Sed hoc cessat, quando adest ordinarium. Et hoc verum est, ut etiam coram alio Judice accusatio institui possit, impediátque Inquisitionem coram uno antea cœptam. Vallens. *hìc §. 4. n. 10.*

231 *Excipitur* 1. crimen læsæ Majestatis, & alia excepta. Gloss. *in l. ex lege §. si publico ff. de adult.* 2. Si statuto permittatur Inquisitio; tunc enim est remedium ordinarium, cons. per supervenientem accusationem non tollitur: & hinc quia hodierna consuetudine, ut *n. 172.* dixi, in remedium ordinarium transijt, simili ratione per accusationem non tollitur. 3. Si inquisitus datâ operâ affectaret, & procuraret Accusationem coram alio Judice ad impediendam Inquisitionem. 4. Si offensus à Judice rogatus ante cœptam Inquisitionem, an velit accusare, responderet, negativè. Vallens. *l. cit.*

232 Quæritur 8. quis sit *Effectus* Inquisitionis? *Et* 1. *quidem dubitatur*, quis sit Effectus *Inquisitionis generalis?* ℞. Ejus effectus est, quòd præparet viam ad Inquisitionem specialem; nam si ex illa emergant indicia, & probationes, ex quibus verè, vel præsumptivè apparet, quodnam, & quale delictum, & à quo commissum sit, illa loco diffamationis succedunt, & tanquam causæ impulsivæ, legitimæ, & sufficientes inquisitionem specialem exposcunt; neque enim tunc requiruntur indicia alia, ut dictum est *supra n. 204.* Debet tamen hoc casu, ut descendere ad Inquisitionem specialem possit, Judex diligenter inquirere, & expendere ipsorum Indiciorum, quæ ipsi per Inquisitionem generalem aperta sunt, gravitatem; nec enim statim credendum est, si fortè quid ad aures ejus perveniat, quod suspicionem quamcunque delicti adversùs aliquem causare possit. König *hìc n. 88.*

233 Dub. 2. quis sit Effectus *Inquisitionis specialis?* ℞. Alium Effectum suscepta, alium absoluta habet. *Suscepta* producit obligationem in personis inquisitis ad manifestandam veritatem, quæ tamen obligatio easdem personas inquisitas solùm urget, quando Inquisitionem specialem præcesserunt legitima indicia, & consequenter quando Judex legitimè interrogat; non verò, quando talia indicia non præcesserunt, nisi crimen in futurum damnosum foret tertio, aut Reip. & hoc damnum aliter evitari non posset. Quod multo magis verum de reo est, præsertim quando causa est capitalis, ob gravissimum præjudicium, quod ex confessione sua is pateretur. Quando autem Judici interroganti veritatem reus teneatur fateri, dictum est *Libr. 2. tit. 18. n. 3.*

234 *Inquisitio absoluta* trahit post se sententiam Judicis: nam si inquisitus de crimine legitimè convictus fuerit, à Judice condemnari debet; absolvi autem, si ille crimen nec sponte confessus, nec legitimis probationibus de illo convictus est: ubi tamen notandum reum hoc casu non esse antea absolvendum purè, simpliciter, ac definitivè, nisi postquam Juramentum purgationis præstiterit. Quod Juramentum si reus sibi delatum à Judice præstare noluerit, habebitur pro confesso, ut est in alijs Juramentis receptum *l. cùm & Judices 2. §. quasi 6. & §. seq. C. de Jurejur. propt. calumn.* Heig. *q. 40. n. 36.* Postquam verò reus illud præstiterit, etiam ab expensis liber pronunciandus est. Clar. *§ fin. q. 62. n. 10.* Heig. *l. cit. n. 38.* König *n. 91.* Habétque Purgatio ista non tantùm in foro Canonico, sed etiam in Civili locum, ut bene advertit. Heig. *l. cit. n. 29.*

235 Dub. 3. quis sit Effectus Quæstionis, seu Inquisitionis durioris? ℞. Alius est, si reus torturæ subjectus delictum constanter neget, alius, si fateatur.

Si constanter delictum neget dicitur purgâsse indicia contra se extantia, etsi fuerint urgentissima. Boër. *decis. 163. n. 12. & 17.* Boss. *tit. de confess. n. 28. & tit. de Sentent. n. 70.* Farin. *prax. crim. q. 40. n. 8.* Natta *cons. 202. n. 10.* König *hìc n. 92.* Et hinc ad torturam ulteriùs revocandus non est, nisi nova indicia, & quidem evidentia, ac prioribus fortiora supervenerint, aut reus corpus, vel animum magica, aut alia arte adversùs tormenta duraverit *l. unius 18. §. reus 1. ff. de Quæst.* Damhud. *prax. crim. c. 38.* Clar. *§. fin. q. 64. n. 46.* König *l. cit.* sed carcere liberari, & dimitti debet, compensatis litis expensis. *Const. Carol. art. 61.* & præstitâ priùs Urphedâ, seu obligatione jurata, quâ se ille obstringat, quòd adversùs Judicem, à quo incarceratus est, non aliter experiri velit, quàm si priùs ab hoc Juramento per Magistratum superiorem, causâ cognitâ, fuerit absolutus. Gaill. *l. 1. obs. 22. n. 1.* Berlich. *p. 2. concl. 44. n. 1.* König *n. 92. cit.*

236 Si reus Delictum fateatur, ejúsque confessio sit clara, certa, & specifica, continens locum, tempus, & alias delicti circumstantias, contra eum Sententia ferri, & ipse condemnari potest, si tamen iste post biduum, extra locum torturæ constitutus, confessionem, in tortura factam, ut *n. 229.* di-

dictum est, ratificaverit. Quodsi eandem revocet, iterabitur tortura. *Const. Carol. art. 57.* & si in secunda tortura constanter neget, absolvendus est; sin confiteatur, & postea iterum revocet, tertiùm torquebitur. *Const. cit. art. 58.* Si verò etiam in hac tertia Tortura confiteatur, & paulò post neget, extra ordinem punietur. Bocer. *de quæst. c. 5. n. 39.* Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 126. n. 50.* König *n. 92. cit. fin.*

137 Dub. 4 an crimen detectum, & probatum per viam Inquisitionis pœnâ ordinariâ puniri possit? Convenit inter DD. 1. De consuetudine, & praxi Tribunalium infligi ordinariam, ut Anguian. *l. 2. de LL. c. 6. n. ult.* Gonzal. *in c. inquisitionis 21. n. 11.* König *hic n. 91. fin.* advertunt. 2. Similiter ordinaria pœna infligitur de Jure Civili, ut Abb. *in c. inquisitionis cit. n. 1.* Felin. *ibid. n. 3.* Tiraquell. *de pœn. temperand. caus. 53. n. 2.* Pirhing *hic n. 80.* König *n. 91. fin.* Reiffenstuel *n. 220.* notant, & favet *l. ordo 8. ff. de publ. Judic.* ubi dicitur, quòd *ordo exercendorum publicorum Judiciorum capitalium in usu esse desierit*, cessante scilicet accusatione, & inducto in ejus vicem Proceßu Inquisitorio, *durante tamen pœnâ Legum. 2. l. abolitio 2 C. de abolit.* ibi, *Inquisitione facta, pœna competens*, h. e. Jure statuta, & ordinaria *ingeratur.* 3. *l. qui sepulchra 4. C. de Sepulchr. violat.* ubi huic crimini, sive per viam accusationis, sive per Extraordinariam Denuntiationis in Judicium deducatur, eadem pœna decernitur infligenda: quos textus memorata Tribunalium praxis interpretata potiùs esse, quàm correxisse censenda est contra Gonzal. *n. 12. l. cit.*

138 Dubium est, quid censendum sit de Jure Canonico? Abb. *in c. inquisitionis 21. h. tit. n. 1.* Felin. *ibid. n. 1.* Marant. *de Ordin. Judic. p. 4. dist. 10. n. 6.* Tiraquell. *caus. 53. cit. pr.* Pirhing *hic n. 80.* aliique volunt, hoc Jure locum esse solùm pœnæ extraordinariæ. Moventur textu *c. inquisitionis cit. pr.* ubi crimini, per viam Inquisitionis detecto, jubetur infligi pœna ordinaria Depositionis, quando crimen impedit executionem, sive usum Ordinis, & Beneficij retentionem, etiam post peractam pœnitentiam; aliàs verò dicitur moderanda. *Conf.* ex ratione: quia sine legitimo accusatore pœnâ ordinariâ nemo puniri debet *can. de manifesta 17. §. sed sciendum*, junct. Gloss. *caus. 2. q. 1. c. un. ut benef. Eccl. fin. dimin. confer.* & *c. si legitimus 1. h. tit.* Atqui accusator ferè deficit, quando adversùs reum proceditur per viam Inquisitionis. Ergo &c.

139 Sed dicendum, etiam de Jure Canonico pœnam ordinariam infligi posse. Ita Abb. *in c. cùm super 2. de confess. n. 10.* sibi contrarius. Laym. *ibid. n. 1.* Gonzal. *in c. inquisitionis cit. n. 6.* Pirhing *tit. de confess. n. 18.* sibi contrarius, Wiest. *hic n. 99.* Reiffenstuel *n. 219. ibid.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 115.* Sumitur 1. ex *c. cùm super 2. cit.* ubi Canonico, qui in Proceßu Inquisitionis, instituto super Electione alterius, crimen Simoniæ, à se commissum, incidenter confessus est, inflicta fuit pœna ordinaria privationis officij, & Beneficij. Neque satisfacit dicere, quòd crimen Simoniæ *in c. inquisitionis cit.* sit exceptum; solùm enim exceptum est, si committatur circa Ordinis, aut Beneficij proprij assecutionem, ut patet ex textu. 2. Ex *c. fin. de celebr. Missar.* ubi per viam Inquisitionis proceßum est adversùs Sacerdotem, qui in pane fermentato, & scypho ligneo, sine igne, sive lumine, & aquâ celebravit, & pœna privationis Beneficij, & Officij in perpetuum adversùs eundem lata est, quæ pœna hujus delicti est ordinaria. 3. Ex *consuetudine*; nam ut *n. 237.* annotavi, pœna ordinaria hodiernis moribus infligi solet etiam casu, quo viâ Inquisitionis proceditur. Consuetudo autem est interpres Legis, & semper in dubio censetur potiùs ei esse conformis, quàm difformis. 4. Ex *communi JCtorum Regula*, quâ dubium Jus explicari debet per aliud Jus certum. Est autem Juris Canonici dispositio dubia, certa Juris Civilis. Igitur sicut Jure Civili etiam, quando viâ Inquisitionis proceditur, ad pœnam ordinariam procedi potest, ita etiam Jure Canonico. 5. Ex *ratione*: quia Judex aliquando, præsertim quando multis contumaciter delinquentibus, exemplo est opus, potest imponere pœnam ordinariâ majorem *l. quid ergo 12. §. pœna 7. ff. de bis, qui notant. infam.* Igitur etiam ordinariam, seu illam, quæ delicto à Jure statuta est.

Ad textum in contrarium allegatum di- 140
co, ibi quidem pœnæ moderationem, spectatis personæ, & delicti qualitatibus, aliisque circumstantijs, permitti, non tamen prohiberi, ne ordinaria infligatur, ut patet ex verbo *Poterit*, quo *ibidem* Pontifex utitur, & notant ad *c. cùm super cit.* Abb. Laym. Gonzal. *l. citt.* quod maximè verum est, si crimen Ecclesiæ esset valdè invisum. *Ad Conf.* si ratio illa aliquid probaret, probaret, nunquam in Inquisitione locum esse pœnæ ordinariæ, quod est contra textum *c. inquisitionis cit. pr.* Dicendum ergo, quòd, cùm Inquisitio succedat in locum Accusationis, ijsdem pœnis in ipsa locus esse debeat, quibus in ista.

§. V.

De Criminis delatione per viam Exceptionis.

SUMMARIUM.

241. &c. *Quotupliciter viâ Exceptionis crimen in Judicium deduci possit?*
244. &c. *An casu, quo civiliter opponitur crimen, reus de eo condemnari ad pœnam possit?*
248. &c. *Quis sit Effectus Exceptionis quâ accusatori, vel testi crimen opponitur criminaliter?*
251. &c. *Quem effectum habeat Exceptio criminis oppositi ad impediendam consecrationem, ordinationem &c.*
258. *Quid præsumendum sit, quando dubitatur, an crimen oppositum per Exceptionem fit civiliter, vel criminaliter?*

241 QUæritur 1. quotupliciter viâ *Exceptionis* crimen in Judicium deduci possit? R. Dupliciter, videlicet civiliter, & criminaliter: *Civiliter*, quando crimen objicitur per modum Exceptionis ad effectum, ut actoris, seu accusatoris intentio diluatur, ut puta, quando, ne testi adhibeatur fides, excipitur contra eum, quòd sit falsarius, & suborna-tus; vel ne actor admittatur ad agendum, eidem opponitur infamia, Excommunicatio &c,

242 *Criminaliter*, quando crimen objicitur non solùm, ut diluatur Actoris intentio, sed etiam, ut infligatur ei pœna commensurata delicto. Ita Clar. §. *fin. q. 19. n. 2. & seqq.* Boss. *n. crim. tit. quom. proced. per Except. tr. 1. & 3.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 75. n. 2.* Schambog. *hic n. 40.* Wiestner *n. 101.* Reiffenstuel *n. 235. & 236.*

243 Huic posteriori simillima est illa, quâ illi, qui ad Prælaturam, vel aliam Dignitatem, aut Beneficium Ecclesiasticum, aliámve provisionem jam promotus, ejúsque titulum assecutus est, objicitur crimen, quod de Jure obstat ejus consecrationi, ordinationi, aut missioni in possessionem. Wiestner *hic n. 103. ℣. hujusmodi.*

244 Quæritur 2. an casu, quo actori, vel testi civiliter opponitur crimen, de eo convictus condemnari possit ad pœnam ordinariam, vel extraordinariam? R. Negativè; sed solùm à proposita accusatione, vel testificatione per Sententiam interlocutoriam removetur *c. cùm dilectus 2. §. verùm de Ordin. Cognit.* Clar. §. *fin. q. 19. n. 2.* Boss. *tit. quom. proced. per Except. n. 8.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 30. n. 3.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 75. n. 3.* Canis. *Summ. l. 4. tit. 19. §. 19.* Vivian. *in c. cùm dilectus cit. ℣. sed per hoc*, Barbos. *ibid. n. 5.* Pirhing *hic n. 103. not. 5.* Schambog. *n. 40.* Wiestner *n. 102.* Reiffenstuel *n. 237.*

245 *Ratio est*, quia Judex suum officium impertiri, & sententiam formare debet juxta formam, sive petitionem deductam in Libello, seu finem, ad quem actio, vel exceptio tendit *c. qualiter 24. h. tit. & c. licèt 31. de Simon.* ibi, *Ut juxta Judicij formam sententiæ quoque forma dictetur.* Atqui civiliter excipiendo opponens accusatori, vel testi crimen, ipsum petit duntaxat removeri à proposita accusatione, vel testificatione, non verò condemnari ad pœnam *c. cùm dilectus cit.* Ergo &c.

246 *Excipitur* tamen casus, quo agenti criminaliter viâ Exceptionis objicitur crimen, contingens Delictum, vel causam principalem, ut si marito uxorem accusanti de adulterio, hæc excipiendo objiciat lenocinium, aut testi reus, vel hujus Advocatus opponat, quòd testimonium falsum circa causam principalem dixerit; nam in primo casu, probato sufficienter crimine, procedi potest ad pœnam ordinariam, ad extraordinariam in secundo, ut desumitur ex *l. nullum 14. fin. C. de testib.* & notat Laym. *in c. 1. de Except. n. 5. & 6.* Wiestner *hic n. 102. ℣. excipiendus.*

247 Neque opus est hoc casu novo Processu, cùm ob connexionem censeatur eadem esse causa cum illa, quæ principaliter in Judicium deducta est. Bartol. *in l. ex lege 2. §. si in publico 5. ff. ad Leg. Jul. de adult. n. 20.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 30. n. 3.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 75. n. 3.* Wiestner *loc. cit.*

Ne tamen eo casu, quo civiliter per Exceptionem opponitur Actori, vel testi crimen, Delicta maneant impunita, poterit hoc casu Judex inchoare novum Processum viâ Inquisitionis, & ubi delatus de crimine legitimè convictus fuerit, ad ejus condemnationem, & punitionem procedere, ut cum DD. *citt.* observat Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 13.*

248 Quæritur 3, quis sit Effectus Exceptionis, quâ accusatori, vel testi crimen opponitur criminaliter? R. Est idem ferè, qui accusationis: nam ita excipiens dicitur assumere partes Accusatoris. Clar. §. *fin. q. 19. n. 3.* Scaccia *de Judic. l. 1. c. 75. n. 2. Ex quo sequitur 1.* quòd sicut in Accusatione exprimi debet criminis commissi locus, & tempus, ita & in Exceptione criminaliter opposita accusatori, vel testi. Clar. *n. 3. cit. ℣. hinc infertur*, Gaill. *l. 1. observ. 64. n. 10.* Scaccia *n. 2. cit.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 10. n. 12.* Pirhing *hic n. 103. not. 5.* Wiestner *n. 103.* Reiffenstuel *n. 239.* 2. Sicut, quando cœptum est agi viâ Accusatio-

nis,

nis, & Inquisitionis, non potest intervenire Procurator, ita nec etiam, quando agitur hac viâ Exceptionis criminaliter intentatæ. Clar. *l. cit. ¥. item sicut.* Scaccia *l. cit.* 3. Denique omnia, quæ servantur in Judicio accusationis, servanda sunt etiam in hoc Judicio Exceptionis criminalis; quia hæc Exceptio tendit ad puniendum, & ideo accusationi æquiparatur. Clar. *l. cit. ¥. & breviter.*

249 Hinc si excipiens criminaliter crimen à se objectum legitimè probaverit, accusator, vel testis, contrà quem probatum est, non tantùm removeri debet ab accusatione, vel testificatione proposita, sed etiam puniri pœnâ â Jure statutâ illi crimini, vel si nulla talis statuta est, condemnari ad arbitrariam. Clar. *n. 3. cit. pr.* Scaccia *n. 2.* Schambog *hic n. 40.* Pirhing, Wiestner, Reiffenstuel *l. citt.* Contrà si Excipiens in probatione defecerit, is, cui ita objectum est crimen, ab eo absolvitur per sententiam, & ita, ut super eo crimine denuo accusari etiam ab alia non ampliùs possit *arg. c. super bis 16. h. tit. l. si cui 7. §. ijsdem criminibus 2. ff. eod.* Bartol. *ad c. cit. n. 5.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 30. n. 2.* Wiestner *n. 130. cit.*

250 In hoc tamen differt Judicium Exceptionis criminaliter oppositæ à Judicio Accusationis, quòd si excipiens in probatione defecerit, non propterea contra ipsum procedatur ad pœnam, puta de calumnia, vel alias, ad quas proceditur contra accusatorem de calumnia convictum. Felin. *in c. 1. de Except. n. 18.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 10. n. 16.* quia parcitur accusato, qui provocatus est *arg. l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

251 Quæritur 4. quem effectum habeat Exceptio criminis oppositi electo, vel aliter proviso in Dignitate vel Beneficio, antequam consecretur, ordinetur, vel mittatur in possessionem? ℟. Eundem ferè effectum habet, quem Exceptio criminis criminaliter opposita accusatori, vel testi; nam sicut iste non tantùm repellitur à proposita accusatione, vel testificatione, sed etiam punitur, ita etiam talis, probato crimine, non solùm impeditur à Consecratione, & possessionis apprehensione, sed insuper Jure, per Electionem, Confirmationem, vel aliam Provisionem sibi quæsito privatur *c. super bis 16. h. tit.* Joan. Andr. *ibid n. 10.* Vivian. *¥. Excipiens,* Pirhing *hic n. 102. not. 2.* Wiest. *ibid. n. 103. ¥. hujusmodi*

252 *Ratio est*, quia hujusmodi Exceptio, ut *n. 243.* dixi, imitatur eam, quæ opponitur accusatori, vel testi crminaliter, igitur & ipsa ad pœnam, probato crimine, infligendam tendit. *Conf.* quia bonum Ecclesiæ exigit, ut non diu habeat Prælatum inutilem. esset autem inutilis, si retineret titulum provisione sibi quæsitum, & ob crimen sibi objectum, ac legitimè probatum impediretur à Consecratione, Ordinatione &c. suscipienda. igitur non tantùm ab ista impediri, sed etiam jure, per Electionem &c. sibi quæsito, privari debet, ut sic de alio sibi idoneo Prælato providere Ecclesia possit.

253 Quæritur 5. Quid præsumendum sit, quando dubitatur, an civiliter, vel criminaliter ab Excipiente objectum crimen, & in Judicium deductum sit? ℟. præsumitur objectum civiliter: proinde qui asserit illud objectum criminaliter, istud probare debet; quia contra se habet Regulam, quòd Exceptio naturâ suâ non ad vindictam, sed agentis intentionem excludendam tendat *c. cùm Dilectus 2. §. verùm de Ordin. Cognit.* & *l. exceptio 1. pr. ff. de Except.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur calumniari, & esse Calumniator?*
2. *Discrimen inter Calumniam veram, & præsumptam.*
3. &c. *Casus, in quibus Accusator liberatur à Calumnia præsumptæ.*
9. &c. *Quod sit Officium Judicis, quando accusator in probatione criminis delati succubuit?*
11. &c. *Quæ pœna Calumniatoribus in Jure statuta sit?*
16. &c. *Utrum pœna talionis locum defacto in foro habeat?*
19. &c. *Quousque hodie in puniendis Calumniatoribus Judex possit procedere?*
23. *Quis dicatur prævaricari?*
24. *Quotupliciter Prævaricatio possit contingere?*
25. *Pœnæ Prævaricatorum.*
26. *Quid sit tergiversari?*
27. 28. *Pœnæ istius criminis.*

IN Accusatione, de qua hactenus, tripliciter delinqui potest, calumniando, prævaricando, & tergiversando *can. si quem R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.* *8. §. accusatorum, caus. 2. q. 3.* & *l. accusatorum 1. §. calumniari 1. ff. ad S. C. Turpill.*

Quæritur 1. quis hoc loco dicatur *calumniari*, & esse *Calumniator*? R. *Calumniari* in criminalibus dicitur ille, qui falsum crimen scienter, ac dolo malo intendit §. *accusatorum*, & §. *calumniari citt.* Estque Calumniator alius verus, alius præsumptus. *Verus* dicitur ille, de quo certò, videlicet ex ipsius propria confessione Judiciali, aut depositionibus testium, vel alijs probationibus legitimè receptis constat, quòd ex malitia, & scienter de falso crimine detulerit alterum. *Præsumptus* autem, qui defecit in probatione delati criminis *can. calumniator 2. & can. qui non probaverit 3. caus. 2. q. 3.* quia cùm is, qui in Judicium aliquem vocat, paratas habere probationes debeat, calumniandi animo litem moviſſe præsumitur, qui in probatione criminis intentati defecit. Gloss. *in c. fin. V. calumniandi h. tit.* Abb. *ibid. n. 5.* Vivian. *in c. cit. pr.* Canis. *Summ. l. 4. tit. 19. §. 4.* Guazzin. *Reor. defens. 3. c. 13. n. 42.* Passerin. *Trib. Reg. q. 7. art. 5. n. 22.* Vallens. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1* Schambog. *n. 3.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 3.*

Quæritur 2. quod sit discrimen inter Calumniam veram, & præsumptam? R. præter alia hoc maximè intercedit discrimen, quòd à *calumnia vera*, ubi de ea constat, nullus Accusatorem color excuset; liberetur autem à *Calumnia præsumpta*, si is adversùs illam innocentiam suam probaverit: & hinc Calumnia præsumpta non inducit præsumptionem Juris, & de Jure, cùm probationem recipiat. Passerin. *art. 5. cit. n. 29. & 30.* cum *Abb. Vivian. Wiestner*, ubi *suprà*.

Porrò à Calumnia præsumpta liberatur Accusator. 1. si non spontè, sed ex necessitate officij denuntiavit, ut sunt Tutor *l. si cautiones 2. C. de bis, qui accusar.* & Procurator fiscalis *l. monente 2. C. de Delator.* modò fiscalis, aliáve persona publica, ex necessitate officij accusans, vel deferens reum, suspectas delicti circumstantias, aut ipsum factum cum quadam veritatis specie allegaverit, vel ad alterius delationem denuntiaverit Judici; secus enim si fecerit, in casu deficientis probationis perinde, ac privatus Denuntiator injuriarum tenetur. Mevius *p. 1. decis. 41.* Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l. 6. tit. 3. n. 11. & 12.*

2. Siquis non ipsum delictum positivè, sed circumstantias duntaxat quasdam suspectas detulit; eo enim casu Judex priùs explorare debet, an ex officio inquirere possit. Quod verum est, etiamsi Denuntiatio facta sit ab Officiali publico; neque enim Judex statim relationibus, etiam quæ à publicis personis factæ sunt, credere sed rei veritatem inquirere, & quidem, an sufficientia sint Delicti indicia, an fiscalis delictum positivè, an tantùm præsumptivè denuntiaverit, omnia diligenter expendere debet, antequam ad Inquisitionem procedat.

3. Si præcesserunt criminis indicia sufficientia ad inquirendum, vel accusati infamia, & hæc sufficienter ab Accusatore, vel Delatore probentur. Idem est, si is ostendat, se audivisse à personis fide dignis, quòd accusatus, vel delatus commiserit crimen delatum Judici. Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 5.*

4. Si Accusator crimen probavit semiplenè, e. g. per unum testem omni exceptione majorem; vel si probavit illud per duos testes, qui deinde propter ipsorum inhabilitatem, antè non cognitam, fuerunt repulsi à testificando.

5. Si accusavit deceptus à testibus, in Judicio negantibus se scire, quod extra asseruerunt. Unde prudenter faciunt practici illi, qui antequam forment articulos, super quibus testes sunt examinandi, petunt scripto dari ea, quæ testes volunt attestari, ut ex ea scriptura articulos forment, & eâ ipsâ scripturâ, si testes contrarium edicant, se postea accusator tueri à calumnia possit. Schambog. *hìc n. 3.*

6. Si testes sint mortui, procul absentes, à testimonio perhibendo impediti, aut alio modo probationes malitiosè subtractæ.

7. Si homicidium accusavit hæres defuncti, cujus necem vindicare tenetur *c. cùm tantùm 9. C. de his, quibus ut indignis &c.*

8. Si accusavit mulier; nam hæc ob sexûs fragilitatem excusatur à calumnia præsumpta, etsi crimen non probârint *l. accusatorum 1. §. accusationem 10. fin. ff. ad S. C. Turpill.*

9. Si accusavit ductus immanitate criminis, vel doloris v. g. ex morte parentis, filij, consanguinei &c. occisi morte concepti.

10. Si lethaliter sauciatus ante mortem dixerit, se à Titio v. g. vulneratum esse.

In his ergo casibus Accusator, vel Delator excusantur à Calumnia præsumpta; quia in ijsdem non præsumitur calumniosè ad accusandum processisse, nisi contrarium pateat aliunde. Et hinc plurimùm in prudentis Judicis arbitrio est positum, qui consideratis rerum circumstantijs, rem decidat. Schambog. *n. 3. cit.*

Videantur Clar. §. *fin. q. 62. n. 6.* Menoch. *de arbitr. cas. 321. n. 7. & seqq.* Farin. *prax. crim. q. 16. à n. 40.* Guazzin. *Reor. defens. 3. c. 13. à n. 11.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 5. à. n. 32.* Fleck. *l. 6. tit. 3. n. 11.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 11.* Wagnereck *in c. fin. eod. not. 1.* Engl *hìc. n. 3.* Pirhing *n. 5.* Schamb. *n. 3.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 12. & seqq.*

Quæritur 3. quod sit officium Judicis in casu, quo accusator in probatione criminis delati succubuit? R. hoc casu ipsi Judici

dici cautè est procedendum ; neque enim statim potest de calumnia condemnare accusatorem, qui, quòd in probatione criminis delati defecerit, pro Calumniatore præsumpto habetur : sed priùs admittere, & discutere probationes, & præsumptiones debet, quibus accusator dolum, & calumniandi animum à se conatur amoliri *c. fin. cit.*

Imò tali casu Judex etiam inquiret ex officio, qua mente ductus sit Accusator, an non justâ aliquâ causâ impellente, processerit ad falsi criminis delationem, & sic à calumniæ impactæ crimine excusetur *l. accusatorum cit. §. sed non 3.* Menoch. *cas.* 321. *cit. n. 3.* Wiestner *hic n. 3.* Pirhing *ibid. n. 5. fin.*

10 Et hinc ubi comperèrit Judex, Accusatorem, justâ causâ ductum, processisse ad accusationem falsi criminis, eum non solùm à pœna talionis, sed injuriarum etiam actione immunem pronuntiabit ; quia huic locus non est, ubi dolus, & animus pravus defuit *l. illud 3. §. fin. ff. & l. si non convitij 5. ff. de injur.* Covar. *l. 1. var. c. 11. n. 6.* Farin. *q. 16. cit. n. 67.* Wiestner *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 23.*

Quin aliqui etiam negant, talem in expensas condemnari posse : quod verum est, si causa, quâ ductus ad accusandum est, eundem non tantùm à dolo, sed etiam à culpa excuset ; nam si ab ista non excuset, in expensas condemnabitur, quòd temeritate non vacet accusatio *l. eum, quem temere 79. ff. de Judic.* Menoch. *cons.* 145. *n.* 14. Farin. *l. cit. n.* 71. Wiestner *hic n. 4.* Reiffenstuel *n. 26.*

11 Quæritur 4. quæ pœna Calumniatoribus in Jure statuta sit? R. 1. condemnandus est ad expensas refundendas, & resarciendum omne damnum, quod ex improba accusatione passus est accusatus ; quia ad hoc obligatur actor etiam Civilis, quando temere litigâsse convincitur. igitur multo magis tenebitur Accusator, utpote qui reo accusato multo gravius præjudicium affert. Clar. §. *fin. q. 62. n. 4.* Menoch. *cas. 321. n. 34.* Farin. *q. 16. cit. n. 10. & seqq.* Guazzin. *reor. defens. 3. c. 3. n. 8.* Passer. *Trib. Regul. q. 7. art. 5. n. 23.* Engl *hic. n. 1.* König *n. 11.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 6.* Hinc Carolus V. *in Const. crim. art. 12.* jubet, ut accusator idoneam cautionem præstet, quòd delicto non probato, expensas, & damna accusato velit refundere, ac de injuria satisfacere ; præterea accusati arbitrio relinquit, an velit Accusatorem convenire coram Judice suo Ordinario, an coram eo, apud quem criminaliter fuit accusatus. Neque ab hac pœna immunis est Fiscus, aut ipse Judex, si aut ille quempiam per Procuratores suos accusando indebitè vexâsset, aut iste ad Specialem Inquisitionem contra eum temere processisset. Farin. *n. 14. & 25.* Guazzin. *n. 8. cit.* Passerin. *n. 26.*

12 2. Irroganda Accusatori calumnioso est pœna talionis, sive similis illi, quam probato crimine accusatus subijsset : & quidem de *Jure Canonico* sine discrimine inter crimina, & calumniatores, cùm eo Jure etiam Calumniatori præsumpto decreta sit, ob generalitatem textuum *can. calumniator 2. can. qui non probaverit 3. caus. 2. q. 3. can. quisquis 3. & can. qui crimen 4. caus. cit. q. 8. De Jure Civili* tamen sit discrimen inter crimina, cùm eo Jure pœna Talionis locum duntaxat habeat in Ordinarijs, sive illis criminibus, quæ certum titulum, nomen, & pœnam Lege definitam habent *l. fin. C. de accusat. l. fin. C. de Calumniat. & Auth. sed novo C. ad Leg. Jul. de Adulter.* nam in Extraordinarijs, & ijs criminibus, quæ certum criminis titulum, noménque, & pœnam Lege comprehensam non habent, item in criminibus privatis falso Calumniatori injungitur pœna arbitraria *l. & in privatis 3. ff. ad S. C. Turpill.* Farin. *q. 16. cit. n. 1.* & DD. ab hoc relati. *Ratio* pœnæ istius in falsos Accusatores decretæ gravissima fuit, ut scilicet Accusatorum refrenaretur temeritas, & securior esset innocentum vita.

13 3. Secundùm aliquos apud Farin. *q. 16. cit. n. 4.* tenetur calumniosus Accusator falsi pœnis. Sed meliùs istud negant Clar. *§. fin. q. 62. n. 7.* Menoch. *de arbitr. cas. 322. n. 5.* Farin. *n. 4. cit.* Guazzin. *c. 13. cit. n. 11.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 5. n. 46.* Wiestner *hic n. 11.* tribus casibus exceptis. 1. si Accusator interrogatus, an velit uti querelâ, & probationibus superinde factis, respondeat, quòd velit uti ; nam tunc tanquam sciens de falso puniri potest, si querela tanquam falsa convincatur. 2. quando accusator, uti testis, medio Juramento falsum deposuit. 3. quando produxit falsos testes, aut falsis instrumentis usus fuit ad criminis malitiosè impacti probationem.

14 4. De Calumnia condemnatus redditur infamis infamiâ Juris *can. siquis 1. caus. 2. q. 3. l. Prætoris 1.* & *l. Athletas 4. §. calumniator 4. ff. de his, qui not. infam.* ac proinde Irregularis, ut neque promoveri ad Ordines, neque ministrare in susceptis valeat *can. fin. dist. 51.* & *can. infames 17. caus. 6. q. 1.* & inhabilis ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica. *c. inter 11. de Excess. Prælat.* & *Reg. infamibus 87. in 6.* Navar. *Man. c. 27. n 104.* Suar. *de censur. D. 48. sect. 2. n. 1.* Passerin. *art. 5. cit. n. 24.* Wiestner *hic n. 12.* Reiffenstuel *ibid. n. 7.* Dixi autem *De Calumnia condemnatus* ; nam Infamia à Calumniatore non incurritur ipso Jure, sed primùm ubi de ea convictus fuerit per sententiam *l. Athletas*, & §. *calumniator citt.* atque ideo verba Judicis pronuntiantis diligenter attendenda sunt ; nam si ita pronuntiaverit Judex, *Calumniatus es*, intelligitur eum notâsse ; quodsi verò dicat, *Non probâsti*,

bâsti, ei pepercit *l. accusatorum* 1. §. *quorum* 4. *ff. ad S. C. Turpill.* Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 8. König *hic n.* 11. ℣. *secundò*, Reiffenstuel *ibid n.* 8.

15 5. Denique Clericus, qui alium Clericum calumniosè accusâsse convictus est, Beneficio, & Officio Ecclesiastico privatus, & verberibus castigatus, deportari, sive in exilium mitti à Gregorio Papa jussus est *c. cùm fortius* 1. *h. tit.* Hodiernis moribus hæc publicæ verberationis pœna quoad Clericos generali consuetudine non usurpatur, teste Clar §. *fin. q.* 70. *n.* 2. Altera tamen pœna privationis Beneficij, & officij Ecclesiastici, item exilij Clerico calumniatori à potestate Ecclesiastica infligi etiamnum potest. Diaz. *pract. crim. can. c.* 37. *n.* 1. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 3. Wiestner *hic n.* 13.

16 Quæritur 5. utrum pœna talionis de facto locum in foro habeat? R. à foro Civili hæc talionis pœna, & in hanc inscriptio passim recessit, ut notant Clar. §. *fin. q.* 12. *n.* 17. Farin. *prax. crim. q.* 16. *n.* 3. Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 4. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 51. *n.* 13 Gonzal. *in c.* 16. *de Accusat. n.* 7. quorum sententiæ accedunt *in Titulum præcedentem* scribentes Engl *n.* 2. Pirhing *n.* 2. Schambog. *n.* 4. König *n.* 54. Reiffenstuel *n.* 11.

Idem factum est quoad forum Canonicum, ut advertunt Felin. *in c. super his* 16. *n.* 5. Covar. *l.* 2. *var. c.* 9. *n.* 1. Farin. *q.* 16. *cit. n.* 3. Ratio communiter datur, quia metu pœnæ istius refugiebant homines onus probandorum criminum, accusatori incumbens: unde factum, ut cùm nemo ea accusaret, eadem magno Reipublicæ damno invalescerent.

17 S. Pius V. tamen *Constit.* incipit *Cùm primum* 6. *Cal. April.* 1566. *publicatâ* §. 14. testibus Farin. *q.* 16. *cit. n.* 5. & Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 10. eandem pœnam talionis innovavit in Calumniatores veros: & sic vigore istius Bullæ pœna talionis in foro Canonico adhuc habet locum, licèt inscriptio ad istam pœnam non sit amplius in usu.

Et intelligendum hoc est, ut vult Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 5. *n.* 44. non tantùm, quando quis in hoc foro accusatur per Calumniam de crimine Simoniæ, Blasphemiæ, Sodomiæ, & Concubinatûs, quæ crimina in ea Constitutione exprimuntur, sed etiam quando alia crimina calumniosè alicui ab accusatore impinguntur; quia non est verisimile, quòd ad relata solùm delicta Constitutionem suam voluerit restrictam Papa.

18 Illud certum est, pœnam talionis adhuc procedere, & infligi debere in illis locis, vel Religionibus, ubi speciatim de illa extant Statuta: & tale statutum in Ordine S. Francisci Minorum extare refert Reiffenstuel *hic n.* 21. Idem de Ordine Prædicatorum meminit Passerin *art.* 5. *cit. n.* 21. Hinc quoad hoc punctum singulorum Ordinum Statuta, & Constitutiones considerandæ, & observandæ sunt.

Quæritur 6. quousque hodie in pu- 19
niendis calumniatoribus Judex possit procedere? Nonnulli sustinent, Judicem posse procedere etiam ad pœnam ultimi supplicij, præsertim in illo casu, quo quis per calumniam facit aliquem capi, quem innocentem non ignorat, falsis tamen accusationibus ad id agit, ut plectatur capite; nam tali casu volunt accusatorem, detectâ calumniâ, plecti capite posse: in cujus sententiæ Confirmationem Clar. §. *fin. q.* 81. *n.* 3. *prop. fin.* tria affert exempla.

Alij contra apud Farin. *prax. crim. q.* 20
16. *n.* 5. & 7. tunc solùm pœnam capitalem in Calumniatorem decernunt, quando quis Judicem ipsum, aut Magistratum de capitali, & gravissimo crimine accusat, vel si privatus quidem sit accusatus, quando accusator contra eum falsa instrumenta conficit, aut testes subornatos producit.

Verùm, ut mitior, ita verior sententia 21
est, Calumniatorem nunquam ultimo supplicio addicendum, nisi ad ipsius calumniam accusatus reipsa condemnatus, & pœnâ mortis affectus sit, ex ratione; quia intentio hominem occidendi etiam privata authoritate non punitur pœna capitali, nisi effectus, & mors reipsa consequatur: minùs igitur pœnæ ejusmodi locus erit ob accusationem calumniosam, utpote quæ tam periculosa non est, cùm accusato defensio integra sit. König *hic n.* 12.

Quare dicendum, si Statuta, & 22
consuetudines pœnam calumniæ non determinent, arbitrio Judicis determinationem pœnæ istius relinquendam, qui eandem metietur consideratis circumstantijs, & gravitate maximè, vel similitudine hujus delicti cum alijs, quæ pœnam in Jure definitam habent. Ascendere autem gravitas delicti istius quandoque poterit, ut procedi possit ad deportationem, condemnationem ad triremes, aut publicam infamiam. König *n.* 12. *cit. fin.*

Quæritur 7. quis dicatur *prævaricari*? 23
R. *Prævaricatores*, sumpto nomine à *Varicando*, juxta Ulpianum *l. prævaricatores* 212. *ff. de V. S.* appellantur illi, *qui causam adversarijs suis donant, & ex parte actoris in partem Rei concedunt.* Consentit *l. prævaricator* 1. *ff. de prævarication.* ubi idem Ulpianus, *Prævaricator*, inquit, *est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, proditâ causâ suâ.* Item *l. accusatorum* 1. §. *calumniari* 1. *ff. ad S. C. Turpill.* ubi Marcianus, *Prævaricari est vera crimina abscondere:* & paulò pòst §. *prævaricatorem* 6. addit: *Prævaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cum reo, & translativè munere accusandi defungitur, eò quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò excusationes admitteret.*

Ex

Ex quibus textibus infertur, duobus 24 modis aliquem Prævaricatorem effici: *uno*, quando quis ut Advocatus, vel Procurator Clientem, vel Principalem, à quo habet mandatum, prodit, secreta causæ illius detegendo ejusdem adversario, de quo modo loquitur *l. prævaricator* & *l. prævaricatores citt.* *Altero modo*, cùm quis se fingens accusatorem, vel denuntiatorem criminis, colludit cum reo, de quo modo sermo est *l. accusatorum*, & §. *calumniari citt.* Primo modo ut Advocatus, & Procurator dici Prævaricatores possint, non sufficit, si Juribus clientis visis, patrocinium suum illi quamvis iniquè, & pretio absterriti præstare negent, sed opus est, ut in aliam partem transeant. Et hinc etsi probro id datum fuerit Demosthenì, non tamen propterea Prævaricator effectus est, dum is, postquam una die Reis. Athenienſis causam contra Milesiorum Legatos defendit, altera die pretio victus, tacuit, in publicum prodiens collo lanâ circumvoluto, se anginam pati asserens, cui unus ex populo exclamans, dixit, *Non anginam, sed argentanginam pateris Demosthenes*, authore Gellio *l. 11. noct. Attic. c. 5.*

Hujus criminis condemnatus. 1. in- 25 currit Infamiam Juris *l. Athletas 4. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* & *l. si is 4. ff. de Prævaric.* Menoch. *de Arbitr. cas. 323. n. 8.* Wiestner *hic n. 14.* 2. fit Irregularis *can. infames 17. caus. 6. q. 1.* & *Reg. infamibus 87. in 6.* Thesaur. *de pœn. Eccl. p. 2. V. accusator c. 1. n. 3.* & *c. 2.* Wiestner *l. cit.* 3. punitur pœnâ extraordinariâ, sive arbitrio Judicis juxta delicti qualitatem, & circumstantias *l. accusatorum cit.* & *l. sciendum 2. ff. de Prævaricat.* Menoch. *l. cit. n. 4.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 2. n. 8.* Wagnereck *in c. 1. V. fortiùs not. 2. h. tit.* Valens. *hic n. 2.* Honor. *n. 7.* Engl *n. 4.* Pirhing *n. 1. ℣. prævaricari*, Wiestner *l. cit.* Reiffenstuel *n. 29.* Plura de hoc *infrà Titul. 22.*

Quæritur §. quid sit *tergiversari*? 26 R. *Tergiversari* dicitur ille, qui à publici criminis accusatione semel instituta desistit *l. accusatorum cit. §. calumniari 1.* nisi abolitio intervenerit, quâ accusatus à reorum numero exemptus est, & accusationis memoria abolita *l. si interveniente 12. ff. ad S. C. Turpill.*

Hujus criminis reus 1. ex S. C. 27 Turpill. multatur pœnâ quinque librarum auri *l. prævaricationis 3. §. fin. ff. de Prævaricat.* Jure Codicis autem *l. quisquis 1. C. ut intr. cert. temp.* quarta bonorum parte. 2. de eo convictus, & condemnatus redditur infamis *l. noverint 2. C. eod.* & *l. si is 4. ff. de Prævar.* 3. efficitur Irregularis juxta antè dicta Thesaur. *V. cit. 3.* Wiestner *hic n. 15.*

Hodie tamen, cùm nunc receptum 28 sit, ut accusatore ab accusatione desistente, Judex, novo processu instituto, ex Officio procedat, hæc pœna Tergiversationis sublata est, ut notant Clar. §. *fin. q. 58. n. 3.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 47. n. 10.* & *tr. 4. D. 9. n. 11.* Passerin. *Trib. Regul. q. 7. art. 2. n. 14.* Wiestner *n. 15. cit.*

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

POstquam Præliminarium loco de Accusationibus, & vitijs, quæ in Accusatione contingunt, egimus, procedendum ad ipsa Crimina, quæ per Accusationem in Judicium Ecclesiasticum criminale trahuntur. Ex his primo loco occurrunt ea, quæ in contumeliam DEI, & rerum Sacrarum vilipensionem tendunt. Initium sumitur à Simonia propter ejus gravitatem; nam, ut *can. fin. caus. 1. q. 7.* dicitur, *omnia crimina ad comparationem Simoniacæ Hæresis quasi pro nihilo reputantur.*

§. I.

De Natura, & Varietate Simoniæ.

SUMMARIUM.

1. *Simonia est crimen gravissimum.*
2. *Ejus origo.*
3. *Definitio.*
4. *Est peccatum ex genere suo mortale.*
5. 6. *In quo consistat ejus malitia?*
7. &c. *Cui Virtuti opponatur?*
11. &c. *An sit Species Sacrilegij?*
14. &c. *An admittat parvitatem materiæ?*
18. *Casus, in quibus datio rei temporalis occasione rei Spiritualis excusatur à Simoniæ peccato.*
19. &c. *Dividitur Simonia in eam, quæ est Juris Divini, & illam, quæ est Juris positivi Ecclesiastici.*
22. 23. *Quando utraque committatur?*
24. &c. *An Simonia Juris Ecclesiastici sit propriè dicta Simonia?*

27. *Si-*

27. *Simoniæ subdivisio.*
28, &c. *Quando committatur simonia mentalis?*
31. *Quomodo hæc possit contingere?*
32. *Quid requiratur, ut commissa censeatur Simonia Conventionalis?*
33. *Ejus divisio.*
34. 35. *Requisita ad Simoniam realem.*
36. *Quotupliciter Simonia committi possit circa Beneficia?*
37. *Definitio Simoniæ Confidentialis.*
38. 39. *Ejus Species præcipuæ.*
40. &c. *An committi possit sine pacto expresso?*
43. 44. *An locum habeat etiam in Beneficiorum permutatione?*

1 QUæritur 1. quid sit *Simonia*? ℟. Est crimen gravissimum, quod etsi corruptum hoc Sæculum ex Jure Canonico non minùs, atque ex usu, & observantia expunctum, aut expungendum velit, semper tamen abhorruit, & adhuc abhorret Ecclesia: quod suum judicium ut satis indicaret, in SS. Canonibus variis, & abominandis illam descripsit nominibus; nam in his passim appellatur Turpissimum lucrum *can. siquis 8. caus. 1. q. 1.* vulnus cancrosum *can. reperiuntur 7. q. cit.* Flagitium piaculare, seu par illi, quod morte expiatur *can. quisquis 5.* junct. Gloss. *q. cit.* Crimen horribile nimis *c. cùm in Ecclesiæ 9. h. tit.* comparandum blasphemiæ Judæorum, & peccato Judæ proditoris *can. eos qui 21. q. cit.* Lepra *can. cùm ordinaretur 14. q. cit.* Labes, & pestis tanta, ut sui magnitudine alios morbos, & Hæresim ipsam vincat *can. quisquis cit. c. quotiens 5.* & *duob. seqq. h. tit.* Nec immeritò; quia vix aliud crimen est magis injuriosum DEO, & pernicioſum Ecclesiæ; nam DEUM offendit, quia ejus præstantissima Dona, & gratias temporali pretio æstimat: Ecclesiam autem; quia viam ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas sternit indignis, & sæpe sceleratis hominibus.

2 Originem nomine suo antiquiorem hoc vitium habet; nam in antiquo jam Testamento dona, & jura Spiritualia vendita, vel empta fuisse constat ex *Num. 22.* ubi Balaam ad munus prophetandi vendendum sollicitatur; *3. Reg. 14.* ubi Jeroboam misit uxorem ad Ahiam Propheram cum muneribus, ut indicaret sibi, quid futurum esset de infirmo filio; & *4. Reg. 5.* ubi Giezi famulus Elisæi Naaman Syro sanitatem divinitus datam vendidit. Nomen tamen hoc crimen à nullo istorum, sed à Simone Mago accepit, utpote qui hac in re gravius, quàm priores, peccavit; illi enim solùm vendiderunt gratias gratis datas: at verò Simon Magus emere voluit ipsum Spiritum Sanctum, h. e. gratiam sanctificantem, per quam Spiritus Sanctus in nobis inhabitat, & quidem ex fine capiendi inde turpissimum lucrum scilicet, ut illud donum iterum alijs venderet, & *ex venditione, quæ per eundem fieret, multiplicatam pecuniam lucraretur*, ut loquitur Urbanus II. *can. Salvator 3. caus. 1. q. 3.*

3 Definitur *Simonia*, quòd sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid Spirituale vel spirituali annexum.* Ita Gloss. *in Summ. V. quidam caus. 1. q. 1.* Azor *p. 3. l. 12. c. 1. q. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 2.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 2.* Vivian. *in c. 8. h. tit. pr.* Gonzal. *in c. 1. eod. n. 13.* Barbos. *ad Rubr. n. 3.* Wagnereck *ibid. not. 4.* Carden. *Crif. Theol. Dissert. 27. n. 3.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 10.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 4. Comment. fol. 51. n. 9.* Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Zœs. *n. 3.* Honor. *n. 2.* Engl *n. 3.* Pirhing *n. 1.* Schambog *n. 2.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 6.* & cæter tum TT. tum Canonistæ pleno agmine cum S. Thom. *in 4. dist. 25. q. 3. art. 1.* & *2. 2. q. 100. art. 1.* Alijs verbis, sed eodem sensu illam describit Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 1. n. 7.* Est *Sacrilegium, quod committitur emptione, aut venditione, vel quovis alio contractu, quo Spirituale, ut tale est, commutatur pro temporali.*

4 Quæritur 2. quale peccatum sit Simonia? ℟. Est peccatum ex genere suo mortale, & gravissimum. Ita Orthodoxi omnes, & patet ex utriusque Juris Judicio: *Civilis* quidem; nam hoc Jure crimine isto infecti ad instar eorum, qui criminis publici, & læsæ Majestatis rei sunt, puniuntur, & à Sacerdotij gradu dejecti, perpetuâ notantur infamiâ, prout statuit Leo Imp. *l. si quemquam 31. C. de Episc. & Cleric.* & repetitur *can. sanè 4. caus. 15. q. 3. Canonico* autem, quod gravissimis pœnis, ut *infrà* videbimus, scelus hoc vindicat.

5 Dub. 1. in quo consistat essentialis Simoniæ malitia? ℟. Consistit in eo, quòd res Sacra, ac Spiritualis indignè, ac irreligiosè tractetur, dum in commutationem trahitur pro re temporali, perinde acsi tam vilis sit, ut instar temporalium rerum venalis proponi possit; *Quis enim non vile putat, quod venditur?* ait Hormisda Pont. *in Epist. ad Episc. Hispan.*

6 Ad sui constitutionem tria requirit, ut cum communi notant Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Engl *ibid. n. 6. fin.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 1.* scilicet 1. Pactum Emptionis Venditionis, aut similis alterius commutationis. 2. Pretium, quod consistit in re temporali. 3. Mercem, quæ in illa est res Spiritualis, aut Spirituali annexa: de quibus in decursu hujus Tituli plura.

Dub.

Dub. 2. cui Virtuti opponatur Simonia? 7 Videtur esse opposita Virtuti Fidei, & Justitiæ: *Fidei* quidem ex *can. Presbyter 3. & seqq. caus. 1. q. 1.* ubi Simonia appellatur *Hæresis*, & *can. fin. caus. cit. q. 7.* ubi Paschalis Papa, *Pater*, inquit, *Simoniacos velut primos, & præcipuos Hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non respuerint, ab exteris potestatibus comprimendos. Justitiæ* autem; quia hanc committentes venduntSpirituale, quorum non domini, sed dispensatores duntaxat sunt, pro pretio temporali contra voluntatem Christi, qui gratis ea vult dari *Matth. 10. v. 8.* atqui dispensator vendens bona, dispensationi suæ commissa, contra voluntatem domini, peccat contra Justitiam. Ergo &c.

Sed dicendum, per se, & principaliter 8 eandem opponi potiùs Virtuti Religionis, ut post *Host. Abb.* & alios antiquiores notant Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 3. n. 1.* Leff. *l. 2. de Just. c. 35. n. 2.* Layman. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 4. coroll. 2.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 3.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 9.* Pirhing *hic pr. & n. 3.* Schamberg. *ibid. n. 6.* Wiestner *n. 76.* Reiffenstuel *n. 9.* & alij DD. passim. *Ratio est*, quia, ut *n. 5.* dictum est; malitia illius in eo consistit, quòd per eam res Spirituales tractentur indignè, & irreligiosè, dum pretio temporali coæquantur, quæ tamen omne pretium superant.

9 Neque contrarium probant duo Argumenta opposita. *Ad 1.* Hæresis necessariò requirit judicium intellectûs erroneum; contrà Simonia committi potest sine judicio intellectûs erroneo, solo pravo voluntatis affectu. Igitur Hæresis propriè non est. Vocatur tamen *l. citt.* Hæresis, tum quia cum tali Judicio erroneo conjuncta fuit in Simone mago, qui donum DEI pecuniâ possideri posse temere existimavit *Act. 8. v. 20.* tum verò quia etiamnum sæpe cum tali errore conjungitur, ij autem, in quibus error hic abest, ita exteriùs operantur, acsi judicarent, supernaturalia Spiritûs S. dona obtineri, & possideri pecuniâ posse, quod esset judicium speculativum Hæresis.

10 *Ad 2.* Simonia dupliciter committitur; nam aliquando Spirituale datur pro temporali, ita, ut dans propterea nullum perdat emolumentum, vel incommodum subeat; aliquando autem ita, ut dans se commodo temporali privet, ut fit, quando pro pecunia resignatur Beneficium: in primo casu Simonia conjuncta est cum peccato injustitiæ, cùm nihil intercedat, quod pretio sit æstimabile; non autem in secundo, quòd tunc mercis rationem habeat commodum temporale, in cujus compensationem si exigatur pecunia, illicitè quidem agitur, non tamen jus alterius ullum per hoc lædi videtur.

11 Dub. 3. an Simonia sit Species Sacrilegij? Negant Cajet. *q. 99. de Sacrileg. dub. 1.* Valent. *tom. 3. D. 6. q. 16. p. 4. circa fin.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 4.* qui dupliciter illam à Sacrilegio differre contendunt. 1. Quia Sacrilegium est violatio rei sacræ secundùm usum, ad quem fuit destinata, v. g. siquis conculcet rem Divino cultui, & venerationi destinatam. Simonia verò est violatio rei sacræ non tam quoad ejus usum, quàm quoad ejus dignitatem, quippe quæ per emptionem, & venditionem minoris fit, quàm par est. 2. Simonia infert injuriam rei Sacræ per modum commutationis voluntariæ injustæ, i. e. cum relatione ad alterum ementem, vel vendentem, qui similiter infert injuriam rei Sacræ; sacrilegium verò non est per se cum relatione ad alterum, qui similiter violet eandem rem sacram. Ergo &c.

Sed retinenda est affirmativa senten- 12 tia, quam Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 1. n. 7.* supponit, & communiter DD. probant ex eo; nam Sacrilegium est rei sacræ violatio, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 99. art. 1.* definiunt TT. At Simonia revera est quædam profanatio, & injuriosa tractatio rei Sacræ, dum per eam ista æquiparatur pretio temporali, & sic infra dignitatem suam, quâ superat omne pretium, injuriosè abjicitur. Ergo &c.

Neque obstant argumenta opposita, 13 *Ad 1.* Sacrilegium committitur non tantùm per actum corporeum injuriosum rei Sacræ, sed quacunque ejus mala tractatione, & abusu. Atqui Simoniacus non minùs malè tractat, & abutitur re sacra, quàm qui eam conculcat, conspuit, furto subiegit &c. *Ad 2.* Imprimis etiam Simonia ab uno solo committi potest, sicut eam commisit Simon Magus, quin ejus participes se fecerint Apostoli: deinde esto, quòd committatur cum relatione ad alterum, hoc tantùm probat, quòd illa habeat aliquid speciale, quod non competit Sacrilegio genericè accepto: hoc autem non impedit, quin sit ejusdem species, sed potiùs necessarium est, cùm quælibet species contrahat differentiam, quæ non competit generi.

Dub. 4. an Simoniæ peccatum ob 14 solam parvitatem materiæ possit esse veniale? Affirmativa videtur colligi ex *c. etsi quæstiones 18. h. tit.* ubi Archiepiscopus Strigonienſis excusatur à Simonia, quod ab ipso pro Pallio fuerit datum modicum. *Et confirmatur* à pari cum alijs peccatis Religioni oppositis, v. g. cum violatione Voti, aut Juramenti promissorij, quod ex multorum sententia admittit materiæ parvitatem.

Sed respondendum est negativè. Ita 15 Navarr. *l. 3. cons. 52. n. 3. edit. 2.* Ugolin. *tr. de Simon. tab. 1. c. 17. pr. n. 3.* Suar. *tom. 1. l. 4. c. 3. n. 5.* Sanch. *l. 1. mor. c. 4. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 4. coroll. 2. v. addit.* Bonacin. *de Simon. q. 3. n. 13.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 7.* Barbos. *in c.*

etsi quæstiones cit. n. 3. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 46.* Zœs. *hic n. 56.* & præcipuè *n. 89.* Pirhing *n. 3. & 134.* Wiestner *n. 79.* Schambog. *n. 7.* Reiffenstuel *n. 11.*

16 *Ratio est*, quia si parvitas materiæ daretur in Simonia, daretur illa vel ex parte ipsius rei sacræ, quæ emitur, vel ex parte pretij, seu rei temporalis, quæ pro spirituali datur, v. g. solvendo modicum, & leve pretium pro Beneficio Ecclesiastico, aut Jure Patronatûs. Ex neutra parte materiæ parvitas peccatum veniale efficit: non ex parte rei ipsius sacræ: hæc enim, quantumcunque parva sit in suo genere, est nihilominus donum DEI, & altioris ordinis, quàm sit quævis res temporalis, ac propterea ejus vilipensio, quæ fit eam æquiparando rei temporali, est injuria gravis Spiritui Sancto irrogata: non ex parte pretij; quia malitia Simoniæ, ut sæpe hactenus dictum est, tota in hoc consistit, quòd Spirituale coæquetur pretio temporali, & sic vilipendatur. Atqui hæc vilipensio semper manet, qualecunque sit pretium, imò eò major erit, quò pretium minus est. Ergo &c.

17 *Ad Argumentum oppositum*, Archiepiscopus *in textu allegato* non excusatur, quia pro Pallio dedit modicum, sed quia modicum dando præsumebatur illud dedisse merè liberaliter, & non ex pacto, ut explicant Palao *n. 7. cit.* Fagnan. *in c. tua nos n. 37. & duob. seqq. h. tit.* Barbos. *in c. etsi cit. n. 3.* P. Pirhing *hic n. 134.* P. Wiestner *n. 79.* P. Friderich *de Simon. n. 9. Ad Conf.* negatur paritas; nam violatione Voti, & Juramenti per se, & directè non violatur res aliqua Divina, sicut tamen contingit per venditionem rei Sacræ: unde Simonia potiùs accensebitur Sacrilegio, Blasphemiæ, & Hæresi, quæ parvitatem materiæ non suscipiunt.

18 Dub. 5. ex quibus capitibus datio rei temporalis occasione rei spiritualis excusetur à Simoniæ peccato? R. Sex maximè enumerantur capita. 1. Si temporale pro spirituali, aut contrà omnino gratis sine ullo explicito, & implicito pacto datur, prout dicetur *infrà n. 66.* 2. Si post acceptum Spirituale datur temporale, aut contrà ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidorali juxta dicenda *n. 57.* 3. Si temporale, quod datur Ministris Ecclesiæ pro administratione Sacramentorum, pro Missis, & alijs functionibus Spiritualibus, ijsdem detur per modum stipendij ad honestam illorum sustentationem juxta explicationem *n. 91.* 4. Si dans, vel accipiens Spirituale pro temporali laborat ignorantiâ invincibili vel facti, quia non advertit rem hanc esse Spiritualem, vel Juris, dum non existimat illicitam esse pactionem Spiritualis pro temporali: quâ ignorantiâ, etsi Jansenistæ asserant, in statu Naturæ lapsæ operantem reipsa non excusari à peccato formali, contrarium tamen apertè constat ex *Constit. Alexandri VIII.* quâ hanc ipsorum doctrinam reprobat. 5. Si temporale solùm detur pro labore extrinseco, qui adhibetur in ministranda re spirituali *n. 98.* 6. Si detur solùm ad redimendam injustam vexam *n. 134. & seqq.*

19 Quæritur 4. quotuplex sit Simonia? R. Duplex est, una Juris naturalis, & Divini, altera Juris positivi Ecclesiastici. Ita Gloss. *in c. cùm pridem 4. V. illicitè in fin. de pact.* Gloss. *in c. ex parte 12. §. dimittere de Offic. Delegat.* Gloss. *in can. Salvator. 8. V. & Judicem cauf. 1. q. 3.* quas post *Innoc. Host. Abb. Felin. Dec. Ancharan. Alex. Turrecr.* sequuntur Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 2. n. 1.* Less. *l. 2. c. 35. dub. 2. & 4.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 2. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 3.* Pirhing *hic n. 5.* Schambog. *n. 9.* König *n. 6. & duob. seqq.* Reiffenstuel *n. 24.* Friderich *de Simon. n. 11.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de delict. c. 1. à n. 17.* & teste *Suarez l. cit.* ferè omnes. Unde *Gonetus*, dum *Dissert. de probabil. n. 148.* dixit, hanc distinctionem ineptam, & Chymæricam videri, & à RR. Casuistis excogitatam fuisse, valde peregrinum in DD. antiquis, de Simonia tractantibus, se esse ostendit; imò injurium ipsis SS. Canonibus, qui *c. quæstum 5. & c. cùm olim 7. de rer. permut.* definiunt, permutationem Beneficiorum, factam sine authoritate Superioris, labem semper continere Simoniæ, quæ tamen certò non est Juris naturalis; aliàs etiam interpositâ Superioris authoritate, licita fieri non posset.

20 Dub. 1. quid intelligatur sub nomine Juris Divini, quando dicitur, quòd aliqua Simonia sit Juris Divini? R. Intelligitur Jus mentibus nostris à DEO insitum, seu Naturale; nam Jus Divinum positivum, specialiter vetans indignum hunc rerum Sacrarum usum, non extat; sed à Christo, dum *Matth. 10. v. 8.* dixit, *Gratis accepistis, gratis date*, solùm fuit explicatum Jus naturale, ut post Franc. Victoriam *relect. de Simon. n. 11.* ac alios tradit, & fusè explicat Suar. *c. 2. cit. à n. 11.* Atque adeo, dum Simonia intrinsecè mala aliquando dicitur esse *Juris Naturalis*, aliquando *Juris Divini*, Synonymæ dictiones sunt.

21 *Ratio*, quæ Jure naturali vetitam esse Simoniam probat, est, quia est contra Jus naturæ, rem Sacram, & Spiritualem vilipendere, inhonorare, & indignè tractare. Atqui si res Sacra, & Spiritualis venditur, aut pro re temporali conceditur, ipsa vilipenditur, inhonoratur, & indignè tractatur; consideratur enim, ut res temporalis, naturalis, & pretio æstimabilis, cùm tamen ex doctrina Apostoli *ad Philipp. 3. v. 8.* res temporales in comparatione Spiritualium æstimentur ut *stercora*. Ergo &c.

22 Dub. 2. quando committatur Simonia Juris naturalis, aut Divini, & quando Ju-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ris positivi Ecclesiastici? R. *Simonia Juris naturalis*, & *Divini* committitur, quando pro re temporali datur res de se verè Spiritualis, aut huic annexa, uti est Gratia sanctificans, & aliæ gratis datæ, Sacramenti, Consecratio, Benedictio, Ecclesia, vel Calix post consecrationem, Ecclesiastica Jurisdictio, Spirituale Officium &c. Hæc propriissimè dicta Simonia est, & ei propriè convenit Definitio.

23 *Simonia Juris positivi Ecclesiastici* est, quando una res Spiritualis, aut Spirituali annexa datur pro alia Spirituali, aut huic annexa, qualis committitur ex permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum propria authoritate factâ, & in Resignationibus illorum Confidentialibus, prout *infrà n. 36. & seqq.* declarabitur. Imò aliquando Simonia Juris Ecclesiastici committitur, cùm res in se temporalis datur pro pretio temporali, ut contingit, cùm venduntur, aut emuntur Officia Oeconomi, Vicedomini Thesaurarij, Sacristæ, & similia; cùm enim ex natura sua non repugnet dari Spirituale pro Spirituali, temporale pro temporali, tota malitia in his casibus ex præcepto Ecclesiæ provenit, quo hæc ejusmodi rerum, vel Jurium, aut Officiorum commutationem ex motivo Religionis, & reverentiæ rebus Sacris debitæ prohibet.

24 Dub. 3. utrum Simonia Juris Ecclesiastici sit propriè dicta Simonia? Negant. Palud. *in 4. dist. 25. q. 4. art. 2.* Sot. *l. 9. de Just. q. 5. art. 2.* Tann. *tom. 3. D. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. n. 30.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. ult. n. 66.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 10* Pirhing *hic n. 6.* König *ibid. n. 8.* & videtur istud probare ratio; nam, ut *n. 6.* dictum est, ad Simoniam requiritur, ut interveniat simul pretium temporale, & merx Spiritualis. Atqui in Simonia Juris Ecclesiastici alterutrum deficit, pretium quidem temporale in permutatione Beneficiorum, res Spiritualis autem in venditione Officiorum Oeconomi, Vicedomini &c. Ergo &c.

25 Sed dicendum, etsi minùs propriè Simonia sit, venire tamen illam adhuc nomine Simoniæ posse. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 2. n. 1. & c. 7. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 25.* Carden. *Crisi. Theol. dissert. 27. n. 9. & duob. seqq.* Zœsl. *hic n. 50.* Schamb, *n. 10.* Wieltner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 26.* & præcipuè *n. 31.* cum communiori Interpp. & DD. *Ratio est*, quia Beneficia habent annexum aliquid temporale, nempe reditus, & Officia memorata relationem ad Spirituale, quippe cùm ordinentur ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, defensionem, vel custodiam. Cons. quando authoritate propria permutantur Beneficia, invenitur adhuc pretium temporale, & cùm Officia dicta venduntur, merx erit res Spiritualis, scilicet quæ talis ob connexionem cum Spirituali efficitur.

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata: 26
quæ etiam ex eo nimium probare convincitur, quia sequeretur, non esse in potestate Ecclesiæ facere, ut præcipiendo rem indifferentem ex motivo alicujus Virtutis ea res fiat objectum talis Virtutis: quod falsum est; nam exploratum est, quòd præcipiendo actum indifferentem ex motivo Religionis efficiat, ut sit actus Religionis: item ante præceptum Ecclesiasticum non erat Sacrilegium communicare non jejunum, sicut neque est Sacrilegium, si moribundus communicet non jejunus; sed post præceptum Sacrilegium est, quando quis extra periculum mortis communicat non jejunus. Igitur etiam prohibendo actum sub motivo turpitudinis, repertæ in Simonia, efficiet, ut ille sit actus Simoniæ.

Quæritur 5. quomodo subdividatur 27
Simonia utraque hactenus explicata? R. Tam Simonia Juris Divini, & Naturalis, quàm ea, quæ est Juris positivi Ecclesiastici, subdividitur in Internam, & Externam. *Interna* est, quæ in sola mente, sive interno animi proposito committendi Simoniam consistit. *Externa*, quæ in actum externum exit: quod duplici modo fieri potest. Vel enim intercedit aliquod pactum expressum, vel tacitum, vel non intercedit. *Si hoc secundum*, & nullo interveniente hujusmodi pacto, res Spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem Spiritualem acceptam quasi ex debito datur, committi dicitur *Simonia Mentalis*; si *primum*, appellatur *Simonia Conventionalis* à Conventione, quam superaddit Simoniæ Mentali.

Dub. 1. quando committatur Simo- 28
nia Mentalis? R. Tunc, quando quis rem Spiritualem alicui confert, tanquam compensationem, ex Justitia debitam pro re temporali ab ipso accepta, vel animo obligandi alterum ad reddendam rem temporalem; aut vice versa, quando quis alteri confert rem temporalem, tanquam ex Justitia debitam pro re Spirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem Spiritualem, nullo tamen pacto expresso, vel tacito interveniente. Et ita Simoniacus mentalis efficitur, qui inservit Episcopo, nullo quidem pacto, vel conventione externa verbis, vel signis facta, eo tamen animo, & intentione, ut pro mercede ei conferat Beneficium Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 26. not. 4.* Barbos. *in c. 12. n. 4. h. tit.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 23.* Engl *hic n. 12.* Pirhing *ibid. n. 7.* Illust. D. Præpos. Frising. *cons. 21. n. 12.*

Similiter committit Simoniam menta 29
lem ille, qui, cùm vacat Beneficium, quod ipse prensat, accedit Collatorem, vel Patronum, eique se commendat pro collatione,

tione, vel præsentatione ad Beneficium, & simul per se, vel per alium ipsi offert certam aliquam quantitatem pecuniæ, aut vas argenteum, vel aureum, absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut obligatione externè apposita, ut pro tali re temporali eidem conferat Beneficium, hac tamen interna intentione, fine, & animo, ut intuitu illius Collatorem, vel Patronum moveat, & obliget ad conferendum sibi præ alijs Beneficium.

30 Deducitur ex *Decreto Innocentij XI.* ubi inter prohibitas *n. 45.* refert sequentem Propositionem: *Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale.* *Conf.* ex ratione; nam qui ita inservit Episcopo, vel rem temporalem dat Collatori, vel Patrono, hac re temporali, vel servitio æquivalenter censetur emisse collationem, vel præsentationem ad Beneficium; neque enim inservit, aut dat omnino gratis: quod inde colligitur, quia tales, si per servitia, & munera non obtineant, quod desiderant, statim prorumpunt in murmura, & conqueruntur se nihil per ea effeciisse, quod non facerent, si obsequia sua, & munera obtulissent omnino gratis.

31 Dub. 2. quomodo contingere Simonia mentalis possit? R. Plerumque contingit ex parte dantium tantùm; quia intentio prava animo retinetur: potest tamen contingere etiam ex parte utriusque, scilicet tradentis rem temporalem ex una parte, & rem Spiritualem ex altera, sed casu, & non conventione, si scilicet uterque habeat pravum animum, & neuter hunc signis externis sufficienter manifestet. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 41. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 67.* Gonzal. *in c. fin. n. 2. h. tit.* Pirhing *hic n. 7.* Schambog. *n. 13.* Reiffenstuel *n. 16.*

Dub. 3. quid requiratur, ut com-
32 missa censeatur Simonia Conventionalis? R. Ad hanc non sufficit sola promissio rei Spiritualis pro temporali, aut vicissim; sed ea promissio etiam debet esse à promissario acceptata: nam si acceptata non sit, non Conventionalis, sed mentalis duntaxat erit, ut cum Farin. *l. 1. decis. 34. à n. 4.* bene advertit Reiffenstuel *hic n. 19.* quia deest vera conventio, & pactum, quæ *est duorum, pluriúmve in idem placitum consensus* tacitus, vel expressus *l. hujus 1. §. & est 2. ff. de Pact.*

Quæritur 6. quotuplex sit Simonia
33 Conventionalis? R. Est triplex, *Pura*, cùm traditio ex neutra parte secuta est; *Mixta*, cùm facta est traditio ex alterutra parte, aut mercis, aut pretij Simoniaci; & *Realis*, quando consummata est Simonia traditione tam mercis, quàm pretij. Flam. *l. 7. de Resign. q. 2. n. 7.* Azor *p. 3. l. 12. c. 2. q. 1.* Gutier *qq. can. l. 1. c. 9. n. 9.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 41. n. 4. & duob. seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 36.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 67.* Gonz. *ad c. 12. n. 3. h. tit.* Barbos. *ad Rubr. eod. n. 4.* Wagnereck *ibid. not. 6.* Vallens. *hic §. 3. n. 2. & 3.* Zœs. *n. 86.* Pirhing *n. 8. & 9.* Schambog *n. 13.* König *n. 4.* Wiestner *n. 7.* Reiffenstuel *n. 20.* Magnis. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 14.*

Dub. 1. an requiratur ad Simoniam 34
realem, ut totum pretium, quod pro re Spirituali promissum est, tradatur? R. Negativè: sed sufficit, si inchoatè, seu ex parte datum sit. Less. *n. 36. cit.* Et hinc si quis alicui pro Beneficio promisit alicui e. g. 300. fl. & isto accepto, interea dat 100. vel 50, aut etiam minus, Simonia Realis, pœnas Juris inducens, jam est completa. Idem est, si quis plura promisit obsequia temporalia, & accepto Beneficio, unum tantummodo, idque exiguum præstitit. Reiffenstuel *hic n. 22.*

Dub. 2. an ad Simoniam realem re 35
quiratur, ut res temporalis pro Spirituali, aut contrà mutuò statim simul tradatur? R. Negativè: sed sufficit, si tradatur post aliquod tempus etiam longum v. g. annum. Hinc licèt maneat Simonia mentalis, vel Conventionalis tamdiu, donec ex parte utraque fiat inchoatè saltem traditio, tamen ab illo momento, quo postea fit etiam alterius traditio, Simonia realis completur, & quoad pœnas Juris retrotrahitur ad tempus pactionis præteritæ. Reiffenst. *n. 23.*

Dub. 3. quotupliciter Simonia com- 36
mitti possit circa Beneficia Ecclesiastica? R. Committi potest Simonia *Juris communis*, seu *simplex*, & potest committi *Simonia Qualificata*, Jure speciali Ecclesiæ introducta, quæ *Confidentialis* dicitur à Fiducia, quam unus in altero, in quem Beneficium transfert, constituit. Posterior hæc introducta est per *Constit. Pij IV.* incipit *Romanum 7. Cal. Nov. 1564.* & *S. Pij V.* incipit *Intolerabilis Cal. Jun. 1569.* De hac ulteriùs

Quæritur 7. quid sit *Simonia Confi-* 37
dentialis? R. Est, quâ quis Beneficium Ecclesiasticum alicui quocunque modo v. g. eligendo, præsentando, conferendo, vel in ejus favorem resignando procurat cum expresso, vel tacito pacto, ut is, cui id procurat, post aliquod tempus idem Beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem, vel fructus ex eo præstet. Consequenter *materia* hujus Simoniæ sunt sola Beneficia Ecclesiastica: & hinc, quando Pensio, vel quodlibet aliud Jus, sub nomine Beneficij propriè non comprehensum, resignatur, etiam reservato accessu, ingressu, & regressu, de quibus *n. seq.* committitur solùm Simonia communis, non autem Confidentialis, nec incurruntur pœnæ, istam com-

committentibus constitutæ. Pirhing. *hic n.* 113.

38 Dub. 1. quænam sint præcipuæ Species Simoniæ Confidentialis? R. Præcipuam hujus speciem constituunt Collationes, & Resignationes, quæ fiunt cum reservatione Accessûs, Ingressûs, & Regressûs.

Accessus reservatur, quando quis volens Beneficium obvenire Titio, quia iste modò ob defectum ætatis, vel alia ex causa ad id inhabilis est, illud interea confert Cajo, ea conditione, & pacto, ut postquam Titius legitimam ætatem adeptus fuerit, illud dimittat, propria authoritate apprehendendum à Titio. Flamin. *l. 6. de Resign. q. 5. n.* 111. Laym. *l. 4. tr.* 10. *c. 8. n.* 75. Zœs. *hic n.* 123. Pirhing. *n.* 114. Schambog. *n.* 102. Wiestner *n.* 10. Reiffenstuel *n. 33.*

39 *Ingressus* reservatur ab illo, qui Beneficium sibi collatum, sed nondum possessum resignat alteri eo pacto, ut ubi iste Beneficium dimiserit, ipse resignans jus habeat ingrediendi possessionem illius. Flamin. *l. cit. n.* 114. cum reliquis suprà.

Regressus reservari ab eo dicitur, qui Beneficium sibi collatum, & jam possessum resignat alteri, eo pacto, ut ubi istud per mortem, Professionem Religiosam &c. istius vacaverit, resignans idem recuperet. Ita *citt.*

Causa prohibendi hujusmodi Resignationes, & Collationes duplex fuit, tum quòd speciem hæreditariæ successionis, quam SS. Canones oderunt, præbeant, tum quòd ansam dent optandæ, & captandæ mortis alienæ.

40 Dub. 2. an modis hactenus recensitis Simonia Confidentialis committatur etiam tunc, quando intercedit sola intentio, non verò etiam pactum expressum? R. Distinguendo: Vel enim resignans, eligens, præsentans, aut conferens Beneficium habuit animum obligandi resignatarium, collatarium &c. ad dandum, sibi, aut illi, cui vult, accessum, ingressum, aut regressum, vel sine animo obligandi solùm speravit, quòd is, cui sic Beneficium procuravit, esset illud resignaturus sibi, aut amico, vel consanguineo suo.

41 *Si hoc secundum*, non committitur Simonia; quia hac ratione non intercedit voluntas emendi, & vendendi. *Neque obstat*, quòd in Bulla S. Pij V. *n. 36.* allegata ut Simoniaca damnetur etiam sola intentio dimittentis Beneficium; non enim per intentionem ibi intelligitur sola spes, sed voluntas obligandi alterum, prout explicant Navarr. *Man. c. 23. n.* 109. Ugolin. *tab. 1. c. 22. §. 1.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 43. n.* 12. P. Friderich *de Simon. c. 4. n.* 195.

Si primum, interest, an intentio illa 42
obligandi expressa sit signo aliquo externo, vel non. *Si non est expressa*, committitur Simonia solùm mentalis, ut constat ex dictis *n. 28.* quæ tamen propriè dici *Confidentialis* non potest, cùm nec in Bulla *Pij IV.* nec in *Bulla Pij V.* specialiter damnetur, vel puniatur. *Si verò intentio obligandi signo externo expressa sit*, vera committitur Simonia, licèt alter nihil pacisçatur, vel repromittat, ut meritò docent Garc. *p. 11. de Benef. c. 3. n. 2.* Flamin. *de Confident. q. 26. n. 39.* Suar. *de Censur. D. 22. sect. 6. n. 15. & 16.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 18. n. 4.* & patet ex *Bulla Pij V.* ubi dicitur, Confidentiam, seu Simoniam Confidentialem censendam esse, siquis Beneficium receperit ex resignatione, vel cessione cujuscunque personæ simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam *solâ dimittentis intentione.*

Dub. 3. an Simonia Confidentialis 43
locum habeat etiam in Beneficiorum permutatione? *Ratio dubitandi* est; quia etiam ista fieri potest cum certa fiducia, sive pacto de permutatione suo tempore dissolvenda, & concedendo regressu ad sic dimissa, vel de ijs in favorem nepotum, aut aliorum resignandis, vel pensione sibi, aut alijs solvenda.

Sed dicendum, licèt ita Permutantes committant Simoniam Juris Communis, Confidentialem tamen ab ipsis probabiliùs non committi. Ita Navar. *ad hanc Rubr. conf. 77.* Suar. *l. 4. cit. c. 43. n. 11.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 75. v. illud*, Palao *p. 18. n. 2.* Zœs. *hic n. 124.* Pirhing. *n. 113.* Wiestner *n. 11.* Reiffenstuel *n. 39.* Ratio est, quia *Constitutiones Pij IV. & Pij V. citt.* pœnales, & odiosæ sunt. Igitur non sunt extendendæ, nisi ad cessionem, & resignationem Beneficiorum. Atqui sub nominibus cessionis, & resignationis ex communi usu Jurium, & DD. in odiosis ea, quæ fit ex causa permutationis, non venit. Ergo &c.

Secus discurrendum de Episcopo, 44
vel quovis alio Beneficij collatore; nam hic, si cum altero, vel utroque permutantium pacisceretur de fructibus, vel pensione sibi, vel alteri solvendis propter admissam permutationem, vel collationem factam, committeret Simoniam Confidentialem, prout cum reliquis *suprà* allegatis notant P. Wiestner *n. 12.* & P. Reiffenstuel *n. 40.* & satis clarè expressum est in *Const. Pij V. cit.* ibi: *Si Ordinarius, vel alius Collator contulerit, vel conferat Beneficium quovis modo* (ac proinde etiam ex causa Permutationis) *vacans, ea conditione tacita, vel expressa &c.*

§. II.

De Pactione Simoniaca.

SUMMARIUM.

45. &c. *Quid nomine Pactionis Simoniacæ veniat?*
49. &c. *An committatur Simonia per Pactum onerosum, ex parte unius fictum?*
53. &c. *An Simonia sit dare temporale ex sola spe gratitudinis exhibendæ ab altero per donum spirituale?*
56. &c. *Vel contrà dare Beneficium Ecclesiasticum Benefactori temporali?*
60. &c. *Quid si obligatio gratitudinis, pro exhibito spirituali præstandæ, deducatur in pactum?*
65. &c. *An aliquando committi Simonia possit per solam gratuitam donationem?*
71. &c. *Quid dicendum, quando temporale pro Spirituali datur, non ut pretium, sed solùm ut motivum?*
75. &c. *Vel contrà, quando datur Spirituale ad acquirendum temporale, ceu finem?*
82. &c. *An Simonia sit dare, promittere, legare &c. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei, aut operis Spiritualis?*
89. &c. *Quid sentiendum de Pactione, quâ Clericus convenit de stipendio, antequam in se susciplat obligationem ministrandi spiritualia?*
93. &c. *Quinam Clerici petere, & accipere tale stipendium possint?*
97. &c. *Pro quali labore?*
101. &c. *An Simoniam committat, qui temporale dat, vel promittit pro intercessione, commendatione, precibus &c. apud Patronum, vel Collatorem Beneficij interponendis?*

INter ea, quæ *n. 6.* dixi ad constitutionem Simoniæ requiri, est Emptio Venditio, seu Pactio Simoniaca; quia Simonia, ut patet ex *n. 3.* est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi &c.*

45 Quæritur 1. quid nomine *Emptionis Venditionis*, seu *Pactionis Simoniacæ* veniat? R. hoc nomine in Definitione, & materia Simoniæ venit quicunque contractus onerosus, & reciprocus, & omnis conventio tam tacita, quàm expressa, vi cujus Spirituale pro temporali, tanquam pretio datur, vel promittitur. Ita S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 1. ad 5.* Navar. *Man. c. 23. n. 105.* Azor *p. 3. l. 12. c. 1. q. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 2. ỳ. emendi*, Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 2.* Fagn. *in c. in ordinando n. 5. h. tit.* Barbos. *ad Rubr. eod. n. 3. circa fin.* Wagnereck *ibid. not. 4.* Carden. *Crif. Theol. Dissert. 27. n. 4.* Vallens. *hic §. 2. n. 2.* Zœs. *n. 3. fin.* Engl *n. 4. & 7.* Pirhing *n. 1. ỳ. dicitur 2.* Schambog. *n. 4.* König *n. 17.* Wiest. *n. 13.* Reiffenstuel *n. 68.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 10.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 2.* P. Friderich *de Simon. c. 1. n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de delict. c. 1. n. 8.* & cæteri DD. passim.

Ex quo sequitur 1. nomen *Emptionis Venditionis* in definitione Simoniæ sumi latè, 46 prout scilicet complectitur etiam Locationem, Transactionem, Permutationem, aut Contractum innominatum *Do, ut des &c.* & quamvis aliam pactionem expressam, vel tacitam. S. Thom. *l. cit.* Imò etiam nominatio, sive præsentatio, electio, institutio, confirmatio, renuntiatio, remissio, & similes actus, si gratis non fiant, sub nomine Emptionis Venditionis comprehenduntur. Nec actus positivi tantùm, sed etiam omissio, ut siquis accepto pretio omittat aliquem ordinare, absolvere, eligere &c. sub Pactionem Simoniacam cadit, ut *infrà n. 207.* dicetur. Fundatúrque acceptio hæc in Jure *l. statu liberi 29. §. Quintus 1. ff. de Stat. liber.* ibi, *Lex duodecim tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videtur.*

Sequitur 2. nihil referre ad Simoniam, 47 qualecunque nomen tali pacto imponatur; quia Lex non est imposita verbis, sed rebus *l. omne 2. fin. C. commun. de Legat.* & quidquid fit in fraudem Legis, est habendum pro infecto *l. jubemus 41. C. de liberal. caus.* & quoniam *certum est, quòd is committit in Legem, qui Legis verbum complectens, contra Legis nititur voluntatem*, ut habet *Reg. certum 88. in 6.* Quare non excusabitur à Simonia, qualecunque quis nomen pacto suo imposuerit, cùm nulla variatio nominis purget id, quod per se, & ex natura sua malum est: & prudenter Ulpianus *l. siquis 4. ff. de Legat. 1.* inquit, *Rerum vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.* Abb. *in c. 16. not. 2. h. tit.* Vivian. *in c. 36. ỳ. vel nominis eod.* Barbos. *ibid. n. 5.* Pirhing, *hic n. 36. not. 2.*

Sequitur 3. non requiri ad Simoniam, 48 ut interveniat pactum expressum: sed sufficit tacitum, etiam ex una solùm parte inchoatum, vel intentum, quo quis temporale quidem dat, aut præstat, aut præstare intendit animo, & intentione alterum obligandi; nam dari potest Simonia ex parte unius duntaxat, quando videlicet unus offert, dat, aut præstat, aut præstare proponit aliquid temporale animo obligandi alterum ad dandum Spirituale, & alter id vel non advertit, vel advertens non consentit,

&

& propterea non acceptat, vel Spirituale non viciſſim dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius Simonis Magi, non item S. Petri fuit Simonia commiſſa, dum ille huic quidem obtulit pecuniam pro dono Spiritûs Sancti, S. Petrus verò non acceptavit, ſed recuſavit dicens, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Hinc in Definitione non dicitur *Pactum*, vel *Contractus*, ſed *ſtudioſa voluntas* &c.

49 Quæritur 2. an Simoniæ vitium habeat pactum oneroſum, quod ex parte unius fictum eſt? *Certum eſt* 1. Eo caſu committi Simoniam, ſaltem mentalem ab eo, qui verè habet animum præſtandi temporale, vel ſpirituale, quod promiſit. Pirhing. *hic n. 9.* *certum eſt* 2. etiam alterum, qui talem animum non habuit, peccare graviter; quia fictè promittendo perniciosè, ſcandalosè, imò & ſacrilegè mentitur, atque alterum inducit ad Simoniam. Leſſ. *l. 2. de Juſt. tr. 35. n.* 11. Wieſtner *hic n.* 18. Reiffenſtuel *ibid. n.* 130. & alij apud iſtos. *Certum eſt* 3. eundem, qui ita facilè pactus eſt, in foro ſaltem externo habendum pro Simoniaco, donec probaverit fictionem; quia opus Simoniacum externum poſuit, & intentio operantis præſumitur eſſe conformis operi externo.

50 *Dubium eſt*, an ex parte ita paciſcentis fictè pactio hæc ficta verè ſit Simoniaca? Affirmat Navar. *Comment. ad c. fin. h. tit. n.* 10. & *Man. c. 23. n.* 106. *V. eſt autem.* Cum alijs ex ratione, quia ſic promittens, mediante promiſſione rei temporalis, licèt fictâ, & deceptoriâ, obligare intendit alterum ad conferendum Spirituale. Ergo jam aliquo temporali conſequitur Spirituale; nam ipſa promiſſio, quâ ſpirituale conſequitur, temporalis eſt, & pretio æſtimabilis, quia oneroſa, & multis periculis obnoxia.

51 Sed dicendum, à fictè paciſcente in foro conſcientiæ interno ſaltem Simoniam nullam incurri, & conſ. neque pœnas in Jure latas contra Simoniacos: & hinc ſi ex tali promiſſione ficta accepit Beneficium, retinere illud poterit, modò à legi imo Collatore acceperit. Ita Cajet. *tom. 2. Opuſc. tr. 9. q. 2.* Sot. *l. 9. de Juſt. q. 8. art.* 1. Rodriq. *V. Simonia c. 56. n. 6.* Suar. *tom* 1. *de Relig. l. 4. c. 42. n. 5.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n.* 11. Tann. *tom. 3. D. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. n. 29.* Laym. *l. 4. tr.* 10. *c. 8. n. 67. Coroll. 2.* Palao *tr.* 17. *D. 3. p. 6. n. 2.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 6. fin.* Pirhing *hic n. 9.* Reiffenſtuel *n.* 130. Wieſtner *n.* 15. Ratio eſt, quia ad Simoniam incurrendam requiritur animus emendi Spirituale pro temporali. Atqui iſte in caſu præſenti non adeſt in fictè paciſcente. Ergo &c.

Ad Argumentum oppoſitum dico, illo non probari aliud, quàm quòd hujusmodi fictione committatur peccatum ſcandali gravis; neque enim hoc caſu intervenit aliquid, quòd reſpectu ita paciſcentis habeat rationem pretij: nam ſi aliquid tale eſſet, illud eſſet vel ipſum temporale, quòd ita fictè promittit, vel ipſa promiſſio ficta. Non ipſum temporale; quia non adeſt animus illud dandi pro ſpirituali, quod requiritur, ut aliquid habeat rationem pretij in actu 2. non ipſa promiſſio ficta; quia licèt hæc pretio aliquo modo ſit æſtimabilis, non tamen offertur in pretium beneficij accepti, ſed tantùm eſt conditio, quâ pretium pro illo offertur.

52 Quæritur 3. utrum Simonia ſit dare quodcunque donum, vel obſequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex ſola ſpe gratitudinis, & intuitu remunerationis per Spirituale donum exhibendæ. E. g. Titius inſervit, vel aliud obſequium præſtat Patrono Beneficij, vel Epiſcopo ejus Collatori gratis, & absque animo ullius obligationis illi imponendæ, ſub ſpe tamen, & intentione ejus animum conciliandi, ut poſtea Beneficium ex gratitudine, & benevolentia ei præſtet: quæſtio eſt, an Titius hoc caſu committat Simoniam? *R.* Negativè. Ita omnes teſte Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 45. n. 4.* Ratio eſt, quia tali caſu obſequia non habent rationem pretij, ſed ſolùm conciliant benevolentiam, à qua procedit gratuita Beneficij collatio, vel præſentatio. *Conf.* qui ſpe obtinendi aliquid ultra ſortem, ex gratitudine ſibi præſtandum à mutuatario, dat ipſi mutuum, non committit Uſuram, juxta doctrinam S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. & 3.* Ergo nec Simoniam, qui ſpe obtinendi Spirituale gratis, & ſine pacto explicito, vel implicito, dat temporale: eſt enim par ratio; nam ſicut id, quod exigitur ſuprà ſortem, Uſuram efficit, ita Simoniam illud temporale, quod datur pro Spirituali.

Dubitari poteſt, an Simoniacus in dato caſu efficiatur, qui ſpem hanc ſuam accipiendi Beneficium Eccleſiaſticum, vel aliud quid Spirituale explicat illi, cui dedit temporale, & gratum ab illo animum poſtulat? Sed dicendum, neque ſic committi Simoniam, modò temporale omnino gratis detur, & abſit omne pactum, & voluntas alterum obligandi. Ita Suar. *c. 45. cit. n. 8.* & caret aſſertio ſic limitata omni difficultate. Nam 1. quod licitum eſt optare, licitum eſt etiam ſignis exprimere. Atqui juxta *n. præc.* licitum eſt optare, & ſperare Spirituale ex gratitudine ſibi viciſſim dandum ab eo, cui ipſe dedit antea temporale. Ergo &c. 2. Quod licitum eſt in mutuo, quin propterea committatur Uſura, licitum etiam eſt in materia præſenti, ne committatur Simonia. Atqui in mutuo, *ſi munus ab obſequio, vel lingua non quaſi ex obligatione rei exhibetur, ſed ex benevolentia, quæ ſub æſtimatione*

non cadit, licèt hoc accipere, exigere, & expetere, ut docet S. Thom. *l. cit. ad 3.* nec propterea committitur Usura. Ergo nec committetur Simonia, si dans temporale accipienti istud explicet spem, quam habet, recipiendi ab ipso Spirituale. 3. ipse DEUS temporalium bonorum promissione Populum Hebræum sæpe provocavit ad sui cultum, & præceptorum suorum observantiam: cujus exemplum secuti probi parentes sæpe munerum oblatione liberos, aliósque excitant ad orationem, & aliarum Virtutum actus, quin eos propterea quisquam reprehendat, & Simoniæ arguat.

55 Dixi, *Modò abstt omne pactum*; nam si pactum explicitum, vel implicitum, aut etiam intentio sola obligandi ex justitia hujusmodi spei, vel expressioni accedat, certò Simonia comunittitur. Et tale Pactum adesse in foro externo præsumitur, quando e. g. aliquis per longius tempus inservit Collatori, vel Patrono Beneficij, nullum, vel tenue duntaxat habens salarium; nam ex tali servitio voluntariè acceptato nasci videtur obligatio Justitiæ ad reddendam ei mercedem, & cons. obligatio remunerandi per collationem Beneficij, quod serviens intendit. Pirhing *hic n. 137.* & alij apud istum. Imò ut in hujus dubij, & præcedentis Quæstionis casu Simonia non committatur, quidam cum *P. Reiffenstuel* requirunt, ut hujusmodi obsequia, donationes &c. præstentur principaliter ex alio fine, & titulo; nam si ideo præcipuè, & principaliter ea præstitisti, ut ab altero, cui illa præstitisti, obtineres Spirituale, v. g. Beneficium &c. Simoniam, ut notat *cit. Author*, & *b. tit. à n. 94.* fusè deducit, jam commisisti. Quidquid sit, talia obsequia, etsi gratis præstentur cum spe obtinendi Beneficium, non carent periculo propter scandalum, & quia speciem saltem Simoniæ habent.

56 Quæritur 4. an sit Simonia dare Beneficium Ecclesiasticum benefactori temporali ex gratitudine, & ad satisfaciendum obligationi antidorali inde ortæ, ut si Episcopus, cui Clericus, vel ejus pater diu obsequia temporalia præstitit, eidem Clerico gratitudinis causâ conferat Beneficium, aut Patronus ad illud præsentet Clericum, qui liberos ipsius instituit? *Ratio dubitandi* est, quia qui dat Spirituale donum pro temporali obsequio, etiam titulo gratitudinis, videtur comparare, & adæquare Spiritualia temporalibus, in quo malitia Simoniæ consistit. *Conf.* Spiritualia ex præcepto Christi gratis dari debent, at quod datur ex obligatione antidorali, non datur gratis, cùm repugnet dari ex obligatione, & dari gratis, ergo &c.

Sed dicendum, in hujusmodi col-57 latione, vel præsentatione, modò gratis omnino fiat, non intercedere Simoniam. Ita Navar. *Man. c. 23. n. 106. v. conferens.* Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 1. & 3.* Carden. *Cris. Theol. Dissert. 27. n. 111.* P. Friderich. *de Simon. c. 2. n. 18.* Ratio est, quia in hoc modo conferendi, vel præsentandi nullum intercedit pactum, vel pretium: *non pactum*; quia ponitur, quòd ille, qui sua obsequia temporalia Episcopo, vel Patrono impendit, illorum compensationem per Beneficij collationem, aut præsentationem non intendat, sed illa vel gratis omnino, vel pro mercede temporali exhibuerit. *Non pretium*; quia dum aliquid datur ut pretium, id, quod datur, adæquatur accepto. non ita adæquatur, quòd datur ad satisfaciendum obligationi antidorali; quia, ut S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 2.* & *q. 106. art. 5. ad 1.* notat, gratitudo non tam respicit datum, quàm affectum; & hinc ex gratitudine conferri potest aliquid longè nobilius, quàm fuerit acceptum, absque vilipendio, & injuria muneris, quod rependitur, ergo &c.

Adde, nec Simoniam, nec illicitum 58 aliunde esse, si Patronus, vel Collator Beneficij Ecclesiastici prædictam suam intentionem explicet Clerico, eique dicat, se ipsi conferre Beneficium ex gratitudine propter obsequia, quæ vel ipse, vel ejus Pater Collatori præstiterit; nam licitè exprimitur causa, ob quam aliquid licitè fit, at licitè, ut *n. præc.* dictum, Beneficium confertur Clerico ob recepta obsequia temporalia ex gratitudine. ergo &c. Imò, ut Suar. *tom. 1. de Relig. D. 4. c. 45. n. 13.* existimat, potest Collator, vel Patronus à Clerico, cui contulit, vel procuravit Beneficium, petere, ut obligationem antidoralem, quâ ipsi Collator tenebatur remittat, modò Beneficium non detur in compensationem mercedis, quæ Clerico, vel patri ejus debetur propter obsequia collatori præstita. *Ratio est*, quia dum petitur remissio obligationis antidoralis, nihil petitur pretio æstimabile, sed solùm petitur, ut recognoscat alter, quòd remunerationem obsequiorum suorum acceperit: quod naturâ suâ inest, & nullam novam obligationem imponit.

Ad Rationem dubitandi in contrarium 59 *n. 56.* allatam patet ex Probatione *n. 57.* Certè tam parum hìc æquatio, sive æquiparatio Spiritualis cum temporali intercedit, quàm parum intercedit tum, cùm pauperes orant pro Benefactoribus, à quibus acceperunt nummos, aut cùm DEUS propter opera Virtutis dat bona temporalia. *Ad Conf.* donum gratuitum non excludit omnem, sed tantùm Justitiæ obligationem: aliàs etiam Simonia committeretur, quando pro Fundatoribus Monasteriorum, aliisque Benefactoribus offeruntur Sacrificia, & Orationes, aut quando illi participes fiunt bonorum operum, quæ fiunt in Ordine Religioso, cujus illi sunt Benefactores; nam nec ista fiunt sine omni obligatione, scilicet gratitudinis.

Quæ-

60 Quæritur 5. an Simonia committatur, quando obligatio gratitudinis, pro Spirituali exhibito præstandæ, deducitur in pactum? Pro negativa citantur *Felin. Covar. Machad. Hurtad. Vidal &c.* & videtur hoc ipsum probare ratio; quia quod naturaliter inest actui in pactum licitè deduci potest. ita inest obligatio gratitudinis collationi Beneficij. ergo &c.

Sed distinguendum est inter duos casus, *unum*, quo is, qui Spirituale accepit, obligationem suam antid ralem explicaturus, promittit se eam observaturum, non determinando gratitudinis genus, quo obligationem suam implere velit, *alterum*, quando determinatè se obligat ad temporale pro Spirituali, aut vicissim.

61 *In primo casu* non committitur Simonia; quia quilibet potest promittere, ad quod ex Jure naturali obligatur. Carden. *Crit. Theol. Dissert. 27. n 65.* P. Friderich *de Simon. c. 2. n. 36.* P. Reiffenstuel *hic n. 114.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 180.* Et in hoc sensu explicari debent. AA. pro negativa allegati, & de *Covarruvia* patet *l. 2. var. c. 20. n. 4.* ubi asserit, ita pariter sentire *Gloss. Card. Anan. Abb. Major. Gabr.* Debet tamen hoc casu vitari scandalum, quod facilè eodem casu contingit in eo, cui fit talis promissio, quippe qui per talem obligationem intelligere potest sibi offerri temporale pro Spirituali, & ita moveri ad Beneficium Ecclesiasticum conferendum; hoc enim videns alter induceret proximum in peccatum. Reiffenstuel *l. cit.*

62 *In casu secundo* ita promittens, & se obligans ad gratitudinem Simoniam committit. Ita Suar *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 45. n. 11.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 9.* Gibalin. *de Simon. q. 10. consect. 3. n. 5.* Carden. *Crit. Theol. Dissert. 27. n. 43. & seqq.* P. Pirhing *hic n. 125. ỳ. verùm*, P. Friderich *l. cit n. 37.* P. Reiffenstuel *n. 107.* Magnif. P. Schmier *n. 173.* estque sententia hodie certa post Decretum Innocentij XI. ubi inter Propositiones à Pontifice isto prohibitas refertur *n. 45.* Propositio his verbis proposita: *Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, si temporale solùm fit gratuita compensatio pro Spirituali, & contrà.* Ratio est, quia tali casu fit contractus onerosus dandi temporale pro Spirituali, & gratitudo deducitur in pactum, mutatúrque obligatio antidoralis in obligationem Justitiæ: cujus signum est, quòd ita promittens post promissum jam obligetur ad aliquid certum, cùm tamen antea ex titulo gratitudinis obligatus duntaxat fuerit ad obsequia incerta, ut proin jam sit aucta obligatio.

63 Imò Simonia etiam committitur, quando sub hac formula fit promissio, *Procura mihi Beneficium, jam exhibebo me gratum*, si verba hæc ita proferantur, ut attentis circumstantijs significent, datum iri temporale pro Spirituali; nam sensus verborum istorum dubius est, cùm indifferentia illa sint vel ad significandam obligationem præcisè antidoralem, vel ad aliam Justitiæ dandi temporale pro Spirituali. verba autem dubia in casu, quo non aliter de intentione proferentis constat, interpretationem accipiunt ex circumstantijs. ergo &c. Erítque Simonia ista, si partis alterius acceptatio intercessit, non tantùm Simonia merè mentalis, sed Conventionalis; quia celebratus censebitur Contractus reciprocus, completus intentione dandi temporale pro Spirituali ex una, & ex altera parte Spirituale pro temporali.

Ad Argumentum contrarium allatum *n.* 64
50. in pactum deduci potest, quod naturaliter inest actui, quando per adjectionem pacti non alteratur obligatio prior; secus, quando alteratur, & commutatur in obligationem aliam graviorem, nempe justitiæ. atqui dum per pactum obligatio gratitudinis determinatur ad præstandum temporale pro Spirituali, utique obligatio gratitudinis alteratur; nam præciso hoc pacto, ex honestate tantùm dabatur obligatio ad servitium arbitrarium, nunc verò, eo pacto supposito, surgit obligatio Justitiæ ad servitium certum, pecuniarium, & temporale, cùm quidquid debetur ex pacto, ex Justitia debeatur. Quare hoc casu Donatio remuneratoria naturam suam exuet, & migrabit in naturam Permutationis, quæ secundùm dicta *n. 46.* si fiat inter temporale, & Spirituale, Simoniaca est, quidquid in contrarium sentiant, & faciant Beneficiorum prensatores summi infimi, qui gratitudinis exhibendæ pallio tegere Simoniam contendunt.

Quæritur 6. an aliquando Simonia 65
committi possit per solam gratuitam donationem, factam absque pacto explicito, vel implicito, & absque intentione obligandi donatarium vicissim ex Justitia ad dandum Spirituale? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *can. emendari 104. caus. 1. q. 1. & c. in ordinando 1. h. tit.* ubi prohibetur baptizatus baptizanti, ordinatus ordinanti, &c. quidquam, etiam gratis dare. 2. ex Trid. *sess. 21. c. 1. de reform.* ubi S. Synodus vetat, ne pro collatione Ordinum quorumcunque, & Clericalis Tonsuræ pro Litteris Dimissorijs &c. Episcopi, & alij eorum collatores quidquam, *etiam spontè oblatum*, quovis Prætextu accipiant: Et additur *sess. 24. c. 18. ỳ. caveántque de reform.* eos, qui pro Examine ad Beneficia curata quidquam receperint, vel dederint, Simoniæ vitio obnoxios esse. 3. ex ratione; nam si gratuita donatio rei temporalis, facta occasione, vel intuitu acceptæ, vel accipiendæ rei Spiritualis, non esset Simonia, etiam Simonia non foret dare temporale pro Spirituali, tanquam gratuitam compensationem pro isto. Sequelam

lam damnavit Innocentius XI. *Propositione 45.* ergo &c.

66 Sed dicendum, si donatio fiat merè gratuitò, sine pacto & animo alterum sibi obligandi, sic donando ex rei natura Simoniam non committi. Ita Navar. *Man. c. 23. n. 106.* Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 1. & 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 36. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 8.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 5. n. 6.* Cassian. *à S. Elia Theol. mor. expurg. V. Simonia 1. c. 1. n. 6.* Fagnan. *in c. in ordinando 1. h. tit. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 8.* Moya *p. 1. select. qq. D. 1. q. 3. n. 2.* Zœs. *hic n. 55.* Engl *n. 7.* Pirhing. *n. 125.* Schambog. *n. 29.* König *n. 18.* Wiestner *n. 15.* Reiffenstuel *n. 117.* & exploratum est ex *can. quàm pio 2. fin. can. sicut 4. v. is autem caus. 1. q. 2.* & *c. dilectus 30. h. tit.* ubi in fine additur: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione*, seu ut Gloss. *ibidem V. taxatione*, pactione *gratis oblatum.* Ratio est, quia, ut committatur Simonia, temporale debet habere rationem pretij. atqui pretium non intercedit in Donatione merè gratuita; quia quod datur ut pretium, datur ex obligatione, & pactione, ergo &c.

67 *Proceditque hoc*, sive donum temporale detur post Spirituale donum, vel officium præstitum, sive etiam ante, aut simul cum ipso sit datum; nam modò gratis, & purè, sine ullo pacto expresso, vel tacito, aut intentione obligandi ex Justitia datum sit, ita dare Simonia non erit. Suar. *n. 2. cit.* Laym. *n. 8.* Pirhing. *n. 125.* & colligitur ex *c. quæstiones 18. h. tit.* ubi habetur, quòd quando ex circumstantijs præsumi potest, donum temporale priùs gratis esse datum, id non sit prohibitum. In foro tamen externo, quando spiritualis dationem præcedunt munera temporalia, plerumque præsumitur mala, & Simoniaca intentio; quia hujusmodi munera solent animum valde inclinare, ideoque etiam interdum Jure Ecclesiastico prohibentur, tanquam Simoniæ saltem speciem referentia. Gonzal. *l. cit. n. 8.*

Imò si intentio, vel Pactio Simonia-
68 ca, aut ejus præsumptio cesset, nec aliunde illicitum erit post Spirituale acceptum gratis dare temporale; quia non apparet, ex quo capite talis datio possit esse illicita. *Exceptio* facienda est in ijs, ubi Jus specialiter prohibet acceptare etiam gratis oblata, prout secundùm allegata *n. 65.* prohibetur Ordinanti, ne aliquid gratis oblatum acceptet ab ordinato, Examinatoribus, ne aliquid gratis oblatum acceptent à venientibus ad concursum pro Parochia. Similes prohibitiones speciales extant, ne antè, vel pòst recipiantur gratis oblata pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum &c. Carden. *Cris. Theol. Dissert. 27. n. 81. & seqq.* Reiffenstuel *hic n. 121.* Quodsi tamen his casibus contra prohibitionem Ecclesiæ acciperetur aliquid gratanter oblatum, non propterea committeretur Simonia, modò absit pactio, & intentio Simoniaca, sed dantes, & accipientes solùm inciderent in pœnas eo Decreto, quo prohibitio facta est, inflictas. Fagnan. *in c. tua nos h. tit. n. 30. fin.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 29.* contrà Carden. *l. cit. n. 81.*

Bene autem, ut cum *Hostiensi* no-69 tant Fagnan. *l. cit. n. 27.* cavendum his casibus erit, ne fraus sub specie talium munerum committatur; nam etsi ex hactenus dictis planum sit Simoniam, vel quasi non committi, nisi interveniente pacto vel quasi, facilè tamen tali casu committitur Simonia mentalis ob intentionem Simoniacam. Imò licèt etiam hæc intentio absit, non tamen facilè hujusmodi munera offerri deberent saltem ante collationem Spiritualis, etiam cessante omni alia prohibitione, præsertim in materia Beneficiali; cùm enim datio muneris ante collationem Beneficij Ecclesiastici saltem speciem Simoniæ habeat, & movere animum collatoris possit, ut indigno potiùs, quàm digno illud conferat, ideo, si antecedenter donatio fiat ab eo, qui Beneficium prensat, propter scandalum, malam consequentiam, & præsumptionem affectionis Simoniacæ in foro externo meretur pœnam, in interno plerumque peccatum incurrit *arg. c. etsi quæstiones 18. v. quod autem h. tit.* nam munera excæcant sapientes, & Apostolus nos abstinere vult non tantùm à malo, sed propter scandalum etiam à specie mali. Engl *hic n. 7.* König *ibid. n. 18. pr.*

Ad Argumenta *n. 65.* proposita fa-70 cilis est responsio. *Ad 1.* textus *ibi* allegati non loquuntur de donatione merè gratuita, sed primus quidem de datione facta cum exactione, secundus autem sub forma venditionis, ut ex verbo *Vendere*, quod ibi ponitur, clarè indicatur. *Ad 2.* Trid. *c. 1. cit.* eo casu receptionem sponte oblatorum, non ut Simoniacam, sed tanquam ex avaritiæ affectu profectam prohibet, ut Pal. *l. cit. n. 2.* & colligitur ex verbis Concilij, *Quoniam --- omnis avaritiæ suspicio abesse debet.* Quod additur ex *c. 18. sess. 24.* intelligendum est de receptione ex obligatione, & in commutationem datorum, prout desumitur ex *can. quando 5. dist. 24.* ejus margini adjecto, ubi ponitur verbum *vendere.* *Ad 3.* ea prohibitione Pontifex non correxit Jus antiquum, quo donationes gratuitæ absque Simoniæ vitio fieri possunt; sed tantùm damnatur doctrina eorum, qui à Simoniæ labe absolvebant gratuitas rerum Spiritualium compensationes, factas interveniente pacto, vel quasi, ut ex ejus Propositionis Declaratione observat Cassian. *l. cit. n. 7.* Est autem magnum discrimen inter Donationem gratuitam, & compensationem gratuitam, factam interveniente pacto, vel quasi; nam gratuita donatio est, quæ fit ex mera liberalitate,

litate, ita, ut non detur propter debitum, neque cum onere: contrà gratuita compensatio, si fiat ex gratitudine deducta in pactum, gratuiti rationem exuit, & obligationis Justitiæ rationem induit, ut ostensum est *suprà n. 62.*

71 Quæritur 7. utrum sit Simonia dare temporale pro Spirituali non ut pretium, sed solùm ut motivum? Negabant aliqui, & patrocinari ijsdem videbatur ratio; nam dare temporale spe obtinendi Spirituale, aut viciſſim, si pactum absit, & animus obligandi alterum, non est Simonia, ut dictum est *n. 53.* & cum *S. Thoma* docent ferè omnes TT. & Canonistæ. atqui iste verò dat ex motivo obtinendi Spirituale per temporale, aut contrà. ergo Simonia non est dare temporale pro Spirituali solùm ut motivum, & non ut pretium.

71 Verùm affirmativa hodie certa est post Decretum Innocentij XI. quo inter prohibitas *n. 45.* retulit Propositionem sequentis tenoris: *Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat ut motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale. Proceditque hoc*, sive alter agnoscat intentionem dantis temporale, & inde moveatur ad conferendum viciſſim Spirituale; sive non agnoscat eam intentionem, vel agnitâ illâ, ad dandum Spirituale non moveatur; nam in primo quidem casu Simonia committetur ab utroque, in secundo à solo dante. Carden. *Cris. Theol. dissert. 27. n. 16. & seq.* Sbogar *Theol. radic. tr. 146. n. 7.* P. Friderich. *de Simon. c. 2. n. 25. & seqq.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 167.*

73 Ostenditur 1. ex *c. tua nos 34. b. tit.* ubi apud districtum Judicem DEUM culpabilis, & conſ. Simoniacus pronuntiatur, qui bona sua offert Ecclesiæ, nullo expresso pacto, sed ea tamen intentione, *ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia* (nempe Canonicatum) *valeat adipisci.* atqui iste non offert bona hæc sua in pretium, sed solùm ut motivum, quo Canonici moveantur ad se recipiendum in fratrem. ergo &c. 2. ad Simoniam non requiritur venditio expressa, & formalis, sed sufficit virtualis, & voluntas etiam interna emendi, aut vendendi Spirituale pro temporali. talem habet, qui temporale pro Spirituali dat, ut motivum, & non aliter; non enim dat illud omnino gratis, cùm ita sit constitutus, ut non daret, si alterum non speraret movendum ad dationem Spiritualis, & si spe sua frustretur, queratur sibi fuisse illusum. ergo &c. 3. si dicto modo permitteretur dare temporale ad obtinendum Spirituale, & viciſſim, cessaret omnis Simonia in foro externo, & eluderentur omnes Canones eam damnantes, eorúmque pœnæ in Simoniacos statutæ; quia quivis diceret, se temporale non dare ut pretium, sed solùm ut motivum: sicque sub isto Schemate, & pallio fœda passim fieret nundinatio Spiritualium, præsertim Beneficiorum Ecclesiasticorum, atque ad hæc non ampliùs merita, sed opes præberent aditum cum non exiguo Ecclesiæ, & animorum damno.

74 *Ad Argumentum* contrarium *n. 71.* allatum nego paritatem inter spem, & motivum; nam qui dat temporale, sperans fore, ut is, cui dedit, ex gratitudine, & liberalitate postea conferat Spirituale, e. g. Beneficium Ecclesiasticum, nulla ratione vult obligare Episcopum, vel Collatorem ad dandum Beneficium, sed relictâ ipsi omnimoda libertate tantùm sperat ipsius liberalitatem, & gratitudinem. At qui Colatori dat temporale, tanquam motivum ad dandum viciſſim Spirituale, revera non dat gratis, & liberaliter, sed vult, ut is oblatum temporale aut non acceptet, aut si acceptat, Beneficium, quod petit, conferat: sicque re ipsa tacitè pacisciturac per consequens habet voluntatem emendi.

75 Quæritur 8. an Simonia sit dare, vel facere aliquid Spirituale ad acquirendum temporale, ceu finem? *Rationem dubitandi* ex una parte facit Decretum Innocentij XI. ubi inter prohibitas *n. 46.* refertur Propositio, quæ dicebat, *non esse Simoniam, si temporale sit finis rei Spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res Spiritualis.* Ex altera verò parte legitimare actum ejusmodi videtur ratio; quia Simonia solùm committitur, quando aliquis emit, vel intendit emere Spirituale pro temporali, aut viciſſim. atqui intendere lucrum temporale etiam tanquam finem principalem non est emere, vel vendere rem Spiritualem, si non intendatur lucrum principaliter tanquam pretium. ergo &c.

76 Respondeo cum Magnf. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 183.* distinguendo inter Finem intrinsecum, & extrinsecum. *Finis intrinsecus* est, ad quem res ex natura sua destinatur: & ita finis intrinsecus Beneficij Ecclesiastici est subsidium temporale, seu sustentatio Clericorum; nam ad hanc Beneficia in prima mox constitutione sua sunt ordinata. *Finis extrinsecus* est, ad quem persona agens rem aliquam liberè destinat, absque eo, quòd ex sua natura ad illum ordinetur, ut fit, quando Confessarius Absolutionem Sacramentalem ordinat ad remunerationem temporalem, cùm tamen Absolutio ex fine intrinseco tantùm ordinetur ad finem, & utilitatem supernaturalem. Præterea Finis intrinsecus alius est *Principalis*, quem per se primò res respicit, uti est in Beneficio Ecclesiastico Servitium Divinum, & commodum Spirituale; alius *Minùs principalis*, quem res secundariò, & quasi in consequentiam respicit, uti in Beneficio est alimentatio, & sustentatio Beneficiati. His suppositis.

77 Dicendum 1. Si res, vel actus Spiritualis detur, aut exerceatur ob *Finem temporale*

poralem extrinsecum, committitur Simonia; nam hujus malitia, ut *n.* 5. dictum est, consistit in eo, quòd res Sacra, & Spiritualis indignè, & irreligiosè tractetur, eam in commutationem trahendo pro re temporali. hoc fit, spectata intentione operantis, quando datur res Spiritualis, aut hujusmodi actus exercetur ob finem temporalem extrinsecum; quia ad hunc eum detorquendo minus æstimatur, quàm temporale. ergo &c.

78 2. Similiter committitur Simonia, quando res, vel actus Spiritualis præstatur *principaliter* propter finem temporalem intrinsecum, prout jam ante memoratum Decretum Innocentij XI. docuerunt S. Thom. *quodl. 8. art. 11.* & Gerson. *p. 2. tr. de Simon. propos. 1.* Ratio est, quia hoc casu res temporalis pluris æstimatur, quàm Spiritualis, hoc ipso, quòd principaliter moveat dantem, vel agentem: adeóque verificatur sensus Propositionis damnatæ in illis terminis, in quibus damnata est. Card. *Cris. Dissert. 27. n. 95. & 99.*

79 3. Contrà liber à labe Simoniaca est, qui rem, vel actum Spiritualem præstat *minùs principaliter* propter finem temporalem intrinsecum; nam hic nec vendit rem, vel actum Spiritualem, sed potiùs juxta naturam, & institutionem suam confert, nec eam inhonorat, sed potiùs eam dirigendo ad finem temporalem intrinsecum minùs principaliter pluris illam æstimat, quàm temporale. Adde, quia in hoc casu, ut bene notat Carden. *n. 95. cit.* propriè non ipsum Spirituale, c. g. Beneficium, cui quis inservit propter commodum temporale, ordinatur ad finem temporalem, sed solùm temporalitas Beneficio annexa; adeoque adhuc æquiparatio fit temporalis cum temporali.

80 Ex quo patet Responsio ad *Rationem dubitandi* allatam *n. 75.* & simul deciditur dubium, an Simoniam committat Beneficiatus, qui Beneficio suo deservit propter fructus, Clericus, qui Missam legit propter stipendium, Canonicus, qui Chorum accedit propter Præsentiam, seu Distributiones quotidianas &c. *Dicendum* enim, si isti commoda hujusmodi temporalia intendant minùs principaliter, principaliter autem velint honorare DEUM, culpâ, & labe Simoniaca immunes esse; contrà eandem contrahent, si hujusmodi commoda habent pro fine principali, utpote evertentes naturam rei, & sic æquiparantes temporale Spirituali.

81 In dubio tamen, ut bene notat Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 1.* quilibet præsumitur eo fine operari, quo res, & opus postulat: adeoque præsumitur Clericus principaliter intendere ministerium Sacrum, minùs principaliter commodum, ac emolumentum temporale.

82 Quæritur 9. an Simonia sit dare, promittere, legare &c. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei, aut operis Spiritualis, prout fit, si parentes aliquid donant liberis, ut Ecclesias, aut Sacramenta frequentent, si Christianus Infideli offert præmium, ut Sacrum Baptisma suscipiat, si Puella Hæretico promittit nuptias, ut ad Fidem Orthodoxam se convertat, si Testator Ecclesiæ legat 1000. fl. ut Aniversarium pro se, & familia sua fiat, si Pater Legatum aliquod, tanquam præcipuum, relinquit filio, sub conditione, si Ordinem Religiosum intraverit &c.

83 *Ratio dubitandi* esse potest; quia Simoniam committit, qui Episcopo temporalia exhibet, ut Beneficium Ecclesiasticum ipsi conferat. Ergo etiam, qui Religiosis offert temporalia, ut celebrent Anniversarium; nam utrobique temporalia cum Spiritualibus quasi permutantur. *Conf.* dare temporale, ut motivum, pro Spirituali juxta dicta *n. 72.* est Simonia. Ita dari videtur temporale in casibus *n. præc.* quia per hujusmodi Legatum, vel Donationem sub conditione operis pij, moveri Legatarius, vel Donatarius potest, ut ex motivo solius pecuniæ sibi legatæ ceu fine principali exequatur opus pium, suscipiat Fidem, Religiosum Statum assumat &c. Ergo &c.

84 Sed dicendum, in casibus allatis nullam committi Simoniam. Ita Gloss. *in can. debet 53. caus. 23. q. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. c. 39. n. 18.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 11.* Barbos. *in c. 30. h. tit. n. 6. & 7.* Zœs. *hic n. 78.* Engl *n. 8.* König *n. 19.* Pirhing *n. 129.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 192.* & habet praxis communis, à nemine improbata, imò approbata satis clarè à SS. Canonibus *c. olim 12. de restit. spoliat. c. fin. de Testam. c. ex parte 31. de V. S.* ubi varia Legata, & Donationes sub conditione, vel modo construendæ Ecclesiæ, celebrandi Anniversarij, conservandæ fabricæ &c. approbantur: imò *c. verùm 4. de condit. appos.* & *Clem. dudum 2. de Sepultur.* generatim admittitur facultas donandi, vel legandi Ecclesijs, aut causis pijs sub conditione honesta.

85 *Ratio est*, quia in hujusmodi donatione, promissione, vel Legato non intervenit contractus onerosus, imponens obligationem absolutam; sed id, quod conditione impleta datur, adhuc gratuitò, & merè liberaliter datur, sicut gratuitò, & liberaliter datur, quod donaturum se quis promisit sub conditione, *Si pax sequatur, si Imperator Turcam vicerit &c.* Certè si hoc modo committeretur Simonia, omnes, aut pleræque fundationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum &c. Simoniacæ forent; nam in omnibus, vel plerisque assignantur proventus temporales sub conditione operis pij.

86 *Conf.* ut committatur Simonia, tem porale, quod datur, debet habere rationem pretij, motivi, aut saltem finis principalis respectu Spiritualis, ita, ut huic quodammodo adæquet temporale. Nihil istorum fit in casi-

casibus allatis; quia temporale in ijsdem non consideratur tanquam pretium, aut motivum, vel finis rei Spiritualis, sed potiùs tanquam liberalis remuneratio actûs Spiritualis, exerciti in gratiam legantis, vel donantis: ut adeo, teste Suar. *l. cit.* ne quidem umbra Simoniæ cernatur in data Hypothesi.

87 Bene tamen observat Laym. *n. 11. cit. ℣. neque enim*, Simoniacum fore, si res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter imponeretur obligatio ad opus Spirituale, v. g. ad ingressum Religionis &c. videtur enim ejusmodi opus Spirituale, ad quod aliquis absolutè obligatur, pretio æstimari: & sic intelligi debet textus *can. quàm pio 2. caus. 1. q. 2.* ubi Bonifacius Pontifex, *Nunquam*, inquit, *legitimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad DEI cultum aliquo muneris interventu provocâsse.*

88 *Ad Rationem dubitandi* allatam *n. 83.* duplex dari disparitas potest; nam primò, qui offert temporale, ut obtineat Beneficium Ecclesiasticum, re ipsa intendit adæquare, & compensare Spirituale cum temporali; qui autem offert temporale pro Anniversario, neutiquam talem adæquationem intendit, sed temporalia solùm dedicat, ut pro commodo Spirituali deserviant ad opus Spirituale. *Deinde*, qui facit Legatum pro habendo Anniversario, non dat pecunias in compensationem rei Spiritualis, sed solùm in retributionem, aut stipendium laboris, & obligationis susceptæ; is autem, qui pecunias præsentat pro Beneficio, alium titulum nequit ostendere, quàm compensationis, quo titulo dari temporale pro Spirituali non potest.

Ad Conf. finis legantis, vel donantis hoc casu est simpliciter Supernaturalis, nempe honor DEI, vel Beatitudo animæ, cujus intuitu per temporale, tanquam medium, donatarium, vel legatarium invitat ad opus pium. Quodsi verò iste pervertat ordinem, & opus pium peragat principaliter propter temporale, quod per Donationem, vel Legatum eidem obvenit, enim verò secundùm dicta *n. 78.* reum se Simoniæ faciet, sed non ex vi Legati, vel Donationis, quæ optima intentione à Legante, & Donante facta est; sibi enim, & suæ malitiæ imputare debebit sic operans, quod intentionem donantis evertat.

89 Quæritur 10. an Simoniaca sit pactio, quâ Clericus convenit de stipendio, sive congrua personæ suæ sustentatione, antequam in se suscipiat obligationem ministrandi Spiritualia? Pro Simoniaca eam habent Richard. *in 4. dist. 25. art. 3. q. 2. ad 2.* Sylv. *V. Simonia q. 9. dict. 3.* Host. *in c. significatum 11. de Præb.* & quidam alij. 1. Quia in Spiritualibus omnis pactio, & conventio cessare debet *can. quàm pio 2. caus. 1. q. 2. & c. fin. de Pact.* 2. Quia juxta SS. Canones stipendia quidem spontè oblata possunt accipi pro ministratione Spiritualium, non tamen exigi *can. de Eulogijs 8. dist. 18. can. nullus 100. & can. seq. caus. 1. q. 1. can. placuit 1. & c. sicut Episcopus 4. caus. cit. q. 2.* 3. Quia gratis dare, & ex pacto dare videntur inter se pugnantia.

Sed dicendum, hujusmodi pactio 90
nem non esse Simoniacam. Ita Gloss. *in c. significatum cit. V. ita quod.* Abb. *ibid. n. 8. & in c. suam 29. h. tit. n. 12.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 36. n. 3. & c. 46. n. 4.* Gutier. *qq. can. c. 29. n. 13.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 48.* Laym. *l. 4 tr. 10 c. 8. n. 15.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 4. n. 4.* Moya *p. 2. select. qq. tr. 2. D. 1. q. 1. §. 2. n. 25.* Pirhing *hic n. 127.* Wiestner *n. 21. ibid.* P. Friderich. *de Simon. c. 2. n. 54.* estque communis aliorum, & in praxi recepta sententia. *Ratio est*, quia quod ex Justitia debitum est, & quoad quantitatem Lege, vel consuetudine nondum determinatum, in pactum deduci potest, ut quoad hanc determinetur. Atqui Clericis Spiritualia ministrantibus stipendium Jure naturali, & Justitiæ debitum est; huc enim pertinet textus *Matth. 10. v. 10. Dignus est operarius mercede sua;* & *1. Corinth. 9. v. 7. nemo stipendijs suis militat unquam.* Igitur ubi stipendium Lege, vel consuetudine determinatum non est, per pactum determinari potest.

Ubi tamen tria notanda sunt. 1.91
Nomen *Mercedis* hìc accipi debet non pro mercede proportionata operi Spirituali; tunc enim haberet rationem pretij temporalis: sed pro mercede commensurata conditioni personæ operantis, quæ haud dubiè ob labores suos Spirituales sustentatione, & stipendio digna est. 2. Si certa quantitas stipendij pro hujusmodi functionibus Spiritualibus determinata sit per consuetudinem, vel taxata à Superiore Ecclesiastico taxatio hæc, & consuetudo est observanda *c. ad Apostolicam 42. h tit.* 3. Abesse debet turpe pactum, vel exactio avaritiæ speciem præferens, qualis esset, si denegaret aliquis peragere Spiritualia, antequam pecunia numeretur, vel cautio pro ea præstetur; nam in his animus, & affectus quodammodo Simoniacus exprimitur *can. quam pio 2. & duob. seqq. caus. 1. q. 2. c. in tantum 36. & c. audivimus 41. h. tit.* König *hìc n. 18. ℣. 2. Ministri.* Pirhing *ibid. n. 127.*

Neque obstant argumenta in contra 92
rium allata *n. 90. Ad 1.* textibus *citt.* solùm prohibentur pacta inhonesta, *i.* e. quæ pugnant cum gratuita donatione Spiritualium, & quibus ista pro temporalibus commutantur, ut exponit Gloss. & DD. *in c. fin. de Pact. & in c. 2. de Transact.* Atqui pactum de stipendio sustentationis non pugnat cum gratuita Spiritualium administratione, nec includit permutationem Spiritualis pro temporali, sed solùm exprimit obligationem natura-

turalem, quâ illi, quibus Sacra ministrantur, tenentur alere eos, qui ministrant. *Ad 2.* Jura allegata solùm damnant pactionem, quâ aliquid exigitur ut pretium rei Spiritualis; aut titulo etiam sustentationis, sed pro ijs ministerijs, pro quibus vetante speciali Lege Canonica nihil exigi potest; aut pro illis, pro quibus nunc ex determinatione Ecclesiarum, vel consuetudine aliquid exigi potest, tunc verò non poterat. *Ad 3.* Licèt hoc stipendium debeatur ex Justitia, non tamen tollit, quo minùs gratis Spiritualia dispensentur, cùm debeatur, non ut pretium, sed ut supplementum necessitatis.

93 Quæritur 11. an stipendium sustentationis exigere possint non tantùm Clerici pauperes, sed etiam divites, & qui aliunde, videlicet ex suo patrimonio, vel ex reditibus Ecclesiasticis ea, quæ pro honesta sustentatione necessaria sunt, habent? Negant Richard. *in 4. dist. 25. art. 3. q. 1. ad 2.* Angel. *V. Simonia 2. n. 6.* Sylv. *V. eod. q. 9. §. tertium.* Cajet. *2. 2. q. 100. art. 3. dub. 2.* & videtur hoc colligi ex *can. clericos 6. & duob. seqq.* ubi S. Hieronymus, & S. Prosper negant, Clericos propria habentes debere è bonis Ecclesiæ sustentari.

94 Sed dicendum, posse etiam Sacerdotem divitem exigere id, quod fideles ex Statuto, vel consuetudine ratione Ministeriorum Sacrorum tenentur solvere, saltem si ex vi Officij sui ad hæc non sint obligati. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 46. n. 7.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 14.* Pirhing *hic n. 128.* Engl *n. 15.* Reiffenstuel *n. 193. & 194.* & communis TT. ac Canonistarum cum S. Thom. *Quodl. 6. art. 10.* Sumitur ex *can. fin. caus. 1. q 2.* ubi universaliter, & sine restrictione dicitur: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilantérque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm servitij meritum, per ordinationem Canonum a Sacerdotibus consequantur.* Ratio est, quia quòd aliunde necessariam, ac sufficientem sustentationem habeant, est per accidens, neque impedit, quò minùs adhuc stipendium debeatur ex Justitia.

95 Aliud est in Parocho, vel alio Beneficiato, qui ex vi Officij sui obligatus est ad ministranda Spiritualia; nam hi, si sufficientem aliunde sustentationem habeant, v. g. ex Decimis, & alijs proventibus Ecclesiasticis, contra Justitiam peccant, si novum stipendium petant, vel de eo pactum ineant. Ita communis DD. & sumitur ex S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.* Ratio est, quia universim contra Justitiam est exigere temporale stipendium ratione operis aliunde ex Justitia debiti, cùm eo casu desit titulus illud exigendi; si enim exigi illud posset, exigeretur vel ex pacto gratuito, vel ex oneroso: non ex gratuito; quia dans non vult donare, sed tanquam pretium dare: non ex oneroso; quia hujus pacti ea conditio, & natura est, ut utrinque obligationem pariat. Nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam antè ex Justitia obligatus est facere, vel intermittere aliquid. Ergo cùm quis cum altero paciscitur de novo stipendio, dando pro eo, quòd aliàs ex Justitia debitum est, injuriam ei infert. Suar. *c. 46. cit. n. 9.* & *c. 47. n. 5.* Laym. *c. 8. n. 16.* & *l. 3. tr. 4. c. 4. n. 9.* Zœs. *hic n. 55.* Pirhing *ibid. n. 128.* & alij passim. Quin imò talis exactio speciem quoque Simoniæ habet, & est Simonia saltem præsumpta: ideoque Jure positivo, ut Simonia, interdum prohibetur. Pirhing *l. cit.*

Ad textus *n. 93.* allegatos dico, ibi 96
solùm asseri, quòd Clericis non indigentibus nihil debeatur ex bonis Ecclesiæ, destinatis in sustentationem pauperum: nam si intelligi deberent de stipendio, nimium ex ijs probaretur; probaretur enim, quòd Clerici, qui ex suo patrimonio se alere possunt, neque possent percipere Decimas, & alios beneficiorum suorum reditus: quod falsum est, & contra mentem Ecclesiæ.

Quæritur 12. pro quali labore Clerici 97
exigere possint sustentationis stipendium? Nam duplex in hujusmodi functionibus Spiritualibus distinguitur labor: unus ijsdem intrinsecus, qualis est, qui adhibetur in ipsa celebratione Missæ, vel collatione Ordinum, & est ab his functionibus inseparabilis; alter, qui est illis extrinsecus, & ab ijs per se separabilis, ut quòd celebraturus Missam debeat exspectare certam horam, aut alienum nutum, quòd debeat facere iter, vel adire certum locum, quòd alia incommoda subire, vel negligere sua commoda, sua negotia &c.

Respondeo, in compensationem labo- 98
ris intrinseci peti, vel accipi nihil posse, cùm æstimationem ab ipso actu distinctam non habeat, potest autem in compensationem laboris extrinseci. Ita Gloss. *in c. significatum 11. de Præb.* Sylv. *V. Simonia q. 9.* Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 1.* Azor *p. 3 l. 12. c. 3. q. 1.* Suar. *l. 4. c. 29. n. 15. & 18.* Gutier. *l. 2. qq. can. c. 21. n. 12.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 45.* Bonac. *de Simon. D. 1. q. 6. p. 3. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 41. & 42.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 11. n. 3.* Barbos. *in c. 29. h. tit. n. 5.* Wagnereck *in c. 10 V. pro Sepultura not. 2. & 3.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 61.* Vallens. *hic §. 2. n. 5.* Zœs. *n. 37.* Schambog. *n. 4* König *n. 4.* Wiest. *n. 62. & 63.* Reiffenst. *n. 305.*

Ut tamen rite fiat hujusmodi exactio 99
pro labore extrinseco, necesse est, ut labor ille non sit aliunde debitus v. g. ex officio, fundatione, contractu &c. nam hoc si fiat, & pro eo labore competens salarium, vel stipendium habeat, pro illo nequaquam aliquid ulteriùs exigere valet absque peccato Simoniæ; quia cùm in ejusmodi casu talis careat omni justo titulo aliquid exigendi,

pro

pro ipsa re Spirituali temporale exigere censeretur, prout cum cæteris bene advertit Reiffenst. *hic n. 307.* Hinc Parochus, aut Capellanus vel nihil, vel non plus, quàm pia, & laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, & incommoditate, quam habet, dum S. Viaticum portat ad infirmum Parochianum, una, vel duabus horis distantem; quia ad id ex Officio tenetur, & propterea reditus, & stipendium habet. Deinde cavendum est, ut non plus exigatur, quàm talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum à parte reijuxta prudentum æstimationem valet; secus enim haud dubiè committeretur Simonia, cùm excessus ille non jam pro temporali, sed pro Spirituali exigeretur, ut bene cum communi aliorum advertunt DD. *citt.*

100 Non minùs Simoniæ reos se faciunt, qui excedunt stipendium taxatum Statuto, vel consuetudine; quia illud, quod hac ratione exigunt, jam non debetur ut stipendium sustentationis, quo solo titulo aliquid exigi potest, sed ut pretium ministerij Sacri P. Friderich *de Simon. c. 2. n. 67.* qui proinde infert, à peccato excusari non posse Parochum, vel alium Curatum, qui reditus Stolæ ipse sibi augeret exigendo plus, quàm hactenus alij perceperint. Idem dicendum de alio Clerico non Beneficiato, si pro Missis, Concionibus habendis, funeribus ducendis &c. excederet stipendia, pro hujusmodi functionibus ex praxi Diœcesis, & approbatione Superiorum pendi solita. P. Friderich. *l. cit.*

101 Quæritur 13. an Simoniam committat etiam ille, qui temporale dat, vel promittit, non quidem illi, à quo exspectat Spirituale e. g. Beneficium Ecclesiasticum, sed alteri apud Collatorem, vel Patronum Beneficij gratioso pro intercessione, commendatione, precibus apud hunc interponendis. *Ratio dubitandi est 1.* quia preces, commendatio &c. sunt aliquid merè temporale, & quidem ex Justitia indebitum illi, qui eas petit. Atqui temporale, quod ex Justitia non debetur, est pretio æstimabile, cons. in pactum deduci potest. 2. Non est Simonia accipere, vel dare aliquid pro informatione de meritis, & qualitatibus personæ, ad Beneficium, Ordines &c. aspirantis. Ergo neque Simonia est dare aliquid pro commendatione. 3. Quod in temporalibus non est Usura, hoc in Spiritualibus non est Simonia, ut tradunt Sot. *l. 9. de Just. q. 7.* & alij communiter. Atqui potest licitè Titius accipere munus à Cajo rogante ipsum, ut det mutuum Sempronio, modò ab isto nihil accipiat, ut docet *Aravio* apud Moya *p. 2. qq. select. tr. 2. D. 1. q. 4. n. 1.* Ergo pariter non erit Simonia dare aliquid intercessori, modò non detur Collatori Beneficij Ecclesiastici.

102 Sed dicendum, oblationem, & exactionem pecuniæ pro hujusmodi intercessione, commendatione &c. à labe Simoniæ, saltem Juris Ecclesiastici, excusari non posse. Ita Sylv. *V. Simonia q. 6.* Navarr. *Man. c. 23. n. 106.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 46.* Suar. *l. 4. c. 53. n. 14.* Zœs. *hic n. 81.* P. Friderich *de Simon. c. 2. n. 42.* P. Wiestner *hic n. 68.* & ipse S. Thom. *2, 2. q. 100. art. 2. ad 5.* Sumitur 1. ex *can. statuimus 107. caus. 1. q. 1.* ubi Nicolaus II. tres species Simoniacè ordinatorum refert, quas inter una est, quando *Simoniaci Simoniacè à non Simoniacis ordinantur.* Hi autem alij non sunt, quàm qui ad impetrandos Ordines dant pecuniam non Episcopo ordinanti, sed cuidam tertio, qui ab Episcopo ipsis impetret Ordines; nam si Episcopo darent pecuniam, jam essent in prima classe Simoniacorum, eorum videlicet, qui *Simoniacè à Simoniaco ordinantur.* 2. Ex *can. fin. caus. cit. q. 5.* ubi Urbanus II. cum aliquo, tanquam Simoniacè ordinato, dispensavit ad usum Ordinum, pro quibus consequendis parentes illius pecuniam dederunt non ipsi Episcopo ordinanti, sed *alicui Principum*, h. e. familiarium istius. 3. Ex *ratione*; quia intercessio, & preces sunt causa moralis ipsius collationis &c. quam qui emit, virtualiter præsumitur emere ipsam collationem, utpote in ordine ad quam unicè æstimat preces.

103 Aliud est, quando aliquis temporale dat, vel promittit ministro, aut famulo Episcopi, Collatoris, vel Patroni Beneficij, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendet, sed tantùm audientiam procuret, vel aditum faciat ad ipsum, monendo v. g. adesse aliquem, qui audientiam petat, vel aliquid proponendum habeat &c. nam iste nullam hoc modo Simoniam committit. Suar. *c. 53. n. 17.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 11. n. 5. V. tertiò.* P. Friderich *n. 48.* P. Reiffenstuel *n. 127.* Ratio est, quia obsequium, quod à tali famulo præstatur, est quid merè temporale, & indifferens, nullámque connexionem cum Spirituali habens, ut adeo non possit censeri esse causa moralis collationis.

104 Imò ex eadem ratione non tantùm memoratis ministris, & famulis, sed etiam ipsis, qui pro aliquo ad Beneficium obtinendum intercedunt, temporale aliquid dari, vel promitti potest, non quidem pro intercessione, vel commendatione, sed pro labore, quem occasione hujus subire debent, v. g. eundo, ac redeundo ad Patronum, scribendo Litteras, aut supplicem libellum; & multo magis si propter operam alicui impensam aliquod ipsi damnum emersit, vel lucrum cessavit. Ita post *Navar. Less. Suar.* advertit Palao *n. 5. cit. pr.* P. Friderich. *n. 49.* P. Reiffenstuel *n. 128.* qui tamen monent hujusmodi dationes, & promissiones valde periculosas esse, & ideo in praxi ab ijs abstinendum, cùm plerumque intuitu precum, & commendationis, & non laboris temporale promittatur, aut certè in dando temporali excedatur

æsti-

æstimatio laboris, lucri cessantis, damni emergentis: quod si fieret, Simonia non subterfugeretur, quòd excessus ille non intuitu laboris, sed precum, aut Beneficij desiderati factus censeatur.

105 Denique, ut Navar. *c. 23. cit. n. 106.* Sanch. *l. 2. cons. mor. c. 3. dub. 26. n. 5.* & alij advertunt, potest aliquid mediatori dari absque pacto tacito, vel expresso ad habendum ipsum benevolum, modò sistatur intra limites solius spei, seu temporale detur omnino gratuitò, ac liberaliter solùm cum spe, quòd accipiens ex gratitudine sit exhibiturus obsequium. Tutiùs agunt, qui hujusmodi mediatoribus dant, vel promittunt temporale post preces, vel commendationem jam interpositam pro Beneficio obtinendo; nam istud nec Simoniacum, nec aliunde illicitum est, modò nullum pactum expressum, vel tacitum de illo præcesserit. Reiffenstuel *n. 129.* si enim Spirituali jam accepto, licet ipsi etiam conferenti Spirituale ex gratitudine, promittere, dare, aut præstare temporale, multò magis id promittere, aut dare licebit intercessori.

106 Argumenta *n. 101.* in contrarium allata facilè dissolvi possunt. *Ad 1.* licèt intercessio, & commendatio, pro Beneficio obtinendo facta, de se sint aliquid temporale, & propterea pretio æstimabile; quia tamen viam parant ad obtinendum Beneficium, & cons. referuntur ad Spirituale, ob hanc connexionem naturam Spiritualis induunt: imò qui dat temporale pro istis, potiùs dare censetur illud propter Spirituale obtinendum, quàm propter preces, utpote quas non curat alia ex ratione, quàm quòd connexionem aliquam habeant cum Spirituali. *Ad 2.* negatur paritas inter preces, & informationem; hæc enim solùm est applicatio meritorum, quæ deinde movent Collatorem ad Beneficium conferendum: ut adeo Navar. *n. 106. cit.* Suar. *c. 53. n. 7.* Dian. *p. 11. tr. 6. resol. 31.* Barbos. *in c. 14. n. 4. fin. h. tit.* Moya *p. 2. qq. select. tr. 2. D. 1. q. 4. n. 9.* Zœs. *hic n. 60.* Wiestner *n. 68.* Reiffenstuel *n. 125.* cum communi aliorum ita dantem, & accipientem meritò à crimine Simoniæ absolvant: Quod verum est speculativè saltem loquendo; nam, ut idem P. Reiffenstuel *l. cit.* advertit, in praxi hujusmodi Informationes pro temporali vix, aut rarò absque Simonia petuntur, & præstantur, eo quòd pecuniæ, vel aliud temporale ordinariè non pro sola, & nuda veritatis informatione (utpote quæ plures parùm juvaret ad finem intentum) sed etiam pro precibus, intercessione, & commendatione dentur: qua ratione jam committitur Simonia. *Ad 3.* sententia *Aravij* videtur carere sufficienti probabilitate, & quia viam Usuris aperit, periculosa est; nam volens lucrari ex mutuo, illud petenti facilè potest dicere, se non daturum, nisi Titio intercedente, & tunc cum Titio pacisceturr, & aliquid pro mutuationis officio accipiet.

Examinari hìc solent plures aliæ quæ- 107
stiones, & præsertim quomodo, vel quando Simonia committatur per Beneficiorum renuntiationem, permutationem, transactionem ad terminandam litem super Beneficij proprietate ortam; sed de primo jam satìs dictum est *Libr. 1. Tit. 9. à. n. 23.* de secundo *Libr. 3. Tit. 19. per totum*, de tertio *Libr. 1. Tit. 36. n. 10.* ad quos proinde in re ista recurri poterit.

§. III.

De Pretio Simoniaco.

SUMMARIUM.

108. *In Simonia necessariò debet intervenire Pretium.*

109. 110. *Quid hoc nomine intelligatur in Simonia?*

111. *Triplex communiter dicitur.*

112. *Munus à manu.*

113. *Ab obsequio.*

114. *Et à Lingua.*

115. &c. *Quando Munus, vel obsequium constituat Pretium Simoniacum?*

120. &c. *An pretij Simoniaci rationem habere possit etiam res Spiritualis?*

124 &c. *Aut cessio Beneficij priùs obtenti facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur?*

126. &c. *An Simoniaca sit Pactio solvendi debita ab Antecessore in Beneficio nomine Ecclesiæ contracta?*

129. &c. *Vel expensas, pro Beneficio litigioso ab eodem factas?*

134. &c. *Utrum rationem pretij Simoniaci habeat, quod datur ad redimendam vexam, quâ quis impeditur à Beneficio obtinendo, vel obtento pacificè possidendo?*

139 &c. *Quid requiratur, ut redemptio vexæ in Beneficio accepto sit licita?*

142. &c. *An qui injustè impeditur ab acquirenda possessione Beneficij sibi collati, possit pecuniâ vexationem redimere?*

146 &c. *An dari absque Simonia possit pecunia Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum?*

149. &c. *Quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretij Simoniaci?*

Alte-

108 ALterum Simoniæ constitutivum juxta dicta *n. 6.* est *Pretium:* quod ita necessariò in Simonia intervenire debet, ut absque illo nulla committi Simonia possit. Patet ex definitione ejusdem *n. 3.* data, ubi dictum est, quòd Simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Est autem Emptioni Venditioni essentiale, ut in ea interveniat pretium *l. inter 2. §. sine pretio 1.* & *l. pacta 72.* ibi, *Emptionis substantia consistit ex pretio ff. de contrab. empt.*

109 Quæritur 1. quid nomine *Pretij* hoc loco veniat? ℟. Quamvis in Emptione Venditione pretium consistere debeat in pecunia numerata, & si alia res detur, quàm pecunia v. g. bos pro equo, non sit Emptio, sed Permutatio *l. origo 1. §. sed an 1. ff. de contrab. empt.* quia tamen in materia Simoniæ nomine *Emptionis Venditionis*, ut *n. 45.* dictum est, intelligitur omnis contractus onerosus, & utrinque obligatorius, ideo etiam *Pretij* nomine hìc venit quæcunque res temporalis pretio æstimabilis, & afferens utilitatem temporalem. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 1. n. 13.* Lotter. *l. 3. de re Benef. q. 29. n. 97.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. §. 2. pr.* Pirhing *hic n. 2. ℣. dicitur 4. fin.* Engl *n. 10.* König *n. 16.* Reiffenstuel *n. 56.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 134.*

110 Pretium hoc in Jure Canonico frequenter appellari solet *Munus*, quo nomine hic non intelligitur donum liberale, & gratuitum, sed potiùs debitum Justitiæ commutativæ, quod ex vi conventionis onerosæ, & reciprocæ præstari, & exigi solet: adeoque gravamen aliquod est, & onus. Quæ acceptio Munerum frequenter etiam usurpatur in Jure Civili, in quo Officia, seu obsequia, & Tributa, quæ, tanquam ex Justitia debita, præstari, & exigi solent, munera appellantur, prout videre est in toto *Tit. ff. de Muner. & honorib.* Laym. *c. 8. cit. n. 25.* Engl *hic n. 11.* Pirhing *n. 135.* Schambog. *n. 110. ℣. circa hanc.*

111 Quæritur 2. quotuplex sit Munus, seu Pretium Simoniacum? ℟. Triplex communiter dicitur, scilicet *Munus à manu*, *Munus ab obsequio*, & *Munus à lingua.* Habetur divisio ista *can. ordinationis 113. can. sunt nonnulli 114. caus. 1. q. 1.* & *can. Salvator 8. caus. cit. q. 3.* & posteriora non minùs, ac primum, habere rationem Pretij, ac sufficere ad constituendam Simoniam, constat tum ex *citt.* textibus, tum etiam ex *toto hoc titulo.*

112 *Munus à manu* dicitur quæcunque res temporalis pretio æstimabilis, sive deinde sit mobilis, sive immobilis, corporalis, vel incorporalis; nam etiam Jure, Census, Pensiones, Mutuatio pecuniæ, Solutio debiti, vel Solutionis dilatio rationem muneris à manu habent, & pretium Simoniacum constituunt *can. totum 6. caus. 1. q. 3. c. etsi quæstiones 18. c. tua nos 34. c. in tantum 36. h. tit.* Neque refert, utrum res ista præstetur verè, an virtualiter, & æquivalenter; nam etiam, qui debitum alteri remittit, aut se remissurum promittit, ut spirituale donum consequatur, Simoniacus est *can. talia 1. caus. 8. q. 3. c. siquis 45. h. tit. c. veniens 10. de testib.* Navar. *Man. c. 23. n. 101.* Suar. *l. 4. c. 38. n. 1. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 25. not. 2.* Wagnereck *in c. 12. h. tit. not. 1.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 11.* Zœs. *hic n. 57. & 58.* Vallens. *§. 2. n. 3.* Engl *n. 11.* Pirhing *n. 136.* Schambog. *n. 111.* König *n. 16.* Wiestner *n. 23.* Reiffenstuel *n. 59.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 135. & 136.*

113 *Munus ab obsequio* sunt quæcunque obsequia, & servitia e. g. famulatus, administratio rerum, negotiorum gestio &c. facta ex pacto, vel sub obligatione rei spiritualis conferendæ *c. cùm essent 12. h. tit.* Abb. *ibid. n. 5.* Suar. *c. 39. n. 2.* Laym. *l. cit. not. 4.* Wagnereck *not. 2.* Zœs. *n. 76.* Pirh. *n. 137.* Schambog. *n. 112.* Reiffenstuel *n. 60.* Magnif. P. Schmier *n. 137.* cum reliquis *suprà.* Ubi tamen est distinguendum, utrum in pactum veniat obsequium spirituale, an verò temporale; nam *si hoc secundum*, committitur Simonia Juris naturalis, & Divini. *Excipitur*, si illud annexum sit rei spirituali e. g. Beneficio ante hujus collationem, sicut quandoque, Beneficio annecti solet munus docendi Theologiam, vel Grammaticam, cantandi, ministrandi in officio Sacristæ &c. hoc enim eventu Beneficium concedi potest ea conditione, & pacto, ut Beneficiatus his oneribus satisfaciat, modò illa annexa sint Beneficio ab habente legitimam potestatem annectendi. Suar. *c. 39. n. 8. & 9. Si secundum*, cùm in hoc casu non intercedat aliquid temporale, committetur Simonia solùm Juris Ecclesiastici, & quidem tum solùm, quando hujusmodi obsequium non est aut ex natura sua, aut aliunde ex dispositione Juris annexum Beneficio; nam si annexum ita sit, sicut Canonicatui annexum est onus assistendi Choro, & Beneficio Curato onus administrandi Sacramenta &c. patet sub tali onere Beneficium conferri posse, imò & debere, cùm obligatio ejus sit imbibita actui.

114 *Munus à lingua* denique vocantur laudes, commendationes, preces, v. g. siquis alicui, apud Principem gratioso, conferat Beneficium cum pacto, ut hic apud Principem interponat pro conferente suas preces, commendationem, intercessionem &c. pro obtinendo favore, vel gratia certa, quam ipse desiderat. Abb. *in c. tuam 10. de ætat. & qualit. n. 3.* Navar. *c. 23. n. 102.* Suar. *c. 40. n. 13.* Laym. *n. 26. not. 3.* Wagnereck *not. 3.* Zœs. *n. 79.* Pirhing *n. 138.* Schambog. *n. 113.* Reiffenstuel *n. 61.* Magnif. P. Schmier *n. 142. & 143. cum citt.* Neque refert, etsi intercessio ordinetur ad aliquid spi-

ſpirituale, e. g. ad impetrandum per eam Beneficium Eccleſiaſticum; quia interceſſio hæc in ſe eſt aliquid temporale. Ergo dum pro ea Beneficium datur, jam datur ſpirituale pro temporali; conſ. committitur Simonia. Simili modo, ut rectè notat Suar. *c. 40. n. 13.* & Palao *p. 3. n. 8.* Simoniam conventionalem committit, qui non vult conferre Beneficium, niſi perſona nobilis, quam deſiderat obligatam ſibi habere, iſtud à ſe petat, ut ſic occaſionem habeat eam perſonam ſibi demerendi; eſt enim talis gratia, & favor, qui à Collatore Beneficij hoc caſu expoſtulatur, pretio æſtimabilis, conſ. Spirituale iterum datur pro temporali.

115 Quæritur 3. quando Munus vel Obſequium ei, qui rem ſpiritualem exhibet, præſtitum, conſtituat pretium Simoniacum? R. Tunc ſolùm, quando non fit purè, ſed ſub conditione, aut pacto expreſſo vel tacito, vel cum exactione, aut animo commutandi illud pro ſpirituali, vel ad conferendum alterum obligandi: & hoc modo fieri præſumitur, quando antecedit exhibitionem rei Spiritualis. *Contrà*, ſi hujusmodi munus detur, vel obſequium præſtetur purè, & ſine conditione, pacto, exactione, vel animo commutandi, vel alterum ſibi obligandi, maximè ſi hoc fiat poſt exhibitionem, rei ſpiritualis, talis datio, & obſequij præſtatio libera erit à labe Simoniaca; quia erit merè gratuita ſecundùm dicta *n. 66.* & textus *can. quàm pio 2. can. ſicut Epiſcopum 3. &c. cauſ. 1. q. 2. c. etſi quæſtiones 18. c. dilectus 30. fin. c. tua 34. h. tit.* Suar. *l. 4. c. 45. n. 4.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 118.* Laym. *c. 8. n. 26.* Zœſ. *hìc n. 76.* Pirhing *n. 138.* Wieſtner *n. 24.*

116 Hinc Simonia non eſt 1. ſi detur Beneficium aliquod alicui intuitu ſolius conſanguinitatis, vel amicitiæ. Azor. *p. 3. l. 12. c. 2.* Suar. *c. 37. n. 6.* Zœſ. *hìc n. 72.* Pirhing *n. 139.* Reiffenſtuel *n. 65.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 159.* & communis DD. cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.* Ratio eſt, quia licèt motivum conſanguinitatis, vel amicitiæ ſit motivum temporale, non tamen eſt aliqua compenſatio temporalis pro Beneficio, utpote cum Beneficij collator in vicem Beneficij collati nihil accipiat: dat igitur illud omnino gratìs; conſ. locus Simoniæ non eſt, ſicut non eſt in caſu, quo Beneficium confert, ut mer Beneficiatum favorem, & gratiam humanam aucupetur. *Neque obſtat*, quòd SS. Canones improbent collationem Beneficij ex motivo conſanguinitatis; non enim improbant tanquam Simoniacam, ſed tanquam ex minùs ſincero affectu profectam, & tum ſolùm, quando conſanguinei alijs dignioribus præferuntur: & in hoc ſenſu intelligendum eſt *c. un. Ut Eccl. Benef. ſin. dimin. confer.* nam caſu, quo conſanguineus æquè dignus, aut dignior eſt alijs, & alinde Scandalum nullum ſequitur, poteſt ille absque peccato cæteris in collatione Beneficij præferri; ſicut enim vinculum ſanguinis non debet eſſe adjumento, ut ejus intuitu dignioribus quis præferatur, ita nec debet eſſe alicui impedimento, quo minùs ad Beneficia eluctari poſſit.

2. Non eſt Simonia ſimpliciter ora- 117
re, rogare, intercedere, laudem, aut recommendationem afferre ad Collatorem, vel Patronum, ut ſibi, vel certo alicui conferat Beneficium, vel aliud quid ſpirituale. Item non eſt Simonia, ſi intuitu ſolius interceſſionis, commendationum, aut precum absque alio tacito, vel expreſſo pacto Collator conferat, vel Patronus præſentet ita commendatum *arg. can. latorem 121. can. filium 122. cauſ. 1. q. 1. c. tua nos 34. h. tit.* Suar. *c. 40. n. 2.* Laym. *c. 8. n. 26.* Zœſ. *hìc n. 79.* Pirhing *n. 138.* Reiffenſtuel *n. 63.* Friderich *n. 123.* Magnif. P. Schmier *c. 1. cit. n. 244.* Ratio eſt, quia, qui dat aliquid, quod rogatur, nulla ratione illud vendit, ſed omnino gratìs dat; conſ. Simoniam non committit. *Conf.* ex univerſali totius Orbis Chriſtiani praxi, & conſuetudine, quâ conſtat, preces, & commendationes ad obtinenda Beneficia pro ſe, & pro alijs ubique, etiam apud Sedem Apoſtolicam liberè interponi, & intuitu earum Beneficia nonnunquam conferri. *Proceditque* hoc probabiliùs etiam, quando intuitu hujusmodi precum, & commendationum Beneficium conferetur indigno; licèt enim ita conferens graviter peccet juxa dicta *Libr. 1. Tit. 14. n. 37.* non tamen committeret Simoniam, cùm non det ſpirituale pro temporali, ſeu ad hoc obtinendum pro illo. Neque obſtat *can. ordinationes 113. cauſ. 1. q. 1.* ubi aſſeri videtur, Simoniam eſſe ſpirituale dare pro precibus; quia ibi ſermo non eſt de precibus, quibus ſpirituale datur, ſed de illis, quas per ſpirituale impetrare nititur is, qui dat Spirituale ſecundùm dicta *n. 102.*

3. Non eſt Simonia dare Beneficium, 118
vel aliam rem ſpiritualem propter preces armatas, ſive gravem metum injuſtè incuſſum, ſi nullum interveniat pactum. Suar. *c. 37. n. 10.* Leſſ. *c. 35. n. 119.* Zœſ. *hìc n. 83.* Pirhing *n. 140.* Friderich. *n. 116.* & hoc teſte communis aliorum contra *Durandum*, & alios paucos. *Ratio eſt*, quia collatio, vel reſignatio Beneficij non fit tanquam pretium, cum quo ceſſatio injuriæ commutatur, ſed tanquam medium ſpirituale offertur gratìs ad tollendam injuſtam vexationem temporalem. Aliud foret, ſiquis daret, vel reſignaret Beneficium alicui ſub ea conditione, & modo, ut alter viciſſim promittat, quòd futuro tempore nullum injuſtum damnum collatori, vel reſignanti illaturus ſit: tunc enim Simonia committi videtur, cùm alteri imponatur nova obligatio in commodum

dum exigentis ultra illam obligationem, quâ quivis tenetur ex naturali lege Justitiæ neminem lædere, quæ obligatio est pretio æstimabilis; nam pretio æstimabilis est securitas in futurum, quæ per hujusmodi pactum præstatur. Suar. *n. 16.* Leff. *n. 120.* Zœf. *l. cit. ℣. quæ ita procedunt.* Pirhing *n. 140.* Reiffenstuel *n. 66.*

119 4. Non est Simonia, si Collator e. g. Episcopus Beneficium debitori conferat timore amittendi debitum, sive ut debitum ab ipso consequi possit, modò pactum nullum intercedat, per quod imponatur nova obligatio in futurum debitori; nam hoc casu petit Episcopus, quod suum est, adeoque adhuc gratis confert Beneficium. Suar. *c. 37. n. 18.* Zœf. *n. 85.* Pirhing *n. 141.* Aliud foret, si conferetur Beneficium, addito novo pacto securitatis in futurum; nam istud est onus pretio æstimabile.

120 Quæritur 4. an Pretium Simoniacum constituere etiam possit res spiritualis? *Certum est 1.* quòd hujus pretium ex dispositione saltem Juris positivi Ecclesiastici constituant Beneficia relativè ad se invicem, ut patet ex *c. quæsitum 5. c. cùm olim 7. de rer. permut.* & dictum est *supra n. 19.*

Dubium est, an id contingat etiam circa alias res spirituales? Affirmant Richard. *in 4. dist. 25. art. 3. q. 1.* Paludan. *ibid. q. 2. n. 15.* & alij apud Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 30. n. 3.* id desumentes ex *c. fin. de pact.* ubi tanquam Simoniaca generaliter rejicitur omnis pactio circa rem spiritualem.

121 Sed dicendum, rem verè spiritualem, extra materiam Beneficialem, & cum Beneficijs connexam, per se rationem pretij Simoniaci non habere respectu alterius rei verè spiritualis. Ita Gloss. *in c. cit. V. cessare*, Abb. *in c. statuimus 2. de Transact. n. 5.* Sot. *l. 9. de Just. q. 5. in fin.* Azor *p. 3. l. 12. c. 3. q. 2.* Suar. *c. 30. cit. n. 4.* Leff. *l. 2. de Just. c. 35. n. 31.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 7.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 15. n. 1.* Vallenf. *hic §. 2. n. 2.* Zœf. *n. 76. ℣. quantum.* Engl *n. 10.* Pirhing *n. 123. & 124.* König *n. 16 ℣. verùm.* Wiestner *n. 20.* Reiffenstuel *n. 226. & 227.*

122 Hinc absque Simonia, vel periculo ejus committendæ propria authoritate commutari possunt Reliquiæ pro Reliquijs, functio spiritualis pro alia simili functione spirituali, vasa, & vestes Sacræ pro alijs hujusmodi vestibus, & vasis, quæ quoad materiam sunt ejusdem valoris. Similiter, spectato solo Jure naturali, authoritate propria, & nunc post prohibitionem Juris positivi Ecclesiastici, cum authoritate Episcopi sine Simonia permutari inter se possunt Beneficia Ecclesiastica.

123 *Ratio est*, quia malitia Simoniæ, ut *n. 5.* dictum est, in hoc consistit, quòd spirituale in æstimationem veniat pro pretio temporali, hoc autem non fit in casu, quo unum spirituale datur pro alio spirituali. Ergo dari pro illo potest, juxta illud, *Gratiam pro gratia.* Joan. 1. *v. 17.*

Ad *c. fin.* & alios textus, qui in contrarium allegari solent, dico, illos intelligendos tantùm de pactionibus inhonestis, qualis non est, quâ spirituale datur pro spirituali, extra materiam Beneficialem.

Quæritur 5. an pretij Simoniaci ra-124
tionem habeat cessio Beneficij priùs obtenti, facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur? ℣. Distinguendo, an Beneficium obtentum, & obtinendum incompatibilia sint, an contrà sint compatibilia.

Si primum, periculum Simoniæ non est, ut bene Gloss. *in c. ad audientiam 31. de Rescript.* Abb. *in c. significâsti 4. de Elect. n. 6.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 2. n. 22.* Sanch. *l. 2. conf. c. 3. dub. 25. n. 9.* Gibalin. *de Simon. q. 16. coroll. 8.* Carden. *Cris. Theol. dissert. 27. n. 120.* Wiestner *hic n. 27.* Ratio est, quia quando Beneficium obtinendum est incompatibile cum Beneficio priùs obtento, obligatio dimittendi priùs obtentum Collationi inest ipso Jure, ut dictum est *Libr. 3. Tit. 5. n. 105. & seqq.* atqui illa, quæ ipso Jure tacitè insunt, sine labe Simoniæ exprimi in traditione rei spiritualis possunt, ut Regulæ instar præter DD. *citt.* tradunt Felin. *in c. ad audientiam cit. n. 8.* Flamin. *l. 7. de Resign. q. 7. n. 22.* Barbos. *in c. significâsti 4. de Elect. n. 6.* & communiter cæteri. Ergo &c.

Si secundum, talis Beneficij dimissio 125
habet rationem pretij Simoniaci, saltem ex dispositione Juris Ecclesiastici, ut cum *citt.* docet Palao *tr. 17. D. 3. p. 3. n. 5.* & hoc teste communis sententia. *Ratio est*, quia per tale pactum Collatarius subiret onus indebitum, & obligationem aliunde non imminentem. Idem dicendum, si Beneficium priùs obtentum cum obtinendo quidem esset incompatibile, sed exigatur, ut illud Collatarius dimittat ante pacificâ obtentionem secundi; nam ante hanc non tenetur illud Jure dimittere.

Quæritur 6. an Simoniaca sit pactio, 126
quâ à Clerico resignante Ecclesiam, vel Prælaturam transfertur in resignatarium obligatio solvendi debita, nomine Ecclesiæ, vel Prælaturæ contracta? Affirmant *Joan. Andr. Feder. de Sen. Gammar.* apud Flamin. *l. 14. de resign. q. 7. n. 64.* quia per talem pactionem onus imponitur resignatario, quod pretio æstimabile est, ut adeo videatur dari temporale pro spirituali, & talis obligatio videatur habere rationem pretij Simoniaci.

Sed tenenda est negativa Sententia cum 127
eodem Flamin. *l. cit. n. 65.* & ratio est, quia, ut *n. 124.* dictum est, quæ Jure insunt, exprimi, & in pactum deduci possunt. Inest autem resignationi ipso Jure obligatio solvendi debita, ratione Ecclesiæ contracta, licèt non exprimantur, per *c. ad hoc 1. de Solut.* ubi Successor, in Ecclesia, vel Prælatura

tura Canonicè institutus, obligatur ad solvenda hujusmodi debita. Ergo &c.

128 Ex quo cadit Argumentum contrarium; nam Simoniacam pactionem constituit solùm illa expressio, quæ novam obligationem affert, vel antiquam adauget. Talis autem non est in casu dato; quia solùm inexistentem declarat. Ergo &c.

129 Quæritur 7. an is, qui pro Beneficio litigioso multas expensas fecit, si deinde illud, postquam possessionem pacificam illius adeptus est, resignet cum onere, ut resignatarius sibi solvat expensas, quas pro lite fecit, Simoniam committat? Negant aliqui, à Suar. *l. 4. c. 35. n. 24.* tacitis nominibus relati, ex ratione, quia ita resignans adhuc Beneficium tribuit gratis, nullúmque lucrum temporale exigit, sed solummodo se servat indemnem.

130 Sed meliùs tenetur affirmativa cum eodem Suar. *l. cit.* cui adstipulantur Flamin. *de resign. l. 14. q. 7. n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 94.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 17. n. 15.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 20.* Zœs. *hic n. 68.* Wiestner *ibid. n. 30.* & teste Flamin. *l. cit.* Rota *in una Canonicatûs S. Andr. 19. Oct. 1553. Ratio est*, quia obligatio solvendi expensas istas non est annexa ipsi Beneficio; cons. nova est. Atqui ubi imponitur obligatio, quæ ipso Jure non inest, committitur Simonia. Ergo &c.

131 *Conf.* pactio, quâ Resignatarius obligatur ad compensandos labores, & expensas, quas resignans fecit pro assecutione Beneficij resignati, juxta omnes Simoniaca est, ideo præcisè, quia illæ expensæ, & labores non sunt annexi per se Beneficio. Igitur ob eandem rationem etiam Simoniaca erit pactio, quâ resignatarius obligatur ad solvendas expensas. Quas resignans fecit in litem pro Beneficio resignato.

Ad Argumentum contrarium dico, Beneficium hoc casu non dari gratis, sed titulo oneroso; quia datur pro obligatione solvendi expensas, quæ pretio æstimabilis est, cùm resignanti sit lucro, oneri verò resignatario.

132 Quæritur 8. an obligatio solvendi hujusmodi expensas, & subeundi alia onera, ex natura sua, aut fundatione Beneficio non annexa, à resignante in resignatarium transferri possit authoritate Apostolica? ℟. Affirmativè: imò resignans, & resignatarius de ijs transferendis prævio tractatu convenire inter se absque periculo Simoniæ possunt: non quidem absolutè, sed sub conditione futuri beneplaciti, & approbationis Apostolicæ. Et quidem, quòd absolutè super hujusmodi onerum translatione non possint inter se authoritate propria convenire, patet ex *c. cùm Clerici 6. c. fin. de Pact. c. quæsitum 5.* & *c. cùm olim 7. de rer. permut.* ubi hujusmodi pactiones, propria paciscentium authoritate factæ, tanquam Simoniacæ, apertè reprobantur.

Quòd verò tales conventiones, & promissiones de Beneficijs, factæ sub conditione beneplaciti Apostolici, & in Pontificis voluntatem collatæ, licitæ, & à vitio Simoniæ immunes sint, præter alios docent Felin. *in c. ad audientiam 31. de rescript. n. 3.* Navar. *Man. c. 23. n. 107.* Flamin. *de Consident. q. 40. n. 38.* Suar. *l. 4. c. 24. n. 24.* Sanch. *l. 4. cons. c. 3. dub. 39. n. 2.* Card. de Luca *tr. de Benef. disc. 36. à n. 24.* & *tr. de Canon. disc. 29. n. 4.* Wiestner *hic n. 31.* Ratio est, quia tunc, quæ ex tali tractatu præstanda sunt, præstari censentur non tam ex conventione resignantis, & resignatarij, quàm ex beneplacito, & voluntate Papæ, qui liberrimam potestatem de Beneficijs Ecclesiasticis disponendi, iisque onera imponendi habet. 133

Quæritur 9. utrum rationem Pretij Simoniaci habeat, quod datur ad redimendam vexam, quâ quis impeditur à Beneficio per Electionem, Confirmationem, liberam Collationem, aut aliam quamvis provisionem obtinendo, vel obtento pacificè possidendo? *Rationem dubitandi* faciunt textus quoad speciem sibi contrarij; nam *can. quæsitum 4. caus. 1. q. 3.* & *c. dilectus 28. h. tit.* ejusmodi redemptio non redarguitur. Contrà verò *c. Matthæus 23. eod.* pro Simoniaca habetur Electio ejus, pro quo quidam ipsius amicus alteri, qui eidem contradicebat, pecuniam dedit, ut desisteret à vexatione. 134

Sed concordari textus hi ope distinctionis possunt: Vel enim redimuntur molestiæ, & vexatio, facta post jus in Beneficio jam plenè quæsitum, vel redimuntur illæ, quæ opponuntur ante jus plenè quæsitum ad impediendam Confirmationem delecti, Institutionem præsentati &c. 135

Si primum, vexationem hujusmodi injustam redimens Simoniam nullam committit. Ita Gloss. *in c. dilectus cit. V. restituere*, Abb. *ibid. n. 3.* Navar. *Man. c. 23. n. 102.* Sylv. *V. Simonia q. 13. pr.* Azor *p. 3. l. 12. c. 11. q. 4.* Suar. *l. 4. c. 50. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 110.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 22.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 20. n. 1.* Vivian. *in c. Matthæus cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 4.* Gonzal. *n. 2.* Wagnereck *not. 1.* Fagn. *in c. nobis eod. n. 104.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 21.* & *c. 50. n. 25.* Præpos. Frising. *cas. 21. n. 19.* P. Friderich *de Simon. c. 2. n. 88.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 204.* & ad Rubricam præsentem docent Zœs. *n. 64.* Pirh. *n. 105.* Engl *n. 31.* König *n. 15. ℣. ad hæc.*, Schambog. *n. 90.* Wiestner *n. 70.* Reiffenstuel *n. 309.* cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* & reliquis tum TT. tum Canonistis, propter *can. quæsitum*, & *c. dilectus citt.* Ratio est, quia hoc casu pecunia non datur pro aliquo spirituali (nam hoc jam ponitur esse plenè obtentum,) sed solùm pro cessatione ab injuria, & molestijs.

Si

136 *Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, an vexatio, & molestiæ opponantur ab eo, qui ad Beneficij consecutionem prodesse potest, ut sunt Electores, Collatores, Patroni &c. an ab alio, qui tantùm potest obesse v. g. impediendo Electorem, ne suffragium ferat, vel eligendum, ne eligi possit. *Si priùs*, redemptio talis vexæ Simoniaca est, ut cum S. Thom. *l. cit.* ad vertunt Abb. *in c. dilectus cit. n. 4.* Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 1, ad 5.* Ugolin. *in tab. 1. c. 9. §. 8. n. 3.* Suar. *c. 50. n. 18.* Less. *n. 106.* Laym. *n. 22. concl. 8.* Palao *p. 20. n. 4.* Wagnereck *not. 3.* Matthæucc. *c. 49. n. 22. & c. 50. n. 25.* Friderich. *n. 99.* Pirhing *n. 109.* Schambog. *n. 93.* Wiestner *n. 71.* Magnif. P. Schmier *n. 207.* & alij *suprà* propter textum c. *Matthæus cit.* ubi sermo est de vexatione illata ad impediendam Confirmationem, conf. ante Beneficium plenè obtentum. *Ratio est*, quia qui non habet jus spirituale, quòd acquirere intendit, licèt redimendo vexationem pecuniâ, immediatè non det pecuniam pro re spirituali, sed pro vexatione, vult tamen mediante pecunia hanc removendo parare sibi viam ad rem spiritualem, quod cùm unicè sit æstimabile propter rem spiritualem, ita redimens vexam virtualiter censetur emere velle ipsam rem, vel jus spirituale, quod ita cupit acquirere. *Conf.* quia tunc impetrare pecuniâ ab injustè vexante, ut impedimentum removeat, idem est, ac petere, ut eligat, vel conferat Beneficium; nam vexatio illa consistit in injusta negatione debitæ Electionis, Confirmationis, vel Institutionis, negatio autem non tollitur, nisi per actum contrarium, qui in casu proposito est ipsa Electio, Confirmatio, vel Institutio; igitur dare aliquid temporale alicui, ut cesser à tali injusta vexatione, idem est, ac dare pro ipsa Electione, quod est Simoniacum, saltem contra Jus positivum Ecclesiasticum.

137 *Si posterius*, non erit hujusmodi redemptio Simoniaca. Ita Suar. *n. 23.* Less. *n. 108.* Laym. *concl. 8. ¥. secundò*, Palao *n. 4.* Pirhing *n. 110.* Wiestner *n. 72.* Reiffenstuel *n. 310.* Friderich *n. 97.* Schmier *n. 208.* cum *citt.* *Ratio est*, tum quia talis redemptio nullo Jure prohibetur; tum quia sic redimens tantùm removet injuriam, viam autem ad Beneficium non facit expeditiorem, quàm fuerit ante oppositionem injustam impedimenti. *Conf.* quia jus, quod hoc casu intendo per redemptionem vexationis, non est jus primùm quærendum, sed jam quæsitum; habeo enim jus quæsitum, ut mihi non fiat vis, & injuria, seu ut alter me non impediat v. g. à concursu ad examen, à petenda Electionis Confirmatione, Institutione, &c. & ad hoc liberum, & expeditum conservandum do pecuniam, sicque nihil aliud emo, quàm immunitatem istius juris. Quòd autem postea consequar jus in Beneficio per Institutionem, vel Confirmationem, respectu illius redemptionis, & cessationis à violentia per accidens est, cùm ex ea per se non dependeat, neque ex illa sequatur jus in Beneficio, sed à Collatore liberè tribuatur.

Porro, quod *n. præc.* dictum est de 138
extraneo, extendendum etiam est ad casum, quo ipse Elector, vel Collator aliquem vexat, si ita vexet non *formaliter*, & quà talis, scilicet negando suum suffragium, Institutionem, Confirmationem; sed *materialiter*, & ut quivis alius privatus, v. g. injustè diffamando, aut Coëlectores injustè avertendo, ne suffragium pro aliquo ferant; nam in hoc casu, si pecunia pro redemptione talis vexæ injustæ detur, Simonia non incurritur. Suar. *n. 28. circa fin.* Less. *n. 107.* P. Friderich *n. 99. fin.* P. Schmier *n. 209.* est enim redemptio injuriæ, quam aliquis sustinere non tenetur.

Quæritur 10. quid requiratur, ut re- 139
demptio vexæ in Beneficio accepto sit licita? ℟. Ex communi DD. necessariæ sunt sequentes conditiones.

1. Jus, quod pecunijs contra injustam vexationem tueor, debet esse certum, saltem secundùm commune judicium peritorum; aliàs non est simpliciter habitum, seu acquisitum. Hinc certò committit Simoniam, qui, quando videt Electionem suam impugnari, vel Beneficium collatum fieri litigiosum posse, ijs, qui impugnare illam, aut litem super Beneficio movere contendunt, dat pecuniam, vel aliud temporale, ut ab impugnatione vel lite desistant. Gloss. *in c. cùm pridem 4. V. non duximus de Pact.* Abb. *ibid. n. 9.* Felin. *in c. dilectus 28. h. tit. n. 3.* Rebuff. *tit. de simon. n. 18.* Suar. *l. 4. c. 50. n. 10.* Less. *l. 2. c. 35. n. 107.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 20. n. 2.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 22.* Schambog. *hic n. 91.* Pirhing *n. 108.* P. Friderich *n. 89.* P. Reiffenstuel *n. 316.* Ratio est, quia quando quis in Beneficio acquisito impugnatur, aut impugnari potest, jus firmum in illo non habet; conf. si mediante temporali justam impugnationem avertit, per temporale viam sibi parat ad spirituale, & sic mediante temporali sibi procurat jus spirituale, vel saltem firmitatem ipsius. *Secus est*, si Jus quidem non foret omnino certum, sed is, qui illud impugnat, aut impugnaturus est, ad hoc uti vult malis artibus, mendacijs, & subornationibus testium; nam ab hoc vexam liceret per temporale redimere, cùm revera injusta sit, & redimens jus certum habeat ad petendum à quovis, ne malis artibus impugnetur, Suar. *n. 12.*

2. Vexatio, quam quis vult redime- 140
re, debet esse injusta; quia si justè turbatur, v. g. quia dubium est, an Electio, Collatio &c. Beneficij fuerit legitima, propriè vexationem non patitur: conf. non tam

redimet vexam, quàm ipsum jus, quod non habet, sibi comparat, vel saltem firmitatem illius, Suar. *n. 11.* Zœs. *n. 64.* Pirh. *l. cit.* P. Friderich *n. 91.*

3. Res, quæ datur pro illicita vexatione, debet esse temporalis; nam si daretur res spiritualis, committeretur Simonia; quia daretur pro re temporali, scilicet injusta vexatione, quæ est res temporalis, Suar. *n. 14. & 15.* Zœs. Pirh. *l. citt.* Friderich *n. 90.*

4. Non debet supereſſe alia via tollendi vexationem, e. g. adeundo Judicem, & jus suum viâ Juris defendendo; nam si via suppeteret se liberandi à vexa, pecuniâ istam redimens illicitè ageret, non quidem Simoniam committendo (quia adhuc daret temporale pro temporali) sed contra Charitatem, & peccato scandali; quia cooperaretur peccato alterius, dando pecuniam, quam alter licitè acceptare non potest. P. Friderich *n. 92. & 93.*

141 5. Ut *Innoc. Abb.* & alij *in c. dilectus cit.* volunt, jus, quod ita injustè impugnatur, debet esse plenum. Hinc siquis in Beneficio plenum jus nondum acquisivit, e. g. si tantùm est præsentatus, nondum verò institutus, electus, nondum verò confirmatus &c. & in hoc suo Jure injustè vexatur, secundùm istos DD. non potest pecuniâ redimere vexationem. Sed meliùs etiam huic permittitur redemptio vexæ injustæ; quia Jus hujusmodi personale æquè certum est, ut ponitur, quàm illud reale, quod acquiritur per institutionem præsentati, Confirmationem electi: & præterea videtur eadem esse ratio; nam hoc casu vexationem redimens non acquirit novum jus, sed tantùm tuetur illud, quòd habet removendo obstaculum injustè positum.

142 Quæritur 11. an siquis post Confirmationem, vel Collationem factam, adeoque post acquisitum plenum jus in Beneficio quoad proprietatem, injustè impediatur ab acquirenda possessione, possit pecuniâ redimere vexationem, etiam ab eo, qui potest prodesse, sive in possessionem mittere? Negant Abb. *in c. ad aures 24. h. tit. n. 6.* & *in c. dilectus 28. eod. n. 4.* Redoan. *p. 3. de Simon. c. 22. n. 2.* Lotter. *l. 3. de re Benef. q. 29. n. 130.* Honor. *hic n. 18.* ex ratione, quia dare aliquid alicui, ne impediat possessionem, est dare, ut mittat in possessionem; non enim aliter desinit impedire possessionem, quàm mittendo, seu inducendo in possessionem. Possessio autem est quid spirituale, vel ei annexum; quia per illam acquiritur exercitium spiritualium, & ipsa ratione spiritualis tituli confertur. Ergo non licet vexationem redimere pecuniâ ad acquirendam possessionem; quia daretur temporale pro spirituali.

143 Sed probabiliùs affirmant Suar. *l. 4. c. 50. n. 31.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 110.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 22.* ℣. *exinde* Barbos. *in c. 36. h. tit. n. 4.* Wagnereck *in c. 23. eod. not. 4.* Zœs. *hic n. 66.* Pirh. *n. 181.* Schambog. *n. 95.* cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* ubi absolutè ait, postquam alicui jus acquisitum est in Beneficio, licitum esse pecuniâ injusta impedimenta removere, utique acquirendæ possessionis. *Ratio est*, quia possessio, secundùm se spectata, non est jus aliquod spirituale, sed tantùm quiddam temporale, sive corporalis apprehensio rei, & tantùm est rei spirituali annexa, quatenus ex titulo spirituali pendet, cujus vi capitur. Postquam ergo titulus spiritualis plenè est acquisitus, etiamsi possessio de novo acquiratur, non tamen acquiritur tanquam annexa rei, seu juri spirituali, sed secundùm se, ut quid corporale, per se, & immediatè debitum, licèt postea conjuncta cum titulo spirituali fiat spiritualis. Ergo non est Simonia pecuniâ redimere vexationem possessionis; quia solùm redimitur factum, non jus Beneficij.

Procedit autem hoc solùm casu, quo 144
jus spirituale Beneficij certum est quoad Proprietatem; nam si illud in dubium vocaretur, & ideo denegaretur possessio, redemptio istius per pecuniam Simoniaca foret, ut *l. citt.* advertunt *Suar. Laym. Pirh. &c.* & ratio est, quia tunc non per se solam redimeretur possessio, sed ut Juri, vel titulo spirituali annexa, adeoque hoc modo redimeretur ipsum Jus spirituale.

Ad Argumentum in contrarium allatum 145
patet ex hactenus dictis. *Neque obstat* textus *can. Decimas 7. caus. 16. q. 7.* ubi injungitur Episcopis, ut prohibeant, quolibet munere redimi Decimas, quas populus dare non vult: quæ prohibitio ideo facta videtur, quòd Decimæ sint spiritualibus annexæ, ideoque emi non possint etiam ad redimendam vexam. Nam respondetur, ibi tantùm prohiberi Laicis, ne hujusmodi extorsionem faciant; vel si etiam Clericis prohibetur, ne tali casu Decimas à Laicis redimant, id factum est, non quòd talis redemptio verè sit Simoniaca, sed quia inde Laici spe lucri faciendi occasionem arriperent similes injurias inferendi Ecclesijs: hinc Episcopi compellere illos debent ad Decimas solvendas, & Clericis prohibere, ne eas redimant, qui tamen, si contra hujusmodi prohibitionem agant, non propterea fient Simoniaci. Suar. *c. 50. cit. n. 33.* Pirh. *n. 111. cit.*

Quæritur 12. an dari absque Simonia 146
possit pecunia Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum? ℟. Distinguendo, an certæ alicujus personæ electio directè intendatur, an verò solùm intendatur remotio personæ indignæ, vel minùs dignæ, aliàs fortassis eligendæ.

Si primum, in praxi pecunia ad excludendam personam indignam sine Simonia vix dari potest; censetur enim data pecunia

cunia ad removendum quidem indignum, sed eo fine, ut fiat sic locus personæ, quam dans pecuniam directè intendit. Azor. *p. 3. l. 12. c. 7. q. 3.* Suar. *c. 50. cit. n. 4.* Barbos. *in c. 27. n. 4. v. potest.* Honor. *hic n. 18. cas. 7.* Reiffenst. *ibid. n. 146.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 50. n. 27.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 1. n. 213.*

147 *Si secundum*, periculosa quidem & hoc casu est datio, fieri tamen absque labe Simoniæ potest, præsertim si electio indigni, & damnum ex ista impendens Ecclesiæ per recursum ad Superiorem impediri nequeat. Ita præter *citt.* advertunt Navar. *Man. c. 23. n. 102.* Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 1. ad 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 23.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 113.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 20. n. 8.* Zœs. *hic n. 28.* Pirhing *n. 87.* Schambog. *n. 59.* Wiest. *n. 73.* Reiffenstuel *n. 145.* Ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indignè, & malè conferatur: & ita dans temporale redimit injustam vexationem Ecclesiæ, & impedit damnum, quod huic ex electione indigni foret secuturum.

148 Addidi, *Si electio indigni, & damnum ex ista impendens Ecclesiæ per recursum ad Superiorem impediri nequeat*; nam si absque gravi incommodo adiri potest Superior, qui vexationem impediat, redemptio vexæ per pecuniam ex parte dantis Simoniaca quidem fortè non erit, semper tamen erit illicita, ut notat Barbos. *n. 4. cit. in fin.* & teste P. Friderich *de Simon. c. 2. n. 102.* communis est Canonistarum. *Ratio est*, quia ut bene notat Palao *l. cit. n. 9.* hoc casu Rectores accipientes pecuniam, cùm non habeant causam legitimam, quæ talem receptionem honestet, Simoniam committunt, cui dans cooperatur. Non licet autem cooperari alterius peccato, quando malum, quod tali cooperatione vitare contendimus, aliâ viâ vitare sine gravi nostro incommodo possumus. Ergo &c.

149 Quæritur 13. quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretij Simoniaci dati pro re spirituali, vel non? R. *Pro foro conscientiæ* res caret omni difficultate; nam in hoc foro attenditur cujusvis conscientia, ejúsque inspicitur mens, & intentio. Zœs. *hic n. 55.* Reiffenst. *ibid. n. 100.*

150 *In foro externo* considerandum est 1. an Pactum intercesserit; nam si intercessit, major est præsumptio Simoniæ, quàm cùm simpliciter aliquid temporale datum est; quia SS. Canones valde improbant Pacta in hujusmodi negotijs: quamvis etiam interdum Pacta honesta fieri possint sine Simonia, ut ad redimendam vexam, ad compensandum accidentalem, & extraordinarium laborem, ad securitatem stipendij &c. Suar. *l. 4. de Simon. c. 36. n. 8.* Zœs. *n. 55. cit.* Pirh. *n. 132.*

2. Considerandum, an in tali pacto intervenerit aliqua causa, ob quam datio temporalium cohonestari, & excusari à Simonia possit; nam si talis aliqua causa subsit, præsumi Simonia non debet, nisi aliæ circumstantiæ, & conjecturæ moraliter ad id cogant; quia in dubio tenemur factum proximi interpretari in meliorem partem, si factum talis interpretationis sit capax *c. estote 2. de R. J.* cujusmodi causa honesta, & titulus esse potest vel ratione gratuitæ donationis, vel ex obligatione Justitiæ, vel ex lege, aut consuetudine &c. Suar. *n. 9. & 10.* Zœs. Pirhing *l. citt.*

3. Consideranda qualitas personæ 151
dantis, & accipientis; nam nobilitas, consanguinitas, specialis amicitia, vel honestas morum &c. in dante, vel accipiente est signum donationis gratuitæ. Suar. *c. 36. cit. n. 12.* Barbos. *in c. 18. b. tit. n. 1.* Pirhing *n. 133.*

4. Consideranda quantitas rei temporalis datæ; nam si modici pretij sit, pro nihilo reputatur; quia non est verisimile dari illud tanquam pretium pro re tam præstante, uti est res spiritualis. Secus si magni pretij, licèt magni pretij sit tantùm respectivè ad dantem, vel accipientem. Suar. *n. 13.* Barbos. Pirh. *l. citt.*

5. Consideranda est circumstantia 152
temporis, sive occasio dationis; nam si fiat urgente necessitate, quia hic & nunc is, cui datur, tali re indiget, censetur potiùs dari liberaliter, & ad sublevandam necessitatem. Abb. *in c. 18. b. tit. n. 3.* Barb. Pirh. *l. citt.*

6. Considerari debet, an munus temporale detur ante receptionem spiritualium, vel post illam immediatè, an verò ex intervallo; nam si ante receptionem, vel in receptione, aut immediatè post illam, res temporalis non ita facilè præsumitur data ex liberalitate, sed potiùs ex necessitate, ut colligitur ex *can. emendari 104. caus. 1. q. 1.* & *can. sicut 4. caus. cit. q. 2.* Secus, si datio fiat ex intervallo; tunc enim facilius præsumitur facta ex liberalitate, & gratitudine *can. quàm pio 2. & can. sicut cit. q. cit.*

§. IV.

§. IV.

De Merce Simoniaca, sive Re Spirituali.

SUMMARIUM.

153 &c. *Quidnam hìc veniat nomine rei spiritualis?*
157. &c. *An, & sub qua ratione mercem Simoniacam constituant Sacramenta?*
160. &c. *Sacramentalia?*
165. &c. *Officia Divina &c.*
168. *An vendi possit Prophetia, patratio miraculi?*
169. *Actus Ordinum?*
170. *Jurisdictionis Spiritualis?*
171. *Admissio ad Novitiatum, & Professionem Religiosam?*
172. *Electio, Præsentatio, Collatio &c. Beneficij Ecclesiastici?*
173. *Actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ?*
174. &c. *Quorumnam Ordinum actus constituant materiam Simoniæ?*
178. &c. *An accipi aliquid possit pro Litteris Dimissorijs, & Testimonialibus Ordinum susceptorum?*
128. &c. *Quomodo tolerari possit consuetudo, quâ passim consuevit pecunia offerri à fidelibus, imò exigi à Parochis pro Missis, Sepulturâ, administratione Sacramentorum &c.*
187. &c. *Quinam alij sint tituli, ut in administratione Sacramentorum &c. recipi aliquid temporale possit?*
190. &c. *Quando exercitium Jurisdictionis Spiritualis constituat materiam Simoniæ?*
193. &c. *An, & quando occasione admissionis ad Novitiatum, aut Professionem aliquid accipi, vel peti possit?*
203. 204. *Qualis committatur Simonia, quando pro collatione Beneficij Ecclesiastici datur, accipitur, vel exigitur aliquid temporale?*
205. &c. *An Simoniacum sit accipere aliquid pro actu Jurisdictionis, qui proximè versatur tantum circa materiam politicam?*
207. &c. *Quid dicendum de omissione actuum Spiritualium, si hæc fiat, accepto pretio?*
212. *Quotuplicis generis sint annexa Spiritualì?*
213. &c. *An vendi sine Simonia possit Jus Patronatûs?*
217. &c. *Sepultura Ecclesiastica?*
222. &c. *Beneficia?*
226. *Capellaniæ?*
227. *Commendæ Spirituales?*
228. *Coadjutoriæ?*
229. *Præstimonia?*
230. *Hospitalia?*
231. &c. *Pensiones?*
234. &c. *An Pensio pecuniâ redimi absque Simonia possit?*

153 QUæritur 1. quidnam hìc veniat nomine *Rei Spiritualis*, ut *Mercem* Simoniæ constituat? R. Hìc nomine *Rei Spiritualis* non intelliguntur res incorporeæ, ut DEUS, Angeli, Anima rationalis; sed quod aliquo modo est supernaturale, & ad spiritualem animæ salutem vel ex institutione Divina, vel ex destinatione Ecclesiæ est ordinatum. Navarr. *Man. c. 23. n. 99.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 8. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 5.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 2.* Wagnereck *ad Rubr. b. tit. not. 4.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 2.* Vallens. *hìc §. 2. n. 4.* Pirhing *n. 2.* Schambog. *n. 4.* Reiffenstuel *n. 44.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 2.*

154 Hinc etsi fama, & vita hominis non sint pretio æstimabilia, ideoque per pecuniam compensari nequeant, quippe cùm bona sint altioris generis, & ordinis; quia tamen sunt bona humana, temporalia, & ordinis naturalis, sive humano juri, & arbitrio subjecta, ideo possunt cum pecunia, vel alia re pecuniâ æstimabili aliquo modo commutari. Secus est de bonis merè Spiritualibus, quæ sunt Ordinis supernaturalis, & humano Juri, ac arbitrio non sunt subjecta, nec ullâ industriâ, aut viribus naturæ comparari possunt; nam his omnino repugnat instar humanarum, ac temporalium rerum pecuniâ æstimari, aut venalia exponi. Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 6.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 6.* Pirhing *hic n. 4. fin.*

155 Porro spiritualia, quæ Mercem Simoniæ possunt constituere, quadruplicis maximè generis sunt; nam 1. Aliqua sunt spiritualia in se, & per essentiam, ut Gratia sanctificans, Virtutes Theologicæ, & Morales Divinitus infusæ, Dona Spiritûs Sancti, & gratiæ gratis datæ, quasi in habitu consideratæ, Character Sacramentalis, & similia. 2. Alia sunt spiritualia causaliter; quia Gratiæ sanctificantis, & aliorum prioris generis spiritualium causæ sunt, ut Sacramenta, Sacramentalia, & Officia Ecclesiastica, ad Spiritualem, sive supernaturalem finem ordinata. 3. Alia spiritualia dicuntur, quòd sint effectus, sive actus à gratia, dono, & officio, ac potestate spirituali, tanquam à causa, proximè procedentes, ut est baptizare, ordinare, Officium Divinum celebrare, prædicare Verbum DEI, miracula facere &c. 4. Denique aliqua dicuntur spiritualia per connexionem seu spirituali annexa, quòd licèt in se spiritualia nequaquam sint, cum Spiritualibus tamen connexionem habeant.

De

156 De *spiritualibus primi generis* nullum est dubium, ea Mercem, seu materiam Simoniæ esse: idque verum est, sive emantur, vel vendantur secundùm se, & quasi in abstracto, quo modo Simon Magus *Act. 8.* oblatâ pecuniâ, emere voluit Spiritum Sanctum, seu potestatem ministerialem conferendi Gratiam Sanctificantem, & Dona Spiritûs Sancti, ut ea postea alijs vendere posset; sive in concreto, ut siquis captivum Christianum carius venderet, quia baptizatus est, vel Sacerdotem propter Characterem Sacerdotalem; quia hic Gratiam sanctificantem, fidem, & characterem Sacramentalem vendere censeretur. Ugolin. *de Simon. tab. 1. c. 36. n. 3.* Suar. *l. 4. c. 9. n. 9.* Laym. *c. 8. cit. n. 33.* Pirhing *hic n. 10.* Schamb. *n. 15.* Wiestn. *n. 34.*

157 Quæritur *2.* an, & quomodo vendi, & emi possint, vel non possint spiritualia *secundi generis?* In his *n. 155.* posui Sacramenta, Sacramentalia, & Officia Ecclesiastica.

Dubitatur 1. an, & sub qua ratione Sacramenta constituant mercem Simoniacam? *R.* Sacramenta dupliciter considerari possunt, scilicèt secundùm se, & quatenus sunt signum practicum gratiæ Sanctificantis, & secundùm materiam. *In prima consideratione*, certum est, illa constituere mercem Simoniæ. Patet in genere de Sacramentis omnibus ex *c. cùm in Ecclesiæ 9. h. tit.* & in specie de Sacramento Baptismi, & Confirmationis *can. baptizandis 99. can. quidquid 101.* & *c. caus. 1. q. 1.* de Sacramento Eucharistiæ *can. nullus 100. can. dictum 105. q. cit.* de Sacramento Pœnitentiæ *c. nemo 14. h. tit.* de Sacramento Extremæ Unctionis *can. fin. caus. cit. q. 3.* de Sacramento Ordinis *can. gratia 1.* & *pluribus seqq. caus. cit. q. 1.* de Sacramento Matrimonij *c. suam nobis 29. h. tit.* Ratio est, quia licèt Sacramenta in quibusdam actionibus, & passionibus consistant, sunt tamen Divina, & Supernaturalia Dona, à Christo eorum authore nobis collata, & cùm gratiam conferant, sunt secundùm se spiritualia. Ergo eo ipso, quòd talia sint, contra Religionem, & reverentiam illis debitam est illa pretio vendere; imò & contra verbum Christi: *Quod gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10.

158 *Neque obstat*, quòd in Matrimonio passim intervenire soleant pecuniæ, dotis augmenta &c. quia non interveniunt, nec exiguntur pro eo, quatenus est Sacramentum, sed quatenus est Contractus, ut ex ijs alatur uxor, & sustineantur alia onera Matrimonij, & si fortè inter Sponsum, & Sponsam inæqualitas detur, hæc compensetur auctione dotis &c. & meritò; nam in alijs Contractibus licet inæqualitatem ad æqualitatem reducere per pecunias, vel alias res pretio æstimabiles. Atqui Matrimonium sequitur naturam aliorum Contractuum. Ergo &c. *Conf.* antequam ad dignitatem Sacramenti elevaretur Matrimonium, inæqualitas inter Sponsum, & Sponsam ad æqualitatem reduci licitè poterat. Ergo etiam nunc potest; quia Christus illud sic elevando, in ratione Contractûs non immutavit. Abb. *in c. cùm in Ecclesiæ 9. h. tit. n. 3.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 10. n. 11.* & *12.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 34.* Barbos. *in c. 9. cit. n. 4.* Wagnereck *in c. 10. eod. V. Benedictionibus not. 2.* Zœs. *hic n. 8.* Pirhing *n. 12. not. 2.* Schambog. *n. 16.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 1. n. 33.* & *34.*

159 *Quoad alteram considerationem* distinguenda in Sacramentis est duplex materia, Remota, & proxima. *Remota* est res, seu symbolum externum, e. g. panis, vinum, oleum &c. *Proxima* est ipsa actio, quâ applicatur materia remota, vel pronuntiatur forma. *Prior* secundùm se spectata est res temporalis, & pretio æstimabilis. Igitur ita considerata vendi, & emi potest, si scandalum absit, nec adsit obligatio ad ministrandum illa gratis, & nulla Lex id prohibeat. *Posterior* citra Simoniæ piaculum pretium nullum recipit; quia tota quanta spiritualis est, sive consideretur tanquam materia Sacramenti; sive tanquam actus ministerij spiritualis; sive tanquam opus, ex intentione Ministri ad finem supernaturalem destinatum. Suar. *l. cit. c. 11. n. 3.* & *4.* Laym. *n. 33.* Pirhing *not. 3.* Magnif. P. Schmier *n. 36.* & *37.*

160 Dub *2.* quotuplicis generis sint Sacramentalia, & quomodo Mercem, seu materiam Simoniæ constituant? *R.* Sacramentalia alia sunt *Transeuntia*, quæ in actione transeunte consistunt, prout sunt Nuptiales, & similes aliæ Benedictiones, Exorcismi Ecclesiæ &c. Alia verò *Permanentia*, quæ habent effectum permanentem, ut sunt consecratio Ecclesiæ, altaris, calicis, benedictio aquæ, salis, olei, cerei, & ipsæ res sic consecratæ, vel benedictæ &c. Utraque materiam Simoniæ constituunt. Suar. *l. 4. c. 14. n. 2.* & *3.* Laym. *c. 8. n. 36.* Pirhing *n. 14.* Schambog. *n. 18.* & *19.* Wiestner *n. 36. fin.* De *prioribus* patet; quia sunt ministeria, sive ritus Sacri, & actus Ordinis Clericalis. Hæc autem materiam Simoniæ constituunt, ut *infrà n. 169.* statuetur. Ergo &c. De *posterioribus* sumitur ex *can. siquis 7. caus. 1. q. 3.* ubi generaliter statuitur, quòd res, quæ ex consecratione proveniunt, vendi, & emi non possint. *Ratio est*, quia hujusmodi res sunt merè sacræ, & Spirituales tum ratione principij, quia institutæ sunt potestate supernaturali, Ecclesiæ à Christo concessa; tum quia ordinantur ad finem supernaturalem, & salutem animarum: ideoque si ut tales vendantur, magnâ irreverentiâ afficiuntur, & Simonia committitur contra Jus naturale, & Divinum. Suar. Pirh. *l. citt.* cum communi cæterorum.

161 *Difficultas* est, an res, consecratione, vel benedictione Ecclesiæ affectæ, vendi saltem queant secundùm materiam, & ejus æstimationem? *Negant* vendi posse, quamdiu consecrationem, vel benedictionem suam redi-

retinent, Abb. *in c. ea quæ 16. h. tit. n. 1.* & quidam alij ex VV. Canoniſtis: & videtur hoc ſumi 1. ex *can. ſiquis objecerit 7. cauſ. 1. q. 3.* ubi Eccleſia prohibetur vendi non ſolùm quoad conſecrationem, ſed etiam quoad materiam, ex ratione, quia cùm conſecratio absque materia corporali non proveniat, vendens materiam nec conſecrationem invenditam dereliquiſſe cenſeri debet. 2. Ex *can. dictum 105. cauſ. cit. q. 1.* & *c. non ſatis 8. h. tit.* ubi interdicitur, ne pro oleo, chrismate, & balſamo, ex quo chrisma conficitur, aliquid exigatur. 3. Ex *c. querelam 15. h. tit.* ubi deciditur, Eccleſias nec emi, nec redimi poſſe.

162 Sed tenenda eſt affirmativa Sententia, quam etiam defendunt Navar. *Man. c. 23. à n. 108.* Sot. *l. 9. de Juſt. q. 6. art. 1.* Redoan. *p. 3. de Simon. c. 17. à n. 6.* Azor *p. 3. l. 12. c. 17. pr.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 14. n. 6.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 17.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 8. n. 2.* Wagnereck *in c. 15. h. tit. not. 1.* Gonzal. *in c. 12. eod. n. 8.* Zœſ. *hìc n. 10.* Engl *n. 17.* Pirhing *n. 72.* Schambog. *n. 21.* Wieſtner *n. 55.* Reiffenſtuel *n. 221.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 1. n. 50.* cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 4. ad 1. 2. & 3.* & *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. quæſt. 3.* Ratio eſt, quia materia iſtarum rerum per Conſecrationem, & Benedictionem non amittit valorem, & æſtimationem ſuam. Igitur ſicut antea ſecundùm materiam vendi poterant, ita & poſt illam. *Et confirmatur* ex praxi, quâ paſſim videmus emi, vendíque calices, etiam conſecratos.

163 Duo tamen hoc loco ſunt annotanda. *Primum* eſt, ut quando hujusmodi vaſa, aut ornamenta conſecratione, vel benedictione affecta venduntur Laicis, & ad uſus profanos, v. g. hoſti pro lytro, aut exactoribus pro tributo, antequam vendantur, & tradantur, conflentur, confringantur, vel diſſuantur *l. ſuncimus 21.* & *Auth. præterea C. de SS. Eccl.* Sot. *l. cit. ad 2.* Palao *n. 3.* Wagnereck *not. 2.* Wieſtner *n. 56.* Reiffenſtuel *n. 225.* *Alterum*, ut propter Conſecrationem, vel Benedictionem rerum iſtarum pretium non augeatur; hoc enim Simoniacum foret, quòd augmentum pretij cenſeatur peti pro Benedictione, vel Conſecratione. Suar. *l. cit. n. 16.* Zœſ. *n. 10.* Pirhing *n. 72.* Wieſtner *n. 57.* Reiffenſtuel *n. 223.* cum aliis *ſuprà*. *Excipitur*, niſi aliunde conſtet de legitimo titulo augendi pretium ſupra æſtimationem materiæ: & ex hac ratione Cruces Hiſpanicæ licitè vendi poſſunt cariùs, quàm exigat materiæ valor, & artificij æſtimatio, ad compenſandos ſcilicet ſumptus, & labores itinerum, qui impendi debebant ad eas res ex Hiſpania aſportandas. Engl *n. 17. hìc fin.* Wieſtner, Reiffenſtuel *l. citt.*

164 Neque contrarium probant textus *n. 161.* allegati. *Ad 1.* Pontifex *in can. cit.* non loquitur de materiali Eccleſia, ſed de Eccleſia collata in Beneficium, & de Jure percipiendi reditus temporales, & de hac ibi diſponitur, quòd jus percipiendi reditus temporales non poſſit vendi, niſi etiam vendatur ipſum Beneficium, vel Dignitas conſtituta in tali Eccleſia, ob inſeparabilitatem, quam habent ad ſeſe invicem: quod cum Gloſſ. *ibid. V. ſed res* notant Suar. *c. 14. cit. n. 13.* Barboſ. *in can. cit. n. 2.* Wagnereck *not. 3.* Zœſ. *n. 10.* & deſumunt ex Decreto Gregoriano correcto, ubi pro verbis, *Nam cùm corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, vel Abbas*, tanquam mendoſis, legitur, *Nam cùm corporalis Eccleſiæ Epiſcopus, vel Abbas &c.* Vel ſi velimus inhærere litteræ incorrectæ, dici poteſt cum Valent. *tom. 3. D. 16. p. 2. §. ult.* textum illum intelligendum de rebus conſecratis, quarum materia à conſecratione ſeparabilis non eſt, v. g. de Eccleſia, ut Eccleſia eſt &c. quo modo accepta Eccleſia, cùm ſimul utrumque includat, vendi nequit ſecundùm unum, quin etiam vendatur ſecundùm alterum. *Ad 2.* communiter DD. reſpondent, venditionem Chrismatis prohiberi, quia cùm materia ſit exigui pretij, potiùs vendita cenſetur ipſa benedictio. *Ad 3.* in *c. querelam cit.* agitur de locatione Eccleſiæ ſub annuo cenſu, & venditione rerum Eccleſiaſticarum ſine conſenſu Capituli celebratis: quod utique fieri nequit.

165 Dub. 3. an, & quomodo committatur Simonia accipiendo temporale pro Officijs Eccleſiaſticis, ut ſunt prædicatio Verbi Divini, Orationes, quæ ex Eccleſiæ inſtitutione, in Choro, Proceſſionibus &c. publicè, privatímque fiunt? *Rr.* Intereſſe, an aliquid hoc caſu exigatur ut pretium pro hujusmodi Officijs, an verò ut ſtipendium ad ſuſtentationem neceſſarium.

Si primum, citra Simoniam accipi nihil poteſt. Suar. *l. 4. c. 15. n. 3.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 9. n. 1.* Pirhing *hìc n. 26. & 27.* Wieſtner *ib. n. 37.* & teſte Palao *l. cit.* DD. omnes cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3.* Sumitur 1. ex illo *Matth. 10. v. 8.* ubi Chriſtus Apoſtolis, ad Evangelij prædicationem miſſis, *Gratìs*, inquit, *accepiſtis, gratìs date.* 2. Ex *c. ad noſtram 21. h. tit.* ubi generaliter prohibetur, ne pro miniſterio, ſeu Officio Eccleſiaſtico pecuniæ exigantur. 3. Ex *ratione*; quia hæc miniſteria principaliter inſtituta ſunt ad conſequendam gratiam, aliáque bona ſpiritualia.

166 *Si ſecundum*, licitè, & absque Simonia accipitur, quod ita in ſtipendium ſuſtentationis offertur: imò hujusmodi ſtipendium etiam licet exigere, & de eo paciſci. Ita expreſsè Suar. *n. 5.* Palao *n. 1.* Pirhing *n. 26.* cum Sylv. *V. simonia q. 9. dict. 1.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 29.* præcipuè *à n. 15.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 38.* Quod procedit ſaltem de Sacerdote non obligato aliàs ad obeunda hujusmodi Officia Eccleſiaſtica; nam quoad Parochos, & alios, qui ex officio, & Juſti-

Justitia obligantur ad hujusmodi functiones, observandum est, quod dictum est *n. 99.* ita, ut occasione illarum, vel nihil, vel non plus saltem, quàm Lege Superioris Ecclesiastici, aut consuetudine taxatum sit, possint accipere. *Ratio disparitatis* est, quia hi posteriores pro hujusmodi functionibus jam habent aliunde stipendium ex reditibus suis Beneficialibus; istud verò non habent priores. Igitur cùm dignus sit operarius mercede sua, stipendium possunt accipere, imò petere, & de eo pacisci.

167 Quod de Orationibus, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, dictum est, id ferè dicendum etiam de Orationibus privatis; nam si ejusmodi Oratio consideretur, ut impetratoria, vel meritoria saltem de congruo etiam alteri, pro quo funditur, non potest emi, vel vendi pro pretio sine Simonia, cùm ut sic sit actus merè spiritualis. Potest tamen, aliquis dare pecuniam pauperibus, vel Religiosis, ut pro se orent, non ut pretium operis, sed per modum Eleemosynæ, vel etiam stipendij ad sustentationem necessarij, maximè si Oratio sit diuturna. Suar. *n. 9.* Palao *n. 1.* Pirh. *n. 26. fin.* Schamb. *n. 35.* Reiffenstuel *n. 218.*

168 Quæritur 3. quænam ex spiritualibus *tertij generis* materia esse Simoniæ possint? *R.* Hæc multiplicis generis sunt. Et 1. quidem materiam Simoniæ constituunt Prophetia, patratio miraculi, & similes actus, si pro ijs temporalè quid detur, vel petatur; quia proficiscuntur à gratijs gratis datis, de quibus Christus Dominus: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. *10. v. 8.*

169 2. Actus Ordinum, v. g. collatio Baptismi, & Confirmationis, Consecratio, Ordinatio, actus sepeliendi &c. Patet ex *c. in ordinando 1. c. non satis 8. c. cùm in Ecclesiæ 9. c. ad nostram 21. c. juam nobis 29. h. tit.* & docet S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3.* Sylv. *V. Simonia q. 9.* Suar. *c. 13. n. 1.* Zœs. *hic n. 13.* Pirhing *n. 15. & 16.* Schamb. *n. 27.* Reiffenst. *n. 48.* Ratio est, quia licèt hujusmodi actus materiales sint physicè, principium tamen, & finem spiritualem habent; oriuntur enim ex spirituali potestate Ordinis, & intenduntur ad spiritualem animæ salutem.

170 3. Actus Jurisdictionis spiritualis fori interni, & externi, ut sunt absolutio à peccatis, & Censuris, dispensatio in Votis, Juramentis, & Canonicis impedimentis Ordinum, vel Matrimoniorum, in Legibus Ecclesiasticis &c. Suar. *l. 4. de Simon. c. 19. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 40.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 12. n. 1. & seqq.* Zœs. *hic n. 13.* Pirhing *n. 46. & 49.* Schambog. *n. 49. & seqq.* Engl *n. 19.* Wiestner *n. 45.* Reiffenstuel *n. 49.* & patet ex *can. nullus Episcopus 124. caus. 1. q. 1. c. nemo 14.* & *c. ad aures 24. h. tit. Trid. Sess. 24. c. 5. de reform. matr.* ubi in conjugiorum impedimentis, & *Sess. 25. c. 18. de reform.* ubi in *SS.* Canonibus, & Legibus Ecclesiasticis dispensationes gratis concedi jubentur. *Ratio est*, quia actus isti spirituales sunt tam ex parte principij; promanant enim ex potestate spirituali: quàm ex parte finis; quia conscientiarum vincula relaxando intendunt supernaturalem animarum salutem.

4. Admissio ad Novitiatum, & Pro- 171
fessionem Religiosam Suarez. *c. 17. n. 4. & 5.* Palao *q. 9. n. 4 & seqq.* Barbos. *in c. non satis 8. h. tit. n. 2.* Gonzal. *in c. 18. eod. n. 3.* Monacell. *p. 3. tit. 3. form. 10. n. 14.* Zœs. *hic n. 16.* Pirhing *n. 58.* Schambog. *n. 64.* Engl *n. 21.* Reiffenstuel *n. 162.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 101.* & patet ex *can. nullus 3. caus. 1. q. 2. c. non satis 8. c. cùm in Ecclesiæ 9. c. de Regularibus 25. c. quoniam 40. c. audivimus 41.* & *Extrav. 1. inter comm. h. tit.* quia est actus Jurisdictionis, & potestatis spiritualis, & tanquam finem intendit perfectionem Charitatis, & spiritualem animæ salutem.

5. Electio, Confirmatio, nominatio 172
præsentatio, institutio, investitura, Pallij concessio, & similes actus, quibus Beneficia, Dignitates, & Prælaturæ Ecclesiasticæ obtinentur *c. cùm in Ecclesiæ 9. c. de hoc 11. c. Matthæus 22. c. in tantum 36. fin. c. audivimus 41. c. ne DEI 43. &c. h. tit.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 6.* Zœs. *n. 13.* Pirhing *n. 79. & seqq.* Schambog. *n. 30. & 80.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 50.* Ratio est, quia hi omnes sunt actus Jurisdictionis, aut Officij, sive muneris, & potestatis spiritualis, Electoribus, Patronis, Collatoribus ab Ecclesia ad finem spiritualem specialiter concessæ, & ad jurium, & administrationis spiritualis concessionem ordinatæ.

6. Alij actus Jurisdictionis Ecclesiasti- 173
cæ, sive voluntariæ, sive contentiosæ. Suar. *c. 20. n. 16.* Zœs. *n. 23.* Pirh. *n. 48. & seqq.* Schamb. *n. 55.* Wiestner *n. 50.* Reiffenstuel *n. 51* cum relatis, & sumitur ex *can. vendentes 10.* junct. Gloss. *V. justitiam caus. 1. q. 3.* & *c. cùm ab omni 10. de Vit. & honest.* Ratio est, quia sunt ministerium Ecclesiasticum, & proficiscuntur à potestate spirituali gratis data, & propterea ex vi suæ institutionis gratis exercenda.

Dub. 1. quorumnam Ordinum actus 174
constituant Materiam Simoniæ? *Certum est 1.* materiam Simoniæ constituere actus Ordinis Sacerdotalis, & Pontificalis, sive deinde illi institutionem suam habeant à Christo, ut Sacramentorum administratio, sive ab Ecclesia, ut consecratio Ecclesiæ, altaris, benedictio vestium Sacrarum, aquæ, salis &c. Suar. *l. 4. c. 14. n. 4. & 5.* & textus passim de hoc sunt in Jure nostro Ecclesiastico. *Ratio est*, quia omnes ordinantur ad salutem animæ spiritualem, & sic spirituales factæ sunt. Igitur omnes materia Simoniæ sunt, & quidem ex Divino Jure, utpote quo commissa Ecclesiæ potestas est conse-

crationes, & benedictiones ab ipsa instituendas committendi certis Ministris.

175 *Certum est 2.* materiam Simoniæ constituere functiones proprias Diacono, & Subdiacono, ut sunt assistereSacerdoti sacra solenniter facienti, cantare Evangelium in Missa, vel Epistolam &c. quia hæc valde sacra sunt, & spiritualia, & ad illa Diaconus, & Subdiaconus specialiter ordinantur. Suar. *l. cit. n. 6.* qui addit, probabile esse, Simoniam committi etiam, quando pro pretio temporali, cantatur Epistola non solenniter in choro ab aliquo Laico; quia est aliquo modo Sacrum ministerium, & quasi pars celebrationis Missæ, igitur cùm ut sacra, & spiritualis tractari debeat, ex natura rei actio ista erit invendibilis.

176 *Major est dubitatio* de actibus quatuor inferiorum Ordinum; quia non sunt ita spirituales, ut non etiam à Laicis eodem exteriori modo fieri possint. *Sed dicendum*, etiam istos materiam Simoniæ esse; quia sunt ministeria sacra, & ex sua institutione, ac fine ordinata ad Divinum sacrificium. Idque verum est, non tantùm, quando fiunt à constitutis in Ordinibus Minoribus; quia tunc sunt actus procedentes ex potestate spirituali per Ordinationem data: sed etiam quando à Laicis; nam licèt accipere aliquid possint pro obligatione, & sustentatione, non tamen tanquam pretium. Suar. *n. 7.* Laym. *c. 8. n. 36. ℣. exinde*, Pirhing *n. 15.* Schambog. *n. 27.* Rationem dat Suar. *l. cit.* quia eo ipso, quòd talis Laicus voluntariè cooperatur tali ministerio sacro, & suam operationem cum eo conjungit, qui sacramentum efficit, debet illam cum debita reverentia exhibere, & consequenter gratis.

177 *Excipit* Suar. *l. cit. n. 8.* si actus ita sit materialis, ut non exerceatur tanquam actus Ordinis, sed præcisè eo modo, prout fieri à Laico potest, quale est munus Ostiarij, præsertim quatenus ad eum spectat custodire res mobiles Ecclesiæ; tali enim casu non erit Simonia pro eo pretium temporale dare, vel accipere. Idem multò magis dicendum de Officio Cantoris; quia hoc non est proprium alicujus Ordinis. Suar. *l. cit.*

178 Dub. 2. an saltem Ordinans, vel ejus Ministri accipere aliquid possint pro Litteris Dimissorijs, aut Testimonialibus Ordinum suscipiorum absque vitio Simoniæ? ℟. Interesse, an accipiatur ex hac occasione aliquid, præcedente pacto, vel exactione, an sine isto spontè, & merè gratuitò. *Si primum*, committitur Simonia, saltem Juris Ecclesiastici. Fagn. *in c. in ordinando 1. h. tit. n. 2. & 3.* Zœs. *hic n. 27.* Pirhing *n. 17. not. 3.* quia quando principale debet fieri gratis, etiam accessoria debent præstari gratuitò, & sine mercede.

179 *Si secundum*, ita oblatum, spectato Jure communi, pro hujusmodi actibus spiritualibus licitè accipitur *c. etsi quæstiones 18. & 9. dilectus 30. in fin. h. tit.* modò id, quod offertur, modicum sit, & non detur in ipso actu Ordinationis, sed ex intervallo. Addidi, *Spectato Jure communi*; nam de Jure Trid. *Sess. 21. c. 1. de reform.* ne gratuitè quidem oblata pro collatione Ordinum, Litteris Dimissorijs, & Testimonialibus possunt accipi: & meritò; quia non censetur tunc facilè quid spontè dari, maximè ante Ordinationem, & cupidi homines facilè sibi persuaderent spontè dari, quod coactè offertur. Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 61.* Fagn. *l. cit. n. 11.* qui tamen addit, non fore Simoniam, si revera aliquid temporale spontè daretur, & ut tale acciperetur; quia tunc cessat pactio, & ratio debiti, quæ requiritur ad Simoniam.

Excipiuntur tamen à laudato Concilio 180
l. cit. Notarij, qui in ijs tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis Dimissorijs. seu Testimonialibus decimam tantùm unius aurei partem possunt accipere, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro Officio exercendo, & Episcopo nullum exinde emolumentum indirectè accedat. Fagnan. *in c. in ordinando cit. n. 27.* Gonzal. *ibid. n. 6.* Per *Aureum* autem hìc intelligitur Ducatus, ut declaravit *S. Congr. Conc.* apud Zerol. *Prax. Episc. p. 1. V. Dimissoriæ §. ad 7.*

Pœna dantium, & accipientium mu- 181
nera ab Ordinatis est Excommunicatio, suspensio ab Officio, & executione Ordinum quoad Ordinatos *can. reperiuntur 7. caus. 1. q. 1.* Et extendit has pœnas Trid. *l. cit.* etiam ad dantes, & accipientes munera spontè oblata, quamvis ea Constitutio in pluribus locis non sit recepta, ut refert Less. *l. 2. c. 35. n. 62. ℣. adverte*, Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 40. ℣. cæterùm in fin.* Fagnan. *l. cit. n. 11.* Pirhing *hic n. 19.* Schambog. *n. 29.*

Dub. 3. quomodo possit tolerari con- 182
suetudo, quâ passim consuevit pecunia offerri à fidelibus, imò exigi à Parochis pro Missis, sepulturâ, assistentia Matrimonij, administratione Sacramentorum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis? *Rationem dubitandi* facit *1. c. non satis 8. fin. & c. cùm in Ecclesiæ 9. h. tit.* ubi prohibetur aliquid accipi pro Sacramentis conferendis, pro Sepultura &c. & contraria consuetudo non obscurè reprobatur. 2. si legitimari consuetudo hæc posset, posset ex eo, quòd quæ ita accipiuntur, accipiantur pro debita sustentatione Parochorum, & aliorum Curatorum. Atqui sustentationem congruam jàm aliunde habent ex Decimis, & alijs reditibus Parochialibus. Ergo &c. 3. Ex recepta Regula per actus merè liberos, & meræ facultatis consuetudo, vel præscriptio induci non potest. Atqui fideles, quando solverunt initio aliquid Parochis occasione Sacramentorum sibi administratorum, id solverunt per actum meræ facultatis, & gratuitum. Ergo &c.

Sed

183 Sed dicendum, consuetudinem hanc accipiendi, imò & exigendi aliquid in curæ Pastoralis administratione, si exactio fiat moderatè juxta taxam, ab Episcopis approbatam, sine violentia, & post spiritualium administrationem, tolerari posse, præsertim si sit immemorialis, & Parochus paratus sit ea administrare, etsi nihil inde accipiat. Azor. *p. 3. l. 12. c. 19. q. 1.* Vivian. *in. c. 29. h. tit. circ. med. & in c. 42. circ. med. h. tit.* Barbos. *ibid n. 17.* Zœs. *hic n. 39.* Engl *n. 13.* Pirhing *n. 43.* Schambog. *n. 35.* Wiestner *n. 42. Ratio est*, quia quod hac occasione datur, vel exigitur, non datur, vel exigitur tanquam pretium pro ejusmodi administratione, & actu spirituali, sed tanquam stipendium necessarium pro sustentatione Ministrorum, qui aliunde sæpe non habent congruam: & hinc quod ita datur, non commensuratur valori, & æstimationi operis, seu laboris, hujusmodi administrationi intrinseci, sicut tamen deberet commensurari, si pro eo daretur tanquam pretium; sed necessitati ministrantis secundùm qualitatem ipsius: quod æquissimè petitur, & admittitur; debentur enim temporalia spiritualia ministrantibus.

184 Addidi, *si Parochus paratus sit ea administrare &c.* nam casu, quo nollet illa administrare, nisi pecunia ipsi numeretur, juxta omnes committeret Simoniam Parochus istam exigens: imò etiam eidem solvens. Barbos. *in c. 44. h. tit. n. 7.* Pirhing *hic n. 43.* Wiestner *n. 43. Excipitur* casus necessitatis, ut cùm baptizandus est infans proximè moriturus, aut Sacramentum Pœnitentiæ petit moribundus obstrictus peccato mortali; tunc enim pecunia injustè neganti offerri posset, non pro ipsa datione Sacramenti, & in ejus commutationem, sed ad ejus voluntatem flectendam, & satiandam avaritiam. Suar. *l. 4. c. 12. n. 13. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 38. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 21.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 7. n. 3.* Barbos. *in c. 9. h. tit. n. 3.* Wagnereck *in c. 10 V. Benedictionibus not. 3.* Pirhing *hic n. 13.* Ratio est, quia gravis necessitas sufficiens est ad tollendam irreverentiam, quæ aliàs extra casum necessitatis irrogaretur Sacramento; & habet talis honestam, & gravem causam permittendi malitiam alterius.

185 Exceptionem istam cum aliis Suar. *l. cit. n. 19.* extendit etiam ad necessitatem sumendi Eucharistiam per modum Viatici, aitque casu, quo Parochus aliter Sacrum Viaticum dare nollet ægroto disposito, quàm pro pecunia, istum probabiliter posse hanc ei dare, etiamsi ipse jam sit confessus, vel non habeat conscientiam peccati mortalis; quia malitia alterius non debet me privare tanto bono, quando ego habeo jus, & possum uti bene malitiâ alterius sine ulla cooperatione cum illius peccato. Imò Palao *p. 7. cit. n. 4.* à Simonia absolvit etiam illum, qui extra casum necessitatis daret pecuniam petenti illam pro administratione, si protestetur, se illam non solvere pro ipsa administratione Sacramenti, sed solùm ad redimendam injustam vexam.

Neque obstant Argumenta *n.* 182, 186 allata. *Ad 1.* in *citt.* textibus solùm reprobatur consuetudo non legitimè præscripta, vel introducta sine rationabili causa, & cum exactione violenta, immoderata, aut cum minis negandi ea Sacramenta non solventibus: nec immeritò; nam talis consuetudo scandalosa est, & vel avaritiæ, vel Simoniæ speciem habet. Contrà consuetudo *n.* 183. descripta *c. ad Apostolicam 42. h. tit.* apertè approbatur, imò *Concil. Later.* ibi præcipit eam observari: idem constat ex Trid. *Sess. 24. c. 14. de reform.* ubi supponit aliquas consuetudines hujusmodi esse pravas, & alias pias; & ideo eas præcipit ab Episcopis examinari, & discerni, ut pravæ tollantur, piæ retineantur. *Ad 2.* non est verum, quòd hodie ubique Parochi aliunde congruam sustentationem habeant, & si haberent, nihilominus non deberet statim reprobari hæc consuetudo, cùm ratio illius introductæ congrua assignari possit, scilicet, quòd hujusmodi reditus *Stolæ*, ut vocant, successerint in vicem Decimarum Personalium, & aliarum, quæ per desuetudinem sublatæ sunt. *Ad 3.* etsi primitus præstationes istæ fuerint facultatis, postea tamen tum per *c. ad Apostolicam cit.* tum per consuetudinem, dum Parochiani eas solverunt ut debitas, inducta est obligatio, justissimo titulo, scilicet, in compensationem, ut dixi, Decimarum personalium &c. Porro ad consuetudinem hujusmodi inducendam sufficit decennium, ut monet Laym. *c. 8. cit. n.* 16. Barbos. *in c. ad Apostolicam cit. n. 20.* Pirhing *n. 45.* Schambog. *n. 47.* Præposit. Frising. *tom. 1. conf. 9. n. 5. fin.*

Dub. 4. quinam alij sint tituli præter 187 consuetudinem hactenus descriptam, ut in administratione Sacramentorum, & aliorum Divinorum recipi aliquid temporale possit? *Ry.* triplex maximè assignari potest. 1. *Pro labore:* ubi tamen juxta dicta *n. 97. & seqq.* distingui debet inter laborem intrinsecum, & extrinsecum; nam pro labore intrinseco, cùm aliam æstimationem non habeat, præter illam, quam habet ipsa actio sacra, seu spiritualis, cui intimè cohæret, sine Simoniæ vitio nihil accipi, vel peti potest: potest autem aliquid accipi, imò peti pro labore extrinseco, & qui actioni sacræ per accidens tantùm connexus, & ab illa per se separabilis est; éstque perinde, sive præcedat actionem sacram, sive illam comitetur. Pirh. *hic n. 30.* cum cæteris.

2. *Pro obligatione*, quam Ministri Sa- 188 cramentorum in se suscipiunt; nam si ejusmodi Minister non aliunde ad hoc obligetur, sicut obligantur Parochi ex Officio suo Parochiali,

rochiali, pro ejusmodi obligatione aliquid accipere, imò in pactum etiam deducere, modò taxa ab Episcopo per Statutum, vel per consuetudinem taxata non excedatur, à Simoniæ labe immune est, ut cum P. Engl *hic n. 15.* docet Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 44. & duob. seqq.* ex ratione, tum quia obligatio hujusmodi separabilis est ab ipsa functione, quippe quam exercere possum citra obligationem omnem; tum quia eadem obligatio est pretio æstimabilis, quatenus privat hominem sua libertate, parit incommoda non pauca, & insuper subministrat causam sæpe non levibus sumptibus, expensis, aliisque incommodis quoad studia, libros, honoraria &c.

189 3. *Pro sustentatione:* Et quidem si Clericus Sacramenta administrans aliunde non habeat sustentationem ejus titulo aliquid ab ipso accipi, & peti posse, est extra dubium; sic enim Divino Oraculo *Luc. 10. Rom. 15. & 1. Corinth. 9.* definitum legitur, ex naturali ratione, quòd congrua sustentatio debeatur non tantùm illis, qui ministrant temporalia, sed etiam alijs qui spiritualia administrant. Quoad alios Clericos, quibus ex proprijs medijs de sustentatione congrua jam prospectum est, negativam cum alijs, nonnullis defendit Sylv. *V. Simonia q. 9. §. tertium.* Sed affirmativa etiam quoad hos defendenda est juxta dicta *n. 93. & 94.* ubi *n. 95. seq.* excepi Parochos, & alios Beneficiatos, qui ad hæc Divina ministranda obligantur ex officio. Videantur ibidem dicta.

190 Dub. 5. quando exercitium Jurisdictionis spiritualis constituat materiam Simoniæ? ℟. Constituere semper, quando temporale datur pro pretio illius, vel exigitur: estque perinde, sive sit actus Jurisdictionis fori interni, & conscientiæ, sive externi, & contentiosi. Quare committur Simonia. 1. Quando datur, vel accipitur pretium pro audienda Confessione, tum quia inchoatur inde Sacramentum, tum quia ipsa auditio Confessionis per clavem scientiæ & in tali foro est actus Jurisdictionis supernaturalis. Suar. *l. 4. c. 19. n. 2.* 2. Quando post exceptam Confessionem pecunia datur, vel extorquetur pro absolutione conferenda *c. nemo 14. ℣. nec quemquam h. tit.* vel pro ea neganda; quia tam absolutio, quàm negatio ejusdem est actus Jurisdictionis spiritualis. Suar. *n. 2. cit.* 3. Quando pro pretio delegatur alteri potestas audiendi Confessiones, vel datur alicui licentia eligendi sibi Confessarium; nam talis delegatio, & licentiæ datio ex Jurisdictione spirituali procedit. Suar. *n. 5.* 4. si pro simili pretio datur potestas absolvendi à Censuris. Suar. *n. 6.* 5. si detur, aut petatur aliquid pro concessione Indulgentiarum. 6. si pro pecunia dentur Dispensationes e. g. ut propter occurrentem necessitatem laborare liceat die festo, vel comedere carnes die aliàs prohibito &c. Suar. *c. 20. n. 8.*

Neque obstat praxis Romanæ Curiæ, 191
& Legatorum Sedis Apostolicæ, à quibus exigi pecuniæ pro Dispensationibus solent, & earum quantitas eo magis augetur, quò difficilior est Dispensatio. Nam 1. plurimæ Dispensationes etiam Romæ expediuntur gratis. 2. In ijs, quæ gratis non expediuntur, pecunia nunquam exigitur pro ipsa Dispensatione, sed vel ex titulo commutationis, quatenus obligatio ex Voto e. g. in opus aliud pium, ac Eleemosynam commutatur; vel ex titulo coercitionis in vicem pœnitentiæ, quando dispensatio petitur ob præcedens delictum: vel ex titulo sustentationis pro Papa dispensante, & Officialibus Curiæ. 3. Dispensationes utpote odiosas, decet onerosas reddi petentibus, ne si facilè, & absque sumptibus obtineri possint, major licentia præbeatur eas importunè petendi, ob quam causam etiam fieri potuit, ut quo difficilior est dispensatio, eo major pro ea exigatur pecuniæ quantitas, ut tanto rarius petatur. Suar. *c. 20. n. 11.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 36.* Pirhing *hic n. 49.* Reiffenst. *n. 216.*

Interim tamen nulli Ordinario Papæ 192
inferiori permissum est hujusmodi exactiones facere pro Dispensationibus, etiam nomine stipendij, sustentationis, ob Decretum Trid. *Sess. 25. c. 18. de reform. & Sess. 24. c. 5. de reform. Matrimon.* quibus prohibetur in Dispensationis concessione quidquam quocunque titulo, præsertim in suam concedentis utilitatem exigi, vel acceptari: quibus Decretis, tanquam Legibus Ecclesiæ universalibus, etiam Episcopi adstringuntur. Garc. *de Benef. p. 8. c. 1. n. 101.* Ugolin. *tab. 1. c. 52. n. 5.* Suar. *c. 20. n. 14.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 57.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 12 n. 11.* Wagnereck *in c. 3. h. tit. not. 2.* Zœs. *hic n. 25.* Honor. *n. 13.* Wiestner *n. 46. fin.* Reiffenstuel *n. 217.* Et quamvis Sanch. *l. 8. de Matr. D. 35. n. 11.* & Salas *de Legibus D. 20. sect. 10. fin.* afferant, posse ipsos aliquid accipere, si ita consuetudine receptum sit, pro labore, & receptione, ac examine testium, quando ipsis à Sede Apostolica committuntur Dispensationes Matrimoniales, & aliæ; rectiùs tamen id negant alij cum Garc. *l. cit. à n. 102.* qui hanc suam Sententiam probant tum ex Conc. Trid. *l. cit.* tum ex varijs *Declarationibus Cardd.* apud eundem Garc. *l. cit.* in quibus derogatur consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorialibus. Non tamen est deneganda Episcopis licentia imponendi onus Eleemosynæ per modum Commutationis in Dispensando super Votis, observatione Festi, & similibus. Dico *Eleemosynæ* in pauperes, vel pia opera distribuendæ; nam ut sibi applicent, non caret specie Simoniæ, vel saltem turpis avaritiæ Zœs. *n. 25. cit.*

Dub. 6. an, & quando occasione 193
admissionis ad Novitiatum, aut Professionem aliquid accipi, vel peti possit? ℟. tres esse ma-

maximè casus, in quibus licitè aliquid accipi, & aliquando etiam peti potest ab ingressuris, vel ingressis in Religionem. Et 1. quidem quando ab istis aliquid sponte offertur Monasterio; nam hoc modo oblatum per Concilia, & Summorum Pontt. Decreta accipi licitè posset, rectè ostendit Thomassin. *p. 3. l. 1. c. 54. n. 1.* & sequuntur Engl *hic n. 21.* Reiffenstuel *ibid. n. 181.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 99.* Patet ex *c. dilectus 30. h. tit.* & *Extrav. sanè 1. eod.* ubi acceptio hæc expressè approbatur. *Ratio est*, quia hoc casu cessat omne periculum, & species Simoniæ, cùm gratanter oblatum pretij rationem habere nequeat. *Conf.* quia Prælatis Regularibus licet conditionem Ecclesiæ, & Monasterij sui meliorem facere per media aliàs licita. sed non est illicitum accipere pro spirituali aliquid temporale graranter oblatum, ut constat ex dictis *n. 66.* ergo &c.

194 2. Si Monasterium sit inops, & non sufficienter dotatum potest ab ingressuris, vel ingressis aliquid exigi titulo sustentationis. Ita S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* Sylv. *v. Simonia q. 15. dict. 2.* Navar. *Man. c. 23. n. 106.* Suar. *l. 4. c. 17. n. 18.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 71.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 39.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 6. q. 9.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 9. n. 4.* Vivian. *in c. 8. pr. h. tit.* Barbos. *in c. 40. eod. n. 5.* Gonzal. *in c. 18. n. 6.* Wagnereck *in c. 19. not. 4.* Monacell. *p. 3. tit. 3. form. 10. n. 16.* Engl *hic n. 21.* Pirhing *n. 59.* Schambog. *n. 65.* Wiestner *n. 48.* Reiffenstuel *n. 163.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 103.* Ratio est, quia ex tali causa licet etiam accipere aliquid in Matrimonio carnali, cum quo spirituale pari passu ambulat. *Conf.* ex Trid. *Sess. 25. c. 16. de Regular.* ubi dicitur, quòd licitum sit pro victu, & vestitu Novitij tempore, quo in probatione est, aliquid ex bonis ejusdem dare, & accipere: & quamvis Concilium *ibi* non exprimat, an etiam de eo paciscì liceat, non tamen id *ibi* prohibetur: quodsi autem pro tempore probationis licitum est sustentationem exigere, etiam licebit pro tempore Professionis, & reliquo vitæ tempore, si ex parte Monasterij sit eadem exigentia. ergo &c.

195 Neque obstat *c. quoniam 40. h. tit.* ubi tanquam Simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus Religionem; dicendum enim cum Gloss. *ibid. V. paupertatis* Suar. *c. 17. cit. n. 14.* Less. *n. 71.* Palao *n. 6.* & alijs, id non prohiberi ex causa veræ, sed ex prætextu, & sub colore falsæ, & fictæ paupertatis, prout textus ipse indicat. Vel dici potest, ibi tanquam Simoniacum prohiberi, ne Monasterium cæteroquin inops sub prætextu, vel ex causa paupertatis plus exigat, quàm pro sustentatione talis personæ necessarium est; quia tunc revera non ampliùs pro honesta sustentatione, sed pro ipso ingressu, *conf.* Simoniacè exigeretur illud superfluum. Addit tamen Palao *n. 6. cit.* rarò contingere, ut Monasterium non egeat subsidio ingredientis, ne propter illius ingressum alia officia sibi utilia impediantur, néve alijs aptioribus præcludatur ingressus.

3. Potest indiscriminatim in Monaste- 196
rijs Monialium, etiam ijs, quæ reditibus abundant, ab ingressuris, vel ingressis aliqua certa pecuniæ summa exigi titulo dotis. Ita universalis totius propemodum Orbis consuetudo, quam speciali indulto firmavit Innocentius VIII. apud Tambur. *de Jur. Abbatissa D. 5. q. 2. & 3.* Ratio est, quia quilibet maritus, sive dives, sive inops sit, Matrimonium contracturus exigere à Sponsa sua potest Dotem pro statu suo congruam *l. fin. C. de Dot. promiss.* sed Matrimonium spirituale, quod cum DEO, & Religione in Professione pangitur, pari passu ambulat cum Matrimonio carnali, & ab hoc ad illud rectè ducitur argumentum, ergo etiam Monasterium à Monialibus ingressuris, vel ingressis rectè exigit Dotem, etiamsi illud sit dives. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 109. & duob. seqq.*

Conf. ex sententia *S. Congr. Episc. & Regul.* apud Fagn. *ad c. non amplius de Inst. n. 25.* quæ animadvertens, Sanctimonialium Monasteria sine Dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontif. approbantibus, sanxit, ut dotales Eleemosynæ à Monialibus numerarijs persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redituum Monasterij. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 32. n. 13.*

Tres tamen Limitationes hic sunt ad- 197
dendæ. *Prima* est, ut pactum hoc casu non fiat de aliquo dando pro ipso ingressu; nam tale pactum, utpote de temporali dando pro spirituali, Simoniacum foret, etiamsi Monasterium inops foret. 2. Ut non admittatur aliqua inhabilis ex sola spe recipiendi ab ea aliquid temporale; nam tali casu finis susceptionis, ab admittentibus intentus, isque principalis foret aliquid temporale. atqui secundùm dicta *n. 77.* iterum Simoniacum est dare aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, præsertim si is principaliter intendatur. ergo &c. 3. ut Dos non ab omnibus exigatur sine discrimine; sic enim pauperes, sæpe magis dignæ, & idoneæ, statu Religionis excluderentur, & aliæ forsan minùs idoneæ, quia divites sunt, reciperentur: quod utique est irrationabile. Nec procedit tunc ratio (quæ sola forsan excusationi locum facere poterit) Dotes exigi, ut plures; ac etiam pauperes possint recipi. P. Friderich *de Simon. c. 4. n. 134.*

4. Possunt Regulares, tam viri, quàm 198
fœminæ, quorumvis Monasteriorum, etiam divitum, cum parentibus paciscì, & exigere certam quantitatem pecuniæ, vel aliorum bono-

bonorum temporalium ea conditione, ut persona ad Religionem susceptа, eámque professa, ea portione contenta, renuntiet Juri hæreditatis, vel alterius cujuscunq; justæ prætensionis. P. Reiffenstuel *hic n. 182.* Magnif. P. Schmier *c. 1. cit. n. 115.* Ratio est, quia in tali casu exigitur solùm temporale pro temporali, nempe quantitas certa pecuniæ pro jure hæreditatis: & quidem justè; cùm enim per Professionem susceptus in Religionem in hanc transferat omnia sua jura, & bona, de quibus ante Professionem non aliter disposuit, etiam transferet in illam jus hæreditatis, modò successionis hæreditariæ capax illa sit. non tenetur autem Religio Jus istud remittere gratis, cùm subinde valde sit æstimabile, igitur licitissimè pro hujusmodi remissione exigere aliquid temporale poterit.

199 *Neque obstat*, quòd Legitima liberis ante mortem parentum non debeatur, cùm viventis non sit hæreditas *l. qui superstiti 5. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* debetur enim saltem ijsdem Jus ad Legitimam suo tempore consequendam: & pro hujus juris remissione fit pactio. est autem licitum pacisci super remissione hujusmodi Juris, imò super ipsa Legitima, si non Jure Civili Romano, saltem Jure Canonico, quod hodierna consuetudo sequitur, *c. quamvis 2. de Pact. in 6.*

200 *5.* Juxta Sylv. *V. Simonia q. 15. ỳ. si autem Monasterium.* Arragon. *q. 100. art. 3. ỳ. sed quid dicendum*, Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 2.* etiam in Monasterijs opulentis, & sufficienter dotatis potest aliquid accipi, & exigi ab ingressuris, vel ingressis ex nudo sustentationis titulo: pro qua sua Sententia allegant consuetudinem, quâ passim invaluit, præsertim in Monasterijs Monialium, ubi neminem videmus recipi, nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem afferat, vel alia ratione Monasterio proficua sit; imò quæ suscipitur de novo, ultra summam illam, quæ Dotis nomen obtinuit, aliquid in usum præexistentium Monialium debet erogare: neque consuetudinem istam damnandam sustinent Suar. *de Censur. D. 22. sect. 5. n. 13.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 70.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 39.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 9. n. 4.* Pirhing *hic n. 59. ỳ. tertia pars*, Schambog. *n. 69. & 71.* Wiestner *n. 48.* modò pro sustentatione admittendi tantum, & non pro admissione accipiatur, vel exigatur. *Ratio est*, quia hoc casu non exigitur temporale pro spirituali tanquam pretium sed solùm requiritur tanquam conditio, ut secum afferat necessaria pro sustentatione, ne Monasterium accessu novarum personarum gravetur, & ut plures, quæ alioquin non possent, valeant recipi. *Conf.* nam hoc modo certificatur magis sustentatio necessaria, quæ sæpe ob pericula, & varios casus, quibus fundationes Monasteriorum, & bona, quibus fundationes inhærent, exposita sunt, & vitatur, ne personæ Religiosæ ad conquirenda media, quæ domi deficiunt, extra sepia Monasterij sui cogantur egredi, quod in Monialibus præsertim inconveniens est.

Sed verior videtur Sententia negativa, quàm cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* Rodriq. *tom. 2. q. 49. art. 2.* Marchant. *tom. 3. tr. 10. tit. 6. q. 10. concl. 4. & 5.* defendit P. Reiffenstuel *hic n. 169. & seqq.* P. Friderich *tr. de Simon. c. 4. n. 133.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 107.* & colligitur ex *c. quoniam 40. h. tit.* ubi dum quævis exactio, quando fingitur necessitas, aut paupertas, inhibetur, satis, indicatur, illam quoque exactionem inhiberi, quando petitur aliquid pro sustentatione, cùm tamen Monasterium ad hanc præbendam sufficientia bona habeat; tunc enim potiùs fingitur, quàm revera datur titulus necessariæ sustentationis. *Ratio est*, quia reditus Monasterij sunt Ecclesiastici, ordinati ad sustentationem Religiosorum gratis faciendam. ergo hoc ipso, quòd quis ad Religionem suscipiatur, habet jus ad sustentationem ex reditibus Monasterij capiendam: conf. sub titulo sustentationis temporale ab ingrediente non potest exigi. alius autem titulus adesse non potest, nisi pro ingressu, quo titulo siquid petatur, Simonia committitur. *Conf. 1.* Simoniaca est pactio, qua Beneficiario datur possessio Beneficij, sub conditione, ut ex patrimonio suo sustentare se teneatur, ut fructus Beneficij alijs Clericis pauperibus applicari possint. ergo etiam Simoniaca erit pactio, facta cum Religioso, ut secum sustentationem afferat, ut sic reditus Monasterij alijs Religiosis, & operibus applicentur. *Conf. 2.* quia hoc modo facilè eludi poterit omnis Simonia, quæ ratione ingressûs in Religionem contingit; nam Præpositi Monasteriorum etiam opulentissimorum possent dicere, se temporale non exigere pro ingressu, sed pro honesta sustentatione ingressi.

201 Argumentum *n. 200.* allatum solùm probat, quòd tali casu non committatur Simonia Juris naturalis, & Divini: interim tamen committetur Simonia Juris Ecclesiastici, quod dum exactionem specialiter prohibet Monasterio diviti, seu valenti Candidatum alere, non prohibet tantùm, ne quid exigatur ut pretium pro ingressu (nam hoc prohibitum est etiam Monasterio pauperi) sed etiam pro alimentis: vel saltem committetur peccatum injustitiæ, ut quidam volunt cum Suar. *c. 17. cit. n. 9. & 10.* quia indecens, & intentioni Fundatorum prorsus est dissonum, aliquid titulo sustentationis expetere, quando à pijs fidelibus pro honesta Religiosorum sustentatione abundantia media subministrata fuêre. *Ad Conf.* cautela illa saltem signum est avaritiæ, cùm pericula hujusmodi rara sint in Monasterijs opulentis.

202 Dub. 7. qualis committatur Simonia, quando pro collatione Beneficij Ecclesiastici da-

datur, accipitur vel exigitur aliquid temporale? R. intereſſe, an temporale illud accipiatur, quia ſponte oblatum eſt, an verò præcedente pacto, vel exactione. *Si primum*, committitur ad ſummum Simonia Juris Eccleſiaſtici, ob prohibitionem Eccleſiæ, quâ vetat occaſione collationis Beneficij accipi, etiam ſiquid ſponte offeratur, ut declaravit *S. Congr. Conc.* apud Fagn. *in c. 1. h. tit. n. 31.* Pirh. *hic n. 19. V. illud.*

204 *Si ſecundum*, committitur Simonia Juris naturalis, & Divini: Et hinc nulla conſuetudo hoc caſu dantem, & accipientem excuſat. Gloſſ. *in c. 36. V. conſuetudinem h. tit.* Pirhing *n. 38.* Ratio eſt, quia conſuetudo Juri naturali, & Divino derogare non poteſt *c. fin. de conſuet.* Eſtque hoc verum etſi longiſſimi temporis ſit; quia pravæ conſuetudines tempore non firmantur, *Novell. 134. c. 1. V. neque verò angarijs.*

205 Dub. 8. an Simoniam committat Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus Eccleſiaſticus, quando accipit, vel exigit aliquid temporale pro actu Jurisdictionis, qui proximè verſatur tantùm circa materiam temporalem, & Politicam? R. diſtinguendo; nam ſi actus tales procedunt ab Eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate, ut cùm Judex Eccleſiaſticus cognoſcit cauſas merè Civiles, & Sæculares inter Clericos de bonis temporalibus, & profanis, vel de criminibus, quæ communia ſunt Clericis, & Laicis; & tunc ejusmodi actus Jurisdictionales, quatenus procedunt ab Eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate, cadunt ſub materiam Simoniæ Juris Divini, & naturalis. Suar. *l. 4. c. 20. n. 19.* Zœſ. *hic n. 26.* Pirhing *n. 52.* Schambog. *n. 57.* P. Friderich *tr. de Simon. c. 4. n. 141.* poſt *Gloſſ. Abb. Joan. Andr. & alios VV.* Ratio eſt, quia quandocunque Epiſcopus, vel alius Prælatus, Eccleſiaſticam Jurisdictionem obtinens, aliquid facere debet ratione Officij ſui ſpiritualis, ſi aliquid pro eo accipiat ex pacto, vel exigat, Simoniam committit, etiamſi materia praxim, circa quam verſatur actus, ſit politica, & temporalis; quia prout cadit ſub ſpiritualem poteſtatem, ordinatur ad finem ſpiritualem, & aliquo modo ad illum conducit: conſ. actus ſpiritualis efficitur, non ſolùm ex parte principij, ſed etiam ex parte finis. Suar. *l. cit. n. 20.*

206 Aliud eſt de ijs actibus, qui procedunt ex propria Jurisdictione temporali, qualem habet Pontifex in ſuo territorio temporali, & plerique Epiſcopi in Germania; nam pro his exigere, & accipere pretium, quamvis illicitum, & injuſtum aliquando ſit, non tamen eſt Simonia. Suar. *l. cit. n. 17.* cum *cit.* Ratio eſt, quia licèt exerceantur à Prælatis Eccleſiaſticis, non tamen procedunt à propria poteſtate Eccleſiaſtica; aut ſpirituali, ſed potiùs temporali, & prout illi ſunt Domini, & Principes Sæculares.

Dub. 9. an Simoniaca ſit actuum ſpiri- 207
tualium omiſſio, ſi illa fiat accepto pretio? R. hoc pendere ex ipſorum actuum omiſſorum qualitate. Nam ſi illi actus Jurisdictionis ſint, eorúmque omiſſione homo moraliter ligetur, detineatur, repellatur &c. cujusmodi ſunt abſolutio à peccatis, vel Cenſuris, approbatio pro Ordinibus, aut Curâ animarum, adminiſtratio Juſtitiæ in foro Eccleſiaſtico contentioſo &c. eorum omiſſione Simonia committi poteſt. Gloſſ. *in c. nemo 14. V. celet h. tit.* Abb. *ibid. n. 6.* Ugolin. *tab. 1. c. 40. §. 3.* Suar. *l. 4. c. 22. n. 9.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 64.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 43.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 1. n. 16.* Zœſ. *hic n. 28.* Pirhing *n. 54.* Schambog. *n. 50.* Wieſtner *n. 51.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 80.* & patet ex *c. nemo cit.* ubi Simoniaca declaratur largitio muneris, ſive illud detur pro pœnitentis reconciliatione, ſive pro talis reconciliationis negatione.

Neque obeſt, quòd omiſſio actûs ſit 208
non ens; nam omiſſio rei debitæ æquiparatur commiſſioni, juxta *Regul. 121. ff.* ubi Paulus, *Qui non facit*, inquit, *quod facere debet, videtur facere adversùs ea quæ non facit:* unde ſicut actus hujusmodi, ita etiam omiſſio illorum ſunt actus Jurisdictionis Eccleſiaſticæ. Imò omiſſio talis non exercetur ſine actu aliquo poſitivo; quia quidquid ſit phyſicè, certè moraliter non datur pura omiſſio, præſertim in uſu, ſeu exercitio Jurisdictionis: Actus autem iſte in caſu præſenti erit voluntas interna, quâ Judex Eccleſiaſticus non vult abſolvere e.g. à Cenſuris, declarata per actum poſitivum externum; & hæc ipſa declaratio eſt quidam uſus, & exercitium Poteſtatis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ, utpote quâ Judex condemnatoriam, ut abſolutionem petens maneat inabſolutus.

Contrà eſt, ſi actus, qui omittuntur 209
ſint independentes à poteſtate Jurisdictionis ſpiritualis, ut ſunt Oratio, celebratio Miſſæ, baptizatio infantis &c. nam horum omiſſio, etiam pretio pecuniario, & temporali impetrata, Simoniæ vitio caret, ut ex communi DD. notant Suar. *l. cit. n. 11.* Leſſ. *n. 64. & 65.* Pirh. *n. 56.* Schambog. *n. 58. & 62.* cum alijs *ſuprà*. *Procedituque hoc*, ſive hujusmodi actus exerceretur injuſtè, & ſacrilegè, ſive juſtè, & ex debito; nam utroque caſu omiſſio talis actus ſpirituale nil continet, ſed eſt tantùm uſus naturalis libertatis: Imò ſi actus exerceretur ſacrilegè, & injuſtè, ejus redemptio potiùs laudabilis eſt; conſ. Simoniacum nihil continet, etiamſi pro eo omittendo detur pretium temporale. *Excipitur*, niſi fortè pro talis actûs omiſſione oblatum pretium daretur; vel acciperetur in compenſationem alicujus fructûs, aut boni ſpiritualis aliàs percipiendi, prout addit Laym. *n. 43.*

Addit Leſſ. *n. 65. cit.* etſi Simonia non 210
ſit hujusmodi contractus, quo aliquid da-

tur, vel exigitur pro omissione alicujus spiritualis, si tamen sine justa causa fiat, eum contractum conjunctam habere quandam turpitudinem affinem Simoniæ. *Rationem* dat; quia dum exigitur, vel offertur pretium pro omissione actûs spiritualis, tacitè insinuatur, actum illum esse vendibilem: si enim æstimabile pretio est ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri; cons. per hujusmodi contractum irreverentia aliqua committretur in rem Sacram. Et hinc, si accedat præceptum Ecclesiæ, quo vetatur acceptio, vel oblatio pecuniæ pro hujusmodi omissionibus in reverentiam *SS.* functionum, facilè committetur Simonia, non quidem Juris Divini, aut naturalis; quia contractus non fit de re Sacra: sed humani.

211 Dixi autem *si fiat sine justa causa*; quia in multis casibus licitum est dare aliquid Ministro Ecclesiæ, ut aliquem actum spiritualem omittat, quem malè perageret, modò illa omissio non sit connexa usui spiritualis potestatis; possumus enim injurias DEI, oblatâ pecuniâ, impedire. Idem dicendum de gravissimis injurijs proximi, quæ aliter averti nequeunt, ut si Superior Ecclesiasticus aliquem vellet injustè excommunicare. His ergo casibus dabitur licitè pecunia pro omissione hujusmodi actuum: is tamen, cui illa datur, licitè illam non potest accipere, nisi fortè in casu pro damni, vel incommodi compensatione, quod omittendo subiturus esset. Less. *n. 65. cit.*

212 Quæritur 4. quænam ex spiritualibus *quarti generis*, seu spirituali annexis materiam, & objectum Simoniæ constituant? R. hæc tripl cis generis sunt. 1. enim aliqua sunt spiritualia annexa *antecedenter*, quòd ad spirituale præsupponantur, idque præcedant, ut sunt Templa, Altaria, Calices, aliáque vasa, & vestes, résque Sacræ, aut benedictæ, quæ Sacrificium Missæ, & quoad materiam ipsam suam Consecrationem, vel Benedictionem antecedunt: item jus Patronatûs, quod præcedit Institutionem in Beneficio, vel Officio Ecclesiastico, & ad hanc ordinatur. 2. alia sunt spiritualia *concomitanter*, quòd ijs intrinsecè sint conjuncta, ut est labor corporis, qui ipsa Sacrificatione, aut alio ministerio, & functione spirituali subitur. 3. alia connexa sunt spirituali *consequenter*, quia spirituale tanquam causam supponunt, ut sunt Beneficia, & Pensiones Ecclesiasticæ, Decimæ, Primitiæ, Oblationes, spectatæ secundum jus illas percipiendi; oriuntur enim ex officio, & ministerio spirituali.

213 Dub. 1. an vendi sine Simonia possit Jus Patronatus? R. negativè. Ita Lambertin. *l. 1. de Jur. Patron. p. 2. q. 1. art. 12. n. 17.* Vivian. *tr. simil. l. 4. c. 5. n. 5.* Suar. *l. 4. c. 28. n. 5.* Lotter *de re Benef. l. 2. q. 9. n. 60. & seqq.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 14. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28 n. 47.* Zoes. *hic n. 80.* Engl *n. 24.* Wiestner *n. 53.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 123.* & patet ex *c. de Jure 16. de Jur. Patron. c. præterea 9. de transact. & Trid. sess. 25. c. 9. de reform.* ubi venditor hujus Juris, præter Excommunicationem, à Judice Ecclesiastico infligendam, ipso facto Jure Patronatûs privatur. *Ratio est*, quia causam, & finem spiritualem habet: causam quidem; quia à spirituali potestate, non minùs, ac ipsa Beneficia institutum est: finem autem; quia ordinatur ad institutionem Clerici in Beneficio Ecclesiastico.

214 *Difficultas* est, quo Jure Jus Patronatûs sit invendibile? Jure Ecclesiastico solùm invendibile esse, contendunt Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 1.* Sylv. *V. Simonia q. 2.* Navarr. *Man. c. 23. n. 98. & 99.* post *Abb. Decium*, & *alios*. Rationem dant 1. quia est Jus commune Laicis, qui non sunt capaces spiritualium. 2. quia transit non tantùm ad hæredes sanguinis, sed etiam extraneos, v. g. ad emptorem Castri, cui annexum est Jus Patronatûs. 3. ejus actus, nempe præsentatio ad Beneficium, non videtur spiritualis, cùm ratione illius præsentatus nullum acquirat jus in Beneficium, quousque Prælatus illud conferat. 4. Jus istud inventum est Ecclesiæ.

215 Sed dicendum, probabiliùs venditionem Juris Patronatûs esse Simoniam Juris naturalis, & Divini. Ita Gloss. *in can. piæ mentis 16. q. 7.* & *in c. præterea cit.* Suar. *c. 28. cit. n. 7.* Less. *c. 35. n. 128.* Palao *p. 14. n. 3.* P. Friderich *de Simon. c. 4. n. 198.* cum alijs. *Ratio est*; quia licèt hoc Jus fortè non sit purè spirituale, est tamen spirituali annexum. cons. si vendatur, jam irreverentia, & injuria infertur rei Sacræ, in quo consistit malitia Simoniæ, Jure naturali prohibitæ.

216 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* quòd Jus præsentandi, & Patronatûs competat Laicis, provenit ex gratia, & favore Ecclesiæ, quæ ijsdem etiam potuisset dare jus eligendi ad Beneficia, licèt istud sit magis spirituale. *Ad 2.* similiter favor Ecclesiæ est, quòd idem jus transeat non solùm ad hæredes, sed etiam ad emptorem, si rei emptæ jus illud annexum sit: quo tamen casu non transit jus istud vi emptionis (nam propterea majus pretium non potest exigi) sed per consequentiam, quòd accessorium castro sit, & accessorium sequi ad suum principale debeat. *Ad 3.* præsentatio dat præsentato jus ad Beneficium, non quidem proximum, sed remotum, quatenus ex vi præsentationis, si persona idonea sit, necessariò debet institui. *Ad 4.* etiam prima Tonsura, Consecratio Calicis, aliáque hujusmodi instituta sunt ab Ecclesia, nec tamen absque Simonia Juris naturalis vendi possunt; quia suppositâ institutione, verè Sacra sunt, & spiritualia: dare autem spirituale, vel spirituali annexum pro pretio temporali est Simonia contra Jus naturale.

Dub.

117 Dub. 2. an, & quomodo vendi sine Simoniæ vitio possit Sepultura? R. hic distinguendum esse inter quinque diversos casus. Nam 1. ipsa terra, sive locus, ad sepulturam fidelium defunctorum deputandus, vendi absque Simonia potest. Ita S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.* Gloss. *in c. abolendæ 3. V. Sepultura de Sepult.* Abb. *ibid. n. 4.* Redoan. *de Simon. p. 3. c. 16. à n. 14.* Suar. *l. 4. c. 14. n. 17.* Azor. *p. 3. l. 12. c. 17. q. 2.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 36. concl. 7. not. 1.* Wagnereck *in c. 10. V. pro Sepulturis not. 1. h. tit.* Zœs. *hic n. 32.* Wiest. *n. 58.* & non obscurè supponit *S. Ambrosius* relatus *can. aurum 70. caus. 12. q. 2.* Ratio clara est, quia terra est res mere materialis, & pretio æstimabilis. ergo sicut potest vendi aurum, vel argentum pro calice, ita etiam terra pro sepultura.

118 2. Eadem terra, & locus, postquam jam semel authoritate Ecclesiastica ad sepulturam fidelium est deputatus, & benedictus, prout tali benedictione affectus est, sine Simonia vendi non potest Suar. *n. 18.* Wagnereck *not. 1. cit.* Wiestner *n. 58.* Friderich *n. 126.* & sumitur ex *can. questa est 12.* & *tribus seqq. caus. 13. q. 2. c. abolendæ 13. de Sepult. c. cùm in Ecclesiæ 9.* & *c. audivimus 41. h. tit.* Ratio est iterum clara; quia illa Benedictio est etiam constitutiva talis loci, considerati sub tali respectu, & ipse locus, vel terra, prout ejusmodi Benedictione affecta est, pro re Sacra, & spirituali habetur, utpote cùm authoritate Ecclesiastica ad finem supernaturalem proximè deputata sit.

119 3. Siquis habeat Sepulchrum proprium, suis, aut majorum suorum sumptibus pro se, vel suis extructum, non committitur Simonia, si vendatur alteri præcisè juxta valorem fundi, & expensarum in ejus constructione factarum. S. Thom. *l. cit.* Sylv. *V. Sepultura q. 12. dict. 3.* Suar. *n. 18.* Barbos. *in c. abolendæ cit. n. 7.* P. Wiestner *hic n. 59.* P. Friderich *n. 126.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 129.* Ratio est, quia ita vendi etiam calices, & terra potest, ubi fuit Ecclesia, saltem si necessitas urgeat; & tali casu non venditur Benedictio, aut proprium jus Sepulturæ, sed materiale illud, ad quod consequitur Jus Sepulturæ.

120 4. Quando locus aliquis Sacer communis est pro Sepulturis fidelium, vendi Sepultura in illo loco non potest sine Simonia, prout patet ex *can. questa, c. audivimus, c. abolendæ*, & *c. cùm in Ecclesia citt.* ubi tanquam corruptela reprobatur consuetudo aliquid pro ea exigendi: quod intelligendum, si exactio ista fiat, habito respectu ad Consecrationem talis loci, aut fructus spiritualis amplioris, ex precibus fidelium, aut vicinia alicujus Altaris consequendi: & multo magis, si exactio hæc fiat cum minis, fidelium cadavera; nisi certa pecunia numeretur, ex loco Sacro excludendi, inhumata relinquendi, aut jam tumulata exhumandi; hoc enim sordities, & avaritia esset intolerabilis, & à Christiana pietate, imò humanitate prorsus aliena. Suar. *n. 19.* Barbos. *ad Trid. sess. 25. c. 13. de reform. n 36.* Laym. *c. 8. cit. n. 36. concl. 7. not. 1.* Engl *tit. de Sepultur. n. 16.* Wiestner *hic n. 60.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 1. n. 128.*

121 5. Potest occasione Sepulturæ aliquid exigi pro conservatione fabricæ, vel cœmeterij, pro sustentatione Cantorum, & aliorum Sepulturæ ministrorum, pro obligatione ad eum locum non admittendi, nisi cadavera certæ familiæ, pro concessione loci honoratioris, & eminentioris, absque respectu tamen ad istius Sanctitatem, aut fructum spiritualem; nam sicubi consuetudo ex causis istis aliquid accipiendi, vel exigendi viget, illa non foret damnanda. Videantur Suar. *c. 14. cit. n. 21.* Barbos. *de Offic. Parocb. c. 26. à n. 16.* Frances *de Eccl. Cathedr. c. 16. à n. 92.* Laym. *n. 36. cit. not. 3.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 8. n. 4.* Gonzal. *in c. abolendæ cit. n. 2.* Wagnereck *in c. 10. cit. not. 2.* Engl *n. 16.* Wiestner *n. 61.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 129.*

122 Dub 3. an, & quo Jure materiam Simoniæ constituant Beneficia Ecclesiastica? *Certum est* 1. committi Simoniam Juris Divini, si vendatur, vel ematur Beneficium, quatenus est jus administrandi spiritualia; quia hoc jus est aliquid in se sacrum, & spirituale, atque à Christo institutum Suar. *l. 4. c. 24. n. 4.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 13. n. 2. Certum est* 2. absque Simonia distrahi posse à Beneficiario fructus ex Beneficio suo jam perceptos: imò etiam antequam percepti sint, eorum commoditas sine periculo Simoniæ potest ab eodem locari alteri per *c. vestra 2. de Locat. & conduct. c. fin. ne Prælat. vic. suas &c.* Redoan. *de Simon. p. 1. c. 29. n. 5. & seqq.* Pirhing *hic n. 6. & duob. seqq.* Schambog. *ibid. n. 5. & seqq.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 86.* Ratio est, quia nec fructus aliquid spirituale sunt, nec eorum commoditas: nec cum Jure spiritualis ministerij, postquam titulus Beneficij jam obtentus est, tantam habent connexionem, ut separari nequeant; alioquin si Beneficiarius illos distrahere non posset, persæpe Benficium ipsi onerosum, & nocivum foret. *Certum est* 3. absque Simonia vendi, aut emi non posse ipsum Beneficium, quatenus est Jus percipiendi fructus. Paret ex *can. Presbyter 3. &c. caus. 1. q. 1. can. siquis datur 2. &c. caus. cit. q. 3. c. cùm quidem 4. c. cùm clerici 6.* & *c. fin. de Pact. c. constitutus 4.* & *c. super eo 7. de Transact. c. un. ut Benef. Eccl. fin. dimin. c. querelam 15, c. tua nos 34.* & *alijs h. tit.*

123 **controversia** est, quo Jure sub ista consideratione evaserint materia Simoniæ? Gloss. *in c. ex parte 12. V. dimittere de Offic. Deleg.* Felin. *ibid. n. 1.* Decius *n. 7.* Navar. *Man.*

c. 23. n. 108. Clar. *V. Simonia n. 5.* Garc. *p. 1. de Benef. c. 2. n. 9.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 26.* Zœſ. *hic n. 42.* putant id conſtitutum fuiſſe Jure ſolùm Eccleſiaſtico. 1. quia in S. Scriptura, tanquam Simoniacum, nihil damnatur præter venditionem prædicationis Evangelij, Sacramentorum, & gratiæ Miraculorum *Math. 10. v. 8.* & *Act. 8. v. 19.* 2. Eccleſiaſticorum Beneficiorum inſtitutio facta eſt ab Eccleſia, uti & titulorum diviſio. igitur eorum venditio tantùm erit contra prohibitionem Eccleſiæ. 3. in Beneficijs temporale eſt ſeparabile à ſpirituali; poteſt enim Pontifex jus ſpirituale conferre uni, alteri autem, vel ſibi applicare jus percipiendi fructus illius tituli. 4. in Beneficijs ſpirituale annexum eſt temporali, quando autem ſpirituale annexum eſt temporali, transferri per venditionem poteſt ſaltem temporale, ut patet in vaſis ſacris, & Jure Patronatûs, quod caſtro, aut villæ annexum eſt. ergo &c.

224 Sed dicendum, venditione Beneficij, etiam ut eſt jus percipiendi reditus temporales, committi Simoniam, Jure naturali prohibitam. Ita Abb. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Sylv. *V. Simonia q. 12. dict. 6. & 7.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 8. fin.* Victoria *Relect. de Simon. p. 1. n. 44.* Suar. *l. 4. c. 24. à n. 7.* Azor. *p. 3. l. 12. c. 11. q. 3. V. tertia ſententia*, Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 44.* Vivian. *in c. 2. h. tit. pr.* Fagn. *in c. ex diligenti 17. eod. n. 3.* Gonzal. *in c. 8. n. 5.* Engl *hic n. 26.* Pirhing *n. 75.* Schambog *n. 77.* Wieſtner *n. 66.* Magnis. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 83.* Sumitur 1. ex *can. Salvator 8. ℣. igitur cauſ. 1. q. 3.* ubi Urbanus II. venditionem rei Eccleſiaſticæ, vel ut Gloſſ. *V. Eccleſiaſticam* notat Beneficij Simoniacam eſſe colligit ex verbis, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem Act. 8. v. 19.* quibus verbis damnatur Simonia vetita Jure naturali, & Divino. 2. ex *can. ex multis 9. ℣. Chalcedonenſe q. cit.* ubi Alexander II. teſtatur, à Concilio Chalcedonenſi pari pœna plecti eum, qui Beneficium vendit, & eum, qui vendit Sacram manûs impoſitionem, ſive Spiritum S. non autem alia ex cauſa, quàm quòd paris delicti uterque ſit reus. 3. Ex *ratione*; quia Beneficium, ſeu jus percipiendi reditus temporales annexum eſt officio ſpirituali. igitur donec ſeparetur authoritate Apoſtolica, quâ ſolâ poteſt, ut Officium, ita & Beneficium in vendibile erit, eò quòd ob connexionem naturam rei ſpiritualis induat.

225 Neque obſtant Argumenta oppoſita? *Ad 1.* imprimis Chriſtus Dominus verbis, *Gratis accepiſtis, gratis date* prohibet venditiones omnium actuum ſpiritualium: deinde vendito Jure percipiendi reditus, niſi iſtud Pontifex ſeparaverit, etiam venditum cenſetur ipſum Officium ſpirituale juxta *can. ſiquis objecerit 7. cauſ. 1. q. 3.* atqui ſi ipſum Officium ſpirituale vendatur, committitur non tantùm Simonia Juris poſitivi Eccleſiaſtici, ſed etiam Divini, & naturalis. ergo &c. *Ad 2.* Neg. Conſ. nam poſtquam talia inducta ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, facta ſunt ſpiritualia, adeoque Jure Divino prohibita vendi. *Ad 3.* licèt Officium ſpirituale ſeparabile ſit abſolutè per Pontificem à Jure percipiendi reditus temporales, antequam tamen ſeparetur, per connexionem jus illud poſterius ſpirituale efficitur. *Ad 4.* negatur paritas inter Beneficium, & Jus Patronatûs, aut materiam Calicis; nam in Beneficio temporale eſt acceſſorium, principale verò eſt ſpiritualis poteſtas, aut Jus: contrà in Calice, & Caſtro, habente Jus Patronatûs annexum, temporale eſt principale, acceſſorium autem ſpirituale. non eſt autem mirum, quòd acceſſorium ſequatur poſt principale; valde autem mirum eſſet, ſi principale ſequeretur ad acceſſorium. ergo &c.

Dub. 4. quid dicendum de Capella 226
nijs, Commendis, Coadjutorijs, Præſtimonijs, & Hoſpitalibus &c. *ad 1.* intereſſe, an talis *Capellania* ſit erecta authoritate Epiſcopi, an verò non; nam *priores* Beneficijs accenſentur, adeoque pretio temporali vendi nequeunt: *poſteriores* nihil vetat pecuniâ obtineri, cùm nullo modo rationem Beneficij habeant. Palao *tr. 17. D. 3. p. 13. n. 14.* & apud hunc Gonzal. *Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 5. pr. n. 23.* & hoc teſte ſæpius declaratum à *Rota.*

Ad 2. conveniunt DD. non poſſe ſine 227
Simonia vendi *Commendas Spirituales*, per quas alicui commendatur Eccleſia, ut in ea Sacramenta adminiſtret, tametſi temporariæ duntaxat ſint. Patet ex *c. non ſatis 8.* & *c. ad noſtram 21. h. tit.* & ratio eſt, quia per illam committitur Jurisdictio ſpiritualis. Contrà *Commendas militares* ſine Simonia vendi, & obtineri pecuniâ poſſe, cum *Arragon. Victor.* & aliorum communi exiſtimat Suar. *l. 4. c. 27. n. 6.* & Palao *p. 13. cit. n. 13.* Ego cum P. Friderich *tr. de Simon. c. 4. n. 153.* id concedo de Commendis Ordinum Militarium Calatravæ, Alcantaræ, & aliorum, qui ſunt in Hiſpania, Luſitania, Gallia &c. nego de Commendis, & Præceptorijs Ordinum Militarium S. Joannis Jeroſolymitani, & S. Mariæ Teutonicorum; nam iſtæ Beneficijs, ſaltem Manualibus accenſentur, ut dictum eſt *Libr. 3. Tit. 5. n. 12.* non verò illæ, utpote cùm non ob finem ſpiritualem, ſed in præmium duntaxat, aut ſtipendium militiæ conferantur, earúmque adminiſtrationem ſupremam Laici Principes habeant.

Ad 3. exiſtimat quidem Palao *p. 13.* 228
cit. n. 14. ejusmodi *Coadjutorias*, tametſi cum futura ſucceſſione conferantur, pecuniâ obtineri poſſe, & ſi ita obtineantur, non committi Simoniam Jure Eccleſiaſtico punibilem; imò nec ullam Simoniam, ſi pecunia non ut pretium facultatis, ſed in ſuſtentationem concedentis Coadjutoriam detur. Sed melius cum Suar. *c. 27. cit. n. 5.* reſpondet P. Friderich

derich *de Simon. c. 4. num. 154.* eas sine dubio materiam Simoniæ constituere: idque verum est, etiamsi talis Coadjutor non detur cum jure succedendi; quia est quasi Vicarius Coadjuti, & sic de eo procedit, quod *n. præc.* dictum est de Commendis spiritualibus temporaneis. Et multo magis hoc verum est de Coadjutore dato cum jure succedendi; quia jus istud directè spirituale est.

229 *Ad 4.* inter *Præstimonia* distinguendum est; nam si talia sint, ut Laicis æquè, ac Clericis, & his sine spiritualis obsequij obligatione concedi possint, non sunt materia Simoniæ; quia tunc alimentorum solummodo rationem obtinent e. g. pro faciliori studiorum prosecutione. At si spirituale obsequium annexum habeant, prout habent ex *Motu proprio S. Pij V.* incipit *Ex proximo* ad recitandas Horas Canonicas, vel Officium B. V. Simonia committitur, quando pecuniâ obtinentur; quia Beneficij rationem habent, licèt Simplicissimi. Accedit, quia conferuntur solùm à Prælatis Ecclesiasticis, & cum solennitate, quâ cætera Beneficia; quod signum est reputari spiritualia, ac propterea earum fructus esse spirituali annexos.

230 *Ad 5.* interest, an *Hospitalia* ejusmodi erecta sint authoritate Episcopi, an sine hac. *Si hoc secundum*, eorum regimen merè temporale est, & per consequens pretio æstimabile, & vendibile. Suar. *c. 27. cit. n. 11.* Gonzal. *Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 4. n. 22.* Palao *p. 13. cit. n. 15.* *Si primum*, iterum distinguendum est; nam si regimen hujusmodi Hospitalis habet conjunctam administrationem spiritualem, nemini dubium est committi Simoniam, si pecuniâ obtineatur. Selva *de Benef. p. 1. q. 3. n. 3. 4. & 28.* & *p. 2. q. 11. n. 14.* Hoyed. *de Benef. in comm. in præfat. n. 4.* Rebuff. *in prax. tit. de Devolut. n. 73.* Suar. *c. 27. cit. n. 11.* Palao *n. 15.* Idque verum est, etsi administratio hujusmodi spiritualis solùm sit temporanea; quia licèt tunc propriè dictum Beneficium non sit, ob officium tamen spirituale hujusmodi regimen invendibile redditur. P. Friderich *n. 156.* Aliud est, si officium gubernandi Hospitale non habet functionem aliquam spiritualem, sed tantùm temporale regimen, consistens in cura infirmorum, gubernatione familiæ Laicæ, & administratione redituum profanorum; tunc enim, cùm ejusmodi Officium temporale duntaxat sit, si pecuniâ vendatur, vel obtineatur, Simonia non committetur, saltem Juris Divini, & naturalis, quamvis committatur Simonia Juris Ecclesiastici, ut notant Suar. *n. 13.* Palao *n. 15.* & teste P. Friderich *l. cit.* docent DD. nemine refragante.

231 Dub. 5. utrum materiam Simoniæ etiam constituant *Pensiones Ecclesiasticæ?* §. 1. *Pensiones merè temporales*, quæ etiam Laicis pro ministerio merè temporali, vel ob aliam justam causam assignari, & competere possunt ex reditibus Ecclesiasticis citra Titulum spiritualem, absque Simonia vendi, & obtineri possunt. Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 2.* Victoria *relect. 1. de Simon. num. 54.* Suar. *l. 4. c. 26. n. 5.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 123.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 46. q. 3.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 13. n. 7.* Zœs. *hic n. 47.* Pirhing *ibid. n. 116.* contra Rebuff. *de pacif. possess. num. 34.* Ratio est, quia talis Pensio non fundatur in spirituali titulo, nec ei est annexa, sed legitima authoritate à spirituali titulo separata, nec ordinatur ad functionem spiritualem, adeoque est quid merè temporale.

232 §. 2. *Pensiones propriè spirituales*, quæ scilicet dantur in titulum Beneficij, sive ad serviendum, & juvandum Parochum in Officio suo, quæ solet *Capellania* vocari, sive ad serviendum tantùm in Choro, & Officijs Divinis, uti sunt Chori Vicarij, sunt propria materia Simoniæ; quia sunt propriè dicta Beneficia, fundata in titulo spirituali, eóque perpetuo, simúlque canonicè erecta, & instituta: conf. licèt Pensiones hujusmodi obtinens ipsas Pensiones, seu fructus vendere, & commoditatem illorum locare alijs sine Simonia possit, non tamen potest easdem vendere sine Simonia. Suar. *c. 26. n. 23.* Less. *n. 122.* Laym. *n. 47.* Pirhing. *n. 117.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 89.* Idem dicendum de alijs Pensionibus spiritualibus, quæ pro Beneficio, sive loco Beneficij ad spirituale ministerium exercendum dantur v. g. Coadjutori, vel Vicario Episcopi, aut Concionatori: imò extendendum hoc etiam videtur teste P. Friderich *de Simon. c. 4. num. 159. fin.* etiam ad stipendia, quæ Sacerdotibus, dum in studijs versantur, dari solent cum obligatione legendi Sacra certo numero, & in Parochijs assistendi Choro certis temporibus, aliáque Divina Officia obeundi; nam etiam istæ pensiones fundantur in spirituali Officio, nihilque eis deest ad rationem Beneficij strictè dicti, nisi quòd non conferantur in titulum perpetuum.

233 §. 3. *Pensiones mixtæ*, quæ scilicet dantur Clericis, ut Clerici sunt, non tamen ob ministerium spirituale, sed ob aliam causam e. g. pro sustentatione Parochi senis, qui renuntiavit Parochiæ, spectatâ quidem naturâ rei, & Jure communi antiquo, licitè, & absque Simonia vendi possunt, & emi, non tamen secundùm stylum Curiæ Romanæ, quæ hujusmodi venditiones tanquam Simoniacas damnat post Decretum S. Pij V. *de Pensionibus.* Suar. *n. 7. & 8.* Less. *n. 125. & 129.* Laym. *n. 48.* Zœs. *n. 47.* Pirh. *n. 118.* Friderich *n. 161. & 162. Pars 1.* patet ex eo, quia talis Pensio non datur propter spiritualem titulum, seu Officium obeundum, sed præcisè in sustentationem, vel ob aliam causam merè temporalem. *Neque obest*, quòd detur intuitu prioris Officij; nam hoc tantùm est motivum, & conditio, sine qua

non ei daretur: unde ex hoc nullam participat spiritualitatem. *Pars 2.* patet ex *Bulla S. Pij V. cit.* ubi Pontifex habentibus Pensiones ejusmodi imposuit obligationem recitandi Officium B. V. cons. habent spirituale onus annexum: ex quo sequitur, si nunc talis Pensio venderetur, commissum iri Simoniam Juris non tantùm Ecclesiastici, sed etiam Divini, & naturalis; quia vendens illam censeretur vendere ipsum Officium spirituale, quod ipsi annexum est.

234 Dub. 6. an Pensio pecuniâ redimi absque Simonia possit, seu an Beneficiarius, qui hujusmodi Pensionem solvere ex Beneficio suo alteri debet, possit se liberare hoc onere, Pensionario consentienti dando unam summam integram v. g. 1000. fl. & sic extinguere obligationem quidquam solvendi imposterum? Negant Flamin. *l. 6. de Resign. q. 2. num. 128.* Navar. *Comment. 52. & 53. de Præbend.* Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 2.* Victoria *relect. de Simon. n. 52. & 53.* Azor *p. 2. l. 8. c. 10. q. 10.* apud Palao *tr. 17. D. 3. p. 13. n. 9.*

235 Sed distinguendum iterum inter Pensiones est. Nam 1. *certum est*, redimi posse Pensiones merè temporales, nullam habentes annexam obligationem spiritualem. Patet ex ratione allata 231.

2. *Certum est*, posse præsenti pecunia redimi Pensiones mixtas, ut praxis recepta confirmat; quia tunc non emitur, vel commutatur jus spirituale pro temporali, sed extinguitur onus, seu obligatio temporalis solvendi quot annis certam summam pecuniæ, vel fructuum. Suar. *l. 4. c. 26. n. 10.* Less. *l. 2. c. 35. n. 124.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 48.* Pirhing *hic n. 118. ℣. posterior pars.* Quod procedere videtur non tantùm de Jure antiquo (nam illo Jure etiam vendi hujusmodi Pensiones poterant, ut dictum est *n. 233.*) sed etiam de Jure novo post *Bullam S. Pij V. cit.* modò obligatio recitandi Officium B. V. quæ per *Bullam cit.* hujusmodi pensionibus annexa est, non dimittatur; nam

236 3. *Certum est*, non posse hujusmodi Pensiones mixtas, quæ habent annexam obligationem Officij B. V. & quascunque alias spirituales sine Simonia pecuniâ redimi, si Pensionarius hujusmodi redemptione velit se liberare ab obligatione spirituali, vel illam in ipsum Beneficiarium, aut tertium quendam transferre; quia hac ratione accipit temporale pro spirituali. P. Friderich *de Simon. c. 4. n. 163.*

237 *Difficultas* est, quando Pensioni solvendæ adstrictus præsenti pecunia Pensionem ita redimit, ut ipse quidem ab ea annuatim præstanda deinceps solvatur, Pensionarius tamen perseveret obligatus esse ad minus spirituale, ut priùs, & ante pecuniam acceptam obligabatur? *Ratio dubitandi* est, quia Beneficiarius redimens Pensionem reddit Beneficium sibi magis utile; quia potest colligere illam partem fructuum, quam aliàs teneretur solvere singulis annis, potestas autem hæc colligendi fructus est annexa titulo spirituali, cùm detur propter officium spirituale, igitur pretio comparari absque Simonia non potest.

238 Sed dicendum, hoc modo posse redimi Pensiones etiam spirituales, ut cum *Cajetano* docent Valent. *D. 6. q. 16. p. 3. ℣. validiùs in fin.* Suar. *c. 26. cit. n. 10. 17. & 20.* Less. *c. 35. n. 124. & 129.* Tolet. *in Summ. l. 5. c. 92. n. 1.* Palao *p. 13. n. 10.* Ratio est, quia hac ratione non datur spirituale pro temporali, sed solùm temporale pro temporali, cùm illa libertas, & immunitas à solvendis annuis Pensionibus, quam comparat Beneficiarius datâ unâ integrâ summâ, spiritualis non est. *Conf.* quia redemptio Pensionis hoc casu nihil aliud est, quàm locatio, aut venditio, & anticipata solutio fructuum, qui aliàs singulis annis pendendi forent. atqui fructus vendi, redimi, & locari possunt, ut dictum est *n. 222.* ergo &c.

239 An verò hujusmodi redemptio egeat licentiâ Summi Pontificis, non conveniunt DD. Et quidem de Stylo Curiæ etiam licentiam requiri, volunt Garc. *p. 1. de Benef. c. 5. à n. 23.* & Gibalin. *l. 9. de Scient. Canon. c. 4. q. 4. n. 5.* & alij, quos allegavi *Libr. 3. Tit. 12. n. 36.* At *Card. Toletus*, Styli Curiæ & ipse expertissimus *l. 5. Summ. c. 29. n. 1.* asserit posse hujusmodi redemptionem fieri absque alia facultate: addit tamen, pro majore securitate fore, si cum facultate fiat redemptio, ne alter negare possit redemptionem. Qui hanc secundam sententiam vult defendere,

240 *Ad Rationem dubitandi* in contrarium allatam imprimis respondere potest, eo Argumento probari nimium; sequeretur enim, etiam pensionem temporalem, quam ob Officium merè temporale Beneficiarius ex reditibus Beneficij sui debet solvere alteri, non posse pecuniâ redimi, cùm hujusmodi redemptione Beneficium fiat magis utile, & id, quòd vi redemptionis remanet Beneficiario, ab hoc percipiatur titulo spirituali. Deinde jus illud spirituale, vi cujus Beneficiarius colligit fructus, non primùm comparatur per redemptionem, sed priùs jam existebat; sed comparatur solùm per illam libertas à pensionibus deinceps solvendis, quod est aliquid merè temporale. Plura de redemptione Pensionum videri possunt *Tit. cit. à n. 34.*

241 Dub. 7. an valeat Pactum, quod init Vicarius perpetuus cum Monasterio, cui Parochia ipsius est incorporata, ut pensionem annuam 100. fl. quam ex proventibus Parochiæ debet solvere, statim ab initio redimat 500. fl. ℣. si Vicarius liberè, ac sponte citra ullam obligationem redimat Pensionem, ita, ut vi pacti optio ipsi detur Pensionem ipsam vel quotannis præstandi, vel sta-

statim redimendi, tunc nulla Simonia intervenit; quia nullum onus pretio æstimabile ipsi imponitur, sed potiùs ei fit gratia, ut una solutione liberare se possit ab obligatione solvendi Pensiones annuas, quæ liberatio est aliquid merè temporale. Suar. *l. 4. c. 26. n. 20.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 49.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 124.* Zœs. *hic n. 47.* Pirhing *ibid. num. 119.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 90. & 91.*

Aliud est, si vi pacti Vicario determinatè imponeretur obligatio, Pensionem illam annuam pecuniâ redimendi; nam tale pactum invalidum foret, & committeretur in eo Simonia saltem Juris Ecclesiastici, vi cujus hujusmodi Vicariæ perpetuæ, sicut alia Beneficia debent conferri purè, & simpliciter sine omni pacto, & obligatione. 242

§. V.

De Pœnis Simoniacorum, & Obligatione restituendi per Simoniam obtenta.

SUMMARIUM.

243 *Quales pœnæ in Simoniacos sint constitutæ?*
244 *An eæ incurrantur per Simoniam merè internam, aut mentalem?*
245. *Conventionalem?*
246. *&c. Aut Mixtam?*
251. *&c. Quæ pœnæ Juris incurrantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem?*
257. *&c. Per Ordines Simoniacè susceptos, vel collatos?*
265. *&c. Aut in collatione, vel obtentione Beneficij Ecclesiastici?*
270. *&c. Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam Confidentialem?*
274. *&c. An pœnæ in Simoniacos latæ incurrantur etiam ab illis, qui committunt Simoniam contra Jus naturale?*
277. *&c. An pœna aliqua ipso facto incurratur per Simoniam, commissam in alijs materijs extra Beneficia, Ordines Ecclesiasticos, & ingressum Religionis?*
282. *&c. Quomodo restituenda sint illa, quæ accepta sunt Simoniacè?*
297. *&c. Cui facienda sit restitutio pretij Simoniaci?*
305. *&c. An Simonia mentalis obliget ad restitutionem?*
309. *&c. Quid possit Dispensatio, vel consuetudo in materia Simoniæ?*
319. *&c. Quis accusator, testis, & Judex esse in crimine Simoniæ possit?*

243 QUæritur 1. quales Pœnæ in Simoniacos sint constitutæ? Non hic agitur de Pœnis constitutis in Tribunali æterni Judicis; nam in hoc certum est, per quamlibet Simoniam, etiam mentalem, & merè internam, cùm Sacrilegij species, ut *n. 12. suprà* dictum est, sit, incurri reatum pœnæ æternæ. Deinde etiam sermo non est de pœnitentia injungenda in foro arcano conscientiæ; cùm enim gravissimum crimen sit Simonia, ejus gravitati Confessarius commensurare Pœnitentiam debet. Solùm igitur hic agitur de Pœnis, quæ propter hoc crimen vi SS. Canonum, aut ipso Jure, & facto incurruntur, aut per sententiam Judicis Ecclesiastici infligi debent, vel possunt. Plura circa has solvenda sunt dubia.

244 Dub. 1. de quanam Simonia intelligendæ sint pœnæ, quæ de Jure Canonico in Simoniacos sunt constitutæ? R. 1. Pœnæ istæ non tangunt reos Simoniæ merè internæ, aut etiam mentalis. Ita S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 6.* Navar. *Man. c. 23. n. 102.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 45.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 55.* Gutier. *l. 2. qq. Canon. c. 23. à n. 31.* Less. *l. 2. de Just. c. 30. not. 2.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 68.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 22. n. 1.* Canis. *Summ. l. 3. tit. 14. §. 6.* Vivian. *in c. fin. in fin. h. tit.* Wagnereck *in Extrav. 2. eod. n. 6.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 12.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 38.* Vallens. *hic §. 4. n. 1.* Zœs. *n. 90.* Engl *n. 33.* Pirhing. *n. 152.* Schambog. *n. 114.* König *n. 21.* Wiestner *n. 80.* Reiffenstuel *n. 234.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 246.* & colligitur ex *c. fin. h. tit.* ubi Gregorius IX. dicit *eo casu sufficere, si ita delinquentes per solam pœnitentiam suo satisfaciant Creatori.* *Ratio est*, quia non constat huic Simoniæ constitutam aliquam in Jure pœnam esse: imò nec constitui expediebat; quia cùm Simonia interna consistat in solo actu interno, mentalis autem prodeat quidem in actum externum, scilicet ipsam dationem, vel receptionem rei temporalis pro spirituali, sine pacto tamen fiat, & intentio, per quam delinquit dans, vel accipiens, sit occulta, cognoscere de ea potestas Ecclesiæ externa nequit, & propterea frustra ei infligeretur pœna.

245 2. Nulla Juris, & facti pœna incurritur per Simoniam merè Conventionalem (si Confidentialem excipias) seu talem quæ nec pretij, nec mercis traditione perfecta est, quamvis arbitrio Judicis sic delinquentes coërceri debeant. Ita Navar. *Man. c. 23.*

c. 23. n. 104. Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 7.* Suar. *c. 55. n. 12.* Leſſ. *n. 149.* Laym. *n. 68. suppon. 2.* Palao *n. 2.* Matthæucc. *n. 42.* Vallenſ. *n. 2.* Zœſ. *n. 91.* Engl *n. 34.* Pirhing *n. 153.* Schambog. *n. 115.* König *n. 22.* Wieſtner *n. 81.* Reiffenſtuel *num. 235.* Magnif. P. Schmier *n. 247.* & alij *l. cit.* & ita ſervatur ſecundùm Stylum Curæ Romanæ. *Ratio eſt*, quia SS. Canones, quibus pœna ſtatuitur Simoniacis, utuntur verbis, per quæ denotantur non puræ conventiones, ſed actus ab ipſis procedentes, ut ſunt datio, & receptio pretij, Ordinatio, Electio, Confirmatio &c. ut conſtat ex textibus paſſim obvijs. igitur pœnales illorum diſpoſitiones extendi non debent ad Simoniam non conjunctam cum datione, vel receptione rei ſpiritualis pro temporali *arg. Reg. odia 15.* & *Reg. in pœnis 49. in 6. Neque obſtat*, quòd Emptio Venditio perficiatur ſolo conſenſu in rem, & pretium ejus; conſ. Simonia, quæ dicitur, quòd ſit ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi &c. jam ante traditionem actuaem perfecta ſit; nam quamvis perfecta illa ſit in ratione Simoniæ, non tamen perfecta eſt in ea qualitate, quam requirunt Decreta pœnalia de Simonia SS. Canonibus. *Excipitur* cum Fagn. *in c. nobis h. tit. n. 13.* Simonia Conventionalis, commiſſa in Electione Summi Pontificis; nam in hanc Julius II. *Conſtit.* incipit *Cùm tam Divino*, & habetur *tom. 1. Bullar. Rom.* inter Conſtitutiones *cit.* Pontificis ordine tertia, pœnas ſtatuit, ut patet ex verbis dictæ *Conſtit.* ibi, *'In dando, promittendo, vel recipiendo pecuniam;* item ibi, *Promiſſiones, & obligationes*, ex ratione ſpeciali, ut eò ſanctiùs celebretur Electio Pont. Summi Chriſti in terris Vicarij.

246 3. Non incurruntur Juris pœnæ per Simoniam etiam mixtam, quæ ſolius pretij traditione perfecta ſit. Ita Gutier. *qq. Can. l. 1. c. 9. à n. 8.* Suar. *l. cit. n. 16.* Palao *n. 2.* Zœſ. *n. 87.* & præcipuè *n. 92.* Pirhing *n. 153.* Schambog. *n. 115.* Wieſtner *n. 82.* & reſte Palao *l. cit.* omnes DD. additque Suar. *l. cit.* in hoc non eſſe controverſiam. Ratio eſt, quia ſolius pretij traditione, ſpirituale nondum contrectatum eſt irreverenter.

247 An verò incurrantur hæ pœnæ caſu, quo ſolum ſpirituale, v. g. Beneficium traditum eſt, pretium verò promiſſum, controverſia eſt inter DD. Sot. *l. 9. de Juſt. q. 8. art. 1.* Valent. *tom. 3. D. 6. q. 16. p. 6* Tolet. *l. 5. Summ. c. 92. n. 3.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 28. & ſeqq.* allegantes pro ſe *S. Thomam*, Deciſiones Rotæ, & Stylum Curiæ, affirmant hoc caſu incurri Pœnas Simoniacorum Jure latas: quos ſecutus eſt noviſſimè meus in hac Cathedra Anteceſſor p. m. P. Melchior Friderich. *tr. de Simon. c. 5. n. 204.* Colligi videtur 1. ex *can. ea quæ 5. cauſ. 1. q. 3. c. cum ſuper 2. de Confeſſ. c. nobis 27.* & *c. ſiquis ordinaverit 45. h. tit.* quibus locis omnibus Simoniæ pœnis Jure latis ſubijciuntur Ordinationes, Electiones &c. factæ, pecuniâ datâ, vel promiſsâ. 2. *Extrav. cùm deteſtabile 2. h. tit.* & *Conſt. S. Pii V.* incipit: *Cùm primùm editâ Calend. April. 1566.* ubi ordinati, & promoti Simoniacè aſſeruntur generatim ſuſpenſi ab Ordine, & privati Dignitatibus ipſo Jure, atqui Simoniacè ordinati, & promoti propriè loquendo ſunt etiam, qui Ordines, vel Dignitates ſunt aſſecuti, interveniente promiſſione pecuniæ, ergo &c.

Negativam contrà defendunt Navar. 248
Man. c. 23. num. 103. Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 7.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 9. n. 14.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 19.* Flamin. *de Reſign. q. 2. n. 16.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 149.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 68.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 42.* Zœſ. *hic n. 87.* & præcipuè *n. 92. cum ſeqq.* Schambog. *n. 115.* Reiffenſtuel *n. 239.* quorum ſententiam probabilem, & in praxi tutam exiſtimat Palao *tr. 17. D. 3. p. 22. n. 5. & 6.* quamvis putet contrariam, & affirmativam, ſpectato Jure, probabiliorem eſſe. Allegant hi DD. & ipſi Stylum Curiæ, & rationem, quòd pœnæ in dubio ſint potiùs reſtringendæ, quàm extendendæ *arg. Reg. odia*, & *Reg. in pœnis citt.* præſertim quòd Jura, & *Extrav. citt.* loquantur de datione, & receptione tam pretij, quàm mercis Simoniacæ.

Unde juxta iſtos AA. pœnæ Juris in- 249
currentur ſolùm per Simoniam realem, ſeu illam, quæ tam pretij quàm mercis Simoniacæ traditione perfecta eſt. Dum verò etiam ob promiſſam pecuniam in textibus à contraria ſententia allegatis Ordinationes, Electiones &c. ſubijciuntur pœnis Jure latis, id intelligendum volunt AA. iſti, quòd his pœnis affici poſſint per ſententiam. Alij volunt eâ alternativâ ſolùm innui, quòd pœnæ iſtæ in Simonia reali incurrantur tam à promittente ſpirituale, quàm à dante temporale. Bulla S. Pij V. tantùm loquitur de Simonia Confidentiali, in qua hoc eſt ſpeciale, ut dictum eſt *n. 245.* vel ſi aliqua alia Bulla de hac re edita ſit, ea non videtur uſu recepta, ut inquit Leſſ. *n. 149. cit.*

Quodſi tamen poſtmodum Pactio Si- 250
moniaca, quæ priùs fuerat ſolùm Conventionalis, utrimque vel in totum, vel etiam in partem fiat completa, ut ſiquis ſaltem partem aliquam etiam modicam v. g. ſex aureos det, qui 100. pro ſpirituali promiſit, ex Conventionali faciet Simoniam realem, & incurret pœnas Juris, quæ retrotrahentur ad tempus pactionis præteritæ, non ſecus, acſi illo tempore fuiſſet traditio utrinque facta. Navarr. *Man. c. 23. n. 104.* Suar. *l. 4. c. 56. n. 37.* & *c. 57. n. 53.* Leſſ. *c. 35. cit. n. 151.* Reiffenſtuel *hic n. 145.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 1. n. 252.* & ita habet Stylus antiquus

quus Curiæ, cui ſtandum eſt. Et hinc ſi Collator conferat Beneficium Eccleſiaſticum Titio, ſub pacto 100. aureorum ſibi ſolvendorum, ante factam ſolutionem nondum incurritur pœna Excommunicationis, & aliæ à Jure latæ, nec collatio illa erit invalida. Si tamen ex intervallo, etiam poſt annum ſolutio fiat, ſicque utrinque compleatur Simonia, jam cenſebitur incurſa Excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Titio ad Beneficium.

251 Dub. 2. quæ pœnæ Juris incurrantur per Simoniam commiſſam circa ingreſſum in Religionem, vel alicujus in Monachum, vel Monialem receptionem? R. 1. dantes, & recipientes pro ea ex pacto pecuniam, ſi perſonæ ſint ſingulares, incurrunt Excommunicationem; Capitulum verò, in receptionem ita factam conſentiens, Suſpenſionem à Capitulari Officio. *Extrav. ſanè 1. h. tit.* Opus tamen eſt, ut hoc caſu adſit præſumptio, ut colligitur ex textu, ubi bis repetitur, *Qui præſumunt.* Barboſ. *in Extrav. cit. n. 2.* Eſtque abſolutio ab his Cenſuris reſervata Papæ, ut patet ex textu *cit.* quamvis, ſi delictum occultum ſit, vigore Decreti S. Synod. Trid. *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* eandem impertiri poſſint etiam Epiſcopi, & Mendicantes ex privilegio, quo abſolvere poſſunt à caſibus Papæ reſervatis Anton. Theſaur. *de pœn. Eccl. p. 2. V. Simonia c. 10. n. 1.* Suar. *l. 4. c. 61. n. 4.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 131.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 28. n. 2.* Barboſ. *l. cit. n. 1.* Zœſ. *hìc n. 97.* Engl *n. 35.* König *n. 25. & 28.* Schambog. *n. 72.* Wieſtner *n. 86.* Reiffenſtuel *n. 251.*

252 2. Ita ſcienter aliquem recipientes, & recepti, poſtquam de Simonia convicti, & condemnati fuerint, jubentur expelli è Monaſterio, & in arctius detrudi *c. de Regularibus 25. c. quoniam 40. h. tit.* & *Extrav. cit.* niſi eum ipſis Epiſcopus, ut remanere poſſint, diſpenſet, prout ex *Extrav. cit.* deſumit Theſaur. *l. cit. n. 5.* *Ex quo ſequitur*, Profeſſionem ita editam validam eſſe, ac proinde ita profeſſum ad Sæculum redire non poſſe. Suar. *l. 4. de Simon. c. 57.* Sanch. *l. 2. conſ. c. 3. dub. 104. n. 1.* Leſſ. *l. 2. c. 35. n. 132.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 70. fin.* Barboſ. *in c. 25. cit. n. 2. & 4.* Honor. *hìc n. 15.* Pirhing *n. 63. not. 2.* König *n. 25.* Wieſtner *n. 86.* Reiffenſtuel *n. 254.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 220.* Et hinc tamdiu poteſt in Monaſterio Profeſſionis perſiſtere, ac commodis alimoniæ frui, donec cognito Simoniæ crimine, per ſententiam expellatur, ut *l. citt.* notant *Suar. Leſſ. Laym. Schmier &c.* & probat ratio; cùm enim pœna expulſionis, in textibus *citt.* contenta, videatur ſolùm eſſe ferendæ ſententiæ, illa non obligabit Profeſſum, ut, antequam è Monaſterio recedere iubeatur, recedat, ſed cùm oneribus Ordinis per Profeſſionem adſtrictus ſit, ejusdem commodis temporalibus licitè gaudet.

3. Incurrunt infamiam Juris *Extrav.* 253 *cit.* §. *cæterum*, & conſ. fiunt Irregulares, ſaltem ſi crimen ſit notorium notorietate Juris, aut facti. Ant. Theſaur. *c. 10. cit. n. 3. & 4.* Wieſtner *l. cit.* Reiffenſtuel *n. 253.*

Excipiuntur tres caſus, in quibus pœ 254 næ iſtæ locum non habent. Et 1. quidem, quando ingreſſus per Profeſſionem conſummatus non eſt. Laym. *c. 8. cit. n. 70.* ℣. *duo adde*, Palao *tr. 17. D. 3. p. 23. n. 3.* Barboſ. *in Extrav. cit. n. 5.* Zœſ. *hìc n. 96.* Wieſtner *n. 87.* Reiffenſtuel *n. 255.* P. Friderich *n. 217.* cum alijs. Et hinc, ſi receptio ad Habitum, vel Novitiatum facta ſit Simoniacè, Profeſſio verò deinde admittatur gratis, quia ſcilicet factum retractatur, & pecunia non recipitur, vel recepta redditur, Excommunicatio non incurritur; ſicut ex oppoſito incurreretur, ſi receptio ad Habitum gratis facta eſt, ſed poſtea tempore Profeſſionis aliquid exigitur. Barboſ. *n. 5. cit.*

2. Quando aliquid ſpontè offertur, 255 aut etiam exigitur ad ſuſtentationem Profeſſi ex antiqua conſuetudine, juxta dicta *n. 193. & ſeqq.*

3. Ubi *Extrav. cit.* quoad pœnam Excommunicationis non eſt uſu recepta: & ita non receptum eſſe exiſtimant *Navarrus* Conſtitutionum Apoſtolicarum ſcientiſſimus, quem ſequuntur Leſſ. *n. 131.* Palao *n. 3. cit.* & anteceſſit *Sylveſter*, dum docent ſolâ Simoniâ in Ordinibus, & Beneficijs Excommunicationem incurri. Imò easdem pœnas quoad Moniales, ſuper Dote recipienda paciſcentes, à Clem. VII. & Martino V. revocatas monent Illſung *Theol. pract. tr. 5. n. 314.* & Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 217.* cum *Suar. Leſſ. Laym. l. citt.*

Ex quo ſequitur, pœnas iſtas rarò ad- 256 modum incurri etiam in Monaſterijs virorum; quia ſi aliquid accipitur in receptione ad Monaſterium, ferè tantùm recipitur, quia ſpontè oblatum eſt, vel ſi etiam exigatur, ea exactio cohoneſtatur ob Monaſteriorum tenuitatem, quòd ita neceſſarium videatur ad ſuſtentationem Profeſſi; vel denique ſi Monaſterium ſit dives, exactio illa, & pactio, licèt forte non eximatur à peccato Simoniæ, tamen eximitur à pœnis ejusdem, quòd *Extrav. cit.* in tali loco quoad pœnas non ſit recepta.

Dub. 3. quæ pœnæ incurrantur per 257 Ordines Simoniacè ſuſceptos, vel collatos? R. qui Simoniacè aliquem ordinat, vel ad Ordines præſentat, 1. incurrit Excommunicationem ipſo facto, quæ Summo Pontifici reſervata eſt juxta *Extrav. cùm deteſtabile 2. h. tit.* ita, ut à nemine alio abſolvi poſſit, niſi à Summo Pont. etiamſi delictum occultum ſit, prout ſtatuit *Sixtus V.* in *Bulla* incipit *Sanctum edita Non. Jan. 1588.* cum de negatione Trid. *Seſſ. 24. c. 6. de reform.* Ne-

que obſtat, quòd *Conſtitutio cit.* per *Clementem VIII. Conſtit.* incipit *Romanum* editâ *prid. Calend. Mart. 1595.* ad terminos Juris communis redacta ſit; nam hoc intelligendum eſt quoad cætera in *Conſtitutione* illa contenta: pœnæ enim, & Cenſuræ, contra Simoniacos latæ à Sixto V. per memoratum Clementem ſtabilitæ, & repetitæ ſunt, ut advertunt Suar *l. 4. de Simon. c. 56. n. 10. & 15.* Sanch, *l. 2. conſ. c. 3. dub. 104. n. 28.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 134.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 24. n. 2.* Barboſ. *in Extr. 2. h. tit. n. 4.* Vincent. Pe:ra *tom. 1. Comment. fol. 304. n. 12.* Pirhing *hic n. 159. fin.* Wieſtner *ibid. n. 88.*

258 2. Ipſo Jure, & facto incurrit Suſpenſionem à collatione quorumcunque Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & omnium munerum Pontificalium executione *c. ſiquis 45. h. tit. Extrav.* & *Conſt. Sixti V. citt.*

3. Interdicitur ingreſſu Eccleſiæ, & ſi interdictum, aut Suſpenſionem hujusmodi violaverit, præter Irregularitatem, à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & fructuum omnium, ex Beneficijs ſuis provenientium, perceptione ſuſpenditur. *Conſt. cit.*

259 Similes fere pœnas incurrit; qui ordinatus eſt Simoniacè; nam 1. incurrit Excommunicationem ipſo facto *Extrav. cit.* quæ & ipſa eſt reſervata Summo Pontifici. 2. Suſpenditur ab executione ſuorum Ordinum *Extrav. cit.* ſaltem illius, quem Simoniacè ſuſcepit. 3. ſi Suſpenſionem, quam incurrit, violet, præterquam quòd & ipſe irregularis fiat, ſi Sæcularis ſit incurrit privationem officiorum, & Beneficiorum, & ad ea inhabilitatem; ſi verò Regularis, privationem vocis activæ, & paſſivæ, & ad eam inhabilis redditur *Conſt. Sixt. V. cit.*

260 *Extenduntur* autem hæ pœnæ 1. ad eos etiam, qui Simoniacè conferunt, & ſuſcipiunt primam Tonſuram, ut vult Suar. *c. 56. n. 5.* Laym. *c. 8. n. 71.* & alij apud Barboſ. *in Extrav. cit. n. 8.* tum quia per primam Tonſuram communi modo loquendi dicitur quis ordinari, i. e. conſtitui in Ordine Clericorum, & hoc ſenſu prima Tonſura dicitur Ordo; tum quia verba *Extr. cit.* valde generalia ſunt, & afficiunt quomodolibet dantes: & accipientes. Contrarium tamen alij tenent, nec malè, ut notat P. Wieſtner *n. 88.* & approbat Palao *p. 24. cit. n. 1.* poſt Leſſium *c. 35. cit. n. 133.* quia prima Tonſura non eſt verus Ordo & pœnæ debent reſtringi.

261 *Extendit* eas 2. Ugolinus *tab. 4. c. 3. n. 2. & c. 4. n. 1.* ad Notarium vel Miniſtrum, qui pro Litteris Dimiſſorijs, vel Sigillo aliquid accipit: quam ſententiam ſumpſit ex Salzedo *in addit. ad pract. Bernar. c. 91. §. quintò*, ubi dicit, ita diſpoſitum eſſe in Trid. *Seſſ. 21. c. 1. de reform.* Sed Concilium ibi nullam talem extenſionem ponit, ſed concludit: *Qui ſecus fecerint, tam dantes, quàm accipientes ultra Divinam ultionem pœnas à Jure inflictas ipſo facto incurrant*: ubi non imponit pœnam novam, ſed confirmat pœnas à Jure inflictas, ut bene expendit Leſſ. *n. 133. cit.* Non eſt ergo veriſimile, incurrere hanc Cenſuram, qui absque Simonia Ordinem ſuſcepit, etiamſi aliquid poſtea det pro hujusmodi Litteris, cùm ex vi dictæ *Extrav.* illam non incurrat; quia non poteſt dici Ordinem Simoniacè ſuſcepiſſe, nec pro illo aliquid dediſſe: & idem dicendum de Notario, & ſimilibus Suar. *n. 5. cit.* Palao *n. 1.* Pirhing *n. 156. ¥. porro.*

Multo minùs in hanc Excommunica- 262
tionem, & pœnas incidit 1. Epiſcopus, ſi poſt Ordinem gratis collatum aliquid poſtea acceptet ſpontè oblatum; nam eſto, peccet ita accipiendo, & probabiliter etiam Simoniam Juris Eccleſiaſtici committat juxta Trid. *Seſſ. 21. c. 1. de reform.* non tamen in hanc Excommunicationem incurrit, cùm Jure inflicta non ſit pro eo crimine: & ſi Concilium voluiſſet de novo illam imponere, certè clariùs expreſſiſſet, cùm ſit graviſſima pœna, & valde dura pro tali delicto. Suar. *n. 5. cit.* Palao *n. 1.* Leſſ. *n. 133.*

2. Nec Excommunicationem, nec Su- 263
ſpenſionem ab Ordine ſuſcepto, ſaltem quæ ſit propriè, & vera Cenſura, incurrit, qui ordinatus fuit Simoniacè absque ſua culpa, quòd v. g. alius, ipſo inculpatè ignorante, pecuniam dederit Epiſcopo, ut ipſum ordinaret; nam Excommunicatio, & ſuſpenſio, quæ propriè Cenſura eſt, pœna eſt: conſ. culpam ſupponit. Navarr. *Man. c. 25. n. 68.* Leſſ. *c. 35. n. 136.* Palao *p. 24. n. 3.* Vallenſ. *hic §. 4. n. 4.* Pirhing *ibid. n. 161. Excipitur*, niſi ignorantia fuerit culpabilis, & Juris clari, quam ſupponit textus *can. præſentium 3. cauſ. 1. q. 5. & c. per tuas 37. h. tit.*

3. Etſi ex multorum ſententia, quam 264
etiam tenet Palao *n. 3. cit. pr.* qui ſuâ culpâ Simonicè ſuſcepit Ordinem, ſuſpenſus ſit ab executione omnium Ordinum, etiam non Simoniacè ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate ad alios ſuperiores aſcendendi perpetuò ſuſpenſus ſit, ab hujusmodi tamen aſcenſu non impeditur, qui Simoniacè ordinatus eſt ſine ſua culpâ, contra *Sylveſtrum* probabiliſſimè docet Leſſ. *n. 136.* & ſequitur Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict c. 1. n. 227.* ex ratione; quia ſcilicet innocens Clericus non debet pœnâ tam gravi ſine expreſſa Juris ſanctione percelli.

Dub. 4. quæ pœnæ ſtatutæ ſint in Ju- 265
re obtinentibus, & conferentibus Beneficia Eccleſiaſtica per Simoniam? R. 1. ſic ea obtinentes, & ij etiam, à quibus, & quorum mediatione, vel cooperatione ita obtinentur, ipſo Jure, & facto incurrunt Excummunicationem. *Extrav. cùm deteſtabile 2. §. per Electiones*, & §. *ſtatuentes h. tit.* & *Bullâ S. Pij V.* incipit *Quam primum* editâ *Calend. April. 1566.* eſtque Excommunicatio hæc reſervata Papæ, niſi occultum delictum ſit; tunc enim ab ea abſolvere poteſt Epiſcopus

vi

vi Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* & Mendicantes vi specialis Privilegij. Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 137.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 61. n. 4.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 28. n. 2.* Barbos. *in Extrav. cit. n. 6.* & *n. 15.* Vallens. *hic* §. *4. n. 10.* Engl *n. 36.* Pirhing *n. 174.* ℣. *porro*, König *n. 26.* Wiestner *n. 89.* Reiffenstuel *n. 263.* Nomine *Beneficij* autem quoad hanc, & sequentes pœnas hìc intelliguntur Beneficia propriè dicta, sive Sæcularia, sive Regularia, qualia sunt Regularium Prælaturæ, quæ non consistunt in nuda commissione ad nutum revocabili, sed in munere ordinario, ut sunt Generalatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus, Guardianatus &c. non verò Pensiones, Vicariæ temporales, munus Inquisitoris, Legati, Delegati; qui non sunt Beneficia propriè dicta. Et hinc, etsi Simoniam committat, qui emit, aut vendit Pensionem spiritualem, aut Vicariam temporalem, non tamen Excommunicationem, vel alias pœnas mox referendas contrahit, ut notat Navar. *Man. c. 23. n. 111.* Suar. *c. 57. n. 45.* Less. *c. 35. n. 137.* Palao *p. 25. n. 1.* & alij.

266 2. Electio, Confirmatio, Institutio, & quævis alia provisio ad Beneficium, & Officium, Dignitatem &c. Ecclesiasticam est ipso Jure nulla, ita ut per eam provisus nullum jus consequatur. *Extrav. cùm detestabile cit. §. per electiones.* Less. *c. 35. n. 137.* Suar. *c. 57. n. 22.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 3.* Laym. *c. 8. n. 72.* Palao §. *25. n. 3. pr.* Barbos. *in Extrav. cit. n. 5.* Vallens. *hic* §. *4. n. 10.* Zœs. *n.* 103. & 107. Engl *n. 36.* Pirhing *n.* 164. Schambog. *n. 82.* König *n. 24.* Reiffenstuel *n. 264.* Et hoc adeo verum est, ut possessor talis Beneficij, etiam per vim spoliatus, non restituatur; quia non habet in illo titulum etiam coloratum, qui desideratur ad restitutionem in Beneficialibus juxta Regulam *c. constitutis 1. de eo, qui mittitur &c.* Gonzal. *in c. 12. h. tit. n. 6.* Neque etiam defenditur Regulâ de triennali possessore, cùm in eadem expressè exceptus sit, ibi, *absque Simoniaco ingressu.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 131.* *Proceditque hoc* 1. etiamsi in Electione ad Beneficium vel Prælaturam unus tantùm Votum dedisset Simoniacè, majori parte eligente absque Simonia, ut rectè notant Joann. Andr. *in c. nobis 24. h. tit. n. 1.* Anchoran. *ibid. not. 2.* Garc. *p. 8. c. 1. n. 10.* Laym. *c. 8. n. 22. concl. 8.* Barbos. *in c. nobis cit. n. 2.* Fagnan. *n. 3. 4.* & 16. Wagnereck *in c. 27. not. 1.* Mathæucc. *Offic. Eccl. c. 50. n. 4.* & *5.* Vallens. *hic* §. *4. n. 11.* ℣. *sic quoque*, Honor. *n. 29.* Reiffenst. *n. 137.* & decidit *Rota* apud Farin. *decis. 22.* Idem dicendum de Præsentatione, si hæc fiat à pluribus jure Communiatis, vel Collegij. Secus, si illa fiat ab ipsis, ut singuli sunt; cùm enim tunc tot sint Præsentationes, quot Patroni, una Præsentatio Simoniacè facta non inficit aliam, nec influit in illam. *Barbos. Fagn. Wagner. Vall. Honor. Reiffenstuel. l. citt.* *Procedit* 2. etiamsi Simoniam non ipse promotus, sed ipso ignorante parentes ejus, cognati, amici &c. commisissent, nisi hoc factum fuisset in fraudem, & ad præsentatum &c. reddendum inhabilem ad Beneficium, tunc enim sustinetur provisio, ne perversorum hominum malitijs, quàm innocentum meritis plus tribuatur. Less. *c. 35. n. 143.* Suar. *c. 57. n. 33.* Laym, *n. 73.* Palao *n. 2.* Vivian. *in c. 27* ℣. *nisi*, Gonzal. *in c. 12. n. 3.* Vallens. *n. 10.* & 13. Zœs. *n. 106.* Honor. *n. 19. post med.* Pirhing à *n. 95.* Schambog. *n. 84.* & *88.* König *n. 24.* Wiestner *n. 91.* Reiffenstuel *à n. 274.* & patet ex *c. insinuatione 26. h. tit. c. nobis 27. eod.* & *Extrav. cit.* ℣. *Electiones.* Idem à fortiori dicendum de eo, qui scivit ab alio datum iri pecuniam, & non in fraudem ipsius: ubi tamen est distinguendum; nam si ille ante collationem expressè contradicat, non vitiatur, sed valide est collatio Beneficij, etsi alter, ipso contradicente, & ignorante, in Simonia pergat, eáque mediante Beneficium revera obtineatur *c. sicut 33. h. tit.* Secus est, si non contradixit, vel contradixit quidem, sed postquam scivit, quòd alter, non obstante contradictione, & protestatione sua, nihilominùs in Simonia pergeret, Beneficium mediante Simonia obtinuit, ut colligitur ex *c. sicut cit.* ubi tantùm excusatur à pœna nullitatis ille, qui post contradictionem ignorat, Beneficium ab alio Simoniace pro se obtineri: cons. ille, qui scit, non excusatur hoc ipso, quòd sciat, Beneficium Simoniacè esse obtentum, et tamen illud acceptat, cùm sic acceptando videatur in re approbare Simoniam, & consentire in illam, non obstante sua protestatione, quæ contraria facto est. Less. *c. 35. n. 143.* Suar. *n. 29.* Pirhing *n. 103.* Schamb. *n. 88.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 238.* Similiter recessisse à protestatione sua censetur ille, qui ante obtentum Beneficium refundit pecuniam ei, qui solvit, ut habetur *c. sicut cit.* Si post obtentum Beneficium refundat, Simoniam quidem & ipse committit (insi hoc faciat præcisè ex amicitia, & ne alter damnum suâ causâ patiatur; nam hoc casu non peccare refundentem docent Less. *c. 35. cit. n. 144.* Gonzal. *in c. 12. h. tit. n. 3. fin.* Vallens. §. *4. n. 13.* Zœs. *n. 106.*) non tamen videtur incurrere pœnam irritationis ipso facto; cons. usque ad sententiam privationis retinere Beneficium poterit, ut volunt *Vall. Pirh. l. citt.* *Neque obstat*, quòd ratihabitio retrotrahatur, & æquiparetur mandato *Reg. 10. in 6.* quia id intelligendum est in ijs, quæ pendent à consensu ratificantis, non autem quæ antea planè, & absolutè peracta sunt.

3. Sic promotus restituere tenetur 267
fructus, ex Beneficio ita obtento comparatos. Suar. *c. 57. n. 25.* Laym. *c. 8. n. 72.* Barbos. *in Extrav. cùm detestabile 2. h. tit. n. 5.*

n. 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 50. n. 15.* Zœs. *hìc n. 103.* Pirhing. *n. 164.* König *n. 24.* Reiffenſtuel *n. 288.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n 239.* & ſtatutum eſt *Extrav. cit. §. per Electiones:* ubi tamen eſt diſtinguendum, an Simonia commiſſa ſit ab ipſo beneficiario, an ab alio, & ſi ab alio, an ipſo ſciente, & contradicente, an verò contra; nam ſi ab ipſo Beneficiario commiſſa eſt Simonia, vel ab alio ipſo ſciente, & non contradicente, fructus non facit ſuos, ſed reſtituere illos tenetur, cùm bonam fidem, & titulum, in quo jus percipiendi fructus Beneficiales radicatur, non habeat. *Proceditque hoc* non tantùm quoad fructus extantes, ſed etiam quoad conſumptos: imò tali caſu reſtitui debent etiam fructus, qui percipi potuiſſent à quolibet poſſeſſore; quia cùm prædonis loco habeatur, ſemper dicitur eſſe in mora, & ad omnia damna tenetur. Gonzal. *in c. 12. h. tit. n. 6.* Si verò Simonia commiſſa ſit ab alio, Beneficiario ignorante, fructus quidem, quamdiu manet in bona fide, ut alius bonæ fidei poſſeſſor, lucratur; ſed quia collatio eſt invalida ſecundùm dicta *n. præc. ℣. procedit 2.* ſublatâ ignorantiâ, ſiqui extant, reſtitui debent, cùm dominium illorum poſſeſſor tantùm revocabile nactus ſit, ut dictum eſt *Libr. 2. Tit. 13. n. 49.* Quodſi tamen cum bona fide per triennium in pacifica poſſeſſione perſtiterit, defenditur Regulâ de triennali, adeo, ut triennio illo elapſo nec fructus, nec Beneficium reſtituere obſtringatur. Leſſ. *c. 35. n. 140. ℣. quartò*, Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 15.* Suar. *c. 57. n. 36.* Palao *p. 25. n. 3.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 6. c. 18. n. 6.* Gonzal. *n. 6. cit.* P. Friderich *tr. de Simon. c. 5. n. 213.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 241.*

168 4. Simoniacè recipiens Beneficium ad idem obtinendum pro ea vice inhabilis redditur. Suar. *c. 58. n. 9.* Garc. *p. 8. de Benef. c. 1. n. 56.* Leſſ. *c. 35. n. 139.* Engl *hìc n. 36.* Pirhing *n.* 170. Reiffenſtuel *n. 266.* & conſtat ex *c. ſi alicujus 59. de elect. c. nobis 27. h. tit.* & *Bullâ S. Pij V.* incipit *Cùm primum.* In qua inhabilitate, ſi Beneficium quodcunque ſcienter, vel duplex etiam ignoranter Simoniacè obtentum ſit, ſolus Papa, ſi verò ignoranter obtentum ita ſit Beneficium ſimplex, poſt liberam ejus reſignationem diſpenſare etiam Epiſcopus poteſt. Laym. *l. 4. tr.* 10. *c. 8. n. 73.* Palao *tr.* 17. *D. 3. p. 28. r. 3.* Barboſ. *in c. 22. n. 1. & 3.* Gonzal. *in c. 26. n. 3.* Vallenſ. *hìc §. 4. n.* 11. Honor. *n.* 19. *circ. med.* Pirhing *n.* 173. Wieſtner *n.* 91. Reiffenſtuel *n. 336. & ſeqq.* Quod ſaltem verum eſt in caſu, quo Electio, vel Collatio Beneficij per ſententiam fuit reprobata, vel irrita declarata; nam ſi per ſententiam in foro externo reprobata non fuit talis Beneficij proviſio, etiam pro illa vice diſpenſare poterit Epiſcopus, ut quis Dignitatem quoque, aut Beneficium Curatum per Simoniam alterius bona fide obtentum retinere, vel potiùs de novo acquirere valeat, ſi priùs illud reſignet. Palao *l. cit. n. 4.* Vall. *n.* 11. *℣. quodſi*, Reiffenſtuel *n. 337.* Imò ſi ignorantia fuerit inculpata, juxta eundem Vallenſ. *l. cit.* neque opus eſt diſpenſatione Epiſcopi, cùm nulla ſubſit culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat.

5. Juxta aliquos ſic recipiens Benefi- 169
cium privatur etiam Beneficijs alijs antea legitimè obtentis: quod deſumunt ex *c. inquiſitionis 21. de accuſ.* ubi *in pr.* Simonia hujusmodi retentionem Beneficij, etiam poſt peractam pœnitentiam, dicitur impedire, *Sed dicendum*, ijsdem privari quidem à Judice per ſententiam condemnatoriam poſſe, non tamen privatum eſſe ipſo Jure, & facto, cùm hoc nec in *c. cit.* nec in alijs Juribus exprimatur. Felin. *in c. inſinuatum* 13. *h. tit. pr.* Navar. *conſ. 92. de Simon.* Ugolin. *tab. 4. de Simon. c. 6. §. 6. n. 3.* Suar. *l. 4. c. 58. n. 6.* Laym. *c. 8. n. 74.* Palao *D. 3. p. 25. n. 4.* Gonzal. *in c. 12. n. 4.* Zœs. *hìc n.* 112. Honor. *n.* 23. Pirhing *n.* 169. König *n.* 24. Wieſtner *n. 94.* Reiffenſtuel *n.* 269. Friderich *n.* 210. *Ex quo ſequitur*, etiam caſu, quo quis privatus eſt per ſententiam Beneficio legitimè antea obtento, ſic privatum non hoc ipſo privatum cenſeri fructibus, quos ante ſententiam ex eo percepit, niſi etiam horum privatio in ipſa ſententia contineatur; quia aliud eſt privari beneficijs, aliud fructibus, ac idcirco pœna una non involvit alteram. Suar. *n. 8.* Palao *n. 5.* Pari ratione ſi is, qui legitimè electus, aut præſentatus eſt, per Simoniam obtinet Confirmationem, aut Inſtitutionem, non eo ipſo irrita redditur Electio, aut præſentatio. Leſſ. *n.* 138. Suar. *n. 7.* Palao *n. 6.* & colligitur ex *c. ſi electionem 39. de Elect. in 6.* juxta quod ſi Confirmatio propter defectum ſolennitatis, aut poteſtatis in confirmante eſt irrita, *non propter hoc præcedens Electio (ſi aliàs ſit Canonica) intelligitur infirmari.*

Dub. 5. quæ pœnæ incurrantur per 170
Simoniam Confidentialem? R. per hanc incurritur 1. Excommunicatio reſervata Papæ, lata in quoscunque, qui eam committunt ſive dando, ſive recipiendo. 2. Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, latum in Epiſcopos, aliósque ſuperiores Prælatos. 3. nullitas reſignationis, & collationis per eam factæ. 4. privatio omnium Beneficiorum, & Penſionum priùs obtentorum. 5. inhabilitas ad idem, & alia Beneficia obtinenda. 6. denique Beneficium ita Simoniacè reſignatum reſervatur Sedi Apoſtolicæ, ut ab Ordinario collatore conferri nequeat, & fructus illius malè percepti applicantur Cameræ Apoſtolicæ. Ita decrevit *Pius IV. Conſt.* incipit *Romanum editâ 17. Calend. Nov. 1564.* & *S. Pius V. Conſt.* incipit *Intolerabilis Calend. Jun. 1569.* Videatur Suar. *l. 4. de Simon. c. 43. n. 13.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n.*

35. n. 147. Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 76. & 77.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 25. n. 8.* Wagnereck *in Extrav. 2. h. tit. not. 5.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 49. n. 43.* Vallenſ. *hìc §. 4. n. 15.* Zœſ. *n. 125.* Engl *n. 37.* Pirhing *n. 115.* König *n. 27.* Wieſtner *n. 95.* Reiffenſtuel *n. 284* P. Friderich *n. 206.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Simon. c. 1. n. 242. & ſeqq.*

171 Circa pœnas iſtas *notandum* 1. eas incurri ipſo facto. Privatio tamen Penſionum, & Beneficiorum, quæ Beneficiati ante Simoniam commiſſam jam habuerunt, requirit ſententiam criminis declaratoriam juxta communem DD. teſte P. Friderich *l. cit.* quia pœna, quâ quis privatur jure jam quæſito, & re jam poſſeſſa, non debetur ante ſententiam, tametſi Lex dicat eum eſſe privatum ipſo jure, aut facto, ut docet Gloſſa communiter recepta *in can. fraternitas 11. cauſ. 12. q. 2.* Similiter ſententiam declaratoriam requirit inhabilitas ad reliqua Beneficia juxta communem uſum teſte eodem P. Friderich *l. cit.*

172 *Not.* 2. ut incurrantur pœnæ iſtæ, neceſſarium quidem eſt, ut Simonia ſit impleta opere, dato, & accepto Beneficio in confidentiam, non tamen requiritur, ut ex utraque parte ſit completa, ita, ut accipiens viciſſim ſuam promiſſionem impleverit v. g. penſionem ſolverit; nam nihilominus ab utroque incurruntur prædictæ pœnæ, eo ipſo, quòd Beneficium ab uno ſit datum, & ab altero acceptum, ut habetur in prædictis *Bullis*, & notat Suar. *c. 43. n. 14.* Laym. *n. 78.* Palao *n. 8. v. deinde*, Zœſ. *hic n. 125.* Pirhing. *n. 115. v. porro*, Friderich *l. cit.* Hinc Navarr. *Man. c. 23 n. 110. v. ſecundò nota*, ait Simoniam Confidentiæ eſſe pejorem omni aliâ, videlicet quoad pœnas; quia nimirum continet innumeras fraudes, cùm magis latenter, quàm aliæ committatur, & ſpeciem habeat Succeſſionis hæreditariæ. *Excipiuntur* Mediatores Simoniaci; nam hi non incurrunt Excommunicationem etiam inSimonia Confidentiali, donec illa ab utraque parte tam accipientis, quàm dantis completa ſit. *Ratio eſt*, quia de illis non loquitur Bulla Pij IV. & Pij V. ſed illi incurrunt Excommunicationem Pauli II. *in Extrav. 2. h. tit.* quæ non incurritur, niſi per Simoniam realem utrinque completam, ut contra *Navarrum* notavit Suar. *l. cit. n. 15.* Palao *n. 8. fin.* Zœſ. Pirhing *l. citt.*

173 *Not.* 3. Pœnam ex allatis *n. 270.* ultimam, quâ Beneficia Simoniacè reſignata reſervantur Sedi Apoſtolicæ, in Germania vix habere locum, propter Concordata Germaniæ, ubi §. *de cæteris* promittit Pontifex, ſe extra menſes Papales per nullam aliam reſervationem, aut diſpoſitionem, Concordatis non comprehenſam, Ordinariorum liberam collationem velle impedire. König *hic n. 27.* & dictum eſt *Libr. 3. Tit. 5. n. 245.* Et quamvis, ut *Libr. 3. Tit. 5. n. 271.* dictum eſt, Summus Pontifex ijsdem Concordatis de plenitudine poteſtatis ſuæ, juſta cauſa hoc exigente, derogare poſſit, tamen, ut *ibidem n. ſeq.* addidi, nunquam cenſetur per quantumcunque etiam generales, & amplas clauſulas ijsdem derogare velle, niſi expreſſam, & ſpecificam eorum mentionem fecerit, hujusmodi autem mentionem in prædictis ſuis Bullis non fecerunt Pius IV. & S. Pius V. ergo &c.

Dub. 6. an recenſitæ hactenus pœnæ 174
incurrantur etiam ab illis, qui propria authoritate permutant Beneficia, ac univerſim, quando non committitur Simonia contra Jus naturale, ſed tantùm contra Eccleſiaſticum? Negant quidam RR. ſecuti Petr Navar. *l. 2. de reſtit. c. 2. n. 436.* & Arragon. *2. 2. q. 100. art. 6. dub. penult.* ubi malè allegat *Mart. Navar. Caſſador. & Covar.* Rationem dant, tum quia Canones, quibus pœnæ illæ ſtatuuntur, explicari poſſunt, tanquam in materia odioſa, de ſola Simonia Juris naturalis, utpote quæ ſecundum quosdam, quos *n. 24.* retuli, ſola propriè dicta Simonia eſt; tum quia Jura, permutationem prohibentia, mentionem non faciunt pœnæ ipſo facto incurendæ.

Sed communiùs, & longè probabi- 175
liùs DD. affirmant. *Ratio eſt*, quia *SS.* Canones, dum deteſtantur, & puniunt Simoniam, in diſcriminatim de ea loquuntur, imò apertè conprehendunt etiam eam, quæ eſt Juris ſolùm Eccleſiaſtici, ut patet ex *c. quæſitum 5.* & *c. cùm olim 7. de rer. permutat. 1. de hoc 11. de Simon.* multisque alijs *cauſ. 1. q. 3.* & *cit. Extrav. 2. h. tit.* feruntur dictæ pœnæ in eos, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint*, quíque fecerint quasvis diſpoſitiones, *quas Simoniaca contigerit labe fieri.* atqui certum eſt ex *citt.* Juribus, pacta circa Beneficia, propria authoritate inita, tametſi tantùm contra Legem Eccleſiaſticam, damnari ut continentia labem Simoniæ; & certum iterum eſt, Simoniam, quæ committitur dando pecuniam pro Beneficio Eccleſiaſtico reputari in Jure veram Simoniam, quamvis, ut *n. 223.* oſtendi, ſub opinione ſit, an non contraria ſit Juri tantùm Eccleſiaſtico. ergo &c.

Ex quo cadit *Ratio dubitandi* allata in- 176
contrarium; dicendum enim, etſi fortè Simonia contra Jus Eccleſiaſticum ſit non verè, & propriè dicta Simonia quoad culpam, ita tamen vocari, quòd ſubjiciatur pœnis veræ Simoniæ: quæ eſt reſponſio *Durandi* apud P. Friderich *tr. de Simon. c. 5. n. 211. fin.*

Dub. 7. an aliqua pœna ipſo facto in- 177
curratur per Simoniam, commiſſam in alijs materijs, extra Beneficia, Ordines Eccleſiaſticos, & ingreſſum in Religionem? Ré. negativè. Ita Sylv. *V. Simonia q. 19.* Navarr. *Man. c. 23 n. 111. v. ſextò, & ſeptimò*, Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 130.* Suar. *l. 4. de Simon.*

c. 55. n. 5. Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 69.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 21. n. 2.* Vallenſ. *hic §. 4. n. 2.* Engl *n. 35.* Pirhing *n. 154.* Schambog. *n. 116.* Wieſtner *n. 85.* Reiffenſtuel *n. 229.* & teſte Suar. *l. cit.* aliorum communis. Ratio eſt, quia nullo Jure expreſſæ ſunt aliquæ pœnæ, niſi in tribus relatis materijs.

278 *Ex quo ſequitur 1.* etiamſi in adminiſtratione, & ſuſceptione Sacramentorum, Benedictionibus, Conſecrationibus, vendendis, vel emendis Penſionibus, conferendis Vicarijs temporalibus &c. ut à *n. 155.* dictum eſt, Simonia committi poſſit, non tamen ipſo facto, aut Jure incurri aliquam vel Excommunicationem, vel Suſpenſionem, vel Interdictum, vel aliam pœnam.

279 *Sequitur 2.* validam eſſe Simoniacam collationem Sacramentorum, Conſecrationem Eccleſiæ, vel Calicis, actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ extra proviſiones Beneficiorum, Profeſſionem Religioſam, acquiſitionem Officiorum Eccleſiaſticorum merè temporalium, Juris Patronatûs, aliarúmque rerum, ac Jurium ſpiritualium, exceptis Beneficiis, & actionibus Jurisdictionis, Adminiſtrationis Sacræ, ac Juris Eccleſiaſtici, ad conferendum Beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum ordinatis, ut fusè explicat, & probat Suar. *c. 57. n. 2. & ſeqq.*

280 *Sequitur 3.* non eſſe obligationem in conſcientia ad ea dimittenda, donec per ſententiam condemnatoriam in pœnam commiſſæ Simoniæ quiſpiam ijſdem privetur. *Neque obſtat*, quòd Contractus Simoniacus ſit nullus; conſ. jus nullum tribuere poſſit ad retinendum id, quod per eum acceptum eſt; nam hoc, ut mox dicetur, intelligendum eſt, quantum ex vi ipſius Contractûs, non verò, quantum eſt ex vi traditionis liberè factæ ab eo, qui jus transferendi habet, & acceptionis ex parte alterius animo rem habendi ut ſuam, niſi Jus humanum reſiſtat.

281 Dixi *ipſo Jure & facto*; nam per ſententiam infligendæ ſtatuuntur variæ *can. reperiuntur 7. can. ſiquis 8. & ſeqq. cauſ. 1. q. 1. c. ſiquis 6. c. de hoc 11. c. veniens 19. h. tit. Neque obſtat*, quòd *Extrav. cùm deteſtabile 2. h. tit.* Paulus II. poſtquam renovavit Cenſuras omnes, & pœnas, Juribus antiquioribus latas, addiderit, *Quas ipſo facto eos incurrere volumus*; nam id intelligendum eſt de Beneficijs, & Officijs Eccleſiaſticis, de quibus ibi ſermonem præmiſit Pontifex. Certè, ſi ex illis verbis Cenſuræ, quæ Jure antiquo erant ferendæ ſententiæ, nunc eſſent ipſo Jure latæ, ut cum *Garcia* optimè advertit Palao *p. 21. cit. n. 3. V. reſpondeo*, etiam pœnæ depoſitionis, & privationis Beneficiorum eſſent nunc ipſo Jure latæ, ſiquidem *Extrav. cit.* de omnibus locuta eſt: hoc autem nullus eſt auſus affirmare. ergo &c.

282 Quæritur 2. an, & quomodo reſtituenda ſint illa, quæ accepta ſunt Simoniacè? Videntur indiſcriminatim reſtituenda omnia, ex ratione; quia, ut *c. fin. de pactis* Gregorius IX. ſtatuit, pactiones, & conventiones, ſuper rebus ſpiritualibus initæ, nullius penitus momenti ſunt, atqui pacta, & conventiones, quæ nullius penitus momenti ſunt, vim non habent transferendi mercem, & pretium à dante, vel promittente in accipientem, & promiſſarium; quia quoties actus ob Legis prohibitionem nullus eſt, ex eo adeo nihil tranſit, ut recipiens neque Exceptionis ope defendatur *arg. c. illud 8. de Jur. Patron.* & *l. non dubium 5. C. de LL.* Farin. *Fragment. V. Lex num. 176.* Barboſ. *axiom. V. nullum n. 5.* Wieſtner *hic n. 96.* ergo &c.

Sed diſtinguendum eſt inter materias, 283
circa quas Simonia contingit; nam ſi committatur in materia Beneficiali, datum, & acceptum ante omnem ſententiam Judicis in foro conſcientiæ reſtituendum eſt, non quidem Jure naturali, ut voluerunt Adrian. *Quodl. 9. art. 3. lit. D.* & Armacan. *l. 10. qq. Armeniac. c. 23.* ſed Eccleſiaſtico, ut cum communi tradunt Navarr. *Man. c. 23. à n. 103.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. c. 8.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 35. n. 166.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 60. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 83.* Pirhing *hic n. 181. & 185.* & conſtat ex *c. de hoc 11. h. tit.* Ratio eſt, quia Jus tam Beneficium, quàm pretium accipientem impedit, quò minùs dominium accepti acquirere poſſit; idque in pœnam tam gravis delicti.

Si verò committatur Simonia in alia 284
materia extra Beneficialem, altera diſtinctio eſt adhibenda, & differentia facienda inter mercem, ſeu rem ſpiritualem, & pretium Simoniacum. Nam Merx Simoniaca obligationi reſtitutionis non eſt obnoxia, ut ex unanimi ferè DD. calculo advertunt. Leſſ. *c. 35. cit. num. 168.* Suar. *c. 59. à n. 28.* Bonacin. *de Simon. q. 7.* Laym. *c. 8. n. 86.* Palao *p. 26. n. 1. & 4.* Pirhing. *n. 185.* Schambog. *n. 124.* Wieſtner *n. 97.* Reiffenſtuel *n. 286.* idque 1. quia nullo Jure obligatio iſta impoſita eſt. 2. quia obligatio reſtituendi ſolùm oritur ex violatione Juſtitiæ. atqui per Simoniam plerumque ſolùm contra Religionem, non autem contra Juſtitiam peccatur, ut dictum eſt *ſuprà n. 8.* 3. quia ut valida ſit rei ſpiritualis translatio, Jure Divino plus non requiritur, quàm poteſtas transferendi illam in conferente, & capacitas in recipiente, talis adeſt in utroque reſpectu Mercis Simoniacæ, niſi aliunde in altero ſit defectus aliquis. igitur valebit translatio Jure Divino. ſi Divino, etiam poſitivo humano; neque enim iſto irritatæ reperiuntur, niſi ferè ſolæ proviſiones Beneficiales Simoniacæ.

Neque dicas: qui dedit rem ſpiritua- 285
lem, non voluit eam aliter dare, niſi ut ipſe acquireret pecuniam. ergo ſi hæc cauſa non habuit effectum, nec datio rei ſpiritualis valida erit.

erit. *v. Tr. Ant. N. Conf.* quia velle dare rem ſpiritualem non aliter, quàm pro pecunia involvit injuſtam, & turpem conditionem, & ſic pro non adjecta habetur, ita, ut datio rei ſpiritualis, ea non obſtante, valeat, & ſic accipiens eam retinere valeat. Schambog. *n. 125.* *Excipiunt* quidem nonnulli Penſiones ſpirituales, quarum collationem Simoniacè factam invalidam, ac proinde illas dimittendas eſſe contendunt. Sed cùm Jura allegata loquantur ſolùm de Beneficijs, non ſunt extendenda ad Penſiones, utpote odioſa, quia in materia pœnali, ut bene advertit P. Friderich *de Simon. c. 5. n. 220.*

186 Quoad Pretium Simoniacum tertia utendum eſt diſtinctione, & videndum, an Simoniacè ſolùm, an etiam injuſtè receptum ſit. *Si primum*, non datur obligatio illud reſtituendi ante ſententiam Judicis condemnatoriam, niſi pretium excedat æſtimationem commodi temporalis, quod cum re ſpirituali in alterum translatum eſt, ut rectè Leſſ. *c. 35. n. 160.* Suar. *c. 59. n. 35.* Palao *p. 26. n. 7.* Laym. *c. 8. n. 82.* Zœſ. *n. 119.* Pirhing. *n. 177.* Schambog. *n. 116.* Wieſtner *n. 104.* Reiffenſtuel *n 302.* Friderich *n. 222.*

187 *Ex quo ſequitur 1.* ad reſtitutionem pretij accepti non obligari, qui vendidit vaſa ſacra, Chriſma, vel Oleum ſacrum, ſi quod accepit, non excedat valorem illius materiæ, quamvis teneatur reſtituere, ſiquid accepit ratione conſecrationis, vel benedictionis, quæ pretio æſtimari non poteſt. Suar. *c. 59. cit. n. 42.* Pirhing. *n. 178.* Ratio eſt, quia hujusmodi res per conſecrationem pretium ſuum non amittunt: & hinc, qui pro illis juxta æſtimationem materiæ pretium dat, vel Simoniam omnino nullam committit, vel non committit ſaltem Simoniam juris Divini, & naturalis.

188 *Sequitur 2.* ad reſtitutionem pretij accepti pariter non obligari, qui alteri contra SS. Canones vendidit Officium temporale Eccleſiæ v. g. Cuſtodis, Œconomi, vel Syndici. Suar. *n. 36.* Laym. *n. 82.* Pirhing *n. 178. cit.* quia etſi committat Simoniam, non tamen commit it injuſtitiam, cùm dando tale Officium ſe privet commodo temporali. Ex eadem ratione ad pretij reſtitutionem, Jure ſolùm naturali ſpectato, non obligatur etiam is, qui Beneficium ſuum vendit alteri. Leſſ. *n. 158.* Suar. *n. 87.* Laym. *n. 82. aſſert, 2.* Pirhing. *l. cit.* *Neque obſtat*, quòd Beneficiarius non ſit dominus Beneficij; quia, ut rectè advertit Magnif. P. Schmier *p. 2. de Benef. c. 1. n. 257.* non transfert dominium Beneficij, ſed inſtar Uſufructuarij commodum rei Beneficiariæ, in quo etſi committat Simoniam Juris etiam, Divini, ut dictum eſt *n. 224.* non tamen peccat contra Juſtitiam.

189 *Sequitur 3.* Similiter ad reſtitutionem non teneri Monaſterium, ſi accepit pecuniam pro admiſſione alicujus ad Religionem. Leſſ. *c. 35. dub. 30. circ. fin.* Suar. *n. 41.* Palao *n. 6.* Laym. & Pirhing. *l. citt.* & ſumitur ex *Extrav. ſanè 1. h. tit.* ubi Papa concedit, quòd Simoniacè accepta in ingreſſu Religionis retineri poſſint, dummodo non in privatum Abbatis, vel Abbatiſſæ, vel alterius, ſed in communem uſum convertantur. Poſsúntque, ut notat P. Reiffenſtuel *hic n. 298.* favore hujus *Extrav.* uti etiam Regulares Monaſterij opulenti; quia licèt iſti, etiam quando pro ſuſtentatione honeſta tantùm aliquid ab ingredientibus exigunt, Simoniam juxta plerosque DD. Juris Eccleſiaſtici ſaltem committant, tamen quia Papa concedit, ut hujusmodi Simoniacè accepta communi Monaſterij uſui tanquam piæ cauſæ remanere, & applicari valeant, à reſtitutione ſic applicatorum excuſabuntur. *Ratio eſt*, quia licèt admiſſio ſit actus ſpiritualis, ideoque ſine Simonia accipi pretium nequeat, quia tamen annexum habet onus temporale ſuſtentandi perſonam, quod eſt pretio æſtimabile, ideo pecuniæ acceptio, modò non excedat æſtimationem oneris temporalis, ſive alimentorum, Juſtitiæ non repugnabit.

190 *Sequitur 4.* ſiquis Caſtrum, cui annexum eſt Jus Patronatûs, cariùs vendat ratione Juris illius, ob temporale commodum, quod afferre ſolet tale Jus, & quo ſe privat in gratiam alterius, v. g. ob honorem humanum, qui eſt pretio æſtimabilis, eum poſſe retinere pretium acceptum, donec per ſententiam reſtituere compellatur; quia licèt venditio illa ſit Simoniaca, eò quòd honor ille ſit annexus Juri ſpirituali, in eóque fundatus, non tamen eſt injuſta. Suar. *n. 42.* Laym. Pirhing. *l. citt.* Idémque eſt, ſiquis vendat Imaginem miraculoſam, ex qua lucrum percipiebat, vel aliam rem ſpiritualem, ſeu ſacram, ex qua voluptatem hauriebat, aut aliam commoditatem ex uſu, & poſſeſſione talis rei. Suar. Pirh. *l. citt.*

191 *Sequitur 5.* ſiquis pro functione ſpirituali v. g. Sacrificio Miſſæ, ad quam ex officio, & Juſtitia non tenebatur, accipiat temporale aliquid, non tanquam pretium ſpiritualis functionis, ſed tanquam ſtipendium, quod omni laboranti in gratiam alterius eſt Jure naturæ debitum, non tamen teneri illum ad reſtitutionem, niſi Poſt condemnationem Judicis, ſiquid acceptum fuit titulo ſuſtentationis contra prohibitionem Legis Eccleſiaſticæ. Laym. *n.* 81. Pirhing *n.* 176. Imò etiamſi accepiſſet tanquam pretium ſpiritualis functionis, ſi tamen pretium acceptum non excedat juſtum ſtipendium, ipſi ad ſuſtentationem pro actione illa temporali debitum, non tenetur ad reſtitutionem, quia licèt Simoniam commiſerit accipiendo pretium pro re ſpirituali, non tamen commiſit ullam Injuſtitiam: ideóque mutata intentione poteſt retinere tanquam ſtipendium, quod prùs acceperat tanquam pretium. Suar. *n. 16.* Laym. *n.* 85. Palao *n. 7.* Pirhing *n. 176.* Wieſtner *n.* 103.

Ra-

Ratio est quia non tam acceptione, quàm accipiendi modo, seu prava intentione peccatum est igitur si hæc deponatur, aut mutetur, id per modum stipendij justè, honestéque retinebitur.

292 Contrà obligabitur ad restituendum pretium ante omnem sententiam, quando acceptio repugnat Justitiæ commutativæ. Less. c. 35. *n.* 162. Suar. *c. 59. n. 11* Laym c. 8. *n.* 79. Gonzal. *in c. fin. n.* 3. Zœs. *hic n. 116.* Pirhing *n.* 175. Schambog. *n. 118.* Reiffenstuel *n.* 292. Magnif P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 253.* Ratio est, quia exploratum est, ex violatione Justitiæ commutativæ obligationem restituendi exsurgere. Atque hinc.

293 *Sequitur* 1. ad restitutionem teneri eum, qui pretium accepit pro re merè spirituali, & quæ nullum commodum temporale affert. Less. *n.* 162. Suar. *n.* 11. Laym. *n.* 79. Wiest. *n.* 101. Ratio est, quia tales res non sunt pretio æstimabiles, aut vendibiles. sed qui vendit pro pretio rem, cujus nullum est pretium, contra Justitiam peccat, nec pretium pro ea receptum licitè retinet. ergo &c.

294 *Sequitur* 2. Similiter ad restitutionem teneri, qui pretium accepit pro re temporali etiam tali, quæ commodum temporale affert, si ea ex Justitia e. g. ex officio Parochiali à Parocho debeatur; quia contra Justitiam peccat, qui recipit pretium pro re, quam ex Justitia aliunde debet. Suar. *n.* 12. Pirhing *n.* 176. *coroll.* 2. Wiestner *n.* 102.

295 *Sequitur* 3. ex eodem capite ad restitutionem pretij accepti teneri Episcopum, vel alium Ecclesiæ Prælatum, si vendat Beneficia, vel Officia Ecclesiastica, quorum collatio ad ipsum pretinet ratione muneris sui, quia non est illorum Dominus, sed Dispensator à DEO constitutus, quæ gratis debet dispensare ex officio suo, adeoque peccat contra Justitiam, si pro tali collatione pretium accipiat. Suar. *n. 13.* Laym. *n. 81.* Pirhing *coroll. 3.* quamvis contrarium teneat Less. *n. 161.*

296 Ex quo patet Responsio ad Rationem dubitandi *n.* 282. allatam; dicendum enim, dispositionem *c. fin. cit.* restringendam ad materiam Beneficialem. Si verò contendas, extendendam etiam ad cætera spiritualia, non renuo, sed cum distinctione dico, hujusmodi Pactiones esse irritas, antequam compleantur traditione mercis, & pretij; non enim ita pacificentes obligantur ad complendum Pactum à se initum, cùm complere illud sine peccato non possint: si tamen pro re temporali rei spiritualis traditio, & ejus acceptatio facta sit, istam subsistere, & acceptam rem spiritualem retineri licitè posse; habet enim se res hic, sicut se habet in pacto, quo quis pro pecunia conducit Sicarium, aut usum corporis sibi emit à meretrice, ubi datur obligatio non implendi pactum per cædem, & fornicationem; si tamen hæc facta sint, exsurgit obligatio in altero pacisçente ad solvendum pretium, & postquam illud solutum est, dominium soluti ab accipiente acquiritur, donec per sententiam Judicis auferatur.

Dub. 1. cui facienda sit restitutio pretij Simoniaci? 297 R. secluſa speciali Lege Ecclesiastica, & ante sententiam Judicis, illud Ecclesiæ, vel pauperibus addicentis, facienda est ei, à quo acceptum est *can. fin. caus.* 14. *q.* 5. Sot. *l. 9. de Just. q. 8. art.* 1. Less. *l. 2. de Just. c. 35. n.* 170. Suar. *l. 4. de Simon. c. 59. n.* 23. Laym. *l. 4. tr.* 10. *c. 8. n. 79. & 81.* Zœs. *hic n.* 117. Pirhing *n.* 179. Schambog. *n.* 122. Wiestner *n.* 102. Ratio est, quia per se, & Lege, vel Superiore aliud non statuente, ratione injustæ acceptionis restitutio facienda est læso. atqui in casu dato læsus est, qui pretium dedit. ergo &c. Et hinc, si is, qui Simoniacè dedit, gratuitò remittat pretium, ille, qui id accepit, licitè istud retinet, donec in criminis pœnam Ecclesiæ, vel pauperibus illud applicare per Sententiam jubeatur. Wiestner *l. cit.*

Neque obstat 1. quòd dans pecuniam, 298 pro re spirituali, voluntariè dederit, adeoque habuerit voluntatem verè dandi, & transferendi dominium in alterum, sicque de injuria non possit conqueri. Nam quod ille dedit, non voluit donare sed dare, quantum Justitia permitteret, nec plus voluit à se abdicare, quàm ex Justitia deberet. at verò pretium illud non fuit ex Justitia debitum, nec justè exigi poterat: & ideo voluntas illa dandi non habuit effectum, nec transtulit dominium rei datæ in accipientem; nam quando causa dandi non subsistit, nec ipsa datio subsistit. Suar. *n.* 26. Laym. *n.* 5. Zœs. *n.* 117. Pirhing *n.* 180. Schambog. *n.* 123.

Non obstat 2. quòd quando pecunia, 299 data est ex turpi causa, tenente se ex parte utriusque tam dantis, quàm accipientis, ea non sit restituenda danti; quia non est dignus, ut ipsi restitutio fiat *l. ut puta* 2. *l. ubi* 3. *& l. si ob turpem causam* 8. *ff.* & *l. cùm te* 2. *C. de condict. ob turp. caus.* Nam ex hoc solùm, sequitur, quòd emptor rei spiritualis mereatur privari pretio dato, in pœnam sui delicti, & per sententiam Judicis.

Non obstat 3. quòd accipiens rem spiri- 300 tualem pro pecunia non teneatur illam restituere danti, ergo nec accipiens pecuniam tenebitur illam danti restituere. *Respondeo* enim *Neg. Cons.* nam accipiens rem spiritualem pro pecunia non peccat contra Justitiam, peccat autem contra Justitiam accipiens pecuniam pro re spirituali, quæ vel commodum temporale nullum affert, vel si affert, ex Justitia debebatur.

Neque obstat 4. quòd quidedit rem spiri- 301 tualem, non voluerit illam dare, nisi ob talem causam, ut acquireret dominium pecuniæ. ergo si hæc causa non habuit effectum, nec duo rei spiritualis valida fuit. R. *Tr. Ant.*

Ant. N. Conf. quia velle dare rem spiritualem non aliter, nisi pro pecunia, involvit conditionem turpem, & injustam, & ideo habetur pro non adjecta, & datio rei spiritualis, non obstante tali conditione, valet; conf. accipiens potest illam retinere. At verò acceptio pretij pro re spirituali, quæ commodum temporale annexum non habet, aut aliunde ex Justitia debetur, non valet, quia est injusta, & turpiter, ac injustè petitum fuit pretium; ideóque restitui istud debet. Quando verò Jura dicunt: quòd donatio facta ob certam causam, si causa illa non subsistat, non teneat, id intelligi debet, quando causa est honesta, & licita, vel saltem non injusta. Suar. *n. 30.* Pirhing *n. 180. fin.*

302 Dub. 2. cui restituendum sit pretium datum in collatione Beneficij Simoniaca? R. ex Jure Ecclesiastico restituendum est Ecclesiæ, in qua Beneficium situm est *c. de hoc 11. h. tit.* vel si Superior ita velit, restitui potest etiam pauperibus, ut notat S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.* Victoria *Relect. de Simon. p. 2. n. 6.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 171.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 60. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 84.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 26. n. 4.* Pirhing *hic n. 182.* Wiestner *n. 100.* Reiffenstuel *n. 295.* Friderich *n. 224.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 258.*

303 Antequam tamen per sententiam ad ita restituendum Ecclesiæ, vel pauperibus condemnetur, restitui pretium potest illi, à quo receptum est, prout sustinet Sot. *l. 9. de Just. q. 8. art. 1. §. de Simonia*, & *§. ad sextum*, Bannez *2. 2. q. 32. art. 7. dub. 2.* Barth. Medin. *Summ. l. 1. c. 14. n. 21.* Aravio *p. 2. decis. D. 14. art. 6. n. 19.* Less. *c. 35. cit. n. 171.* Moya *tr. 6. Miscell. D. 4. q. 6. §. 2. n. 13.* Pirhing *n. 182. cit.* Reiffenstuel *n. 296.* Friderich *n. 224.* Schmier *n. 259.* Ratio est, quia dans pretium non abdicavit à se dominium, cùm nulla alia ratione intenderit eo se abdicare, nisi quatenus in venditorem transferret. non transfert autem in venditorem; quia incapax est, manet ergo dominium pretij apud dantem: & licèt ob delictum mereatur hoc dominio ab Ecclesia privari, non tamen aliter, quàm, secutâ sententiâ, privatur, ut contingit in alijs pœnis Legalibus, quæ, ut amissum retineri nequeat, Judicis sententiam petunt *arg. c. cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.*

304 Et ita intelligendum est *c. de hoc 11. h. tit.* nam ex hoc solùm infertur, quòd ante sententiam Judicis condemnatoriam in conscientia restitui debeat pecunia accepta, *cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possit. Neque obstat*, quòd turpiter acceptum non sit restituendum danti, cùm in pari turpitudinis causa melior sit conditio possidentis juxta *l. cùm te 2. ff. de condict. ob. turp. caus.* Nam illa Regula, ut notat Pirhing *n. 182.* procedit solùm in foro externo, in quo Judex in pœnam delicti præcipit, ne restituatur pecunia danti, quæ aliàs, spectato Jure naturali, ipsi restitui deberet, cùm accipiens non habuerit justum titulum acquirendi sed injustum.

Dub. 3. an Simonia mentalis obliget ad restitutionem? Tres sunt Sententiæ. 305 *Prima* negat, mentalem Simoniacum teneri restituere. Ita Sylv. *V. Simonia q. 20. dict. 1.* Garc. *de Benef. p. 8. c. 1. n. 45.* & alij apud eum *citt.* quod probat ex *c. fin. h. tit.* ubi Gregorius IX. respondet, eos, qui nullo pacto dandi, vel recipiendi interveniente, solo affectu animi, seu intentione præcedente, spiritualia sunt adepti, ad resignationem spiritualium, quæ sic adepti sunt, non teneri, sed sufficere, si per solam pœnitentiam satisfaciant suo Creatori.

Altera sententia, quam post *Host.* & *Abb.* 306 tenet Azor *p. 3. l. 10. c. 20. q. 2.* ait, pecuniam acceptam per Simoniam mentalem, Jure Divino prohibitam, esse restituendam; quia est contra voluntatem Domini recepta, & contra ipsam naturam: At verò pecuniam acceptam per Simoniam, prohibitam solo Jure Ecclesiastico, non esse restituendam; quia Jus Canonicum non præcipit, ut restituatur.

Tertia & probabilior Sententia cum Suar. *l. 4. de Simo. c. 59. n. 46. & 47.* Gonzal. *in c. fin. cit. n. 3. fin.* Pirhing *hic n. 190.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 261.* distinguit, an pretium Simoniacè acceptum sit sine injustitia annexa, an verò cum injustitia. *Priore* casu Simonia mentalis non obligat ad restitutionem pretij; quia tali casu nec Jus naturale ad restituendum obligat, utpote quo restitutio imperatur solùm ex capite læsionis: nec Jus positivum Ecclesiæ, utpote quod ultra obligationem naturalem pretij restitutionem tantùm imperat per modum pœnæ, sufficiet ergo hoc casu, si mutetur intentio, & Simoniacè acceptum deinceps retineatur sub justo titulo.

Posteriore casu dabitur obligatio resti- 307 tuendi, non quidem vi Juris Ecclesiastici, sed ex Jure naturali. *Ratio est*, quia omnis acceptio externa, quæ ex se injusta est, & procedit ex intentione injusta, obligat ad restitutionem. Unde quoad hoc inter Simoniam mentalem, & realem nullum erit discrimen; sed in hoc solùm una ab altera differet, quòd Simoniacus mentalis non subjaceat pœnis à Jure positivo statutis, quibus subjacet is, qui commisit Simoniam realem.

Hinc quando *c. fin. cit.* dicitur, quòd 308 Simonia mentalis, quæ nullo pacto, sed solo affectu animi præcedente committitur, ad restitutionem non obliget, id limitandum est, si non concurrat injustitia: talis concurreret in casu, quo quis recipit pecuniam, vel aliam rem temporalem, probabiliter credens illam dari ut pretium rei Sacræ, seu spiritualis, etsi nullum pactum interveniat, hu-

jus Simoniacæ intentionis expressivum; nam hic injustitiam committit, quia nullum habet titulum justum retinendi pretium acceptum, & retinet rem alienam, cùm per talem dationem non sit translatum dominium pretij, adeoque damnum infert alteri; & consequenter ad restitutionem tenetur.

309 Quæritur 3. quid possit Dispensatio, vel consuetudo in materia Simoniæ? Duplex formari hìc dubium potest, primò quoad culpam, deinde quoad pœnas. *Ad culpam* quod attinet, distinguendum est inter eam, quæ solùm est Juris Ecclesiastici, & inter eam, quæ est Juris naturalis, & Divini. Quoad culpam, quæ committitur in Simonia prohibita *Jure Ecclesiastico*, tam dispensatio, quàm consuetudo modò illa non inveniatur specialiter reprobata à Jure, locum habet, vel patet ex *c. ad Apostolicam 42. de Simon.* & ratione, quia Dispensatio, & consuetudo non reprobata à Jure prævalere possunt adversùs quamcunque Legem Ecclesiasticam.

310 Circa hanc tamen Dispensationem tria notanda sunt. 1. dispensari hoc casu potest à solo Pont. nam ejus est dispensare super Legibus humanis, qui eas posuit. 2. Dispensatione ista facit Pontifex, non ut, manente Simonia, absit culpa; quia Simonia ex conceptu suo significat rem malam: sed ut Emptio Venditio, quæ obligante Lege foret Simoniaca, illâ sublatâ, talis non sit. 3. non solet Pontifex sic dispensare, ex eo, quòd id nec sibi sit necessarium, cùm possit aliter providere sustentationi suæ, nec Ecclesiæ utile, cùm non expediat res ejus fieri venales. Suar. *l. 4. de Simon. c. 61. n. 1. & 2.* Zoes. *hic n. 130.*

311 Quoad culpam, quæ committitur in Simonia prohibita *Jure naturali*, nec consuetudo, nec Dispensatio, etiam Apostolica, vim aliquam habet: idque verum simpliciter est de illa Simonia, in qua res intrinsecè spiritualis pro temporali venditur; nam ista vendi, & emi per Jus Divinum, & naturale prohibetur absolutè. Jus autem naturale, & Divinum, quod absolutè prohibitivum est, dispensationem, aut consuetudinem adversam non suffert. Pirhing *hic n. 42.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 264.*

312 Quoad illam Simoniam, in qua res extrinsecè spiritualis datur pro temporali, distinguendum est; nam dispensatione Apostolica aliquando cohonestari potest, non verò ulla consuetudine. Schmier *n. 265. & trib. seqq.* Et quidem quòd *Dispensatione Apostolica* cohonestari aliquando possit, patet ex eo, quia cùm hujusmodi res ab intrinseco temporales sint, & solùm per connexionem, à Pont. factam, spiritualium naturam induerint, uti contingit in Beneficio, & Jure decimandi, non repugnabit, connexionem hanc dissolvi à Pontifice: quo facto, objectum illud, quod in sensu composito connexionis terminabat prohibitionem Juris Divini, & Naturalis, in sensu diviso, & casu separationis eandem non ampliùs terminabit; sicque non ampliùs erit illicitum, pro eo, quod est temporale, pretium accipere, modò illud, quod spirituale censetur, conferatur gratis.

313 Quòd verò Emptio Venditio talis rei extrinsecè solùm spiritualis cohonestari nequeat per *Consuetudinem*, exinde ostenditur; quia nullum extat in Jure vestigium, quo Summus Pontifex consuetudini tribuerit virtutem dissolvendi connexionem cum spirituali, & tollendi spiritualitatem à temporali ita connexo, tamdiu autem venditione illius committitur Simonia Juris naturalis, & Divini, quamdiu manet ista connexio. igitur cùm consuetudo prævalere adversùs Jus naturale, & Divinum nullo unquam tempore possit *c. fin. de consuet.* etiam non poterit tollere culpam à tali venditione.

314 Restat dubium circa Dispensationem quoad pœnas Simoniæ: circà quod sequentia sunt notanda. 1. in his à Summo Pont. rarissimè dispensari, etiamsi allegentur causæ gravissimæ, teste Flam. *de Consid. q. 58. n. 55.* Corrad. *prax. Dispens. l. 5. c. 9. n. 13.* & *c. 10. n. 12.* Reiffenstuel *hic n. 341.* pro quo Corradus *l. cit.* appellat experientiam Curialium. *Ratio est*, quia vitium Simoniæ, tanquam pestem extremè aversatur Ecclesia, illúdque omni quasi misericordiâ indignum reputat, & ordinaria negatione Dispensationis, ac indulgentiæ alios ab illo committendo deterrere vult.

315 2. Nonnunquam tamen dispensat Pontifex in pœnis Simoniæ, ita, ut illius reus non tantùm absolvatur ab omnibus Censuris, & Irregularitate, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem, & alia Beneficia retinenda: ac obtinenda, simúlque immunis reddatur à restitutione fructuum perceptorum. Pro qua Dispensatione obtinenda inter alias causas serviunt scandalum in dimissione Beneficij timendum, & paupertas supplicantis. Reiffenstuel *n. 342.*

316 3. Quando Simonia est publica, & consequenter dispensatione in foro externo opus est, debet fieri recursus ad Datariam Apostolicam, eique offerri Supplicatio; in qua præter alia exprimendi sunt fructus quoque, ex Beneficio Simoniacè obtento percepti, eò quòd casu existente publico, fructus illi debeantur Cameræ Apostolicæ, & propterea consignandi sint Dataríæ Præfecto, quamvis hodie pro dictis fructibus fiat Transactio, ita, ut ex illis tertia, vel etiam major pars remittatur Oratori, prout visum fuerit ipsi Datario Corrad. *c. 9. cit. n. 14. & 15.* Reiffenstuel *n. 343.*

317 4. Quando Simonia est occulta, & conf. Dispensatio necessaria pro foro interno, supplicari debet S. Pœnitentiariæ, & Litteræ inscribi Cardinali Summo Pœnitentiario; nam huic *S. Pius V. Const.* incipit *In sublimi*,

mi, editâ pro reformatione Officij Pœnitentiariæ, facultatem concessit, ut possit cum his etiam, qui scienter Simoniam commiserunt, dispensare, dummodo tamen priùs dimiserint Beneficium, super quo Simoniam commiserunt, & fructus inde perceptos restituerint Ecclesiæ ipsius Beneficij, vel cum Datario composuerint: qui si allegent se neutrum facere posse ob paupertatem, dispensatur cum ipsis cum clausula, ut fructus restituant Ecclesiæ, cùm primùm poterunt. Conrad. *c. 11. n. 1.* Reiffenstuel *n. 345.*

318 §. In executione Litterarum Dispensationis obtentarum diligenter observandus est tenor illarum. Si detur in foro interno conscientiæ, executio committitur Confessario, ex approbatis ab Ordinario, ut Oratorem, audita confessione illius Sacramentali, absolvat à quibusvis Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, Simoniæ labe, & excessibus hujusmodi, injunctâ pœnitentiâ salutari, & impositio ipsi præcepto, ut Correos moneat, & inducat, quatenus & ipsi consulant saluti animarum suarum, petendo Dispensationem Apostolicam &c. Conrad. *c. 11. n. 1. cit.* & *seqq.* apud quem vide plura *c. 9. 10.* & *11. cit.*

319 Quæritur 4. quis accusator, testis, & Judex esse in crimine Simoniæ possit? ℟. 1. accusare de hoc crimine potest quilibet Catholicus, etiam Servus, & criminosus *c. si dominus 3. h. tit.* & *c. tanta 7. eod.* Idem dicendum de testibus; neque enim admittitur Exceptio criminis in causa Simoniæ contra testes, nisi quâ ijsdem opponitur capitalis inimicitia, quam gerunt contra reum, ut patet ex *c. licèt 31. h. tit.* & notat Abb. *ibid. n. 1.* Redoan. *de Simon. p. 4. c. 5. n. 7.* & *8.* Pirhing *hic n. 148.* Paganus, vel Hæreticus volens accusare Catholicum Simoniacum, vel etiam testimonium contra ipsum ferre, non admittitur. Gloss. *in c. Dominus cit. V. Catholicus*, Abb. *ibid. n. 2.* Pirhing *n. 143.* Reiffenstuel *n. 349.* & *seqq.*

320 2. Accusari de eo possunt tam dans, quàm accipiens pecuniam, vel aliam rem temporalem pro spirituali *c. non satis 8.* ℣. *unde quisquis*, *c. dilectus 30. c. sicut 33. fin. c. consuluit 38.* & *c. quoniam 40. h. tit.* Item is, pro quo sciente, & consentiente alius dedit *c. Matthæus 23.* & *c. sicut 33. eod.* non autem is, pro quo ignorante, aut invitò alius dedit *c. nobis 27. eod.* Pirh. *n. 144.*

3. Ad condemnandum ex hoc crimine sufficiunt probationes, quæ fiunt per signa, & conjecturas *c. sicut 6. h. tit.* idque tum ob atrocitatem criminis, tum quia illud occultè solet committi; adeoque est difficilis probationis. in hujusmodi autem criminibus admittuntur probationes per signa Palao *tr. 17. D. 3. p. 27. n. 2.* Pirhing *n. 146.* Requiritur tamen, ut illa signa, & indicia sint evidentia, ita, ut violentam præsumptionem faciant, & reum de ipso crimine convincant; aliàs non sufficient ad condemnationem Rei. Gloss. *fin. in c. insinuatum 13. h. tit.* Clar. §. *Simonian. 12.* Mascard. *de Probat. concl. 1034. n. 27.* Palao *l. cit.* Pirh. *n. 146.* Deinde requiritur, ut illa signa, & præsumptiones plenè probentur. Mascard. *n. 33.* Pirh. *n. 146. cit. fin.*

322 4. Cognoscere, & definitivè pronunciare potest solus Judex Ecclesiasticus: idque verum est, etsi reus sit Laicus, ut notat Gloss. *in c. cùm sit 8. V. malefactores de for. compet.* Abb *ibid. n. 20.* Clar. §. *Simonia n. 7.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 86. n. 4.* Delben. *de Immun. c. 10. dub. 2. n. 1.* Monacell. *p. 3. tit. 1. form. 22. n. 7.* Pirhing *hic n. 142.* Wiest. *n. 105.* Reiffenstuel *n. 348.* *Ratio est*, quia cùm Simonia, ad instar criminis Hæreseos, ex Divino, & Ecclesiastico Jure descendat, causæ ejus spirituales, & Ecclesiasticæ sunt; & secundùm Juris Divini, & Ecclesiastici, non verò Civilis Sanctiones definiendæ. *Proceditque hoc* licèt facti quæstio in Judicium veniat; quia facti quæstio, de Simonia mota, sicut in Hæresi, plerumque Juris quæstionem simul involvit. atqui quoties in facti quæstione, mota de re spirituali, vel spirituali annexa, involvitur aliqua Juris quæstio, ea Curiæ, sive Judicis Ecclesiastici propria est, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 10. n. 12.* & *duob. seqq.*

323 *Dubium est*, an non saltem Judex Sæcularis Simoniacum Laicum punire ob Simoniam commissam possit? ℟. posse, si crimen sit notorium aut notorietate facti, aut Juris, quòd videlicet delinquens in foro Ecclesiastico jam de eo sit condemnatus; nam etiam hoc dicemus *infrà Tit. 7. n. 183.* de Hæresi, Imol. *in c. cùm sit cit. n. 8.* Felin. *ibid. n. 5.* Wiestner *hìc n. 107.* erit igitur punitio hujus criminis mixti fori, ut notat Barbos. *in c. cit. n. 8.*

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo Censu concedant.

SUMMARIUM.

1. *Utrum sub annuo Censu concedi possint Prælaturæ, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa potestas Spiritualis?*
2. *Rationes dubitandi.*
3. *Resolvitur negativa.*
4. *Argumentis contrarijs. respondetur.*
5. *Utrùm vendi, aut pro Censu annuo locari possit Jurisdictio temporalis?*
6. *An Prælatus à Vicario, sibi substituto in Beneficio incorporato Ecclesiæ suæ, possit accipere, vel exigere Pensionem annuam sub titulo Absentiæ?*
7. *Pœnæ contravenientium textibus istius Rubricæ?*

1 HActenus generaliter actum de Simonia: subijciuntur duæ satis celebres ejus species, una, quæ in Ecclesiasticæ Jurisdictionis, altera, quæ in Licentiæ docendi concessione committi potest: de hac posteriore agetur *Tit. seq.* de priore hic, ubi examinatur, utrum sub annuo censu Prælaturæ, Dignitates, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa Jurisdictio, & potestas spiritualis concedi possint?

2 *Rationem dubitandi* facit 1. *c. fin. h. tit.* ubi cum Ecclesia sub annuo Censu ad septimum annum concessa ante istius lapsum Conductori ablata fuisset, ejus restitutionem Alexander III. imperavit. 2. potest ab Episcopo pro annua Pensione remitti Jurisdictio quæ eidem in Ecclesiam, vel Monasterium competebat, ut patet ex *c. constitutus 6. de Relig. Domib.* sunt autem paria quoad Simoniam remittere, & dare *c. veniens 10.* junct. Gloss. *V. remittere de test. & attest.* & *c. querelam 15. de Simon.* igitur etiam concedi sub hujusmodi pensione potest. 3. pro spirituali Jurisdictione excercenda pecunia potest accipi, & non rarò accipitur à Vicarijs *c. extirpandæ 30. §. qui verò de Præb. & Dign.* atqui non magis dare, quàm accipere temporale pro spirituali Simoniacum est, ut patet ex Definitione Simoniæ, quæ, ut *Tit. præc. n. 3.* vidimus, dicitur esse studiosa voluntas emendi, aut vendendi spirituale, vel spirituali annexum. 4. in Curia Romana solent vendi Clericatus Cameræ, & munera Auditorum Cameræ, quæ tamen habent annexam Jurisdictionem Ecclesiasticam, nomine Papæ exercendam, igitur etiam locari poterunt.

3 Sed his non obstantibus, dicendum, non posse sub annuo Censu, vel Pensione concedi Regimen, & Jurisdictionem, ac potestatem spiritualem, Prælaturis Dignitatibus, Officijs, & Beneficijs annexam. Patet ex Præsenti Rubrica, & textibus subjectis, ubi Alexander III. ejusmodi concessiones generaliter prohibet, &, eos, qui illas faciunt, puniri jubet ademptione Ecclesiarum, sub annua Pensione concessarum. Concordat Trid. *Sess. 25. c. 11. de reform.* ubi dicitur, *Non liceat etiam Jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, nec Conductoribus per se aut alios exercere, alitérque concessiones, etiam à Sede Apostolica factæ, subreptitiæ censeantur.* Ratio est, quia sunt quid spirituale, aut spirituali annexum, quod pretio temporali æquipararı nequit. ita autem æquipararetur tam venditione, quàm locatione pro pretio temporali. ergo &c.

Argumenta contraria non evincunt 4 intentum. *Ad 1.* in *c. fin. cit.* non agitur de Locatione ipsius Ecclesiæ, vel Prælaturæ, aut Jurisdictionis, & Administrationis his annexæ, sed de locatione fructuum, & obventionum duntaxat, quorum, uti & ipsorum prædiorum, ex quibus illi proveniunt, Locatio ad modicum tempus Jure Decretalium antiquo permissa est, ut patet ex *c. ad audientiam 9. de reb. Eccl. non alien. c. vestra 2. de Locat.* & dictum est *Libr. 3. tit. 18. n. 28. & seqq.* *Ad 2.* quando *c. constitutus cit.* occasione remissæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ datur, & accipitur pecunia, ea non accipitur tanquam pretium, & æstimatio remissæ Jurisdictionis, sed in ultius, & præteritæ subjectionis recognitionem, & concessæ libertatis signum juxta *c. recepimus 8. de Privil.* Gloss. *in c. constitutus cit. V. recompensationem fin.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 24. n. 37.* Wiestner *hic n. 5.* *Ad 3.* Vicarij pecuniam, sive salaria non recipiunt tanquam pretium, sive compensationem exercitij Jurisdictionis, sed ut stipendium congruæ, & sibi debitæ sustentationis *can. charitatem 45. caus. 12. q. 2. c. pervenit 28. de Appell.* & *c. de Rectoribus 3. de Cler. ægrot.* ne cogantur proprijs stipendijs militare contra doctrinam Apostoli *1. Corinth. 9. v. 7.* *Ad 4.* in Clericatu Cameræ, & Auditoratu distinguendum est inter Jurisdictionem spiritualem, & emolumentum temporale: illa absolutè sine Simonia non potest vendi; istud vendi potest, si Papæ authoritate ab Officio spirituali separetur. Angel. *V. Simonia 2. n. 2.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 20. n. 6.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 12. n. 7.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Zœs. *hic n. 2.* Wiestner *ibid. n. 6.*

n. 6. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 66.*

1 Dub. 1. utrum vendi, aut pro censu annuo locari possit Jurisdictio temporalis? R. negativè. Et quidem si Jurisdictio ista habeatur ab Ecclesia, venditione tali Simonia committitur, ut dictum est *tit. præc. n. 205.* quia talis Jurisdictio censetur spiritualis dependenter, cùm procedat, ac dependeat ab Ecclesia, vel ejus Capite Summo Pont. Suar. *l. 4. de Simon. c. 20. n. 19.* Barbos. *in c. quoniam 2. b. tit. n. 4.* Pirhing *hic n. 3.*

6 Si non habeatur ab Ecclesia, venditio quidem ejus Simoniaca non est, est tamen turpe, & illicitum lucrum: & quia ejus emptores, & conductores magis solliciti esse solent, ut pecuniam datam cum auctario, à litigantibus extortam recuperent, quàm ut his tribuant jus, aut Remp. nocentibus purgent, ideo hujusmodi mercatus, tanquam redundans in gravamen subditorum, & Judiciorum perversionem, meritò damnatur *c. quoniam cit. Novell. 8. pr. v. administrationes.* Host. *in Summ. hic n. 1.* Abb. *in c. 1. b. tit. n. 1.* Fagnan. *in c. quoniam cit. n. 5.* Gonzal. *in c. 3. eod. n. 4.* Zœs. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 1.*

7 Dub. 2. utrum Prælatus, cujus v. g. Monasterio Parochia, vel aliud Beneficium incorporatum est, impune, & absque Simonia, à Vicario, ad id substituto, exigere, & accipere possit Pensionem annuam sub titulo *Absentiæ*, ut vocant? R. affirmativè: quia eam non accipit pro concessa administratione, aut Vicariatu, sed pro fructibus, tali Vicario relictis; cùm enim fructus isti ex natura incorporationis directè ad eum Prælatum, & Monasterium, cui Beneficium incorporatum est, pertineat, & Vicario solùm congrua portio, sive sustentatio debeatur, nihil prohibet, quò minùs cum eodem Vicario, Prælatus tractare, & contrahere queat de integris fructibus ei relinquendis pro certa pecuniæ quantitate annuatim sub nomine *Absentiæ*, vel alio quocunque titulo solvenda, *Conf.* nam tale Pactum in sua natura est Locatio fructuum. possunt autem fructus Ecclesiarum, cùm rei spiritualis rationem non habeant, ad breve tempus, scilicet triennij sine solennitate, & ad longius cum solennitate concedi, & locari etiam Laico *c. fin. b. tit.* junct. *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* Trid. *sess. 25. c. 11. de reform.* Vallens. *hic n. 2.* König *n. 3.*

Dub. 3. quas pœnas incurrant, qui 8
contra prohibitionem istius Rubricæ, & textuum subjectorum, sub annuo Censu concedunt Regimen, & potestatem spiritualem, Prælaturis, Dignitatibus, Officijs, & Beneficijs annexam? R. 1. tam dans, quàm accipiens excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data, & accepta est *c. consulere 38. de Simon.* 2. Qui dat pecuniam pro Officio, aut Jurisdictione spirituali, tale Officium perdit, malè autem ita conferens amittit conferendi illius potestatem *c. præterea 1. b. tit.* 3. Dans pecuniam removetur à Clero; Episcopus verò, pro illa conferens spiritualem Jurisdictionem, quandoque deponitur, quandoque suspenditur ad tempus pro qualitate delicti *c. quoniam 2. b. tit.* Gloss. *ibid. V. Canonica.* Fagnan. *in c. præterea cit. n. 1.* Honor. *hic n. 2.* Reiffenstuel *n. 5.*

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

PRincipalis Rubricæ præsentis intentio est determinare, num aliquid peti pro Licentia docendi possit: quod antequam examinem, aliqua præmittenda sunt de Magistris, & Doctoribus, horúmque Juribus, creatione &c.

§. I.

De Gradibus, & Honoribus Litterarijs.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quot sint Ordines Graduatorum?*
4. &c. *Privilegia, quibus gaudent Magistri, seu Doctores Theologiæ, Juris, & Medicinæ.*
16. &c. *Ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu.*
19. &c. *Penes quos resideat potestas illos creandi?*
22. &c. *Quinam creari Doctores possint?*
28. &c. *Quæ sit forma illos creandi?*
30. &c. *Quid observandum circa sumptus Inaugurationis?*
32. *An Doctorum privilegia competant malè promotis?*
33. 34. *An ijsdem privilegijs gaudeant Doctores Bullati?*
35. 36. *An Licentiati?*

1 QUæritur 1. quot sint Ordines Graduatorum? R. tres inveniuntur, videlicet primò Baccalaurei, deinde Licentiati, denique Magistri, seu Doctores.

Infimum ex his locum obtinent *Baccalaurei*, sic dicti à *Bacca Lauri*, seu frondibus Lauri baccatis, quæ ad gradum istum promotis concedi solebant, ad significandum, quòd sicut in Baccis, quas ea arbor, ut flores, germinat, spes fructûs est, ita Gradus iste ijs tantùm Studiosis conferri debeat, de quibus spes concipitur, eos merituros aliquando Laurum, seu Lauream Coronam, quæ olim imponebatur in promotione Doctorum, & Magistrorum. Mend. *de Jur. Acad. l. 1. n. 285.* Nomenclationem istam nonnulli impugnant: & alij quidem cum Besold. *Dissert. de Studios. &c. c. 6. fol. 37.* volunt eos rectiùs dici *Baccalarios* à voce *Bachelier*, quæ Gallis militem tironem, aut inferioris ordinis Nobilitatem significat; alij *Battalarios* nominant à *Battulo*, quod veteribus Gallis prælium denotabat; *Dresserus* apud Mend. *l. cit. n. 289.* censet eos dictos *Baccalaureos*, seu potiùs *Bacularios* à *Baculo*, eò quòd liceret Baccalaureis baculum portare in templo, & in ludo litterario. Veniunt autem *Baccalaureorum* nomine illi, qui sui in scientia profectûs primum testimonium publicum sunt consecuti. Conferri hic Gradus in plerisque Universitatibus solet ex Philosophia ad finem primi, vel initium secundi anni; ex Theologia ad finem secundi, vel initium tertij: in Facultate Medica, & Juridica ut plurimum exolevit; imò nec in cæteris Facultatibus eum Gradum ad Doctoratum in Italia requiri, affirmat Mandos. *ad Reg. Cancell. 16. q. 11.*

2 *Licentiati* ita dicti à *Licentia*, quæ in hoc Gradu conceditur promoto, ut quandocunque velit, possit ascendere ad Gradum Doctoris, vel Magistri, ab alijs *Mellodidascali*, quasi futuri Magistri, seu Doctores appellantur. Veniunt hoc nomine illi, quibus collata est *Licentia*, seu facultas Gradum supremum, seu Magisterium, Doctoratum in aliqua Facultate, cùm voluerit, capessendi. *Licentia* ista nemini concedi solet, nisi tempus, Prælectionibus, & Exercitationibus, in aliqua scientia frequentandis præscriptum, expleverit, & per experimenta omnia summo eo honore dignus sit judicatus. Antequam Licentia hæc concedatur, in plerisque Universitatibus Candidatus jurare debet, se non accepturum esse Gradum Magisterij, aut Doctoratûs in alia Academia: quod de Salmanticensi testatur Mendo *l. cit. n. 288.* de Colonienſi Middendorp. *de Academ. l. 1. pag. 135.* de nostra Ingolstadiensi, & alijs Germaniæ nostræ Magister usus. Idem affirmat Besold. *Dissert. de Studios. c. 8. pag. 91.* contingere in quavis Academia; sed in Hispanis id falsum esse ex praxi ostendit Mendo *l. cit. fin.*

Magistri, & *Doctores* ita nuncupantur, quòd habeant ab Academia testimonium 3
suæ doctrinæ, & eruditionis, ut ab omnibus consuli queant, eorúmque judicio fidatur, & scientiæ ab eis dictatæ ab Auditoribus excipiantur quasi à docentibus cum approbatione summa. Mendo *l. cit. n. 290.* Aliqui inter *Magistros*, & *Doctores* discrimen faciunt, & *Magistros* quidem appellant eos, qui ex Philosophia, vel Theologia, *Doctores* autem, qui ex Jure, vel Medicina supremum Gradum adepti sunt. Alij tamen utrumque nomen confundunt, & sub eo comprehendunt quosvis è quavis Facultate ad supremum in ea Litterarium Gradum promotos. In Germaniæ nostræ Universitatibus nomen *Magistri* solis Philosophis remansit, & *Doctoris* titulus indiscriminatim tribuitur omnibus, qui in aliqua ex tribus Facultatibus cæteris supremos honores sunt consecuti, ut notat König *hic n. 2.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 3.*

Quæritur 2. quænam privilegia habeant Magistri, & Doctores Theologiæ, 4
Juris, & Medicinæ? R. ex his quædam sunt communia Doctoribus Theologiæ, Juris, & Medicinæ, quædam particularia. Inter communia est 1. quòd per Gradum Doctoralem à plebeja conditione eximantur, & cons. in Dignitate constituantur *arg. c. quanto 3. h. tit. Clem. 2. eod.* Mend. *l. 1. de Jur. Academ. n. 312.* König *hic n. 16.* Reiffenstuel *n. 6. ibid.* & teste Mend. *l. cit.* consentiunt communiter DD.

2. Nobilibus annumerantur, & con- 5
sequuntur veram Nobilitatem *arg. l. excusantur 2. §. fin. in fin.* & *l. diximus 4. §. si pater 1. ff. de excus. tutor.* ubi dicitur *Nobilis*, & *Nobilissimus* Ulpianus ratione scientiæ suæ: & hinc etiam gaudent Nobilium prærogativis *arg. c. de multa 28. de Præbend.* & *l. providendum 7. C. de postuland.* Mend. *l. cit. n. 313.* König *n. 17.* Reiffenstuel *n. 7.* portant enim sine speciali Imperatoris permissu Insignia Nobilium, Wappen mit offenen Helm: ijsdem unà cum uxoribus jus est gerendi aureas catenas, anulos, & vestes Nobilibus proprias. *Recess. Imp. de Anno 1577. Tit. 11. §. 2.* item *Reformation* guter Policey *Anno 1530. Tit. 15.* Unà cum Nobilibus in Capitulares Ecclesiarum Cathedralium eliguntur. Matth. Stephan. *de Jurisd. p. 1. Tit. 2. c. 7. membr. 2. n. 68.* & *seqq.* nisi mos, & consuetudo Regionis aliud introduxerit. In Camera paribus cum Nobilibus fruuntur stipendijs. *Ordin. Camer. p. 1. Tit. 43.* & acceptantur loco Nobilium, maximè si Nobiles non extent idonei *Ordin. Cam. de Anno 1533. §. 5.* & si fœmina, etiam nobilissima, nubat Doctori, non dicitur indigno nupsisse. Mendo *l. cit. n. 313.* & apud hunc *Salicet. Philipp. Paschal. Fontanella.*

3. Pro Doctoribus, & Magistris stat 6
virtutis, integritatis, & innocentiæ præsumptio

tio. Hinc 1. præ reliquis admovendi sunt ad Officia, & Dignitates sive Ecclesiasticas, sive Sæculares *arg. c. cùm in cunctis 7. de Elect. c. de multa 28. de Præbend.* Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* 2. In gratijs factis de eodem Beneficio, & in pari Data Graduati non Graduatis, & inter Graduatos magis Graduati, & inter æqualiter Graduatos priùs Graduati præferuntur juxta *Reg. Canc. 17. de Præbend. n. 28.* 3. In testimonio dicendo testis Doctor prævalet alteri testi non habenti Dignitatem: imò si ex una parte duo Doctores testimonium perhibeant, ij prævalent tribus ex altera parte contrarium deponentibus. Alex. *cons. 18 Libr. 1. fin.* Menoch. *de arbitr. cas. 96. n. 9.* Farin. *q. 65. prax. crim. n. 114.* Benius *de Privil. Doct. p. 2. privil. 53.* Besold. *Dissert. Studios. pag. 128.* Mend. *l. cit. num. 323.* König *hic n. 18.* & favet *textus*, ac Gloss. *in c. nostra 32. de test. & Atteſt.* 4. Si Instrumentum, à Tabellione confectum, amittatur, & de ejus veritate Doctores deponant, ejus veritas, & tenor censetur probatus. Benius *l. cit. privil. 83.* 5. Interpretatio Legis dubiæ, à Doctoribus tradita, donec error inveniatur, est observanda. Benius *privil. 79.* 6. Ubi Lex non reperitur, sententia Doctorum pro Lege servatur. Idem *privil. 80.* 7. Doctori, in praxi bene versato, ac seni, qui attestatur de consuetudine loci, aut Curiæ, in qua existit, seu de stylo, vel de communi opinione, aut de usu loquendi, fides præstanda erit, donec oppositum probetur. Idem *privil. 80.*

7 4. Doctores singulari præ cæteris reverentia, & honore affici debent *arg. l. qui necessario 2. & l. seq. C. de Offic. divers. Judic.* Zas. *l. 1. cons. 2. n. 20.* König *hic num. 19.* Hinc 1. si inferatur injuria aliqua Doctori, reputatur pro atroci, & major sanè, quàm si plebejo irrogaretur: imò hanc ipsi inferens dicitur committere Sacrilegium (quod latè est accipiendum) qui offendit Jurisconsultum, & si Doctorem actu profitentem percutiat, Lege Julia de vi publica tenetur. Mendo *l. cit. n. 324.* 2. Non possunt in carcerem mitti propter æs alienum. *Tusbus, Philippus Paschalis, Fontanella, Halbriter* apud Besold. *Dissert. de Studios. pag. 131.* quod privilegium adeo à nonnullis extenditur, ut velint Doctorum facultates non posse inter creditores à Judice distribui, nisi illi eis non indigeant: sed contradicit Zas. *ad l. miles n. 8. ff. de re judic.* & contrarium docet praxis teste Mend. *l. cit.* 3. Testimonij, vel Jurisjurandi causâ non debent ad Tribunal evocari, sed domi coram Actuario examinari, ibique jurare *arg. l. ad personas 15. ff. de Jurejur.*

8 5. Eximuntur à muneribus tam realibus, quàm personalibus *l. Medicos 6. & l. fin. C. de Medic. & Profess.* Hinc excusantur 1. à munere, seu onere hospitandi milites *l. Medicos cit.* Zas. *ff. de Procurat. n. 35.* Hertm. *l. 2. tit. 52. obs. 7.* Mend. *l. cit. num. 310.* cum alijs. 2. A Gabellis, & vectigalibus, cùm libros, aliásque res transferunt ad suæ habitationis, seu studiorum locum *Auth. habita C. ne fil. pro patr.* Besold. *Dissert. de Studios. c. 9.* Mend. *l. cit. num. 310.* König *hic n. 20.* 3. A Solutione Collectarum, etiam tempore belli, nisi publica necessitas adeo urgeat, ut non aliter Princeps queat ei providere, nisi Doctores, & privilegiati Collectas ejusmodi solvant; nam tali necessitate stante, privilegium omne dormit. Mend. *l. cit.* Quod etiam confirmant *Recessus Imperij*, dum neminem, quocunque Immunitatis privilegio munitum, à Turcicis contributionibus immunem esse volunt, ut præter alios statutum est Ratisbonæ *de anno 1613. §. 7.*

6. Criminum Rei mitiùs puniendi 9
sunt, quàm plebeij *arg. c. fin. de pœnis.* Hinc 1. criminis, etiam capitalis, suspecti ex arbitrio Judicis potiùs domi, vel in alio privato loco, adhibitis custodibus, Arresto constringi, quàm in publico carcere detineri debent. Farin. *prax. crim. q. 33. à n. 60.* Mend. *l. cit. n. 325.* König *n. 21.* Reiffenstuel *n. 10.* 2. Non debent subijci cruciatibus, & torturis, etiamsi legitimis indicijs gravati sint, eò quòd fruantur privilegijs militum, & eorum, qui in dignitate egregia sunt constituti, præterquam in criminibus exceptis, veluti læsæ Majestatis, proditionis, hæresis &c. Menoch. *de arbitr. cas. 236. n. 22.* Farin. *prax. q. 39. n. 38.* Mend. *l. cit.* & alij *supra.* 3. Etiam non sunt afficiendi pœnâ triremium, fustigationis, laquei, vel alio ignominioso supplicij genere, sed si delictum illorum ultimo supplicio dignum sit, gladio puniri debent *arg. l. moris 9. §. istâ 11. ff. de pœn.* & *l. Decuriones 5. C. ex quib. caus. infam. irrogat.* Besold. *Dissert. de Studios. c. 9.* imo nullus Doctor potest pœnâ mortis affici, nisi priùs solenniter degradatus. König *n. 21. cit.* cum alijs.

Specialia Professorum privilegia sunt, 10
1. Professores, quantumvis juniores, præferuntur Doctoribus non Professoribus etiam senioribus *arg. l. antiquitas 1. C. de Consulib.* Alex. & Jason. *in l. cùm quis C. de reb. credit.* König *hic n. 22. ỳ. ad peculiaria.*

2. Pro Professoribus militat singularis peritiæ præsumptio, ut patet ex *Ordin. Cam. p. 1. tit. 4. §. 4.* ubi Jurisconsulti, qui in Academijs legerunt, in Cameræ Assessores præ alijs jubentur eligi. König *n. 23.*

3. Doctor, qui publicè alicubi pro- 11
fitetur, ejusdem loci Civis esse judicatur. Benius *de privil. Doct. p. 1. c. 6.* atque adeo fruitur cunctis commodis, quibus ex Jure Civitatis reliqui Cives gaudent. Mend. *l. 1. de Jur. Acad. n. 308.* Et quamvis nemo rem suam teneatur locare alteri juxta *l. invitos 11. C. de locat.* tamen Doctor potest alienam do

domum conducere, etiam invito domino, si hic illâ non utatur. Mend. *l. cit.*

12 4. Eidem domus non est assignanda in loco remoto, sed in pervio ac frequentiori, ut tum à Scholasticis, tum ab alijs commodè consuli queat; censeri enim debet quasi quoddam Civitatis Oraculum, ad quod omnes confugere valeant. Benius *l. cit. c. 9.* Besold. *Dissert. de Studios. c. 9.* Mend. *l. cit.* Hinc ut commodè studijs vacet, potest fabrum obstrepentem è vico expellere, nisi ipse Doctor elegerit domum in vico proprio fabrorum, vel nisi ipse faber ante conductionem domûs illum prævenisset. Menoch. *de arbitr. cas. 236.*

13 5. Qui S. Theologiæ Lectores sunt, præter alia à *Conc. Lat. c. fin. ℣. docentes h. tit.* & Trid. *Sess. 5. c. 1. de reform. in fin.* hoc sibi concessum privilegium habent, ut quamdiu illam publicè docuerint, etsi absint ab Ecclesijs suis, Præbendarum, & Beneficiorum suorum integros fructus percipiant: imò & Distributiones quotidianas, sed tantùm pro illo die, quo legunt, juxta privilegium indultum à Gregorio XIII. teste P. Wiestner *Lib. 3. tit. 4. n. 49.* nam pro reliquo tempore, aut si sit omnino absens, & extra locum Ecclesiæ suæ, Distributiones Professor non percipit *arg. c. licèt 32. de Præbend.* Gloss. *ibid. V. integrè*, Fagnan. *in c. fin. cit. n. 2.* Engl *hic n. 5.* Pirhing *n. 7. not. 7. fin. & n. 9. not. 2.* Schambog. *n. 2.* Excipiuntur duo casus. 1. Nisi eas alicubi consuetudo Ecclesiæ ipsis concedat. 2. Nisi Beneficiorum fructus omnes, aut major pars in Distributionibus consistat; hoc enim casu, cùm Præbendarum loco succedant, duas saltem partes illarum lucrantur, tertia parte accrescente præsentibus, & inservientibus, ut *à S. Congr.* decisum testatur Fagnan. *l. cit. num. 3. Et procedit* privilegium hoc, etiamsi nullum habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntariè doceant, dummodo id faciant cum facultate, seu licentia Universitatis, sive Collegij Doctorum. Garc. *p. 3. de Benef. c. 2. num. 60* Fagnan. *l. cit. n. 7.* Reiffenstuel *hic n. 15. Extenditúrque* etiam ad eos, qui publicè tradunt Jus Canonicum, ut notant Abb. *in c. fin. cit.* Felin. *ibid. n. 2.* Sylv. *V. residentia n. 7.* Garc. *l. cit. n. 54.* Engl *hic n. 4.* Pirhing *n. 9. not. 2.* Schambog. *n. 5.* König *n. 23.* Wiestner *n. 29.* Reiffenstuel *n. 14.* & declaratum est à *S. Congr.* teste Fagnan. *l. cit. n. 4.* De aliarum Facultatum Professoribus secus de Jure communi dicendum videtur: idem tamen etiam istis, si in publica Universitate doceant, conceditur per *Bullam Eugenij IV.* quam ad omnem Universitatem extendi docet Barbos. *in Consult. Canon. l. 3. resol 88. dub. 1.* Engl *hic n. 4.* König *n. 23.* Ratio hujus privilegij TT. & Canonistis concessi est; quia Sacras istas Scientias explicando non minùs, imò magis prosunt Ecclesiæ, quàm in loco Beneficij residendo.

14 6. Professoribus, si superveniente senectute, vel morbo, professuræ suæ ampliùs supereesse nequeant, integrum debet stipendium solvi, acsi viribus integri essent. Speckhan *cent. 2. class. 1. q. 10.* Mendo *l. 1. de Jur. Acad. n. 311. fin.* Hermes *fascic. Jur. publ. c. 37. n. 23.* König *hic n. 24.* spectat enim ad curam Principis, curare, ne indigeat in senectute is, qui in officio præclarè gerendo consenuit *arg. l. Lucius 11.* ibi *Veteranis in præmium ff. de Eviction.* Imò si Professor intra annum post inchoatas à se Lectiones moriatur, totius anni salarium ipsi debetur, & transmittitur ad hæredes etiam extraneos, tametsi præstatio salarij per angarias, aut menses fieret. Benius *de privil. Fct. p. 1. c. 22.* Besold. *Thesaur. pract. V.* Besoldung / Mendo *l. cit. n. 311.* Herm. *n. 22.* König *n. 24.* qui tamen subsistit, utrum istud in praxi subsistat. Idémque est, si Doctores in medio anni cum licentia Superioris ab Academia recedant, aut ratione pestis, vel incursus hostilis à loco Universitatis cogantur exire. Mend. *l. cit.* Quod quidem beneficium speciale est, cùm ex se alijs, nempe artificibus, merces non nisi pro rata temporis debeatur *l. Sejo 10. ff. de annuis Legatis.*

15 7. Ex communi sententia, qui per 20. annos publicè docuerunt Jura, Illustribus annumerantur *arg. l. un. C. de Profess. qui in Urb.* Menoch. *de arbitr. cas. 68. num. 43.* Wesenbec. *cons. 40. n. 5.* Laym. *in annot. ad Capit. Ferdinand. III. art. 47. pag. 791.* Arum. *vol. 2. de Jur. publ. disc. 4.* Benius *l. cit. c. 14.* Herm. *c. 37. n. 179.* König *n. 24. ℣. quintum* cum *Bartol. Bald.* & alijs. Neque ut Reincking *de Reg. Sæc. l. 1. class. 5. c. 11. & ult.* contendit, *l. un. cit.* restringenda est tantùm ad Professores Urbis Constantinopolitanæ; quia ratio Legis generalis est, *Benius, Hermes, König l. citt.*

16 Quæritur 3. quis sit ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu? ℣. hoc plurimùm pendet à consuetudine. In plerisque locis *primum* locum obtinent Doctores Theologi, *secundum* Juris, *tertium* Medici, *ultimum* Philosophi. Lenaud. *p. 3. n. 1. & 2.* Cassan. *Catalog. Glor. Mund. p. 10.* Mend. *l. 1. Jur. Acad. n. 300* Herm. *Fasc. Jur. publ. c. 37. à n. 149.* Wiestner *hic n. 21.* Videtur ordo iste inductus contemplatione objecti, finis, necessitatis, & utilitatis Scientiarum, ex quibus Gradus hi conferuntur, cùm Theologia conferat ad salutem animarum supernaturalem, Jurisprudentia ad salutem, & bonum publicum, Medicina ad incolumitatem corporis humani, Philosophia denique Auditores suos ad altiores Disciplinas disponendo, subserviat omnibus.

17 Potest autem ordo iste præcedentiæ mutari in tribus maximè causis, & casibus. 1. Si, qui inferioris Gradûs est Doctor, munus excellentius habeat; ob hoc enim præferri Doctori Gradûs superioris debet.

Got-

Gottofred. *p. 1. de Jur. præc. c. 3. §. 21.* Menoch. *conſ. 92. n. 65.* Pignatell. *tom. 5. conſult. 12. n. 33.* Wieſtner *hic n. 22.* 2. Si alicui inferioris Gradûs Doctori præeminentia concedatur ratione ſingularis excellentiæ, doctrinæ, experientiæ, meritorum &c. Pignatell. *l. cit. num. 30.* Wieſtner *num. 22.* 3. Si conſuetudine, vel alio Jure ſpeciali ita ſit introductum: ſic in Salmantina Univerſitate, teſte Mendo *n. 300. cit.* in itu, ſeſsúque, & ſuffragio ferendo inter Doctores S. Theologiæ, & Juris is locum ſuperiorem obtinet, qui in Inauguratione Doctorali alterum anteceſſit.

18 Quoad præeminentiam inter Doctores ejuſdem Gradus pro Regula datur, eum, qui pluribus Gradibus ornatus eſt, præcedere unum duntaxat habenti, ſi unus ex illis, quos ille habet, ſit major, vel ſaltem æqualis illi, quem unicum habet iſte. Hinc Felin. *in Rubr. de major. num. 3.* Bordon. *de Profeſſor. c. 5. num. 59.* Pellizar. *Man. Regul. tr. 8. c. 6. num. 217.* Wieſtner *hic n. 23.* Doctorem ex S. Theologia, & Jure Canonico ſimul præferunt illi, qui ex ſola Theologia eſt Doctor, & Juris utriuſque illi, qui tantùm Doctor eſt ex Jure Canonico. *Ratio eſt*, quia ſunt gemina Dignitate conſpicui. *Contrà* non præfertur Doctor utriuſque Juris, vel Juris ſimul, & Medicinæ Doctori Theologo, & multo minùs illi, qui Theologiæ ſimul, & SS. Canonum Doctor eſt; quia Gradus Juris, & Medicinæ inferior eſt Gradu Theologico.

19 Quæritur 4. penes quos reſideat poteſtas creandi Magiſtros, ſeu Doctores? R. 1. ea poteſtas indubitatò competit Summo Pontifici, Imperatori, & alijs Principibus Superiorem non recognoſcentibus: his quidem ex Jure Civili, Medicina, & Philoſophia; illis autem ex Theologia, & Jure Canonico, quòd Scientiæ iſtæ ex fine ſuo ſpirituales ſint, conf. eas moderari, & profectum in ijs examinare, probaréque doctrinam Eccleſiaſticæ ſit poteſtatis. Exercuit poteſtatem hanc Pius IV. quando Fridericum Staphilum, Univerſitatis noſtræ illuſtre decus, cui tamen, quia uxoratus erat, nec hæc, nec ulla alia Academia Germaniæ Gradum Doctoratûs in S. Theologia, & Jure Canonico concedere voluit, ex utraque Scientia Doctorem renuntiavit, tranſmiſſo, & per Archiepiſcopum Sailsburgenſem capiti ejus impoſito pileo rubro, ut refert Mendo *l. 1. Jur. Acad. n. 73.* Idem quoad Juris Civilis Gradum fecit Lotharius II. Studiorum Civilium reſtaurator, qui complures Doctores ſolenni ritu inauguravit, teſte *eodem* Mendo *l. cit. num. 360.* Item Rudolphus II. qui eodem honore condecoravit Berſium, quem deſtinârat Legationi Turcicæ, ut præter alios teſtis eſt Mendo *l. cit. n. 371.* Beſold. *de Studioſ. c. 9.* Herm. *Faſc. Jur. publ. c. 37. n. 167.* König *hic n. 5* Wieſtner *ibid. n. 6.*

2. Eandem facultatem, à Pont. & ſupremis Principibus ſibi conceſſam, habent 20
præ cæteris Studiorum Generalium Univerſitates, quàm variè exercent; nam in Bononienſi ſupremos Gradus Litterarios quoſcunque confert Eccleſiæ Majoris Archidiaconus: in Pariſina, & Cadomenſi Academiæ Cancellarius teſte Lenaud. *de privil. Doct. p. 1. n. 4.* & in Salmantina Univerſitate Scholaſticus, ſeu Magiſter Scholæ, teſtibus Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 5.* & Mend. *l. 1. cit. n. 171.* Neque neceſſe eſt, ut ipſe Promotor Gradum in ea Facultate habeat, in qua Doctores promovet, ut patet in exemplis allatis, ubi Promotores plerumque ſolius S. Theologiæ, aut Juris Canonici Doctores ſunt; & oſtenditur duplici ratione: *una* eſt, quia Gradûs collatione Candidatus pro eo non primùm approbatur, ſed Doctorum examine, ac judicio approbatus Doctor ſolummodo declaratur, & Inſignium traditione quodammodo inveſtitur. Faber *in l. tanta 2. C. de vet. Jur. enucl.* & Lenaud. *l. cit. num. 4.* *Altera*, quia poteſtas conferendi Gradus Litterarios, ut *n. præc.* dictum eſt, reſidet penes Pontificem, & Principes ſupremos, qui poteſtatem illam per viam communicationis poſſunt transferre in quoslibet. Mendo *n. 171. cit.*

3. Communicare hanc poteſtatem ſolet Pontifex, & alij Principes Comitibus Pa- 21
latinis, & alijs tum perſonis, tum Collegijs, prout Doctores S. Theologiæ creandi poteſtatem cum privilegio Pontificio, & Cæſareo habet Rector Collegij Romani, & Germanici Societatis JEſu, licèt ipſe nullum plerumque in Litteris Gradum habent.

Quæritur 5. quinam creari Doctores 22
poſſint? R. omnes, qui non prohibentur. Conſiderandus autem 1. eſt *Sexus*; nam fœminæ ut docere, ita & doctorari prohibentur *can. mulierem 17. cauſ. 33. q. 5.* & *l. fœminæ 2. ff. de R. J.* Bartol. *in l. fin. num. 16. ff. de Colleg. & corporib.* Et licèt Tiraquell. *leg. connub. 11. n. 30.* referat, Accurſij filiam Jura Civilia Bononiæ publicè docuiſſe, illam tamen Gradu inſignitam fuiſſe non conſtat. Bemus *de privil. Doct. p. 3. privil. 64. n. 20.* König *hic n. 6.*

2. *Natales*; nam Spurij, & Illegitimi 23
in pleriſque Europæ Univerſitatibus excluduntur à Dignitate Doctorali. Mynſing. *cent. 4. obſ. 31.* Harppr. *ad §. 1. Inſt. de injur. n. 241.* König *n. 7.* etiamſi legitimati ſint; quia utcunque legitimentur, remanent tamen infames de facto inter bonos, & graves viros. Mynſing. *l. cit.* Addit tamen Harppr. *l. cit.* alicubi rigorem iſtum non ſemper attendi, & in virtutem, & eruditionem tantùm, non verò in natales inquiri, idque teſtatur de ſua Tubingenſi Academia. In alijs Illegitimi Diſpenſationem facilè obtinent, ſi paternorum criminum ſint exhæredes, & à morum honeſtate, ac ſcientia ſingulariter commendati: & meritò, ne

quos propria virtus extulit, culpa aliena deprimat *arg. can. Presbyterorum 1. §. sed hoc intelligendum dist. 56. c. innotuit 20. de Elect. & l. spurij 6. pr. ff. de Decur.* Et ita constat Joannem Andreæ, Gratianum, ejúsque fratres Petrum Lombardum, & Comestorem, Jasonem item, & alios natalium quidem defectum passos, sed postea clarissimos Doctores, ac Professores fuisse. König *n. 7. cit.*

24 3. *Ætas:* sufficit autem annus ætatis 17. completus juxta Ancharan. *procem. l. 6. Decret.* Besold. *V. Doctor*, & Herm. *Fasc. Jur. publ. c. 37. n. 182.* hæc enim ætas sufficit, ut quis titulo JCti insigniatur, item ad advocandum, & postulandum, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 37. num. 6.* Et hac ætate Nerva publicè de Jure responsitâsse legitur *l. hunc titulum 1. §. initium 1. ff. de postuland.* quæ forma olim ad constituendos Jurisconsultos exigebatur: item ea ætate quis Judex Pedaneus esse potest *l. quidam 57. ff. de re judic.* Et meritò; quia non annorum numerus, sed scientia Doctorales honores meretur. Gloss. *in l. 11. § 1. v. Jurisperitos C. de Advocat. diverf. Judic.* & ut in alijs malitia, ita hìc scientia ætatem supplet. König *hìc n. 8.*

25 4. *Fides:* ob hanc à Gradu Doctoratûs repelluntur Judæi; quia Doctoratus est Dignitas, cujus Judæi sunt incapaces *l. fin. C. de Judæis. Idque procedit* non tantùm de Doctoratu S. Theologiæ, & Juris Canonici, sed etiam Legum: quia Leges ad DEI obedientiam præsertim diriguntur, ideoque sacratissimæ vocantur *l. Leges sacratissimæ 9. C. de LL.* Imò ne quidem ad Doctoratum promoveri possunt ex Medicina, ut cum *Bartolo, Host. Anchar. Abb. Felin.* & alijs à se *citt.* notat Pignatell. *tom. 8. consult. 144. n. 3.* quidquid de contraria praxi opponat Ricciull. *de Jur. person. l. 2. c. 25. n. 4.* quæ teste eodem Pignatell. *l. cit. n. 6.* non est attendenda, ob duplex responsum Summi Pontificis, unum, quod dedit *8. Nov. 1618.* ubi cùm diceretur, quòd quidam Judæi tam in Universitate Urbis, quàm aliarum Civitatum ad Doctoratûs Gradum ex Medicina promoti essent, dixit, ista fuisse facta per abusum, & propterea mandavit moneri Rectorem Universitatis Urbis, ne ipse, aut ipsius Collegæ id porro facerent: *alterum*, quo, cùm quidam Judæus in Universitate Pisarum suscepisset Lauream Doctoratûs, de ejusdem Pontificis mandato *16. Sept. 1621.* scriptum est Nuntio Apostolico, ut ageret cum Magno Duce Hetruriæ, quò provideret, ne deinceps in ea Universitate Judæo conferretur Gradus Doctoratûs.

26 5. *Litterarum Scientia*, quæ in Candidatis si non eminens, & exquisita, saltem debita, & sufficiens desideratur. König *hìc n. 10.* Et hinc qui in præmisso Examine inventus est minùs habens, & Gradu isto indignus, ad eum Gradum promoveri nequit: quod patet 1. ex *Formula*, quâ constituuntur Comites Palatini, ubi potestas ipsis conceditur admittendi ad Gradus Litterarios, non nisi eos, qui prævio, diligenti, & rigoroso Examine probati fuerint. 2. Ex *Constitutione Sixi IV.* confirmatoria nostræ Universitatis incipit *In eminenti editâ Cal. Aug. 1477.* ubi hic Pontifex dictæ Universitati concedit potestatem promovendi ad Gradus Litterarios Scholares solùm habiles & idoneos, rigoroso præcedente Examine. 3. Ex *ratione*; quia cùm graviora utriusque tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ Reip. negotia plerumque committi soleant personis Graduatis, si ad eos Gradus promoverentur indigni, periculum foret, ne muneri suo malè præsint, quòd ad illud gerendum necessariâ doctrinâ destituti sint; quod cùm in grave damnum boni publici cedat, idcirco plerisque DD. cum Lenaud. *de privil. Doctor. p. 1. n. 55.* Mend. *l. 1. Jur. Acad. num. 365.* König *hìc num. 10.* Wiestner *ibid. num. 14.* reos gravis peccati faciunt eos, qui ita indignos ad hujusmodi Gradus promovere præsumunt.

27 6. *Morum honestas*, nam Magistros Studiorum, Doctoresque *excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ*, ut dicitur *l. Magistros 7. C. de Profess. & Medic.* & immorigeri, ac mali ingenio, licèt periti sint, ac boni ingenio, reprobari possunt. König *num. 11. hic.* Præsertim verò à Gradibus Academicis arcendi sunt infames infamiâ, sive Juris, sive facti; quia sunt Dignitas, & *infamibus portæ Dignitatum patere non debent*, ut dicitur *Reg. infamibus 87. in 6.*

28 Quæritur 6. quæ sit forma promovendi Doctores, sive Magistros? R. 1. præmittendum est rigorosum Examen, quo exploretur ipsius Candidati scientia, & eruditio *l. Magistros 7. C. de Profess. & Medic.* Examen tamen istud, si aliunde satis de idoneitate constet, Professores, ut quorum discretioni, & conscientiæ examinatio à Principibus committitur, remittere possunt per ea, quæ tradit Bald. *in c. constitutis 46. de Appell.* & ex eo König *hìc n. 13.*

29 2. Præmittenda est Professio Fidei juxta *Bullam Pij IV.* alioquin irrita erit collatio Gradûs, prout censuit *S. Congr.* apud Joann. Gallemart ad Trid. *sess. 2. c. 2. de reform.* Benium *de Privil. Doct. p. 11. n. 3.* König *n. 13. cit.*

3. In ipsa promotione tradantur Candidato Insignia Doctoralia, necesse est: atque hinc Besold. *Dissert. de Jur. Academ. c. 4. n. 7.* infert, absentem post rigorosum Examen per Procuratorem promoveri non posse, cùm hæ solennitates quædam actio Legis esse videantur, quæ Procuratorem respuit *l. nemo 123. ff. de R. I.*

30 Quæritur 7. quid observandum circa sumptus, impendendos in solennitate Inaugurationis Doctoralis? R. hos moderata est

est *Clem. 2. h. tit.* ubi sub pœna semestralis Suspensionis à Collatione Graduum ijs omnibus, penes quos Gradus Litterarios conferendi potestas sita est, præcipitur, ut à Candidatis ante promotionem exigant Juramentum, quo promittant, se in ea solennitate ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos secundùm Gloss. *in Clem. cit.* non impensuros. Cujus *Clem.* usus in quibusdam Universitatibus, teste Pirhing *hic n. 14.* abolitus; in alijs nunquam introductus; in nostra autem Universitate Ingolstadiana etiamnum viget, & Juramentum exigitur ab omnibus, qui Licentiam Supremi Gradûs capessendi sibi conferri petunt. Potest autem, ut addit Schambog. *hic n. 7.* etiam ubi viget observantia hujus *Clem.* excedi in ista quantitate casu, quo promovendus fuerit notabilis conditionis, seu statûs altioris, ita tamen, ut summa ei taxetur.

31 *Rationem* hujus suæ *Constitutionis* innuit *Clem. cit.* Pontifex, quòd tempore illius *Constitutionis* conditæ multi in suam Doctoralem Inaugurationem adeo excessivè impensas fecerint, ut *transeunte hac expensarum vanitate, plerumque remanerent vacui*, & ære alieno *gravati*, ex hausto in eos sumptus Patrimonio suo: cui rationi ibidem *altera* additur, quòd *cæteri, qui vel nolunt, vel nequeunt similes expensas subire, hac occasione frequenter a receptione honoris hujusmodi retraherentur*, licèt fortasse digniores alijs essent, cum non parvo rei litterariæ, & boni publici detrimento. Adjungi potest ratio *tertia*, quòd indignum videatur, scientiæ defectum pecuniâ, sive, ut Gloss. *V. excedunt*, & Abb. *n. 8.* loquuntur, imperfectum scientiæ suppleri perfectione expensarum.

32 Quæritur 8. an Doctorum Privilegia competant malè promotis? Negant Guid. Pap. *q. 88.* Ripa *l. 2. respons. c. 20.* Roland. à Vall. *l. 1. cons. 66. n. 40. & 41.* Menoch. *de arbitr. cas. 379. n. 12.* Besold. *Dissert. de Studios. c. 10 fol. 145.* quòd cessante privilegij causâ, privilegium cesset *c. cessante 60. de Appell.* P. Wiestner *hic n. 15.* licèt æquitati consonam sententiam istam dicat, monet tamen in praxi magnopere cavendum esse, ne communes Doctorum prærogativæ, & privilegia facilè denegentur ei, cui ab aliquo Collegio Academico, vel Comite etiam Palatino Doctoralis Laurea concessa est, nisi nomen hoc Dignitatis, quòd malè obtinuit, Principali, vel alia legitima authoritate ablatum ei sit.

33 Quæritur 9. an ijsdem Privilegijs gaudeant *Doctores Bullati*, seu illi, qui Gradum Doctoralem non in aliqua Studiorum Generalium Universitate, sed Rescripto Principis, vel à Comite Palatino adepti sunt? Negant Alex. *in l. Centurio de vulg. substit. n. 10. 20. 21.* Guid. Pap. *q. 68. n. 3.* Coler. *de Process. Execut. p. 2. c. 3. n. 129. & alij.* Sed distinguendum inter eos Doctores est, & ijs quidem, qui à Summo Principe Sæculari, vel Ecclesiastico, prævio Academicorum, vel aliorum Doctorum Examine, Gradu isto judicati sunt digni, asserenda privilegia Doctoralia omnia; imò prærogativa inter Doctores cæteros.

De alijs autem, qui à Comitibus Palatinis, & alijs, prætextu facultatum, à Sede 34
Apostolica sibi indultarum, promoti sunt, S. Pius V. *Const.* incipit, *Quamvis 1568. editâ* statuit, ut nullâ ejusmodi gradûs prærogativâ, Dignitates, cæteráque Beneficia Ecclesiastica concernente, gauderent. Qua in re Sanctus hic Pontifex inhæsit vestigijs *S. Synod. Trid.* quæ *Sess. 22. c. 2. de reform.* exigit, ut ad Dignitates, & Beneficia illi assumantur, qui in Universitate Studiorum aliqua Magistri, aut Doctores vel Licentiati in S. Theologia, vel Jure Canonico meritò sunt promoti; hócque declaravit *S. Congreg. Card. Trid. Interpp. in Elnens. 17. Jan. 1643.* ijdem per *Ordin. Cam. p. 1. tit. 3. & 18.* excluduntur ab Ordine Assessorum Cameræ, ejúsque Commissariorum.

Quæritur 10. an *Licentiati* gaudeant 35
Juribus, & Privilegijs Doctorum? Magna circa hos est AA. dissensio. *Negant* aliqui, ex ratione, quòd ea Jura, & Privilegia primùm tribuantur in Inauguratione cum Insignibus Doctoralibus, igitur ante illam Licentiatis non competunt. *Affirmant* alij, ex fundamento non levis momenti, quòd Jura illa, & privilegia Doctoribus competant non ratione solennitatis adhibitæ in Promotione, sed ratione excellentis doctrinæ, quæ per Examina manifestatur, & per Licentiæ concessionem legitimè approbatur; in promotione autem, cùm ea absque novo experimento fiat, non crescit, nec magis apparet.

Tenenda est Sententia media, & cum 36
Alciat. *ad l. 57. ff. de V. S.* Ricc. *prax. p. 2. resol. 467.* Lenaud. *de privil. Doct. p. 4. n. 11.* Besold. *de Studios. c. 8.* Herm. *Fasc. Jur. publ. c. 37. num. 160.* König *hic n. 26.* Wiestner *n. 18.* Reiffenstuel *n. 12.* dicendum Licentiatos Jure Doctorum censeri in favorabilibus, non verò in odiosis: cons. admittendos ad Dignitates, Beneficia, & Officia omnia, ad quæ admittuntur Doctores, nisi expressè requiratur promotionis qualitas; non verò repellendos, sicubi, ut Hamburgi à Dignitate Senatoria, repelluntur Doctores. Probat hoc ratio secundæ Sententiæ, & confirmatur *arg. l. filiusf. 43. ff. de Testam. milit.* sicut enim hoc textu proximè accingendus pro accincto, ita hic proximè doctorandus pro Doctorato habendus est.

§. II.

De Magistro, præsertim Theologo, & Præbenda Theologali.

SUMMARIUM.

37. *Ex Decreto Concilij Later. constituendi sunt Magistri ad instituendam juventutem.*
38. *Ubi?*
39. *Quid constituerit de his Tridentinum?*
40. *Unde hujusmodi Magistro subministranda vitæ subsidia?*
41. *An ad Præbendam Theologalem ab Episcopo admitti valeat etiam Canonista?*

37 PLurimùm semper attendit Ecclesia, ut ad Divinorum administrationem, & cæteras functiones Sacras idoneos semper haberet Ministros: hinc Concilium Lateranense sub Alexandro III. *c. quia nonnullis 4. h. tit.* relatum statuit, ut Magistri ubivis constituerentur, qui juventutem in bonis artibus, & Clericos in Sacris Disciplinis instituerent.

38 Quæritur 1. ubinam hujusmodi Magistri constituendi sint? ℟. juxta *cit. Conc. Later.* constituendi sunt in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, cum discrimine tamen; nam si Collegiata, vel Cathedralis inferior esset, voluit, ut ibi saltem constitueretur Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes Grammaticæ præceptis gratis erudiret: si verò Metropolitana, præcepit addi Magistrum Theologum, à Prælato cum consensu Capituli sui deputandum, qui Sacerdotes, & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectant *c. quoniam 1.* & *c. quia nonnullis 4. h. tit.*

39 Auxit obligationem hanc *S. Synodus Trid.* dum *Sess. 5. c. 1. de reform.* voluit, Magistrum Theologum constituendum in quavis Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, si existat in insigni aliquo Oppido, nisi redituum tenuitas hoc prohiberet; tunc enim statuit in ea constituendum saltem Grammaticum. Addidit *ibidem* ℣. *in Monasterijs*, Lectionem S. Scripturæ, vel Theologiæ habendam etiam in Monasterijs, & Conventibus Regularium, in quibus id fieri commodè potest, data Episcopis potestate, ut casu, quo Abbates ea in re negligentes fuerint, eosdem etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati ad ejusmodi Lectionem instituendam compellerent. Hodie tamen, ut notat Wagnereck *in c. 4. cit. in Exeges.* ob multiplicatas passim Academias, & Gymnasia Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ (idem dici poterit de Monasterijs) à curis, & impensis ejusmodi Magistros constituendi plerisque in locis liberantur.

40 Quæritur 2. unde hujusmodi Magistro subministranda sint vitæ subsidia? ℟. hic distinguendum est inter Jus antiquum *Concil. Later.* & novum *Trid.* nam *antiquo Jure* eidem unius Præbendæ reditus erant assignandi *c. quia nonnullis cit.* ℣. *Assignetur.* At *novo Jure Trid.* discrimen fit inter Grammaticum, & Theologum. Et *Grammatico* quidem, quamdiu in docendi munere perstiterit, jubentur assignari fructus simplicis Beneficij, vel ex reditibus Mensæ, aut Capitulari, vel aliunde merces condigna persolvi. *Sess. 5. c. 1. cit.* ℣. *ideoque.* De *Magistro Theologo* autem statuit, ut eidem Præbenda quomodocunque, aliter, quàm per resignationem, primò vacatura, & aliud onus incompatibile annexum non habens, deputetur *c. 1. cit.* ℣. *in Ecclesijs* quæ proinde ad eum usum, ut *ibidem* dicitur, perpetuò deputata manet, & *Præbenda Theologalis*, eam verò obtinens *Scholasticus*, vel *Magister Scholæ* dicetur, evaditque verus Canonicus. Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 12.* Gonzal. *in c. 4. eod. n. 5.* Pirhing *hic n. 7. not. 7.* Wæstner *ibid. n. 27.*

41 Quæritur 3. an ad Præbendam hanc ab Episcopo admitti valeat etiam Canonista? *Rationem dubitandi* facit textus *Concil. Later.* & *Trid. citt.* ubi pro ista Præbenda Theologus, & Lector Theologiæ ad S. Scripturæ interpretationem disertè requiritur, ut videre est *l. citt. Sed dicendum*, posse ad eam admitti Canonistam. Ita ad dubium istud, ab ipso Papa propositum, unanimi consensu declaravit *S. Congr. 14. Novembr. 1626.* & confirmavit *in Polignan. die 3. Dec. 1639. in Ostunensi 20. Jul. 1641. in Astens. 2. Febr. 1646. in Mazarien. 12. April. 1651.* apud Pignatell. *tom. 1. consult. 147. n. 1. & 17.* *Ratio est*, quia cùm SS. Canones non solùm Spiritu S. inspirante sint editi, sed moralis Theologiæ Regulas præcipuas, & ferè omnes suppeditent, hos explanando Canonista officium Theologi implet, & etiam ipse S. Scripturam explanat: ut proinde Sylv. *V. Doctor num. 5. fin. V. de Doctoratu* verè *Juris Canonici* Jus Canonicum non immeritò appellet Theologiam practicam.

§. III.

De Pretij exactione pro Licentia, & officio docendi.

SUMMARIUM.

42. &c. *Utrùm sine Simonia accipi, vel peti aliquid possit pro docendi Licentia?*
48. *Vel pro ipso actu docendi?*
49. &c. *Præsertim in Theologia, & Jure Canonico?*
54. &c. *An sine periculo Simoniæ pretium peti possit pro Consilio, seu Responso Theologico, aut Canonico?*

42 QUæritur 1. utrum pro docendi licentia aliquid accipi, vel peti sine Simonia possit? Videtur non posse 1. ob Rubricam, & textum *c. prohibeas 2. h. tit.* ubi vetatur, *ne aliquid exigatur pro licentia docendi*, & subjungitur ratio, ut scilicet gratis detur, quod gratis acceptum est: quæ ratio etiam Simoniacos percutit. 2. Quia aliquid ex ista causa accipientibus eadem pœna statuitur, quam Simoniam committentes incurrunt, ut adeo signum sit idem committi delictum. 3. Quia Gradus Litterarij authoritate Apostolica, quæ spiritualis est, instituti sunt, & eadem authoritate conferuntur; adeoque spirituales videntur esse, & conf. constituere materiam Simoniæ.

43 Sed dicendum, etsi illicitè agat, qui pro licentia docendi, aut Gradu Litterario petit pretium, per hoc tamen Simoniam revera nullam committere. Ita post *Innoc. Abb. Antonia. Tabien.* & alios antiquiores docent Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 82.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 18. n. 19.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 31.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 10. n. 3. & 4.* Fagnan. *in c. quoniam 1. h. tit. n. 12.* Barbos. *ibid. n. 8.* Wagnereck *in c. 2. eod. not. 1.* Gonzal. *in c. 4. n. 6.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 51. n. 6.* Vallens. *hic n. 2.* Zœs. *n. 1. & 3.* Engl *n. 8.* Pirhing *n. 2. not. 2. n. 12. coroll. 1. & n. 13. coroll. 4.* König *num. 30.* Wiestner *n. 35.* Reiffenstuel *n. 18. & 19.* Friderich *de Simon. c. 4. n. 137.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 72. & 73.*

44 Et quidem quòd *illicitè* agat, patet ex *Rubrica Tit. præs.* quæ cùm sensum perfectum habeat, ex communi Regula vim Juris obtinet. Estque hoc ita verum, ut hujusmodi exactio, vel acceptio nulla etiam consuetudine cohonestari possit, utpote quæ *c. quantò 3. h. tit.* apertè reprobatur. Qui verò hujusmodi prohibitioni contrajerint, id, quod acceperunt, jubentur restituere, & simul puniri ademptione Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, quibus potiuntur *c. quoniam 1.* & *duob. seqq. h. tit.* Idque meritò, sordities enim est à viris doctis extorquere pretium pro facultate docendi honestas, & Reip. salutares Disciplinas, ad quas tradendas muneribus, honoribus, precibus invitari eosdem oporteret. Ex eadem causa, si quid ex causa ista promissum duntaxat, non verò solutum sit, remitti debet, ne melioris conditionis sit is, cui promissum, quàm cui solutum est: quod *confirmatur*; nam turpes, & illicitæ promissiones nullæ sunt, & non obligant *c. fin. de Pact. l. generali 26. ff. de V. S.* Gloss. *in c. 2. h. tit. V. remitti*, Pirhing *hic n. 3.*

Quod verò per talem acceptionem, 45
vel exactionem Simonia non committatur, inde ostenditur; nam Gradus Litterarij duo includunt; scilicet Dignitatem, & privilegia, quæ æstimationem, & pretium nullatenus respuunt; & licentiam docendi, quæ, nisi proveniat à potestate spiritualis Jurisdictionis, merè quid temporale est, ut adeo nihil sit, quod in hac materia mercem Simoniæ constituat. *Excepi*, nisi proveniat à potestate spiritualis Jurisdictionis; nam hoc si fiat, & Prælatus Ecclesiasticus, cui ex Officio incumbit, Professuram aliquam cum Beneficio Ecclesiastico, quod ei Professuræ annexum est, conferre, pro ejus concessione pretium præsumat exigere, vel accipere, Simoniæ vitio se indubitatò obstringit. Laym. *c. 8. cit. n. 31. coroll. 1.* Engl *hic n. 8.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 76.*

Addidi *n. 43.* prohibitum esse aliquid 46
accipere pro ipsa docendi licentia; nam pro labore, qui subitur in Canditatis Graduum examinandis, approbandis, & approbatis inaugurandis, peti aliquid tanquam stipendium laboris potest. Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 6. fin.* Imò etiam tanquam pretium, si hoc accipiatur non pro ipsa licentia docendi, sed pro honore, emolumentis temporalibus, communicatione privilegiorum &c. quæ in Graduum Litterariorum collatione acquiruntur, ut cum alijs notat Zœs. *hic n. 3.* Schambog. *n. 18.* König *n. 31.* Potéstque pretium istud augeri, quanto sublimior Gradus, & emolumenta majora sunt, quippe quorum æstimatio ex quantitate crescit. Et ex hoc capite accipitur, quod defacto in collatione Graduum ex Universitatum usitatissima; & universali praxi accipitur.

Neque obstant Argumenta *n. 42.* in 47
contrarium allata. *Ad 1.* ad Simoniam non sufficit aliquid esse gratis dandum; sed requiritur, ut temporale detur pro spirituali, aut spirituali annexo. *Ad 2.* sæpe diversis criminibus eadem taxatur pœna. *Ad 3.* authoritate Pontificia conferri possunt etiam aliqua temporalia ad utilitatem, & splen-

dorem spiritualium, quæ tamen non hoc ipso materia Simoniæ fiunt, nisi specialiter prohibeantur intuitu Religionis, quod in præsenti casu non contingit.

48 Quæritur 2. utrum accipi, vel peti aliquid possit pro ipso actu docendi, ut Simoniæ labes non contrahatur? *Certum* est, posse sine periculo Simoniæ aliquid accipi, & etiam peti pro actu docendi Scientias merè naturales, puta Juris Civilis, Medicinæ, Philosophiæ, & Artium Liberalium; quia istarum Scientiarum nec explicatio, nec notitia aliquid spirituale est, aut spirituali annexum: conf. mercem Simoniacam non constituit.

49 *Controversia* est de S. Theologia, & Jure Canonico: in qua dissident inter sese DD. nam Paludan. *in 4. dist. 25. q. 5. n. 20.* Antonin. *p. 2. tit. 1. c. 5. §. 7. not. 6. fin.* Sylv. *V. Simonia q. 10.* Simoniæ accusant eos, qui pro his scientijs docendis recipiunt, aut promittunt pecunias. *Contra* Gloss. *in can. de quibusdam 12. V. Magistri dist. 31.* Adrian. *quodl. 9. art. 1. fin.* Victor. *relect. de Simon. n. 6.* cum alijs eosdem à Simoniæ culpa absolvunt.

50 Tribuendum utrique Sententiæ aliquid, & 1. distinguendum, inter Theologiam merè naturalem, seu quæ de DEO ut authore naturæ agit, & inter eam, quæ eundem, tanquam Authorem Supernaturalium explicat. De *prima* certum est, quòd pro illa docenda recipi, & peti aliquid temporale possit; quia nihil supernaturale continet. Sanch. *l. 2. conf. c. 3. dub. 5. n. 1.* Mendo *l. 2. Jur. Academ. n. 101.* Wiest. *hic n. 36.*

51 Quoad *secundam* abhibenda est secunda distinctio, an alia scientia Theologica sit infusa à DEO ad cognoscendas veritates Divinarum Scripturarum, quæ in SS. Litteris *Interpretatio Sermonum* dicitur, & inter Dona Spiritus Sancti connumeratur; an verò sit acquisita. *Si primum*, communicatio ejus pro pretio Simoniaca est; tum quia Donum Spiritûs S. pecuniâ possideri non potest; tum quia per interpretationem veritatem S. Scripturæ ordinatur ad generandam DEI, rerúmque supernaturalium cognitionem, & amorem, qui finis Supernaturalis; & spiritualis est, Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 77. concl. 3.* Mendo *l. cit. n. 102.*

52 *Si secundum*, tertiò distinguendum est, & videndum, quomodo, & in quem finem communicetur; nam si ordinata sit ad infideles instruendos, Hæreticos erroris convincendos, Fidelium animos ad amorem, & cultum DEI excitandos, absterrendos à peccatis, eorúmque conscientias à scrupulis liberandas, prout Concionatores; Catechistæ, & Confessarij solent, exactio pretij, vel alterius rei temporalis Simoniâ non caret; quia scientia talis ex fine suo est supernaturalis. Less. *n. 77. cit. concl. 2.* & *n. 78.* ℣. *ubi notandum*, Azor *p. 3. l. 12. c. 17. q. 4.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 18. n. 22.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 32.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 10. n. 6.* & *7.* Mendo *l. cit. n. 104.* Wiestner *hic n. 38.* Reiffenstuel *ibid. n. 15.* cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3.*

53 At si interpretatio illius solùm ordinetur, & instituta sit ad Auditorum intellectum illustrandum, vel eorum memoriam juvandam, ut in Scholis Professores solent, sine periculo Simoniæ pro ea docenda pretium potest accipi, ut verisimiliùs docent Azor *q. 4. cit.* & *c. 18. q. 6.* Less. *n. 7.* & *n. 79.* ℣. *de prima*, Suar. *n. 7.* Laym. *n. 30. concl. 2.* Palao *n. 4.* Mendo *n. 103.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Wagnereck *in c. 2. eod. not. 3.* Zœs. *hic n. 5.* Pirhing *n. 11.* Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel *n. 25.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 1. n. 73.* Ratio est, quia non apparet, ex quo capite supernaturalis sit, ut mercem Simoniacam possit constituere: non enim 1. supernaturalis est ex ratione *principij*; quia Fidem supernaturalem necessariò non supponit, cùm Discursus Theologicos formare etiam Hæreticus, & de Fide voluntariè dubius possit: non 2. ratione *finis*; quia, ut ostensum est, finis ejus, in quem proximè est instituta, naturalis duntaxat est: non 3. ratione *veritatum supernaturalium*, & à DEO revelatarum, quas supponit; quia istæ in Discursu Theologico non necessario à Fide pendent, & in Conclusionem Theologicam modo solùm naturali influunt.

54 Quæritur 3. an sine periculo Simoniæ pretium possit exigi pro Consilio, seu Responso Theologico, aut Canonico? ℟. hic adhibendam distinctionem ultimam præcedentem; nam si responsum redderetur ad obtinendam Pagani conversionem, Hæretici ad gremium Ecclesiæ reductionem, ad timorem DEI, & amorem, rerum fluxarum contemptum, virtutis studium in Fidelibus excitandum, sine labe Simoniæ pro ejusmodi Responso pretium peti, & accipi nequit; quia est actio spiritualis, & ex fine suo Supernaturalis.

55 *Contra* pretium pro eo absque periculo Simoniæ exigi potest, si ordinetur ad intellectum duntaxat propositæ dubitationis resolutione, istiúsque rationibus deductis illustrandum, ut cum S. Thom. *art. 3. cit.* defendunt Suar. *c. 18. cit. n. 19.* & *20.* Laym. *n. 32. fin.* Palao *n. 5.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2370.* Wagnereck *in c. 2. h. tit. not. 3.* Zœs. *hic n. 6.* Pirh. *n. 13. coroll. 3.* Wiestner *n. 40.* Friderich *de Simon. c. 4. n. 139.* Ratio est, quia Responsum hoc est actus naturalis, quo communicatur Scientia, humana industriâ acquisita, per modum Magisterij ad finem naturalem.

56 *Neque obstat*, quòd interrogans tali Responso aliquando utatur ad dirigendam, & pacandam conscientiam; quia istius intentio non mutat naturam actionis, seu Re-

Reſponſi, quod ex ſe ad intellectum veritatis cognitione erudiendum ordinatur. Zœſ. *n. 6. cit.* aliàs Simoniacus foret etiam Legum Doctor, aut cauſarum Patronus, ex Jure Civili docens, utrum hic, vel ille Contractus ſit licitus, aut non, ſi alter Reſponſum petit ad vitandum peccatum, aut tranquillandam conſcientiam, vel ad exercendam Jurisdictionem Eccleſiaſticam, quod nemo, ut opinor, aſſeruerit.

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, eorúmque Servis.

SUMMARIUM.

1. *Infidelitatis Species.*
2. *Definitio Paganiſmi.*
3. *Et Judaiſmi.*
4. 5. 6. *An Diviſio Infidelitatis in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim ſit adæquata?*
7. *Quænam ex his Speciebus ſit gravior.*
8. &c. *An, & qualis communicatio cum paganis, & Judæis probibita Chriſtianis ſit in Divinis?*
13. &c. *An licitè inter Chriſtianos tolerentur Judæi, horum Synagogæ, & ritus.*
20. &c. *An, & quousque Chriſtianis probibita ſit comuunicatio cum Judæis, & Infidelibus in humanis, & Politicis?*
27. &c. *Quænam Judæis, Chriſtianorum Principum poteſtati ſubjectis, ſint interdicta?*
31. &c. *Quænam Jura ijsdem, in Tutelam legitimè receptis, conceſſa ſint, quæ contra illos fieri prohibita?*
36. &c. *Quomodo, & à quo Judæi delinquentes poſſint, & debeant puniri?*
40. &c. *An ab Eccleſia procedi poſſit adversùs invalidè baptizatum?*
45. &c. *Quænam Chriſtianis Jure Canonico interdicta ſint circa Sarracenos, ſeu Paganos, & alios Infideles?*
48. &c. *An liceat Principi Chriſtiano cum his inire fœdus auxilij contra fideles ferendi causâ?*
51. &c. *An Judæi, Sarraceni, & alij Infideles cogi poſſint ad ſuſcipiendum Baptiſmum?*
55. &c. *Et audiendam prædicationem Evangelij?*

SImoniam ſequitur *Infidelitas*, quæ, quòd veri Cultûs Divini ipſa fundamenta convellat, multò magis, quàm Simonia Religioni opponitur.

1 Quæritur 1. quotuplex ſit *Infidelitas*? *R. Infidelitas* in genere accepta dicitur eſſe triplex. 1. *Infidelitas negativa*, eorum ſcilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt: & hæc non tam eſt peccatum, quam peccati pœna; quia ſi feciſſent, quod in ipſis erat, DEUS Fidem eis non abſcondiſſet. 2. *Contraria*: hæc penes illos eſt, qui Fidem ſibi ſufficienter propoſitam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter, quales ſunt Hæretici. 3. *Privativa*, ſic dicta, quia privativè opponitur fidei, & eſt culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Buſenbaum *l. 2. tr. 1. c. 4. dub. 1.* Schambog. *hic n. 2.*

2 Infidelitas Contraria ex modo repugnandi fidei ſubdividitur in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim: de hac ultima dicetur *Tit. ſeq. Paganiſmus* eſt error, vel ſecta repugnans Fidei Scriptæ, ſive negans Myſteria, & veritates, à DEO revelatas tum in veteri, tum in novo Teſtamento: qui hunc ſectantur, *Pagani*, & *Gentiles* dicuntur. Hujus ſpecies eſt *Secta Sarracenorum*, à Sara uxore Abrahæ, à qua ſe originem trahere mentiuntur, vel potiùs, ut ex Paul. Æmil. *l. 7. Franc. Hiſtor.* referunt Azor *p. 1. l. 8. c. 23. q. 1.* & Vincent. Petra *tom. 1. comment. fol. 559. n. 4.* à Sarraca Arabiæ civitate nuncupatorum, qui neque vetus, neque novum Teſtamentum integrè, ſed utrumque ex parte duntaxat admittunt, & impij Mahumetis Alcorano adhærent: quales hodie ſunt Turcæ, Tartari, Perſæ, Arabes, Ægyptij, Mauri &c. Azor *l. cit. q. 4.* Barboſ. *in c. 6. h. tit. n. 3.* Valenſ. *hic n. 9.* Pirh. *ibid. pr.* Schambog. *n. 4.* Wieſtner *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 3.*

Judaiſmus eſt error hominum Legem duntaxat Moſaicam ſectantium; quamvis enim Lex vetus, digito DEI conſcripta, & per Moyſen Hæbræo populo promulgata fuerit, quia tamen (quoad præcepta ceremonialia, & Judicialia) ſolùm erat umbra, & figura eorum, quæ in Teſtamento novo erant ſancienda, proindéque cum adventu novæ Legis diſparuit, hinc graviter errant, & peccant Judæi, qui Legem veterem jam abrogatam, anteponunt novæ. Porro vocis *Judæus* duplex acceptio eſt; nam aliquàndo accipitur ad ſignificandam Gentem, ſic dictam à Tribu Juda, quæ cæteris erat bellicoſior, & præſtantior, cùm priùs appellarentur Hebræi ab Hebro, cujus familia cultum veri DEI ſemper tenuit, cæteris Idololatriâ fœdatis Hoſt. *Summ. h. tit. n. 1, & 2.* Sylv. *V. Judæus pr. n. 1.* Pirhing *hic pr.* Aliquando verò (prout etiam ſumitur in præſenti Titulo) eſt nomen Sectæ: & ſic *Judæi* dicuntur illi, qui, ut dictum, adhærent ſoli Veteri Teſtamento absque fide in Chriſtum, tanquam verum Meſſiam, & humani generis Redemptorem, quem proinde

non

non veniſſe, ſed venturum credunt. Sylv. *l. cit.* Vallenſ. *hic n. 1.* Schambog. *n. 3.* König. *n. 1.* Reiffenſtuel *n. 2.*

4 Dub. 1. an diviſio Infidelitatis in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim ſit adæquata? *Ratio dubitandi eſt 1.* quia aliqui fuerunt Hæretici, qui admittebant novum Teſtamentum, & non vetus; ſed hi non erant Pagani, neque Judæi, neque Hæretici, prout communiter deſcribuntur. 2. in Lege naturæ, & in Lege veteri ſcriptâ eſſe poterat Hæreſis, ſi Judæus non crederet omnibus à DEO revelatis. 3. Atheiſmus videtur eſſe ſpecies diſtincta à Paganiſmo; quia nullum agnoſcit DEUM, cùm Paganiſmus è contrario agnoſcat vel unum, ſed ſuperſtitiosè, vel plures, ut faciunt Ethnici. 4. Apoſtaſia eſt ſpeciale peccatum contra Fidem, & tamen neque eſt Paganiſmus, neque Judaiſmus, neque Hæreſis. ergo &c.

5 Sed retinenda eſt affirmativa. Ita S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 5.* Suar. *de Fid. D. 16. ſect. 5. n. 8.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 1. n. 8.* Wieſtner *hic n. 3.* quod Palao *l. cit.* optimè declarat in hunc modum; nam peccato Infidelitatis peccari non poteſt, niſi adversùs revelata in duplici Teſtamento veteri, & novo, ſub quo comprehendendæ ſunt etiam Traditiones, peccari autem adversùs hæc triplicitèr poteſt. 1. Negando utrumque Teſtamentum: & hoc eſt Paganiſmus. 2. admittendo vetus, negando novum: & tunc eſt Judaiſmus. 3. Admittendo novum, vel vetus non integrè: & ſic eſt Hæreſis. Item per ordinem ad Chriſtum, authorem fidei, & ſalutis peccari poteſt 1. ſi neges ejus adventum, prophetias, & figuras: & tunc Paganus es. 2. ſi admittis Prophetias, & figuras, negas adventum: & tunc Judæus efficeris. 3. ſi admittis ejus adventum, tamen ejus dictis integrè fidem non habes: & tunc es Hæreticus. ergo nullus alius Infidelitatis caſus excogitari poteſt.

6 Neque aliud probant Argumenta pro Ratione dubitandi allata. *Ad 1.* admittentes novum Teſtamentum, & non vetus ſunt veri Hæretici; quia ex veritatibus novi Teſtamenti eſt, vetus eſſe revelatum à DEO, igitur hoc negantes jam ex parte recedunt à Teſtamento novo. *Ad 2.* diviſio in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſin facta eſt, quatenus in præſenti ſtatu peccari contra Fidem poteſt. *Ad 3.* Atheiſmus reduci poteſt ad Paganiſmum, & tantùm diſtinguitur ab illo per majorem, vel minorem extenſionem, cùm per utrumque utrumque Teſtamentum negetur integrè. *Ad 4.* Apoſtaſia ad unam ex tribus ſpeciebus in diviſione allatis pertinet, prout eſt error, quem amplectitur Apoſtata à Fide; nam ſi recedis à Fide ex toto, es paganus; ſi ex parte admittendo Chriſti adventum, Hæreticus; ſi negas ejus adventum, Judæus: & hoc ſolùm inter Paganos, & Judæos ex una, & inter Chriſtianos, qui ad hos deſciſcunt, ex altera parte diſcrimen interjacet, quòd iſti ratione Baptiſmi ſemel validè ſuſcepti, Hæreticorum inſtar Eccleſiæ ſubjecti maneant, cui ſubjecti nullo modo ſunt pagani, & Judæi, qui Chriſtiani nunquam fuerunt.

Dub. 2. quænam ex ſuprà dictis ſpeciebus Infidelitatis ſit gravior? 7
R. Hæreſis eſt Infidelitas omnibus gravior abſolutè; quoad extenſionem autem paganiſmus eſt gravior. Ita S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 6.* Valent. *D. 1. q. 10. p. 3. circ. fin.* Suar. *D. 16. cit. ſect. 4. n. 14.* Coninck *D. 18. dub. 6. à n. 70.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 1. n. 11.* cum alijs paſſim. *Pars 2.* conſtat; nam Paganiſmus plures articulos fidei negat, quàm Judaiſmus, & Hæreſis. *Pars 1.* oſtenditur à Palao *l. cit.* per duplex Argumentum. 1. quia Hæretici majorem DEI, & Scripturarum cognitionem habent, & proinde eorum peccatum magis eſt voluntarium, & inexcuſabile. 2. quia ſub nomine Chriſti Chriſtum oppugnant, & ſimulantes cum illo amicitiam illi ſunt inimici, ejúsque Sacris verbis, & teſtimonijs ſub ſimulata Religionis ſpecie ad Religionem deſtruendam abutuntur: de quibus S. Petrus *Epiſt. 2. c. 2. Melius erat illis*, inquit, *non cognoſcere viam Juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reverti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.*

Quæritur 2. an, & quatenus Fidelibus prohibita ſit communicatio cum Judæis, paganis, & Sarracenis? 8
Et 1. quidem dubitatur, an, & qualis communicatio cum Paganis, & Judæis prohibita Chriſtianis ſit in Divinis? *Certum eſt 1.* non licere Catholico admittere Infidelem ad Sacramentorum participationem; quia eſt incapax illorum, cum nondum ingreſſus ſit januam Eccleſiæ per Baptiſmum. Quodſi verò iſte per vim ſe ingerat, poterit Eccleſia eum, tanquam injurioſum Religioni repellere, & punire. Palao *tr. 4. D. 2. p. 9. n. 2.*

Certum eſt 2. Jure Eccleſiaſtico pro- 9
hibitum eſſe Fideli admittere Infidelem non baptizatum ad Sacrificium Miſſæ. Patet *arg. can. Epiſcopus 67. de conſecr. diſt. 1.* ubi ex Decreto *Concil. Carth. IV.* injungitur Epiſcopo, ne prohibeat Infideles *ingredi Eccleſiam, & audire Verbum DEI, usque ad Miſſam Catechumenorum.* igitur per argumentum à ſenſu contrario, transacta illa parte, quæ Miſſa Catechumenorum dicitur, repelli Infideles à Sacris Chriſtianis poſſunt, & debent. *Excipitur*, ſi ex admiſſione ſpecialis fructus v. g. converſio Infidelis ſperari poſſet; tunc enim admitti poſſet ad integrum Sacrificium Miſſæ. Coninck *D. 18. de fid. dub. 11. n. 164.* Palao *p. 9. cit. n. 4.* Wieſtner *hic n. 4.*

Certum eſt 3. Jure Divino, & Na- 10
turali prohibitam eſſe communionem Fidelis cum Infidelibus in ſuis ritibus, & ſuperſtitioſo cultu v. g. ſacrificando, orando, & alia efficiendo, quæ ipſi Infideles præſtant.

Palao

Palao *n. 1.* Ratio clara est, quia cùm talis cultus intrinsecè malus sit, nequit ulla ratione honestari; aliàs Idololatria externa honestari posset.

11 Et hinc 1. Prohibentur Christiani vesci Azymis Judæorum *can. nullus 13. caus. 28. q. 1.* etiam seorsim ab eis; quia sunt cibi discreti à Judæis. *Excipitur* casus extremæ necessitatis; tunc enim pane Azymo vesci liceret, non ut est cibus discretus à Judæis, sed ut est simplex panis, sicut etiam tali casu vesci licet Idolothytis, seu cibis, quos Gentiles Idolis suis consecrârunt, modò non in venerationem doli comedantur: & de hoc intelligi debet, quod dicitur *can. sicut 8. caus. 32. q. 4. Satius est fame mori, quàm Idolothytis vesci.* Gloss. *ibid. V. fame*, Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 31. n. 7.* Pirhing *hic n. 3. V. quartò*, Schamb. *ibid. n. 8.*

12 2. Nefas quoque est Gentilium templa, aut Judæorum Synagogas ingredi, & invisere ejus temporibus, quibus superstitiosa ibi a Paganis, vel Judæis celebrantur; quia tali ingressu plerumque Catholicis præbetur grave scandalum, & ipse ingrediens sæpe incurrit perversionis periculum. Secus est, si quis alijs temporibus ingrediatur hujusmodi templa, ut structuram, & ornatum eorum spectet, & multo magis, ut vanas, & superstitiosas illorum ceremonias confutet. Azor *p. 1. l. 8. c. 11. q. 3. fin.* Imò si absit scandalum, vel periculum perversionis ex parte personæ invisentis, non erit mortale ea invisere etiam eo tempore, quo superstitiosa Sacrificia à Gentilibus, vel Judæis celebrantur: sed si finis vanus sit, ut vana curiositas, erit veniale; si autem finis bonus, vacabit omni culpa. Sanch. *c. 31. cit. n. 18.* Pirhing *hic n. 5.*

13 *Difficultas* præsentis dubij in eo sita est, an licite inter Christianos tolerentur Judæi, horum Synagogæ, & ritus? *Ratio dubitandi* est 1. quia ab impietate, injustitia, usuraria pravitate, invidia, & abominandis blasphemijs Judæorum in Christum, & Sanctos ejus nil, nisi incommoda, eversiones, & pericula tam Reip. quàm Ecclesiæ metuenda sunt, ob quam causam etiam pridem ex Hispania, Gallia, Belgio, Bavaria, & alijs Provincijs pluribus expulsi sunt. 2. Ex paritate cum Paganis, quorum templa claudi, dejici jubentur *l. placuit 1. C. de Pagan.* 3. alia paritate cum Hæreticis, quos omnes Principes Sæculares jubentur expellere ex finibus suis *c. excommunicamus 13. §. moneantur 3. de Hæretic.*

14 Verùm licèt rationes istæ, & aliæ plures, quas accumulat Pignatell. *tom. 5. consult. 14. an. 1.* suadeant, Judæos non facilè recipiendos, non tamen evincunt, quòd non possint recipi à Principibus Christianis, & recepti in Rep. Christiana tolerari, prout idem Pignatell. *l. cit. à n. 70.* illustrat pluribus argumentis. Nam 1. Judæis tutela à Jure data est, ne Christiani in eos insultent, vel ipsos offendant vel in personis, vel in bonis *c. sicut 9. §. nullum b. tit. & l. nullus 14. C. eod. si quiete degant, nihilque tentent, turbulentum, legibúsque contrarium*, ut dicitur *l. Christianis 6. C. de Pagan.* 2. exemplo Summi Pontificis, qui Judæos in ipsa Urbe tolerat: cujus ratio esse potuit dictum Christi ad Petrum. *Pasce oves meas*, quæ verba Pignatell. *l. cit. n. 71.* intelligi vult non tantùm de ovibus, quæ jam sunt in ovili Christi, sed etiam de alijs, de quibus *Joan. 10. v. 16.* dicitur, quòd non sint adhuc de illius ovili, sed ad hoc adduci debeant, quales vocatione, gubernatione, & redemptione ex parte Christi etiam sunt Judæi. 3. Ipse DEUS vult Judæos, à Christianis non opprimi, atque arceri, quod non obscurè colligitur ex eo, quòd Apostolus *Rom. 11. v. 25. & 26.* scribat, Judæos ante finem mundi, cùm inter Gentes Electorum numerus completus fuerit, ad Christum convertendos esse, igitur, dum tempus illud conversionis Divinitus definitum adveniat, inter Christianos ferendi, & tolerandi sunt.

Atque hinc in Imperio jus recipiendi 15
Judæos inter Regalia numeratur: idque à Carolo IV. primitus solis Electoribus concessum *in Aur. Bull. Tit. 9. §.* auch Juden haben; deinde verò ad omnes Principes, Status, & alios, Regalia immediatè ab Imperatore recognoscentes, translatum est. *Ordin. Polit. Augusti. de Anno 1530. Tit. 27.* Non facilè tamen suadendum, ut perfida hæc Gens in pagos, urbes, & provincias facilè recipiatur, ob infinitas fraudes, fallacias, & alia vitia, quibus fordescunt, cum non exiguo detrimento Populi Christiani, prout experientia Magistra sæpiùs docuit.

Quoad Synagogas illorum, & ritus ex 16
communi sententia, ut videre est apud Sylv. *V. Judæus q. 4. dict. 5.* Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 10.* Vivian. *in c. 3. b. tit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1. & 2.* Gonzal. *n. 5. & seqq.* Zœs. *hic n. 2.* Honor. *n. 8.* Engl *n. 2. & 3.* Pirhing *n. 13.* König *n. 3.* Schambog. *n. 15.* Wiestner *n. 15.* Reiffenstuel *n. 4. & 5.* & alios passim, tria notanda sunt. 1. Novæ Synagogæ ipsis excitari, vel antiquæ funditus eversæ ibi, ubi steterunt, extrui prohibentur tam per SS. Canones, quàm per Jus Civile, prout patet ex *c. Judæi 3. c. consuluit 7. b. tit. & l. fin. §. illud 1. C. eod.* imò si novas erigant Synagogas, in 50. auri libras puniendi sunt *l. cit. §. quisquis 2. V. & qui.*

2. Antiquæ possunt ijsdem relinqui, 17
imò ad pristinam formam (non autem augustiorem) reparari, & veterum rituum exercitium ibidem permitti, prout patet ex textibus *citt.* Rationem dat Gonzal. *in c. Judæi cit. n. 10.* quia ceremoniæ, ritus, & mores Judaici, tametsi post promulgationem Legis Christianæ ponantur illicitè, veritatem tamen Evangelij, juxta illud S. August.

contr. Faust. c. 23. dicentis : *Quid est aliud hodie gens ista , nisi quædam scriniaria , bajulans Legem , & Prophetas , ad testimonium assertionis Ecclesiæ , ut nos honoremus per Sacramentum, quod illa nuntiat per litteram* ?

18 3. Non licèt Architectis , vel fabris Christianis laborare in ædificandis , vel restaurandis Synagogis Judæorum , aut Delubris Paganorum ; si enim non licet eis vendere ligna , & lapides , quibus erigantur , vel restaurentur Synagogæ eorum , vel alias res , ut eis utantur ad cultum Judaicum , vel Idololatriæ , ut docet S. Thom. *2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.* multo minùs licebit laborare ad ædificandum , vel restaurandum Synagogas ; quia hæ per se , & naturâ suâ ad Judaicos ritus , & ceremonias ordinantur. Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 6.* & *c. 24. q. ult.* Barbos. *in c. 3. h. tit. num. 3.* & *in c. 7. eod. n. 5.* Pirhing *hic n. 14. not. 2.*

19 Ad Argumenta *n. 13.* in contrarium allata facilis est responsio. *Ad 1.* Argumentum illud solùm evincit , sacra , ac negotiationes Judæorum ita restringenda esse, ut nihil in contemptum Religionis Christianæ , aut detrimentum Reip. moliri valeant ; & si ex eorum cohabitatione cum Christianis periculum , vel scandalum immineat , ejici possint , prout ejecti propterea sunt ex memoratis Regnis , & Provincijs. Secus est , si absque scandalo quietè , & pacificè secundùm Leges , & Statuta vivant ; tunc enim semel in protectionem recepti expelli nequeunt, cùm nefas sit fidem datam etiam Infidelibus frangere *arg. l. sicut 5. C. de O. & A. Ad 2.* negatur paritas cum Paganis ; nam horum ritus nullam utilitatem afferunt Christianis ; afferunt verò aliquam , ut S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 11. in Corp.* advertit , ritus Judæorum , utpote qui nobis in figura repræsentant veritatem Fidei , quam nos corde credimus , ore , atque actionibus profitemur, igitur hi tolerari possunt , non autem illi , nisi fortè ad aliquod malum v. g. scandalum , vel dissidium vitandum , vel ut paulatim sic tolerati convertantur ad fidem , ut cum S. Thom. *l. cit.* notant Sylv. *V. Judæus q. 6. dict. 3.* Vivian. *in c. 7. circ. med. h. tit.* Pirhing *hic num. 14. fin. Ad 3.* disparitas est ; quia majus periculum perversionis inducunt Hæretici , quàm Judæi , cùm vix auditum sit , aliquem à Christianis ad Judæos transire.

20 Dub. 2. an , & quousque Christianis prohibita sit communicatio cum Judæis , & Infidelibus in humanis , & Politicis ? R. 1. prohibentur Christiani cohabitare cum Judæis *can. nullus 13. caus. 28. q. 1.* & *c. Judæi 5. h. tit.* & multo magis contrahere cum ipsis Matrimonium *can. cave 15. cum seqq. q. cit. l. ne quis 6.* & *l. seq. C. h. tit.* imò Matrimonia , cum Judæis , & Paganis inita , ob disparitatem cultûs sunt irrita, ut patet ex *Concil. Nicæn. can. 67.* & *69.* Quodsi tamen quis ita firmus sit in Fide , ut ex ejus cum Judæis , & Infidelibus conversatione non timeatur ejus subversio , sed potiùs ex hoc sperari possit Infidelium conversio , talis , extra Matrimonium , non prohibendus esset communicare cum illis : unde prohibitio hæc cohabitationis juxta S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 9.* Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 1.* Sanch. *l. 2. c. 31. n. 2.* solùm intelligi debet de infirmis , de quibus timeri potest. Probabile tamen existimat Palao *tr. 4. D. 2. p. 9. n. 7.* adhuc familiaritatem prohiberi, etiamsi in casu particulari cesset periculum subversionis, aut scandali ; quia Lex non casus singulares , sed ea , quæ communiter contingunt , respicit : & propterea Suar. *D. 18. de Fid. sect. 6. n. 6.* solùm putat , familiaritatem cum Judæis permitti ijs duntaxat personis in Fide ita firmis , ut Infidelium eorum conversio specialiter ipsis commissa sit.

2. Prohibetur Christianis ingressus, & 21
usus ejusdem balnei cum Judæis *can. nullus cit.* ubi transgredientibus imponitur pœna depositionis, si Clericus sit ; Excommunicationis , si Laicus , non ipso facto , sed ferenda , ut colligitur ex *can. cit. V. excommunicetur* , quod hominis actionem significat. *Excipitur* , si id exigat necessitas v. g. sanitatis recuperandæ ; nam hoc casu , si scandali , & perversionis periculum absit , id esse permissum existimant Sanch. *l. 2. moral. c. 31. n. 11.* Pirhing *hic n. 2. v. tertiò* , Wiestner *ibid. n. 8.* Imò Phillarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 3. c. 12.* Sanch. *n. 11. cit.* Palao *p. 9. n. 12.* putant , non esse absolutè prohibitum Christiano uti balneo , quo Judæi utuntur , etsi istud causâ solius recreationis fieret , dummodo Christianus non accedat lavari cum Judæo , aut propter Judæum ex intentione , & conventione , neque huic in balneo se familiarem exhibeat ; quia *can. nullus cit.* solùm prohibetur Christianum cum Judæo in eodem balneo lavari , ut vitetur eorum inter se familiaritas. at non dicuntur simul lavari , ita , ut familiaritas aliqua contrahatur , quando prædicto modo se in eodem balneo lavant , sicut non dicuntur simul furari , qui non tanquam socij , nec ex conventione inter ipsos inita , sed casu ingrediuntur separatim simul vineam ad furandum. *Ex quo sequitur* , neutiquam teneri exspectare Christianum , aut abstinere à balneo casu , quo viderit Judæum priùs ingressum in balneum , aut postquam ipse ingressus est prior , supervenientem. Palao *l. cit.*

3. Non possunt Christiani uti Medicis 22
Judæis , aut Medicinis , quas hi præparârunt *can. nullus cit.* & *Const. Gregor. XIII.* incipit *Alias piæ editâ 1581.* Unde non poterit Christianus extra casum necessitatis permittere , ut Judæus illi venam secet , Chirurgi officium exerceat , vel alias Medicinas applicet ; secus verò , ut barbam radat , aut capillos tondat ; quia hæc nusquam prohibentur ,

tur; cùm non sit Medicinarum applicatio. Sanch. *c. 31. cit. n. 9.* Palao *n. 11.* Similiter non est prohibitum emere Medicinas à Judæo, si illas non præparet, vel saltem non applicet; quia, ut *infrà n. 34.* dicam, contractus Emptionis Venditionis, & alios specialiter non prohibitos Christianus cum Judæo celebrare potest, nec specialiter prohibetur emptio Medicinæ. Imò si nullus alius Chirurgus, aut Medicus æquè peritus haberi posset, licitum foret uti etiam operâ Judæi Medici; tunc enim obligatio Legis Ecclesiasticæ ex benigna interpretatione mentis Legislatoris cessat. Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 4.* Sanch. *c. 31. n. 8.* Pirhing *hic n. 2. ℣. secundò*, Engl *n. 7.* Schambog. *n. 8.* Wiestner *n. 8. fin.* Reiffenstuel *n. 10.* Eadem necessitas juxta Sanch. *l. cit.* foret, si morbi gravitas multis Medicis indigeret, & non esset copia tot Catholicorum; tunc enim perinde est, ac Christianos non esse sufficientes pro eo morbo. An verò sicut Christianus extra casum necessitatis prohibetur admittere Judæum sibi applicantem medicinam, ita etiam idem Christianus prohibetur medicinas applicare Judæis, ambiguæ quæstionis est. *Affirmat* Sanch. *n. 10.* quòd eadem sit ratio prohibitionis. Sed probabilius negat Palao *n. 11. cit.* quia quando Christianus curatur à Judæo, ratione beneficij accepti procurat se magis familiarem, & gratum ostendere, quam familiaritatem non contrahit, quando ipse curat; cons. non est eadem ratio prohibitionis, & si esset, prohibitio non est extendenda extra casum comprehensum in verbis Legis.

23 4. Prohibentur Christiani Judæos invitare ad convivia, & ab his præparata accedere *can. omnes 14. caus. 28. q. 1.* tum quòd familiaritas, quæ in convivijs contrahitur, periculum perversionis afferat; tum quòd Judæi discretionem ciborum superstitiosè faciant, & hanc ipsorum superstitionem Christianus convivia illorum accedens, videatur approbare, vel si more suo vivat, contemptui apud Judæos exponit Religionis Christianæ sanctitatem. Gloss. *in can. cit. V. omnes*, Turrecr. *in can. nullus cit. n. 4.* Abb. *in c. quàm sit 10. h. tit. n. 2.* Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 2.* Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 3.* Sanch. *c. 31. n. 7.* Conink *D. 18. n. 196.* Palao *p. 9. n. 13.* Pirhing *hic n. 3. ℣. quintò.* Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 15.* *Neque obstat*, quòd Christianis permissum sit colloquium cum Judæis; nam major familiaritas contrahitur in convivio, quàm in colloquio, & facilius quis inter epulas decipitur *arg. can. unusquisque 8. caus. 22. q. 4.* ubi Herodes caput S. Joannis Baptistæ promisit inter Epulas saltatrici puellæ, vix promissurus, si inter epulas non contigisset. Schambog. *hic n. 9.* Neque id tantùm procedit de convivijs, sed etiam extenditur, ut nec liceat adire eorum nuptias, ludos, aut choreas cum eis agere; quia per hæc non modica contrahitur familiaritas. Azor *c. 22. cit. q. 3. fin.* Sanch. *n. 17.* Palao *n. 13. fin.* Barbos. *in c. 5. h. tit. num. 8.* Pirhing *num. 5.* Et procedit ulteriùs, ut neque cum Sarracenis, aut alijs Gentibus liceat Christiano convivia, ludos &c. celebrare; quia etsi isti non contineantur verbis Edicti, sive Constitutionis *can. omnes cit.* continentur tamen sententiâ; quia & ipsi hodie cibos discernunt, sive Judaizant. Gloss. *in can. omnes cit. V. Judæorum*, Sylv. *q. 1. cit. dict. 2.* Pirhing. *n. 4.* & alij communiter. Bene tamen notat Palao *l. cit. ℣. adverto*, prohibitionem hanc intelligendam solùm de convivio formali, in quo Christianus vel invitat, vel invitatur; secus, si nulla intervenerit invitatio. Et hinc licitè à Judæo caupone Christianus cibos emit; item licitè in hospitio divertens apud Judæum cauponem in eadem mensa cum isto, vel cum alio Judæo in idem hospitium casu diverterite sibi appositos absumit. Sanch. *c. 31. n. 13. & trib. seqq.* Bonacin. *D. 13. q. 2. p. 5. cas. 5.* Palao *n. 13. cit. ℣. adverto.* Pirhing *n. 3. ℣. inde*, Engl *n. 7.* Schambog. *n. 9.* Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 15.* qui cum Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 2.* Barb. *in c. 10. h. tit. n. 1. & 2.* Vivian. *ibid. pr.* Vallens. *hic n. 4.* Zœs. *ibid. n. 4.* etiam excipiunt Clericos, & Religiosos; nam his, præsertim, quando Fidem Christianam prædicare volunt, Judæorum, & Gentilium convivia, aliáque politicam communicationem spectantia non prohibentur; quia aliàs non possent ita facilè eos lucrari. Atque ita intelligi debet, quod dicitur *can. ad mensam 24. caus. 11. q. 3.* ubi permittitur accessus ad mensam Paganorum. *Neque obstat*, quòd ibi tantùm sermo sit de Paganis; nam idem ob identitatem rationis etiam dici debet de missis ad conversionem Judæorum, & aliorum infidelium procurandam. Sanch. *n. 16.* Pirhing *n. 4. ℣. excipiuntur.*

5. Prohibentur Christiani famulari 24
Judæis *c. Judæi 5.* & *c. ad hæc 8. h. tit.* qui textus cùm servitij assidui in domibus Judæorum meminerint, hinc nonnulli cum Coninck *dub. 12. n. 171.* Bonac. *D. 3. q. 2. p. 5. n. 2. ℣. primus casus*, Palao *p. 9. cit. n. 15.* Wiestner *n. 10. hic*, & alijs putant, Christianis permissum esse, ut servire possint Judæis extra ipsorum domos, ex ratione; quia ratio prohibitionis potissima est periculum perversionis, quod cessat in famulitio extra domum præstito, modò talis famulatus non sit diuturnus, & assiduus. Verùm alij cum Sylv. *V. Judæus n. 3. dict. 1.* Azor *c. 22. q. 7.* Sanch. *c. 31. n. 20.* Barbos. *in c. adhæc cit. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 1.* Pirhing *hic n. 6.* Schambog. *n. 12.* Reiffenstuel *n. 12.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 20. n. 10.* censent, non licere Christiano Judæis servire sive in domo, sive extra illam, sive assiduò, & frequenter, sive rarò; quia

non propter solam familiaritatem vitandam illud prohibitum est, sed etiam ne Judæi superiores sint Christianis, & filij liberæ serviant filijs ancillæ contra dictum Apostoli: & hinc quando in *c. adhæc cit.* dicitur, ne *Judæorum servitio se* Christiani *assiduè pro aliqua mercede exponant*, subintelligi debet *maximè si assiduè.* Non tamen prohibitum est Christiano locare operas suas Judæis sive in domo, sive extra domum illorum, dummodo Judæi non sint assiduè præsentes; nàm si essent assiduè præsentes, illis quodammodo inservirent Christiani: si verò sint absentes, tunc possunt Christiani colere agros illorum, vel aliquod ædificium in illorum utilitatem fabricare, ut colligitur ex *c. multorum 2. h. tit.* etiamsi Judæus aliquando veniat ad inspiciendum ædificium, vel agriculturam; quia tunc non censetur moraliter præsens esse, sicut si continuò assisteret operario. Multo minùs Christiano interdictum est locare Judæis res suas, v. g. currus, animalia &c. Azor *c. 22. q. 8.* Sanch. *c. 31. n. 21.* Pirh. *n. 6. fin.* Schambog. *n. 13.* Petra *l. cit. n. 11.* *Dubitari potest*, an sicut Christianus non potest famulari Judæo, ita nec possit uti Judæo famulo? quod dubium distinctione solvitur; nam ita habere eum famulum nequit, ut fiat ejus domesticus, & familiaris *can. sæpe 12.* & *duob. seqq. caus. 28. q. 1.* secus potest *c. etsi 13. h. tit.* Sylv. *V. Judæus q. 3. dict. 1.* Sanchez *n. 6.* Pirhing *n. 2. v. hinc infertur.* In quo dispar est ratio cum Sarracenis, & alijs infidelibus; nam hos tanquam servos habere intra eandem domum non est prohibitum Christianis: & ratio disparitatis est; quia Judæi sunt magis obstinati, & difficiliùs convertuntur, magisque periti sunt ad subvertendum, quàm Gentiles. Sylv. Sanch. Pirh. *l. citt.* & praxis ubique recepta.

25 6. Non licèt Christianis mulieribus nutrire, & lactare liberos Judæorum *c. Judæi*, & *c. adhæc citt.* quod iterum procedit probabiliùs, etiamsi hoc faciant extra illorum domos; quia parentes ob amorem prolis sæpe illam invisunt, & sic periculum perversionis manet, etiam quando nutriuntur extra domum Judæorum. *Conf.* ex *Const. 3. Pauli IV.* incipit *Cùm enim*, & *Const. 70. Gregorij XIII.* incipit *antiqua*, ubi prohibitio habendi Nutrices Christianas est facta absque ulla mentione domûs, adeoque secundùm has Constitutiones prohibitio procedit sive in domibus Judæorum, sive extra. Unde dum *c. adhæc cit.* dicitur *in domibus eorum*, ut vitetur correctio Jurium, subintelligi debet *maximè*, ita, ut hæc verba addita sint non gratiâ restringendi prohibitionem, sed quia infantes frequentiùs in domo parentum nutriri solent. Azor *c. 22. q. 9.* Sanch. *c. 31. n. 19.* Barbos. *in c. 8. h. tit. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 1.* Pirhing *n. 7.* Schambog. *n. 11.* *Excipiunt* DD. *citt.* duplicem casum: *unus* est, si tali modo Infantes Judæorum nutriri possent extra domum, ut vitaretur familiaritas cum Judæis; *alter*, si parentibus essent destituti, vel propter nutricis inopiam essent in periculo vitæ; tunc enim licitum id foret, vel saltem posset dispensare Episcopus, ita tamen, ut prohibeat omnino quodcunque commercium cum ipsis Judæis, & omnino separatæ Nutrices Christianæ existant, & infantes in proprijs domibus nutriant, & retineant, prohibendo Judæis, ne ad illas accedant. Pignatell. *tom. 4. consult. 190. n. 22.* Extra hos casus, si Judæi Nutrices (idem est de Servis, & Famulis Christianis) non dimiserint, possunt Christiani inhiberi sub pœna Excommunicationis *c. Judæi 5.* & *c. etsi 13. h. tit.* absolvendi tamen sunt ab hac Excommunicatione, quamvis iteratò huic prohibitioni contravenerit, si cum debitis circumstantijs absolutionem petant, ut resolvit *S. Congr. Conc. 25. Jun. 1639. ad 2.* apud Petram *tom. 3. comment. fol. 21. n. 7.*

Porro circa communicationem, fidelibus 26
modò explicato prohibitam, tria sunt advertenda. 1. Communicatio hæc, excepta cohabitatione, & invitatione ad convivia, non est prohibita quoad alios Infideles, prout notant Sylv. *V. Judæus q. 3. dict. 1.* Sanch. *c. 31. n. 25.* Pirhing *n. 7. coroll. 2.* tum quia *c. Judæi 5. h. tit.* casus cohabitationis, & invitationis specialiter exprimitur, & extensio fit ad infideles, quod non fit in alijs casibus, non obscuro indicio, quòd in his prohibitio non procedat; tum verò quia Judæi magis odibiles sunt Ecclesiæ, item quia obstinatiores sunt, & magis periti ad pervertendum, quàm alij Gentiles. 2. Communicatio hæc non prohibetur Fidelibus in pœnam Infidelium, sicut prohibetur cum Hæreticis in pœnam istorum; quia cùm Infideles sint extra Ecclesiam, adeoque extra Jurisdictionem illius, non possunt ab hac spirituali Judicio puniri, privando illos directè communicatione fidelium: sed communicatio hæc prohibetur fidelibus ob periculum perversionis ex illa ipsis imminente; & sic indirectè solùm prohibitio infideles afficit. Pirhing *n. 1. hic.* 3. In casibus, in quibus quasi continua, & nimia familiaritas cum Judæis contrahitur, ac Fidei dignitati detrahitur, ut est habitare cum illis, famulari ijsdem domesticè in quibusvis ministerijs, eos in officijs publicis tolerare &c. est peccatum mortale. At verò in alijs communicare, si absit contemptus, & scandalum, & periculum perversionis saltem justa accedente causa, excusari à mortali potest. Sanch. *n. 26.* Pirhing *n. 8. Coroll. 3. Excipit* Armill. *V. Judæus n. 3.* esum Azymorum Judæi, qui semper peccatum mortale est extra casum necessitatis.

Dub. 3. quænam Judæis, Christiano 27
rum Principum potestati, & imperio subjectis, Jure tam Canonico, quàm Civili sint interdicta? R. 1. ne habeant Nutrices, ob-

obstetrices, & famulos Christianos, prout dictum est *n. 24. & 25.*

2. Ne aliquo officio publico fungantur inter Christianos, aut Jurisdictio in hos ipsis committatur *c. cùm sit 16. h. tit.* & *l. fin. pr. C. eod.* Et hinc si inter hos, & illos oriantur lites, etiam cùm Judæi à Christianis conveniuntur, non à Senioribus Judæorum, sed ab Ordinarijs Judicibus Christianis, & secundùm Imperialia, & Provincialia istorum Jura sunt dirimendæ *l. Judæi 8. C. h. tit.* Sylv. *V. Judæus q. 4. dict. 9.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 17. n. 5. fin.* Gonzal. *in c. 16. cit. n. 8.* Schambog. *hic n. 21.* König *n. 7.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 23.*

28 3. Ipsi, & alij Infideles non possunt instituì hæredes à Christianis: quod primò quidem inductum Jure duntaxat fuit in Episcopis, & Clericis *can. sanè 6. ỳ. multi caus. 24. q. 2. c. siquis 5.* & *c. inter eos 6. de Hæretic.* sed postea consuetudine passim receptum est etiam in Laicis Christianis: quod ita verum est, ut ne consanguineis quidem, & fratribus, siquos in istis habent, aliquid possint testamento relinquere, extra casum extremæ, aut gravis necessitatis. Sylv. *V. Judæus q. 1. dict. 6.* Suar. *D. 16. de Fid. sect. 6. n. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 31. n. 22.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 9. n. 16.* Wiestner *hic n. 15.*

29 4. Non permittuntur Judæi retinere mancipia, & servos Christianos: ubi tamen distinguendum est inter Servos Adscriptitios, & Originarios, & inter Servos propriè dictos; nam Servos *Adscriptitios*, & *Originarios* habere non prohibentur *c. multorum 2. h. tit.* Sylv. *V. Judæus q. 2. dict. 2.* Sanch. *c. 31. n. 21.* Vivian. *in c. 2. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 2.* Wiestner *hic n. 12.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 22. n. 12.* quia non sunt propriè Servi, nec præstant Judæis servitium personale, sed solummodo possidentur ab eis conseq entiam ruris, seu fundi, cui adscripti sunt, adeoque est Servitium merè reale, quo pacto possunt Christiani Judæis servire. Sanch. *num. 21. cit.* Hinc non sunt audiendi, qui cum Joan. de Plat. *in l. quemadmodum n. 9. ỳ. sed quia C. h. tit.* putant non esse permissum Judæis emere fundum, habentem Adscriptitios Christianos, ita, ut venditio facta sit nulla. *Contrà* Christianos Servos *propriè tales* Judæi habere prohibentur *c. præsenti 1. c. Judæi 5.* & *c. fin. h. tit.* ubi istos, si ante Baptismum susceptum eos emerint, post conversionem intra tres menses justo pretio jubentur vendere Christianis, ne alàs sine pretio ad libertatem veniant: quod constitutum est ob favorem Fidei, & perversionis periculum. Imò ob istas causas quilibet Christianus Princeps subditos suos Infideles potest reddere incapaces potestatis Dominicæ in fideles, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 10.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 17. num. 6.* Wiestner *num. 12. cit.* Dixi *Subditos suos Infideles*; nam Infideles non subditos Princeps Christianus, aut Ecclesia potestate dominica in Servos Christianos privare nequit; tum quòd ostendi non possit, unde acceperint hanc potestatem; tum quòd ipsa S. Scriptura jubeat parere dominis discolis, & his non obedientes DEI ordinationi dicantur resistere *Rom. 12. v. 1. Ephes. 6. v. 1.* & *1. Petr. 2. v. 13.* Navar. *Man. c. 17. à n. 103.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 11. n. 6.* Suar. *D. 18. sect. 5. n. 3. & 10.* Coninck *D. 18. de fid. dub. 10. concl. 1. 3. & 4.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 8. n. 9.* Wiestner *hic n. 14.* *Excipitur*, si Servus talis esset in periculo perversionis valde propinquo; nam hoc casu eximi fidelis à servitute domini infidelis posset, ut cum DD. *citt.* tradit Palao *l. cit. n. 10.*

5. Interdictum est Judæis, ut ostia 30
vel fenestras in die Parasceves, seu Veneris Sancto apertas habeant, sed clausas tenere debent tota illa die *c. quia super 4. h. tit.* Ratio est, quia tunc consueverunt deridere Christianos in contumeliam Creatoris. Gloss. *in c. cit. V. aperta.* Imò totâ hebdomadâ Sanctâ in publicum prodire prohibentur *c. in nonnullis 15. ỳ. in diebus eod.* solebant enim his diebus ornatiores, & hilariores procedere, Christianis illudere, qui illo tempore mortem Servatoris lugent. Eodem *cap. pr.* præcipitur, ut Judæi, & Sarraceni, in Provincijs Christianorum degentes, habitu distinguantur à Christianis: quod Decretum in Italia, aliisque Provincijs strictè observatur, non item in Germania, quamvis deberet, juxta *Ordin. Polit. Tit. 22.* ubi statuitur, ut Judæi circulum flavum in veste, aut pileo suo patenter ferant, ex quo à Christianis discernantur. Insuper Paulus IV. ut Petr. Matth. *in 7. Decret. l. 5. Tit. 1. c. 4.* refert, eosdem Judæos etiam habitatione, & cæteris privilegijs à Christianis discriminari voluit.

Dub. 4. quænam Jura Judæis, in- 31
ter Christianos degentibus, & legitimè in tutelam receptis, Jure communi concessa, seu permissa sint, & quæ contra illos fieri sint prohibita? *R.* 1. non possunt inviti, & nolentes ad Baptismum suscipiendum compelli *c. sicut 9. pr. h. tit.* ubi ratio datur, quia *Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire*: de quo *infrà* latiùs *n. 42.*

2. Nullus Christianorum sine judicio 32
Sæcularis potestatis Judæum aliquem occidere, vel vulnerare, vel pecunias suas ipsi auferre præsumat *c. sicut cit.* Ratio est, quia nulli permissum est occidere, vel pœnam infligere, nisi cui ex officio id commissum est *can. miles 13. can. cùm minister 14.* & *can. qui malos 29. caus. 23. q. 5.* & pœna non est inferenda, nisi per Judicem. Gloss. *in c. sicut cit. V. sine judicio.*

32 3. Nullus præsumat bonas consuetudines Judæorum immutare, præsertim in festivitatibus suis celebrandis nemo eos perturbet fustibus, aut lapidibus *c. sicut cit.* modò nihil faciant in opprobrium Christianorum. *Ex quo sequitur*, Judæos liberè posse celebrare Sabbata, & alia putatitia sua Sacra, ita, ut illo tempore in jus vocari aut aliter impediri non valeant *l. in festivitatibus 2. & l. Judæos 18. C. h. tit.* König *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 20.*

4. Nemo coacta servitia ab eisdem exigat, nisi quæ ipsi tempore præterito facere consueverunt, vel ad quæ se sponte offerunt, vel quæ Jura præcipiunt *c. cit. ℣. neque aliquis*, Host. *ibid. V. consueverunt.*

33 5. Nemo Cœmeterium Judæorum mutilare, i. e. perrumpere, vel destruere, aut invadere, sive obtentu pecuniæ humata corpora effodere audeat: siquis verò contra hoc Decretum præsumpserit facere, honoris, i. e. Dignitatis, siquam habet, & officij sui periculum, seu jacturam patiatur, aut excommunicetur, nisi condignè satisfecerit *c. sicut cit.* ubi Gloss. *fin.* Abb. *in fin. ibid.* Pirhing *hic n. 26. fin.* notant, in optione Judicis esse, quam velint ex his pœnis reo imponere, si nolit satisfacere, pœnam privationis, an Excommunicationis.

34 6. Judæi legitimè recepti frui valent jure Civium aliorum. Mynsing. *cent. 5. obs. 6.* ita, ut rerum dominia non tantùm habere, sed de ijs etiam tam inter vivos, quàm mortis causâ liberè disponere, Emptionis Venditionis, & alios quosvis contractus inter se, & cum Christianis inire, Matrimonia inter se ritu suo contrahere, actiones instituere, & excipere queant &c. Alex. *vol. 3. cons 71.* Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 4.* Sanch. *l. 2. mor c. 31. n. 23.* Besold. *Thesaur. pract. V.* Juden König *hic n. 5.* Reiffenstuel *ibid. n. 21.* & alij communiter; quod confirmatur universali consuetudine, quæ est optima Legum interpres.

35 7. Siqui Judæi, vel Sarraceni ad Fidem Christianam sint conversi, possessionibus, & bonis suis nullatenus spolientur, cum melioris conditionis debeant esse ad Fidem conversi quam ante fidem susceptam, ut dicitur *c. Judæi 5. ℣. siquis h. tit.* Si verò secus factum fuerit, principibus, seu Magistratibus locorum injungitur *c. cit.* sub pœna Excommunicationis, ut partem hæreditatis, & omnium bonorum suorum eis integrè faciant exhiberi, & restitui. *Ex quo sequitur*, sic conversos retinere Jura successionis erga parentes, & alios Agnatos, eisque succedere, sicut priùs. Abb. *in c. cit. n. 2.* Barbos. *ibid. n. 6.* Honor. *hic n. 24. & 26.* Pirhing *n. 27. coroll. 3.* König *n. 8.*

36 Dub. 5. quomodo, & à quo Judæi delinquentes possint, ac debeant puniri? ℟. distinguendum esse inter delicta; nam si in contemptum nostræ Religionis aliquid faciant, puniri possunt etiam ab Ecclesia, & Inquisitoribus, prout constat ex *Const. Gregorij XIII.* incipit *Antiqua*, & est inter Constitutiones ipsius 70. non tamen pœna Excommunicationis; quia non sunt membra Ecclesiæ, cons. separari ab ista per Excommunicationem nequeunt: nisi indirectè prohibendo Christianis, ne communionem cum Judæis habeant, & sic privando illos communione Christianorum. Pirhing *hic n. 30. coroll. 2.* Quoad alia delicta de Jure communi coërceri debent, non ab Ecclesia, quippe cujus Jurisdictioni spirituali non subijciuntur, sed à principibus, & Magistratibus Christianis, in quorum territorio degunt *c. postulâsti 14. h. tit.* Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 11.* Pirhing *hic n. 30.* Quodsi verò Judex Sæcularis in hoc deficeret, à Judice Ecclesiastico per Censuras ad id compellendus esset *c. cit.*

Et hoc modo Christiani Magistratus 37
adversùs Judæos possunt procedere usque ad ejectionem, & extirpationem illorum; quamvis enim legitimè receptos, si pacificè, & honestè vivant, pro arbitrio ex territorio, & ditione sua non possint ejicere, ut Decian. *tr. crim. l. 5. c. 11.* Vasq. *Illustr. Contr. c. 1. n. 12.* Barbos. *in c. 9. cit. n. 4.* Pirhing *hic n. 31.* & alij advertunt; ex justis tamen causis propter eorum sacrilegia, vel alia gravia crimina ejici, & extirpari possunt; quia si abutantur gratiâ, & privilegijs, merentur illa amittere, prout defacto ex multis Regnis, & Provincijs ejectos fuisse refert Barbos. *in c. 9. cit. n. 5.*

Contra Christianos, qui ad ritus Ju- 38
dæorum transeunt, uti & contra fautores, & receptatores eorum, procedere possunt Inquisitores, sicut contra Hæreticos, & horum fautores &c. Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 454. n. 3. & 4.* & statuit Clem. IV. *7. Cal. Aug. 1267.* Gregorius X. *Const. 2.* Nicolaus IV. *Const. 1.* Gregorius XI. *Const. 2.* Paulus III. *Const. 32.* ubi extenditur hoc etiam ad Judæos, qui ad lumen Fidei Christianæ conversi revertuntur ad priorem perfidiam: & par est ratio de Sarracenis ad Fidem conversis, si redeant ad Sarracenos. Petra *l. cit. n. 6. & 7.*

Estque hoc verum, etiamsi coacti, 39
& inviti Baptismum susceperint, modò coactio non fuerit absoluta, seu præcisa, & omnimoda; nam coacta voluntas est voluntas: ut adeo sic Baptizatus jure compellatur veram tenere Fidem, ne, ut *can. de Judæis 5. dist. 45.* dicitur, *nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur.* Et propterea in *Concil. Later. IV. can. 70.* consultò cautum est, ne Judæi, ad Fidem conversi, quidquam de Judaicis superstitionibus retinere sinantur. Ad idem collimâsse videtur Paulus IV. *Const. 32. cit. §. 4.* dum Episcopus monuit, ut operam dent, ne (Judæi con-

ver-

versi) cum alijs Judæis, seu Infidelibus, saltem per longum tempus, conversentur, ne, sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

40 An verò ab Ecclesia ad pœnam Hæreticorum procedi etiam possit adversùs Judæum, qui volens baptizatus est, sed invalidè ex defectu materiæ, aut formæ, vel intentionis Ministri, dubitari posset: in quo dubio *certum est*, si non constet de invaliditate Baptismi, talem reputandum pro Apostata, non tantùm quoad DEUM ratione Baptismi Flaminis, sed etiam quoad Ecclesiam, quæ præsumit illum validè baptizatum, quamdiu de invaliditate non constat. Idem eadem ex ratione dicendum est, si Judæus fictitiè accedat ad Baptismum, qui præsumetur validus, quousque non probatur defectus intentionis in suscipiente. *Neque obstat*, quòd Ecclesia in neminem *judicium* exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus, ut ait Trid. *sess. 14. c. 2. de Pœnit.* nam hoc procedit tantùm, si appareat aliquem nunquam fuisse baptizatum, aut Baptismum invalidè suscepisse.

41 *Controversia* est, quando præsumptio validitatis Baptismi cessat, quòd constet de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Affirmant nonnulli graves DD. & in his Farin. *prax. crim. q. 178. n. 135.* Dian. *p. 4. tr. 8. resol. 78.* Gonzal. *in c. 4. de Apostat. n. 4.* & putant etiam contra talem, tanquam contra Apostatam procedi posse ab Ecclesia: quibus favere videtur S. August. *l. un. de Baptism. contr. Donatist c. 3.* ubi invalidè baptizatos, deficientes à Fide, Hæreticos vocat, dum asserit, nonnullos Hæreticos esse denuo in Ecclesia recipiendos sine novo Baptismo, nonnullos verò denuo baptizandos, & utrosque esse veros Hæreticos.

42 Sed dicendum, invalidè baptizatum, etiamsi credat se validè baptizatum esse, non posse puniri tanquam Hæreticum, si à Fide resiliat. Ita Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 34.* Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 4.* & *D. 19. de Fid. sect. 5. n. 8.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 20.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 456. n. 19.* Ratio est, quia Baptismus Flaminis operatur quidem, ut. quis in foro interno, & coram DEO ob fidem Sacramenti, per quam Christo unitur, fidelis fiat, adeoque si à fide recedat, in eo foro evadat Apostata: non tamen eundem fidelem, & si revertatur ad errores suos, Apostatam facit in foro externo Ecclesiæ, ut propterea ab hac sit punibilis; nam ad hoc requiritur, ut subjectus sit Jurisdictioni Ecclesiæ, adeoque ut sit hujus membrum visibiliter aggregatum ejusdem corpori. talem non facit Baptismus invalidè collatus. ergo cessante præsumptione de hujus valore, Jurisdictio Ecclesiæ circa sic baptizatum cessat. *Authoritas S. Aug.* in contrarium allegata intelligi debet, ut tales sint Hæretici coram DEO, non autem, ut puniri possint ab Ecclesia, ut notat Delben. *de Offic. Inquis. p. 1. dub. 2. sect. 1. coroll. 1. n. 6.*

Multo minùs puniri possunt Hæretico- 43
rum pœnis Catechumeni renuentes baptizari, etsi ob Baptismum Flaminis possint esse Hæretici in foro animæ, ut contra Alphons. de Castr. *de just. Hæret. punit. l. 1. c. 8. q. 3.* tenent Farin. *q. 178. cit. n. 131.* Delben. *dub. 2. cit. petit. 1. n. 5. cùm seqq.* Petra *fol. 457. n. 20.* Puniri tamen possunt extraordinariè propter injuriam, quam Ecclesiæ faciunt. Passerin. *in c. 13. n. 10. de Hæret. in 6.* Delben *petit. 1. cit. coroll. 1. n. 28.* Petra *fol. 457. cit. n. 21.*

Idem dicendum de eo, qui non ob- 44
stante, quòd sciat, nunquam se esse baptizatum, se tamen pro baptizato gerit, & pro tali ab omnibus se haberi vult; nam si constet, eum baptizatum non esse, tanquam Apostata puniri non potest, licèt postea, mutato animo, se gerat pro non baptizato, ut rectè tenet Card. de Lug. *de Virt. Fid. D. 20. sect. 4. §. 1. n. 146.* quem citat, & sequitur Petra *l. cit. n. 24.* aliàs tamen est graviter puniendus ratione delicti, quem admodum puniuntur Judæi, dum nostram Religionem lædunt, ex *Const. Gregor. XIII. 70.* incipit *Antiqua.* Nec absimiliter sentiendum de eo, qui verè Baptismum nunquam suscepit, si deinde constet non esse baptizatum. Petra *n. 25.*

Quæritur 3. quænam Christianis Ju- 45
re Canonico interdicta sint circa Sarracenos, seu Paganos, & alios Infideles? R. I. prohibentur Christiani etiam extra belli tempora Turcis, aliisque Infidelibus deferre, aut vendere arma, aliáque belli Instrumenta, & materialia: quod delictum utroque Jure gravissimis vindicatur pœnis; nam *Jure Civili* ejusdem rei capite puniuntur, & confiscatione bonorum *l. fin. C. quæ res exportar. &c.* & additur ratio; quia *pernicioſum Romano Imperio, & proditioni proximum est Barbaros, quos indigere convenit telis eos, ut validiores reddantur, instruere.* *Jure Canonico* autem sunt ipso facto excommunicati, rerum suarum privatione mulctantur, & capientium servi fiunt, sunt infames, intestabiles, inhabiles ad quoscunque actus legitimos, & hujusmodi sententia per omnes urbes maritimas diebus Dominicis, & Festis, postquam constiterit de hujusmodi eorum temeritate, publicè innovatur *c. ita quorundam 6. c. significavit 11. ℣. illi quoque c. ad liberandum 17. h. tit.* & *Extrav. un. Joan. XXII. eod.* Absolutio ab hac Excommunicatione per *Extrav. 1. int. comm. eod.* reservatur Summo Pontifici: quæ eis non indulgetur, nisi tandundem in subsidium Terræ Sanctæ de suo transmiserint, *quodsi fortè solvendo non fuerint, sic aliàs reatus castigari debet, quòd in pœna ipsorum alijs interdicatur audacia similia præsumendi*, ut dicitur *c. ad liberandum cit. in fin.*

fin. Innovatur Excommunicatio hæc, & reservatio per *Bull. Cæn. cas. 7.* & cum priores textus tantùm comprehenderint eos, qui deferunt arma ad Sarracenos, extenditur etiam ad illos, qui arma deferunt ad alios infideles non Sarracenos, & Hæreticos. Cujus ratio est, ne Christiani nominis inimici, nostris subsidijs, armisque instructi, ad bellum nobis inferendum expeditiores fierent. *Excipiunt* aliqui casum, quo id fieret ad redemptionem fidelium apud eos captivorum, si hi aliter liberari non possent. Sed Gloss. *in c. 11. cit. V. aliquod commodum*, Abb. *ibid. n. 2.* Pirhing *hic n. 35.* probabiliùs tenent id fieri non posse sine speciali licentia Papæ, ne fraus aliqua committatur; nam facilè prætendere aliquis posset, se merces prohibitas deferre pro redimendis captivis, quibus tamen postea uterentur Sarraceni ad impugnandos Christianos: ideoque Excommunicationis sententiam non evadet.

46 2. Tempore belli, quod inter Christianos, & infideles geritur, eandem Censuram, à Jure inflictam, incurrunt non solùm illi, qui commeatum, arma, aut alia belli subsidia, sed etiam qui merces quascunque ad eos deferunt; ne occasione commericorum ijsdem prodantur arcana Christianorum consilia *c. quod olim 12. h. tit.* & *ibi* Abb. *n. 1.* Barbos. *n. 2.* Vivian. *ibid. fin.* Palao *D. 3. de Censur. p. 8. n. 2.* Honor. *hic n. 18.* Pirhing *n. 36.* König *n. 11.* Wiestner *n. 27.* Extenditur etiam ad tempus, quo Treuga facta est inter Christianos, & Sarracenos *c. significavit 11. ℣. illi quoque h. tit.* quia qui Treugam facit, non facit pacem, nec desistit à bello nisi ad tempus, Gloss. *ibid. V. post treugam.* Quare quæ Christiani prohibentur ad hostes deferre tempore belli, prohibentur quoque tempore treugæ, seu induciarum deportare. Azor *p. 1. l. 8. c. 23. q. 16.* Pirhing *hic n. 35. ℣. secundò.* Porro ab Excommunicatione hac olim absolvere poterat Episcopus, cùm Papa sibi absolutionem non reservaverit, Gloss. *in c. 12. cit. V. supponimus.* Hodie tamen ab ea absolvit solus Pontifex, cùm sit Casus reservatus in Bulla Cænæ §. *cæterùm à prædictis sententijs* ut notat Gloss. *marg. V. cit.*

47 3. Prohibetur sub eadem Censura Pontifici reservata, ne quis per se, vel per alios de rebus ad statum Christianæ Reip. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciat, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstet, ut habetur *in cit. Bull Cæn. cas. 7.* quod intelligendum est non tantùm accessoriè ad prohibitionem, ne arma ad ipsos deferantur, de quo *suprà n. 45.* sed principaliter, ut alijs *citt.* notat P. Emman. Correa *Idea Consil. D. 6. n. 1345.* & *duob. seqq.* Adeoque *procedit 1.* etiamsi non sit secutus effectus consilij. Correa *l. cit. n. 1350.* cum Alterio *l. 5. D. 8. c. 10. col. 8.* Leand. à S. Sacram. *tom. 4. tr. 3. D. 7. q. 54.* & alijs: & dat rationem, quia in hoc ipso ea, quæ principaliter ratione sui prohibentur accessoriè, quòd ista simpliciter posita, & nullo effectu secuto, incurrant pœnam, ista verò non nisi secuto effectu. *Procedit 2.* etsi consilium Christianus dederit Infideli, aut Hæretico jam parato ad inferendum damnum Christianis sine tali consilio. Correa *n. 1352.* cum Ugolin. *ad Bull. Cæn. c. 4. §. 2.* contra *Bonacin.* quia quòd Infidelis jam aliunde sit determinatus facit solùm quòd consilium non sit causa moralis damni: id quod in casu præsenti non requiritur ad incurrendam Censuram, cùm hæc lata sit in consulentes æquè principaliter. *Procedit 3.* ut nonnulli volunt, etiam de ijs, qui gravissimo vitæ, vel alterius damni metu coacti consilium, auxilium (ut remiges faciunt) Infidelibus, vel Hæreticis præstant in damnum Reip. Christianæ. *Sed meliùs* contrarium tenent, Sayr. *l. 3. c. 11. n. 18.* Azor *tom. 1. l. 2. c. 7. q. 6.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 8. n. 22.* Correa *l. cit. n. 1358.* & alij apud istos; nam esto, sic cooperantes delinquant, & propterea potuerint ab Ecclesia Censurâ affici, verisimiliùs tamen est, quòd afficere istâ illos defacto noluerit, cum hoc videatur à pietate, & benignitate Ecclesiæ alienum. Imò si cooperatio sit materialis tantùm, & valde remota, ut remigum, ita coacti ex magis recepta sententia RR. teste Correa *n. 1367.* ne quidem peccant; quia Gratias, ex qua sola daretur obligatio, non obstringit cum tanto periculo proprio, præsertim quando probabile non est posse vitari damnum temporale proximi.

Dub. 1. num liceat Principi Christia- 48
no inire fœdus cum Sarracenis, & Infidelibus auxilij contra fideles ferendi causâ? Affirmant Abb. *in c. 8. de Vot. n. 15.* Oldardin. *cons. 71.* Marth. de Afflict. *de Feud. tit. de Pace V. conventicula n. 32.* Decian. *tom. 3. cons. 20.* Farin. *prax. crim. q. 125. n. 90.* & alij apud Corream *Idea Consil. D. 6. n. 1404.* quod probant 1. exemplis adductis ex S. Scriptura; sic enim Abraham inijt fœdus cum Aner, Eschol, & Mambre infidelibus cum David, & Salomon cum Hiram Gentili, Machabæi cum Romanis. 2. fas est hostes propulsare dolo, atque infidijs *can. Dominus 2. caus. 23. q. 2.* ergo multo magis auxilio Infidelium. 3. unusquisque jure id facere existimatur, quod ad sui tutelam facit, præsertim si justè timeat, quòd se aliter tueri nequeat *l. ut vim. 3. ff. de J. & J. l. scientiam 45. §. qui cùm 4.* & *l. fiquis 49. §. quod dicitur 1. ff. ad Leg. Aquil.* ergo & Princeps jure ab Infidelibus implorat auxilium, quando id facit ob necessariam patriæ, ac Reip. conservationem. 4. fideles in bello justo juvare possunt ipsos Infide-

deles; sic enim Julianus Apostata sub se habuit Christianos milites, qui jussis ejus obsequebantur *can. Julianus 94. caus.* 11. *q.* 3. ergo viciſſim Infideles etiam Fideles juvare possunt. 5. Ipse DEUS ad punienda delicta Judæorum usus est, & sæpe etiam ad castigandos Christianos utitur flagello Gentilium.

49 *Contrà* negativam defendunt Reinking *de Regim. Sæcul. & Eccl. l.* 2. *class.* 3. *c.* 3. *à n.* 63. Alberic. *de Jur. Bell. l.* 3. *c.* 19. Armius *in Aur. Bull. dist.* 6. *thes.* 7. Miler, *ibid. p.* 2. *dissert.* 4. *thes.* 35. Herm. *Fasc. Jur. publ. c.* 11. *n.* 157. König *hic n.* 13. propter textus S. Scripturæ, in quibus DEUS conjunctiones, ac fœdera ejusmodi cum Paganis & Infidelibus severè prohibet *Exod.* 23. *fin.* & 34. *v.* 12. & 15. *Deut.* 7. *v.* 2. *Judic.* 2. *v.* 2. 2. *Paralip.* 16 2. *Corinth.* 6. *v.* 14. & alibi. Accedit, quia fœdera, & auxilia Infidelium Christianis sæpe fuerunt, & ferè semper sunt periculosa propter perversionis, invasionis, ac desertionis periculum, Certè Joannis Palæologi Imp. Orientis confœderatio cum Amurathe I. ipsi, & toti Græciæ exitio fuit,

50 Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 31. *n.* 25. incedit viâ mediâ, dum ait, si solam naturam spectemus, fas esse fidelibus, bellum justum gerentibus, advocare in adjutorium quoscunque Infideles, sicut licet uti ministerio Elephantorum; & aliorum: quia tamen rarò id fieri potest sine scandalo, & magna strage Religionis, morum, ac rei familiaris Christianorum, addit sæpe, & plerumque ejusmodi fœdera esse illicita. Consentire videtur Correa *Ideâ Consil. D.* 6. *n.* 1415. & *seqq.* ubi distinguit, an Princeps Christianus per se, & cum solo auxilio fidelium contra alium Principem Catholicum gerere bellum possit an verò non, *Si primum*, vult nullo modo licitum esse uti auxilio Infidelium etiam ad bellum justum defensivum; quia ut defensio justa sit, fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ; quod hoc casu excederetur. *Si secundum*, concedit licitum esse uti auxilio Infidelium etiam in bello offensivo justo, quod probant argumenta primæ sententiæ, modò damna, & pericula, quæ ex tali consortio oriri solent, pro viribus caveantur: quod multo magis procedit in Infidelibus, qui tali Principi subjecti sunt; nam hi non ita liberè audent tot sacrilegia in Religionis Christianæ injuriam committere, tum quia cohibentur metu supplicij, tum quia hoc ipsum existimant cedere in despectum sui Principis, & Ducis.

51 Dub. 2. an Judæi, Sarraceni, & alij Infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum, & Fidem Christianorum? Videtur respondendum affirmativè. 1. ob *can. jam verò* 4. *caus.* 23. *q.* 6. ubi Gregorius I. Januario Episcopo Calaritano mandat, ut subditum quendam suum infidelem *tanto pœnitentiæ onere gravet, ut ipsâ exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem* (veræ fidei) *festinare.* 2. *l. cælicolarum* 12. *C. h. tit.* præcipitur, ut Cælicolæ, ad Fidem Christianam converti renuentes, ijsdem, quibus Hæretici, stringantur pœnis. Hæretici autem ad Fidem Catholicam cogi possunt juxta dicenda *Tit. seq. n.* 69. ergo &c. Consentit *l. fin.* §. *si verò* 3. *C. de Pagan.* ubi infideles, baptizari renuentes, jubentur puniri confiscatione bonorum, & exilio. 3. Sisebutus Gothorum Rex propterea Religiosissimus à PP. Concil. *Tolet. IV.* dicitur, quòd Judæos in Hispania baptizari renuentes, turpiter decalvatos, centum flagellis cædi, & confiscatione bonorum, atque exilio puniri jusserit; & cùm eorum aliquot millia in Galliam se recepissent, turpe visum fuit Dagoberto Galliarum Regi ejectos Religionis nostræ hostes, finibus suis receptos, retinere, ac Visigothis Religione cedere; & hinc ipse diem præscripsit, intra quam quisquis mortalium Religionem nostram non profiteretur, hostis judicaretur, comprehensúsque capite lueret, ut alijs *citt.* refert Gonzal. *in c. 9. h. tit. n.* 6. 4. Per Ferdinandum, & Isabellam Reges Catholicos ex Hispaniarum Regnis ad 40000. Judæorum, & Sarracenorum expulsi sunt, teste Cenedo *ad Decret. collect.* 15. *n.* 3. quos propterea laudibus extollunt Scriptores. 5. Christus Dominus sub nomine Regis invitantis ad cænam, dixit compellendos esse intrare Ecclesiam eos, qui in vijs, & plateis sedebant, h. e. extra eam. 6. Cogi Infideles subditi possunt ad observantiam Legis Divinæ, & naturalis, sed hujus præscripto Fidem sufficienter propositam quivis obligatur recipere. 7. Coactio hæc non cedit in præjudicium infidelium, sed potiùs in maximam eorum utilitatem, cùm Baptismus ad salutem animæ simpliciter sit necessarius.

Sed dicendum, Infideles ad Fidem directè cogi non posse. Ita S. Ambros. *serm.* 13. *in Psalm.* 118. S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Sylv. *V. Judæus q.* 6. *dict.* 1. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 24. *q.* 2. Tholos. *Synt. l.* 2. *c.* 3. *n.* 15. Suar. D. 18. *de Fide, sect.* 3. *q.* 4. Becan. *de Fid. c.* 13. *q.* 4. *n.* 2. & 3. Conink *D.* 18. *Dub.* 14. *concl.* 4. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 3. del Bene *de Offic. Inquis. p.* 2. *dub.* 230. *sect.* 8. Vivian. *in c. 9. h. tit. pr.* Barbos. *ibid. n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 5. Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 75. *n.* 40. Vallens. *hic n.* 6. Zœs. *n.* 2. Honor. *n.* 20. Engl *n.* 10. Pirhing *n.* 26. Schambog. *n.* 18. Wiestner *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 40. & alij TT. ac Canonistæ. Sumitur 1. ex *can. qui sincera* 3. *can. de Judæis* 5. *dist.* 45. & *c. sicut Judæi* 9. *h. tit.* ubi talis eorum coactio diserè prohibetur. 2. Ex *c. majores* 3. §. *item quæritur de Baptism.* & *Concil. Tolet. IV. c.* 55. ubi coactio ista dicitur esse contraria Religioni Christianæ, & adversari usui, atque institutioni Apostolorum. 3. Ex *usu, & praxi Ecclesiæ* perpetuò observa- 52

tâ, quæ nunquam Infideles compulit ad Fidem vi, & armis, sed patientia, humilitate, & mansuetudine, juxta illud *Luc. 10. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque virgam &c.* 4. Ex *ratione;* quia neque Ecclesia, neque Principes sæculares Jurisdictionem ad hoc sufficientem habent: Ecclesia quidem; quia ejus Jurisdictio ad Infideles non baptizatos se non extendit juxta illud: *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5. v. 12.* non Principes, & Magistratus Sæculares; quia horum potestas solùm Politica, & ad finem naturalem, videlicet pacem, & felicitatem Reip. temporalem promovendam est ordinata. 5. Coactio ista faceret odiosam Christianam Fidem, de tyrannide suspectam redderet, & alia incommoda secum plura inveheret. 6. Credere liberæ voluntatis est, ut ait S. Thom. *l. cit.* & Fides non ex necessitate, sive coactione suscipi debet *can. sincera cit. can. ad fidem 33. caus. 23. q. 5.* Gloss. *in c. sicut Judæi cit. V. Christi fidem.* De Liberis Infidelium, num invitis parentibus baptizari possint, videri potest *Lib. 3. Tit. 42. n. 36. & seqq.*

53 Dixi, *directè Infideles ad Fidem Christianam non posse cogi;* nam indirectè id fieri potest v. g. si ijs, qui eandem amplexuri sunt, proponantur præmia, honores, privilegia; negentur ista illis, qui in Infidelitate manserint: si illis remittantur Tributa, aut pœnæ promeritæ; hæc severè, & secundùm Justitiæ rigorem exigantur ab istis: si veri Dei cultus ubivis promulgetur, prohibeantur superstitiosi ritus, nulli permittantur pro ijsdem Sacerdotes &c. Valent. *D. 1. q. 10. q. 6. ¶. at eadem ratione*, Suar. *D. 18. sect. 3. n. 8.* Conink *D. 18. dub. 14. n. 238.* Becan. *c. 13. q. 4. n. 4.* Bonacin. *D. 3. q. 2. de Fid. p. 7. n. 3.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 6. n. 4.* Wiestner *hic n. 20.* Reiffenstuel *ibid. n. 43.* Imò si Infideles Prædicatoribus Evangelij resistant, aut licentiam prædicandi denegent, teste P. Engl *hic n. 10. fin.* plerique fatentur tunc licere infideles etiam bello cogere, & expugnare propter injuriam, quam inferunt Evangelio, dum ejus prædicationem, quæ ex mandato Christi toti mundo debet innotescere, impediunt. Consentit Suar. *D. 18. sect. 2. circ. fin.* Pal. *p. 5. n. 8.*

54 Neque aliud probant Argumenta opposita. *Ad 1.* id intelligendum est de coactione indirecta tantùm; nam de hac explicandum *can. cit.* & alios textus suadent Canones *n. 42.* allegati, quibus coactio Infidelium ad Fidem manifestè prohibetur. *Ad 2.* imprimis Cælicolæ, ut constat ex Aug. *Epist. 163. circa fin.* erant verè baptizati: deinde factis suis, & sceleribus contra naturam ita Remp. turbabant, ut meritò potuerit Imperator eos pœnis Hæreticorum punire, nisi desertis illis vitijs, & erroribus, ad fidem converterentur. Confiscatio bonorum, & exilium *l. fin. cit.* Infidelibus renuentibus baptizari imponi jubetur ob alia delicta, quæ tamen pœnæ ijsdem fuissent remissæ, si Baptismum voluissent recipere: conf. iterum de indirecta tantùm coactione est sermo. *Ad 3.* Sisebutus Rex *Religiosissimus* appellatur non propter factum, sed propter Zelum, ut notat Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 8. prop. fin.* nam factum ipsius improbârunt PP. *Concil. cit. can. 56. dist. 45.* & D. Isidorus *in Chron. Gothor. æra 651.* ubi agens de Sisebuto, *Qui initio*, ait, *Regni sui Judæos ad Fidem Christianam movens, æmulationem quidem DEI habuit, sed non secundùm scientiam; potestate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit.* *Ad 4.* Ferdinandus, & Isabella Judæos, & Sarracenos ex Hispania expulerunt; tum quia eorum conversatio periculosa erat fidelibus, & machinationes illorum pernicioſæ Principibus; tum quia bello justo superati, & capti ad victoris arbitrium exui bonis, & expelli potuerint, ut notat Palao *p. 6. cit. n. 5.* *Ad 5.* illud *compelle intrare* de solis Hæreticis intelligit S. Aug. *Epist. 48. & 50.* qui cùm subditi sint Ecclesiæ, cogi directè possunt: vel si de Infidelibus non baptizatis intelligatur, sicut intelligit S. Chrysost. *ibid.* dicendum, illos compellendos esse ad fidem in fine mundi, ut numerus prædestinatorum impleatur, non vi, & potentia, sed signis, & miraculis, & efficacia prædicationis. *Ad 6.* ut ad observantiam Legis naturalis, & Divinæ, præcipientis amplecti Fidem rectè propositam, cogi Infideles possint, necesse est, ut hoc fiat ab illo, qui in eosdem ad hoc sufficienti Jurisdictione instructus est. *Ad 7.* nemini facienda est injuria, ut inde ipsi altioris ordinis bonum proveniat, fit autem injuria illi, qui ita cogitur; quia cogitur ab eo, qui cogendi potestatem non habet.

Dub. 3. utrum Infideles compelli pos- 55
sint ad prædicationem Evangelij audiendam? *Certum est 1.* compelli ad hoc posse Infideles baptizatos, quales sunt, qui à Christiana Fide desciverunt ad Judaismum, Mahumetismum, Paganismum; quia Ecclesiæ Jurisdictioni subjecti manent. *Certum est 2.* Infideles non baptizatos, qui temporali Jurisdictioni Papæ, aut alicujus Principis Christiani subjecti non sunt, nec à Papa, nec ab alio Principe Christiano ad audiendam Fidem, & Evangelium compelli posse; quia compulsio esse non potest sine Jurisdictione. at isti Infideles sunt extra Jurisdictionem Ecclesiæ, & Principum Christianorum, ut ponitur. Palao *tr. 4. D. 2. p. 5. n. 3.* & apud hunc *Suar. Valent. Conink, Bonacin.*

Controversia est, utrum ad Fidem au- 56
diendam à Papa, vel alio Christiano Principe compelli possint Infideles subditi? Negativam probabiliorem existimat Palao *l. cit. n. 5.* & citat pro ea Valent. *2. 2. D. 1. q. 10. p. 6. circ. fin.* Salmer. *tom. 12. tr. 38. in Evang.* Conink *D. 18. Dub. 14. concl. 5. junct. concl. 4.*

&

& videtur istud probari 1. quia, ut *n. 42.* dictum est, Infideles non possunt compelli ad suscipiendum Baptismum. sed Verbum DEI, seu Evangelium audire directè tendit ad Fidem amplectendam. ergo &c. 2. Papa, & Principes Catholici in Judæos, & alios Infideles, temporali Jurisdictioni suæ subjectos, non habet aliam potestatem, nisi merè Politicam, & ad finem Politicum, & naturalem. at auditio Legis Evangelicæ ad finem supernaturalem dirigitur. ergo &c.

57 Sed affirmativam communiter docent TT. & Canonistæ, præsertim Innoc. *in c. quod super n. 8. de Vot.* Turrecrem. *in c. sicut Judæi 9. h. tit. pr.* Bannez 2. 2. *q. 10. art. 10. dub. 3.* Azor *p.* 1 *l. 8. c. 24. q.* 3 Suar. *D. 18. sect. 2. n. 3.* Scort. *in select. Epit. 136. theor. 352.* Bonacin. *D.* 3. *de Fid. q.* 2. *p. 7. n.* 3. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol. 468. n.* 6. & constat ex *Const. 92 Gregorij XIII.* ubi omnibus Ecclesiarum Prælatis præcipitur, ut in quibuscunque Civitatibus, & locis, in quibus competens numerus Judæorum, qui Synagogam constituat, commoratur, Sabbati, vel alio die uniuscujusque hebdomadæ pro eorum conversione prædicationem haberi curent, cui sub pœna privationis commercij cum Fidelibus, aliisque arbitrarijs tertia pars Judæorum utriusque sexûs à duodecimo ætatis anno, & suprà intersint: idémque etiam quandoque servari curârunt Principes sæculares, ut de Jacobo Arragonum Rege ex *Ricciul.* refert Petra *l. cit. n. 7. in fin.*

Neque obstant Argumenta contraria, 58
Ad 1. per coactionem directam ad Fidem infertur Infideli coacto injuria, ut ostensum est: non autem injuria infertur coacto ad audiendum Evangelium; quia hoc non præcipitur audiri, ut illud amplectatur Infidelis, sed solùm, ut distinguat inter veram, & falsam Religionem, & ut possit veram eligere, falsâ contemptâ. *Ad 2.* præcipere Infidelibus subditis, ut audiant doctrinam Religionis Christianæ, ut eâ auditâ eligere possint Religionem, quæ sibi visa fuerit magis conformis rationi, non excedit potestatem Politicam, & temporalem Gubernatoris; aliàs nullus temporalis Gubernator posset subditorum peccata adversùs Religionem punire, nec illos obligare ad media exequenda, ex quibus electio Religionis veræ fieri posset.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

TRia Infidelitatis Species, ut *Tit. præc. n. 2.* dixi, est *Hæresis*, in hoc distincta à Paganismo, & Judaismo, quòd sit peccatum hominis baptizati, cùm priores etiam in non baptizatos cadant.

§. I.

De Hæresis Natura, Varietate, & Requisitis.

SUMMARUM.

1. 2. *Hæresis Definitio, & Divisio.*
3. &c. *In quo consistat ejus malitia?*
5. &c. *An Hæreticus sit, qui dubitat de Fide?*
9. &c. *An ad Hæresin incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus?*
12. &c. *Utrum Hæreticus censendus sit, qui errat in Fide per ignorantiam?*
17. &c. *Qui discredit alicui revelationi sibi privatim factæ?*
19. &c. *Aut qui negat Propositionem Theologicam, deductam ex una propositione naturaliter evidenti, & alterâ revelatâ?*
22. &c. *Quænam causa excusent à peccato Hæresis?*

1 QUæritur 1. quid sit *Hæresis*, & quotuplex? R. *Hæresis* Græcum nomen, quod Latinis *Electionem* significat, in communi Ecclesiæ acceptione in deterius sonat, & Electionem non quamcunque, sed malam & erroneam circa Fidei doctrinam indicat. Duplex autem dividitur Hæresis, alia Materialis, alia Formalis. *Materialis* est, quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis, vel ex positivè sinistra informatione errat circa Fidem. *Formalis* est voluntarius, & pertinax error contra aliquam veritatem Fidei Christianæ in eo, qui hanc suscepit. Ita ad mentem S. August. *contr. Faust.* & S. Thom. 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. eam definiunt Albertin. *q.* 1. *n. 19. h. tit. in 6.* Canus *l.* 12. *de Locis c. 8.* Farin. *prax. crim. q. 178. n.* 5. Azor *p.* 1. *l. 8. c. 9. q.* 1. Sanch. *l.* 2. *mor. c. 7. n.* 1. Suar. *D. 19. de Fid. sect.* 1. *n.* 5. & *sect.* 3. *n. 8.* Conink *n. 18. dub. 7.* Bonac. *D.* 2. *de Censur. q.* 5. *n.* 1. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *n.* 1. Palao *tr. 4. D.* 3. *p.* 2. *n.* 1. Barbos. *ad Rubr. h. tit. n. 4.* Correa *Ideâ Consil.*

D. 6. n. 1309. Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 4. n. 2.* Engl *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* Schambog. *n. 2.* König *n. 2.* Wieſtner *n. 1.* Reiffenſtuel *n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 23.*

Hæreſis *Materialis* tantùm eſt error intellectûs ; *Formalis* præter errorem intellectûs ob pertinaciam dicit etiam peccatum in voluntate : & ſubdividitur in *Internam*, ſeu *Mentalem*, & *Externam*. *Illa* eſt, quæ in mente retinetur, & nec verbis, nec facto externè manifeſtatur. *Iſta*, quæ externè vigens, verbis, vel facto aliquo externo ſufficienter exprimitur. *Ex quo ſequitur*, Externam Hæreſin ſola expreſſione, per ſignum externum facta, à Mentali differre ; nam in ſubſtantiali malitia cum illa convenit.

3 Quæritur 2. in quo conſiſtat formalis malitia Hæreſis ? R. ad hanc duo copulativè requiruntur, nimirum error in intellectu, & pertinacia in voluntate. *Error intellectûs* quidem ; quia Hæreſis eſt ſpecies Infidelitatis, quæ errorem intellectûs contra veram Fidem importat. *Pertinacia* verò ex parte voluntatis ; quia ſine voluntate non eſt peccatum : hinc dicitur in Definitione *Error voluntarius*. Neque ſufficit voluntarietas qualiſcunque ; ſed juncta hæc eſſe debet cum pertinacia, prout affirmant DD. omnes cum S. Hieronymo *can. dixit 29. cauſ. 24. q. 3.* S. Auguſtino *can. qui in Eccleſia 31. q. cit.* & Concil. Vienn. *Clem. 1. §. porro 1. de Summ. Trin.* Porro *Pertinacia* hæc, ad conſtituendam Hæreſin requiſita, non reſpicit, aut requirit formaliter durationem temporis, aut firmam perſiſtentiam in errore, quidquid ſit de foro externo ; ſed ſatis eſt, quòd errans ſciat, vel cognoſcat contrarium teneri à vera univerſali Eccleſia : judicium ſuum hujus judicio præferat, & non obſtante definitione Fidei, errorem ſuum retineat, quamvis in hoc non perſiſtat per tempus ; talis enim jam pertinax eſſe cenſendus eſt, cùm reſiſtat definitioni Eccleſiæ, & per illam non corrigatur. Sanch. *l. 7. mor. c. 7. à n. 2.* Valent. *2. 2. D. 1. q. 11. p. 1. diffic. 4. ad 2.* Vaſq. *1. 2. D. 126. n. 6.* Conink *D. 18. dub. 7. n. 78. & à n. 93. & ſeq.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 1.* Maſtrius *Theol. mor. D. 10. n. 24.* Correa *Ideâ Conſil. D. 6. n. 1310.* Pirhing *hic n. 2.* Schambog. *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 5.* Neque refert, ut ex P. Vaſq. *2. 2. D. 29. n. 4.* Correa *l. cit.* addit, quòd ita affectus ſit, ut articulum Fidei amplecteretur, ſi à viro docto rationibus convinceretur ; quia reipſa, non obſtante definitione fidei, contrarium credit.

4 *Ex quo ſequitur*, quinam dicendi ſint Formales Hæretici, nempe illi, qui cum pertinacia modò deſcripta tuentur errorem. Neque ad hoc neceſſarium eſt, ut quis novæ Sectæ moliatur initium, ut Hæreſiarchæ, vel ut Sectam aliquam, ab Eccleſia damnatam, ſequatur ; ſed pro Hæretico etiam habendus ille eſt, qui privatim in aliquo etiam minimo, & unico articulo Fidei à veritate Catholica deviat, pertinaciter negando aliquid, quod vel in SS. Litteris expreſſum, vel à Summo Pont. aut Concilijs Generalibus definitum eſt, quantumvis de cætero ſe ut Catholicum gerat, & hunc ipſum ſuum errorem inter alios diſſeminare non attentet. König *hic n. 7.* Ratio eſt, quia cujuſvis Hæreſis tantum eſt pondus, ac momentum, ut quamvis minima ſit, & unius tantùm articuli, vel minimæ etiam partis articuli firmum aſſenſum tollat, aut in dubium revocet, univerſam Fidem ſubvertat, propterea quòd tolli quoad partem nequeat, niſi tollatur formalis ratio credendi, quæ cùm in indiviſibili poſita ſit, tota tollitur, quoties tota non eſt, aut aliquid illi deeſt, adeoque ut veridicè dici poſſit, quòd reus in uno, factus ſit omnium reus, Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 5. n. 14.*

5 Imò pro Hæretico habendus eſt non tantùm ille, qui aliquem Catholicæ Fidei articulum abſolutè negat, ſed etiam, qui de aliquo, ſibi ſufficienter propoſito, dubitat poſitivè, pertinaciter affirmando eum dubium eſſe, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 5.* & *q. 11. a. 1.* docent Abb. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Sylv. *V. Hæreſis 1. q. 3.* Canus *l. 12. de Locis c. 8.* Azor *p. 1. l. 8. c. 9. q. 5.* Sanch. *l. 2. moral. c. 7. n. 12. prop. fin.* Suar. *D. 19. de Fid. ſect. 4. n. 10.* Tolet. *Summ. l. 4. c. 4. n. 7.* Conink *D. 18. dub. 7. concl. 6. n. 102.* Bonac. *D. 2. de Cenſur. q. 5. p. 1. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 178. n. 90.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 13. n. 5.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 9.* Barbof. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 3.* Correa *Ideâ Conſil. D. 6. n. 1311. & ſeqq.* Pirhing *hic n. 4.* Schambog. *n. 6.* Wieſtner *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 29.* & patet ex *c. dubius 1. h. tit. c. firmiter 1. de Summ. Trinit. Clem. 1. §. porro eod.* & definitum eſt in *Concil. Lateran.* celebrato ſub *Leone X. ſeſſ. 8.* Conſentiunt S. Athanaſius in *Symbolo Fidei* ibi : *Niſi fideliter, firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit* ; S. Auguſtinus in *Enchir. c. 7. & 19.* ubi ait, ſalva Fide, non poſſe uſurpari particulam *fortè* in rebus Fidei, & apertè indicat S. Jacobus Apoſtolus in Epiſtola Catholica *c. 1. v. 6.* ibi, *In Fide nihil hæſitans.* *Ratio eſt*, quia ex Fidei Catholicæ articulis unus, iſque fundamentalis eſt, eam eſſe certam, & infallibilem. igitur de uno aliquo articulo poſitivè, & pertinaciter dubitans, errat contra aliquam Catholicæ Fidei Veritatem.

6 Dixi autem 1. *qui dubitat poſitivè.* Aliud eſt, ſiquis negativè tantùm dubitet de articulo Fidei, quia ſuſpendit omne judicium, ita, ut neque aſſentiatur objecto propoſito, neque etiam diſſentiat, quod nec judicet eſſe certum, neque etiam incertum ; talis enim non habet judicium ullum de articulo Fidei propoſito, adeoque nec erro-

rem

rem contrarium Fidei habere poteſt, modò tamen non ſuſpendat judicium circa objectum, ſeu articulum Fidei, eò quòd virtualiter, & implicitè judicet eum eſſe incertum, & dubium: tunc enim intellectus ſic dubitans non habet ſe merè negativè; quia ideo objecto ſibi propoſito aſſentiri non vult, quòd ipſi incertum, & dubium eſſe videatur: ac proinde ſaltem implicitè, & virtualiter judicat, incertum eſſe objectum, ſeu articulum Fidei propoſitum. Laym. *l. cit. n. 5.* Pirhing *n. 4.* Schambog. *n. 6.* Correa *n. 1315. & ſeqq.*

7 Dixi 2. *de Articulo ſibi ſufficienter propoſito*; nam is, cui veritas Fidei Orthodoxæ nondum eſt ſufficienter propoſita, quia inter Acatholicos natus, & educatus, aut nihil, aut falſa tantùm de vera Fide percepit, non peccat contra Fidem, etiamſi de articulis veræ Fidei dubitet, & judicet illos eſſe incertos, donec inſtruatur, & argumenta, ſeu motiva Fidei Catholicæ ipſi fiant evidenter credibilia: ideoque talis non eſt Hæreticus, niſi materialis; quia in ipſo dubitatio, vel judicium ſive expreſſum, ſive implicitum procedit ex ignorantia, ideóque non eſt junctum cum pertinacia, quæ non poteſt ſimul conſiſtere cum ignorantia. Pirhing *num. 4. cit.* König *num. 12. hic* Quare cùm in *c. dubius 1. h. tit.* dicitur, *Dubius in Fide infidelis eſt*, & conſ. etiam Hæreticus, ſi baptizatus ſit, id intelligendum eſt de eo, qui non merè negativè, ſed poſitivè dubitat judicando expreſsè, vel ſaltem implicitè talem articulum eſſe incertum. Pirhing *n. 5.*

8 Dixi 3. *pertinaciter affirmando*; nam ut dubitans in Fide cenſeatur eſſe Hæreticus, requiritur, ut in tali dubitatione habeat firmitatem animi, ſive judicij, & quandam pertinaciam, ita, ut in dubitatione illa contumaciter perſeveret. Joan. Andr. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Clar. §. *Hæreſis n. 2.* Pirhing *hic n. 5.*

9 Quæritur 3. an ad Hæreſin incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, ſit baptizatus? *Certum* ſatis eſt 1. Baptiſmum non requiri ad hoc, ut aliquis reus ſit Hæreſis coram DEO. Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 20.* quia tota Hæreſis malitia ſita eſt in diſſenſu alicujus veritatis à DEO revelatæ, & ſufficienter propoſitæ. atqui hunc diſſenſum habere poteſt etiam ille, qui nondum eſt baptizatus. ergo &c. *Conf.* juxta dicta *Tit. præc. n. 1.* tres tantùm ſpecies Infidelitatis ſunt, videlicet Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis, atqui is, qui ante Baptiſmum confitetur Chriſtum, tanquam generis humani reparatorem, & negat ejus Sacramenta, non eſt Paganus, nec Judæus. ergo Hæreticus.

10 *Certum ſatis eſt 2.* Ut Hæreſis peccatum punibile ſit ab Eccleſia, requiri, ut ejus reus ſit baptizatus. Azor *p. 1. l. 8. c. 9. q. 3.* Suar. *D. 21. de Cenſur. ſect. 2. n. 4.* & *D. 19. de Fid. ſect. 5. n. 8.* Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 34.* Farin. *prax. crim. q. 178. n. 128. & ſeqq.* Palao *n. 20. cit. ỳ. at licèt*, Pirhing *hic n. 6.* Schambog *n. 4. & 7.* Wieſtner *n. 3.* *Ratio* eſt manifeſta; quia Baptiſmus eſt janua, per quam in Eccleſiam quis ingreditur, & ejus Juriſdictioni ſubditur: & hinc Trid. *ſeſſ. 14. c. 2. de Pœnit.* dixit, Eccleſiam in neminem exercere Juriſdictionem, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.

Ex quo ſequitur, ſi Catechumenus à 11
Fide, quam animo recepit, recedat, & aliquem ejus articulum, ſibi ſufficienter propoſitum, pertinaciter neget, vel de illo dubitet, eum quidem Hæreticum fore coram DEO, ab Eccleſia tamen ex defectu Juriſdictionis, cui per actualem primùm Baptiſmi ſuſceptionem ſubjicitur, puniri non poſſe. Ita *l. citt.* Azor *q. 3.* Suar. *ſect. 5. num. 6. & 8.* Sanch. *n. 34.* Farin. *n. 135. ỳ. ſublimita.* Palao *ỳ. at licet cit.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 13. n. 1.* Plura vide *Tit. præc. à n. 36.*

Quæritur 4. utrum Hæreticus cen- 12
ſendus ſit etiam ille, qui errat in Fide per ignorantiam? *Certum eſt*, non eſſe pro Hæretico, niſi præcisè materiali, reputandum illum, qui errat in Fide per ignorantiam invincibilem; quia tali caſu abeſt voluntarietas, quæ ſicut ad omne peccatum, ita vel maximè ad Hæreſin eſt requiſita.

Dubium procedit de eo, qui laborat 13
ignorantia vincibili, & craſſa: in quo nonnulli cum Sot. *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. poſt concl. 5. caſ. 1.* Lopez *p. 2. Inſtruct. c. 20. tit. de Excomm. reſerv. in Bull. Cœn. caſ. 1.* Lorca *2. 2. q. 11. D. 41. num. 15.* contendunt, talem eſſe Hæreticis annumerandum. 1. Quia ignorantia vincibilis, & craſſa non excuſat in furto, homicidio, & alijs delictis, ergo neque in Hæreſi. 2. Qui vincibiliter ignorat, peccat contra Fidem. ergo vel Paganiſmo, vel Judaiſmo, vel Hæreſi; quia non ſunt aliæ Infidelitatis ſpecies. 3. Peccatum ex ignorantia eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato ex malitia; quia ſpecies peccati ex objecto deſumitur, non verò ex modo. ſed error contra fidem ex malitia eſt Hæreſis. ergo etiam error ex ignorantia.

Sed dicendum, Baptizatum, qui er- 14
rat in Fide per ignorantiam etiam vincibilem, & craſſam, per hoc non effici Hæreticum. Ita Azor *p. 1. l. 8. c. 8. q. 4. & c. 9. q. 8.* Coninck *D. 18. dub. 7. concl. 4. & 5.* Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 20.* Suar. *D. 19. ſect. 3. à n. 9.* & præcipuè *18.* Farin. *prax. crim. q. 179. n. 29.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 13. n. 2.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 3.* Emm. Correa *Ideâ Conſil. D. 6. n. 1310.* Vinc. Petra *tom. 3. comment. fol. 4. n. 2.* Engl *hic n. 1. ỳ. dico 2.* Pirhing *n. 2. ỳ. ex quo infertur*, Schambog. *n. 3.* König *n. 11.* Wieſtner *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 9.* Ratio eſt, quia ad incurrendam Hæreſim, ut *n. 3.* dictum eſt, requiritur pertinacia *can. dixit 29.* junct.

Gloss. *V. pertinaci*, *can. qui in Ecclesia* 31. *q. cit. c. damnamus* 2. ℣. *in nullo* junct. Gloss. *clem.* 2. §. *porro de Summ. Trinit.* ibi, *Qui asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit &c.* cons. ut Hæreticus quis censeatur, debet universalis Ecclesiæ aliquid docentis, ac definientis authoritati voluntariè, h. e. sciens, ac prudens contradicere, suúmque judicium istius judicio præferre, atqui non ita contradicit ille, qui errorem aliquem, judicio Ecclesiæ oppositum, tuetur ignorans, etsi vincibiliter, contrarium ab ea definitum esse; fortè enim paratus actu est eum deponere, si sciret sic definitum esse. *Conf.* quia peccatum Hæresis non est peccatum ignorantiæ, sed infidelitatis positivæ, ad quam requiritur scientia, quòd contrarium teneatur à vera Ecclesia.

14 Quin imò, etsi quis etiam ex ignorantia affectata, erret contra Fidem, propter tœdium inquirendi veritatem, vel ob similem causam, non est propriè Hæreticus. Sayr. *Clav. Reg. l. 2. c. 9. n. 34.* Sanch. *c. 7. n. 23.* Laym. *c. 13. n. 2.* Palao *n. 3. cit.* Pirhing *n. 2. ℣. ex quo infertur*, Schamb. *n. 3.* König *n. 11.* Wiestner *n. 5.* Ratio est, quia qui sic ignorat, & errat in rebus Fidei, non credit scienter aliquid contra id, quod definitum est ab Ecclesia; aliàs plurimi Catholici ob ignorantiam, quamvis culpabilem, & affectatam, definitionis Ecclesiæ, & traditionum censendi essent Hæretici. *Conf.* qui voluntatem habet mutandi sententiam propriam, quoties istam viderit contradicere definitioni Ecclesiæ, nullo modo potest dici pertinax in suo errore; quia paratus est corrigi. sed cum ignorantia etiam affectata stare potest talis voluntas; nam affectare quis potest ignorantiam, ne cogatur aliud sentire cum Ecclesia. ergo &c.

15 *Excipi* debet, siquis affectatè ignorare velit articulos Fidei, aut inquirere circa eos intermittat, ob contemptum authoritatis Ecclesiæ, & parvam ejus æstimationem; quia talis non est paratus judicium suum subijcere Ecclesiæ, etiam errore cognito: adeoque pertinaciter errat in Fide. Sanch. *n. 23. cit.* Laym. *n. 2.* Palao *n. 4.* Engl *hic n. 1. fin.* Pirhing *n. 2. ℣. excipi debet*, Schambog. *n. 3.* König *n. 11.* Hinc, quod suprà dictum est de ignorantia, intelligendum est tantùm de ijs, qui alioquin præter unum, vel alterum articulum credunt Fidem Catholicæ, atque Romanæ Ecclesiæ esse veram fidem, eámque profitentur; nam illi, qui alienam ab Ecclesia Catholica fidem tenent, v. g. Lutherani, Calvinistæ, & ex crassa, vel affectata ignorantia infallibilem Ecclesiæ authoritatem non agnoscunt, aliáque Dogmata Catholica non credunt, pro Hæreticis reputari, & propterea Ecclesiasticis Censuris subjecti esse censeri debent, ut *l. cit.* advertunt *Laym. Pirhing &c.* Ratio est, quia, qui veram Christi Ecclesiam, in cujus fide baptizatus fuit, oppugnat, ejúsque authoritatem culpabiliter negat, is ipsi inobediens est, & in eam contumax, ac rebellis, adeoque ab illa separatus: & sic meritò inter Hæreticos computatur.

Neque obstant Argumenta in contrarium *n. 12.* allata. 16 *Ad 1.* negatur paritas; nam ignorantia vincibilis in materia Justitiæ, Caritatis, & Honestatis non mutat objectum peccati, sed modum duntaxat operandi magis, vel minùs voluntarium: contrà in materia Fidei ignorantia etiam mutat objectum; nam objectum Fidei est Divina revelatio ab Ecclesia proposita, & hæc in errore, etiam ex ignorantia affectata commisso, occultatur, igitur mirum non est, quòd ejusmodi ignorantia excuset ab Hæresi, non autem excusat à peccato contra alias virtutes. *Ad 2.* error, commissus ex ignorantia crassa, & affectata, non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei; quia tota ejus malitia consistit non tam in errore positivo, sed in neglectu obligationis prædictæ, ex quo deinde error ejusmodi nascitur. *Ad 3.* peccatum ex ignorantia tum solùm ejusdem speciei est cum peccato per malitiam, quando ignorantia mutat solummodo modum; secus, quando etiam mutat objectum, sicut mutat in materia Fidei.

Quæritur 5. an Hæreticus sit, qui dis- 17
credit alicui revelationi sibi privatim factæ, & sufficienter ad credendum propositæ? Negat cum quibusdam Lorca *2. 2. q. 11. D. 39. n. 2. & 4.* & *ratio dubitandi* est; quia talis non habet Judicium aliquod contrarium Fidei Ecclesiæ universalis. Verùm hæc ratio non subsistit, cùm certum sit Ecclesiam in genere proponere omnibus, quòd credendum sit summæ, primæque Veritati quomodocunque aliquid revelanti: cui veritati cùm jam contradicat is, qui discredit revelationi sibi privatim factæ, ideo dicendum, hunc coram DEO esse Hæreticum, Ita Azor *p. 1. l. 8. c. 9. q. 4.* Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 32.* Suar. *D. 19. de Fid. sect. 5. n. 11.* Conink *D. 18. dub. 7. n. 118.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 14.* Wiestner *hic n. 7.*

An verò hujusmodi revelationem pri- 18
vatam negans incidat in Excommunicationem, & alias Hæreticorum pœnas, controversia est inter DD. Sanch. *n. 32.* & Coninck *n. 120.* putant incidere, si in actum externum prodeat. Sed hoc verum est, si negans revelationem privatam simul etiam verbis, aut facto dicat, non esse credendum primæ Veritati per privatam revelationem manifestatæ; quia tunc negat propositionem à tota Ecclesia receptam. Si tamen sistatur intra solum dissensum specialis revelationis, multo probabiliùs est, hanc negantem pœnas Hæreticorum non incurrere. Cordub. *l. 1. q. 17. §. 1. dub. 2. ℣. respondet.* Azor *q. 4. cit.* Suar. *n. 12.* Palao *n. 15.* Wiestner *n. 7.* Ratio est, quia cùm supponamus, revelationem illam esse privatam, neque alteri cognitam præ-

præter illum, qui eam habet, non apparet, quomodo constare alijs possit de vero dissensu revelationis reipsa propositæ, cùm de hoc dissensu constare nequeat, nisi simul etiam constet, quòd ita neganti facta sit revelatio privata.

19 Quæritur 6. an Hæreticus sit, qui negat Propositionem Theologicam, deductam ex una Propositione naturaliter evidenti, & altera à DEO revelata, v. g. quòd Christus sit risibilis? Affirmant Canus *l. 12. de Locis c. 9. col. 15. ỳ. enim verò*, Valent. 2. 2. D. 1. q. 11. p. 1. *diffic.* 3. Bonacin. *de Censur. D. 2. q. 5. n. 5.* quia talis negatio saltem mediatè Divinæ revelationi opponitur. Sed meliùs negatur talem Hæreticum fieri. Arragon. 2. 2. q. 11. *art. 2. ỳ. bis tamen*, Sanch. *c. 7. n.* 33. Suar. *sect. ult. n.* 3. *& seqq.* Laym. *c.* 13. *n.* 7. Palao *p.* 2. *n.* 19. Wiestner *n.* 8. Ratio est, quia optimè stare potest, ut quis credat quidquid à DEO revelatum est, cum negatione alicujus propositionis Theologicæ, quia vel negat duntaxat universalitatem principij, quòd omnis homo sit risibilis, vel ob mentis hebetudinem non agnoscit evidentiam illationis, quorum neutrum est objectum à DEO revelatum.

20 Addunt tamen DD. *citt.* talem in foro externo præsumi Hæreticum, quòd judicetur non errare in principio naturaliter evidenti, aut non apprehendere evidentiam illationis: hinc nihil superest, quàm ut præsumatur negare principium supernaturale fidei, quòd scilicet Christus sit homo. Et in hoc sensu vera est sententia opposita, & procedit Argumentum in probationem ejus allatum.

21 *Dubitari* potest, in qua peccati specie ponatur talis negatio? *Respondet* Palao *n. 19. cit.* probabiliùs per se, & formaliter pertinere ad peccatum curiositatis studiositati oppositum in materia omnium gravissima; quia temere, & imprudenter conatur scire contra id, quod ab omnibus receptum est: per accidens tamen ad Hæresin pertinet; quia talem propositionem negans ponitur in proximo periculo labendi contra Fidem.

22 Quæritur 7. quænam causæ excusent à peccato Hæresis? ℟. 1. Ignorantia ex parte intellectûs, prout dictum est à *n.* 12.

2. Indeliberatio Voluntatis; nam qui voluntariè, & indeliberatè errat circa res Fidei, non est Hæreticus: & multo minùs, qui invitus patitur tentationes repugnantes articulis Fidei; quia sicut actus Fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam Hæresis est assensus procedens ex libera voluntatis electione. Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n.* 13. Laym. *l. 2. tr. 1. c.* 13. *n. 5. ỳ. id obiter*, Correa *Idea Consil. D. 6. n.* 1310. Pirhing *hic n.* 1. Schambog. *ibid. n.* 2.

3. Defectus veri dissensûs ad objectum Fidei; quia Hæresis est peccatum Fidei oppositum. Fides autem consistit in voluntario intellectûs assensu circa objectum revelatum, ergo Hæresis necessariò debet consistere in voluntario dissensu circa tale objectum. Et hinc qui Fidem duntaxat negat verbis, aut factis externis, animo autem retinet, etsi in foro externo ob præsumptionem consensûs interni pro Hæretico habeatur, & puniatur, revera tamen non est Hæreticus, neque pœnas Hæreticorum in conscientiæ foro incurrit; quia revera non habet voluntarium dissensum, & judicium contrarium sensui Ecclesiæ, & revelationi Divinæ per hanc propositæ. Navar. *Man. c. 17. n. 56.* Azor *p. 1. l. 8. c. 9. q. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 8.* Suar. *D. 14. de Fid. sect. ult. n. 5.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 2. n. 16.* Zœs. *hìc n. 1. fin.* Wagnereck *ibid. not. 2.* Pirhing *n. 7.* Schambog. *n. 8.* König *n. 10.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 6.* 23

4. Defectus pertinaciæ: & hinc Hæreticus non est, qui tenet aliqua, quæ sunt contra Fidem, dummodo paratus sit corrigi; quia secundùm dicta *n. 3.* Hæresis est error cum pertinacia junctus, is autem, qui paratus est corrigi, non potest censeri pertinax. Pirhing *hic n. 2.* Reiffenstuel *ibid. n. 7.* Non autem sufficit quæcunque pertinacia; sed insuper requiritur, ut existimet se contravenire doctrinæ Ecclesiæ: & propterea pro Hæretico haberi non potest, qui ab Inquisitore Fidei, vel à suo Episcopo, vel à viro Theologo, per Inquisitores, vel Episcopum ad docendum destinato, instructus de re Fidei, illis non credit asserens contrarium, modò existimet se non contravenire doctrinæ Ecclesiæ, vel definitioni Pontificis, ut contra *Bartol. Rebuff. Hugolin.* & alios docent Canus *l. 12. de Locis c. 9. col. 7. ỳ. ad quid pertinacia*, Valent. 2. 2. *D. 1. q. 11. p. 1. diffic. 4.* Vasq. *1. 2. q. 76. art. 3. D. 226. c. 3. n. 7.* Sayr. *Thesaur. Cas. tom. 1. l. 3. c. 4. n. 17.* Sanch. *l. 2. mor. c. 7. n. 25.* Ratio est, quia solius Ecclesiæ, ac Pontificis est, res fide tenendas definire; cæteri autem & fallere, & falli possunt. 24

§. II.

§. II.

De quibusdam Cautelis adversùs Hæreticos.

SUMMARIUM.

25. 26. *Quinam obligentur ad faciendam Professionem Fidei?*
27. &c. *An, & sub qua pœna prohibita sit Lectio Librorum Hæreticorum?*
32. &c. *Quinam incurrant Excommunicationem latam occasione istorum Librorum?*
36. &c. *Quæ conditiones requirantur, ut incurratur hæc Excommunicatio?*
44. &c. *An eam incurrat, qui ejusmodi Libros legit animo errores in eo contentos refutandi?*
47. *Quomodo oporteat legere talem Librum, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cœnæ?*
48. &c. *An incurrat illam, qui auscultat legenti?*
51. &c. *Vel qui legit Librum Hæretici, in quo dogma Hæreticum incidenter solùm refertur?*
53. &c. *An eam incurrat etiam, qui legit, vel penes se retinet Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum, quod Hæresin continet?*
56. &c. *Quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum?*
59. &c. *An prohibitio hæc in Germania secundùm rigorem suum recepta sit?*
61. *Quid agendum cum Libris Hæreticis, aut suspectis de Hæresi?*
62. *Ad arcendum periculum Hæresis prohibentur occulta conventicula.*
63. *Et Laicis prædicatio Verbi Divini.*
64. *Ijsdem prohibetur etiam disputatio de Mysterijs Fidei.*
65. 66. *Non tamen Clericis.*
67. *Episcopis injungitur Visitatio annua.*
68. &c. *An Hæretici ab Ecclesia cogi possint ad abjurationem erroneorum dogmatum.*
71. &c. *An ad Hæresin deferendam armis compelli possint?*
74. *Institutio S. Officij Inquisitionis.*
75. &c. *Inquisitorum Fidei Jurisdictio probabiliùs est delegata.*
79. &c. *Qualis esse debeat, cui committitur Inquisitionis Officium?*
82. &c. *Quomodo Inquisitores debeant procedere?*

25 QUæritur 1. quænam Cautelæ per SS. Canones inductæ sint, ne Hæresis spargatur per personas de hac suspectas? R. in hunc finem inducta est à *Trid.* Professio Fidei Catholicæ, quam facere cum Juramento sub peccato mortali obligantur.

1. Provisi de quocunque Beneficio, curam animarum habente: qui eam facere tenentur, intra duos menses à die adeptæ possessionis, coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali. *Sess. 24. c. 12. §. provisi etiam de reform.*

2. Provisi de Canonicatu, vel Dignitate in Ecclesia Cathedrali tam Sæculari, quàm Regulari: quod præstandum est coram Capitulo intra duos menses à die suæ receptionis, vel participationis massæ Capitularis, sub pœna non faciendi fructus suos *c. 12. cit. §. provisi autem.*

26 3. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi: qui hanc facere tenentur in prima Synodo Provinciali, cui intererunt *sess. 25. c. 2. de reform.*

4. Prælati quicunque Monasteriorum, & Religionum, etiam Militarium, vi *Bullæ Pij IV.* incipit *Injunctum editæ Idib. Nov. 1564.*

5. Omnes promovendi in Doctores, item Magistri, Regentes, & alij cujuscunque artis, ac disciplinæ Professores, vi Constit. S. Pij V. incipit *In Sacrosancta:* cujus dispositio in nostra Universitate accuratè observatur, etiamsi eam non ubique usu receptam videri notet Suar. *D. 14. de Fid. sect. 6. n. 2.* Plura videantur *Libr. 1. Tit. 1. à n. 7.*

27 Quæritur 2. quæ Cautelæ contra Hæreses per Canonicas Sanctiones introductæ sint circa Libros Hæreticos, & horum Lectionem? R. quia frequentissimè per Libros Hæreticorum venenum Hæresis ab his instillatum incautis est, idcirco cum ipsis Hæresum Authoribus, ac propagatoribus etiam Libri illorum, & scripturæ condemnantur *c. fraternitatis 4. h. tit.* Sed hinc

Dubium oritur 1. an ergo Lectio Librorum, ab his editorum, prohibita sit? *Ratio dubitandi* est 1. quia illicita non est Lectio Librorum Gentilium, & Judæorum, qui Hæreticis non sunt meliores. 2. Scripta Origenis, & Tertulliani sine scrupulo leguntur, atqui constat eos in Hæresin prolapsos esse. 3. In his Libris multa continentur bona, & utilia, quæ propter mala, & inutilia non debent reijci juxta *Reg. utilia 37. in 6.*

28 Verùm his non obstantibus dicendum, ejusmodi Librorum lectionem ab Ecclesia graviter esse prohibitam, ut constat tum ex *c. fraternitatis cit.* tum ex Decretis Concilij Constantiensis *sess. 8.* Lateran. sub Leon. X. *sess. 10.* & Trid. *sess. 4.* quod confirmârunt Constitutionibus suis Summi Pontt. Gelasius, & Leo I. Gregorius IX. Innocentius, & Alexander IV. Paulus, & Julius III. Paulus, & Pius IV. Pius, & Sixtus V. aliique sparsim, injunctâ etiam pœnâ Excommunicationis Pontifici reservatæ, incurrenda ab ijs, qui sine licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius ha-

habentis potestatem hoc concedendi, Libros Hæreticorum, de Religione ex instituto tractantes, scienter legunt, retinent, imprimunt, defendunt &c.

29 Concordat *Jus Civile*, in quo non solùm hujusmodi Librorum lectio prohibetur, sed ne perversionis Hæreticæ ulla vestigia existerent, ipsi libri perfectissimo interitui mancipari, & concremari jubentur *l. decere 3. §. sancimus 1. C. de Summ. Trinit. l. quicunque 8. §. fin. l. ex Manichæo 16. §. fin. C. de Hæret. & l. Eunomianæ 34. fin. Cod. Theodos. eod.* Ratio est, tum quia in contemptum Ecclesiæ; & veræ Fidei scripti sunt; tum verò maximè, quia periculum perversionis incautis præbent, dum falsa dogmata veris miscent, sicque venenum propagant.

30 Estque perinde, sive impressi illi sint, sive manuscripti, ut ex communi sententia advertunt Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 28.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 10.* Farin. *prax. crim. q. 180. n. 30.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 1.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 3.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Pirhing *hic n 20.* & veluti certum refert Neusser *D. 74. q. 5.* quidquid aliter sentire visus sit *Thom. Tambur.* quia adest eadem ratio, & manuscripta, saltem si longiora sint, verè Libri sunt, & dicuntur, prout dicebantur ante Typum inventum.

31 Neque contrarium probant Argumenta *n. 27.* allata. *Ad 1.* in Libris Ethnicorum, quatenus de Idolis, & ritibus suis agunt, non est periculum perversionis: cons. non urget ratio, ob quam prohibiti sunt Libri Hæreticorum. *Ad 2.* Errores Origenis, & Tertulliani extincti jam sunt: cons. ex his periculum perversionis legentibus nullum imminet. *Ad 3.* utilia, siquæ Hæreticorum Libris inserta sunt, æquè facilè, & sine periculo haberi in Libris Catholicorum possunt. Accedit, quia sicut non omnium, sed Medici duntaxat est, explorare, quinam morbi contagiosi sint, ita examinare, qui Libri periculosi sint, eósque rejicere, vel approbare non ad quemcunque, sed ad eos duntaxat pertinet, qui rerum Divinarum veram Scientiam habent.

32 Dub. 2. quinam Excommunicationem *n. 28.* relatam, & per *Bullam Cænæ cas. 1.* Summo Pontifici reservatam incurrant? R. 1. incurrunt illam, qui legunt hujusmodi Librum conscriptum ab Hæretico, vel publicè pro tali habito: estque perinde, sive editus sit ab Authore suo, antequam is de Hæresi damnaretur, sive post illius damnationem: neque refert, an iste sit ex Hæreticis RR. an ex VV. nam etiam horum Libri prohibentur, nisi, ut Origenis, & Tertulliani Opera, expresè permittantur. Gloss. *in c. fraternitatis 4. V. Cælestinus. h. tit.* Barbos. *ibid. à n. 2.* Pirhing *hic n. 20.* Wiestner *n. 15.* Reiffenstuel *n. 39.* *Excipitur*, si parum admodum sit, quod ex tali Libro lectum est; quia parvitas materiæ in lectione hujusmodi excusat ab Excommunicatione Bullæ Cænæ, prout dicetur *infrà n. 40.*

33 2. Qui tales Libros retinent: neque refert, an illos retineant in domo propria, an in aliena, suo, an alieno nomine, an causâ addiscendæ, & propagandæ Hæresis, vel curiositatis, venditionis, compactionis, vel alia simili causâ. Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 52.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 21.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 7.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 7.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 6.* Wiest. *hic n. 16.* Reiffenstuel *n. 71. & 72.* adeoque Excommunicationem istam incurrunt etiam Bibliopolæ, qui hujusmodi Libros vendunt, Bibliopegi, qui compingunt &c. Et sufficit quoque ad Censuram hanc incurrendam, siquis partem solummodo talis Libri retineat. Sanch. *n. 54.* Reiffenstuel *n. 73.* quia verè dicitur retinere Librum, sicut dicitur legere Librum, qui partem illius legit. Hinc idem Sanch. *n. 53.* excommunicatos censet Aromatarios, Mercatores, & quosvis alios, qui hujusmod Libros, aut partem eorum retinent ad involvendas merces, aut similia. Evitat tamen Excommunicationem istam, qui unum duntaxat, duo, aut tria folia de tali libro retinet, vel integrum Librum, aut partem notabilem, sed per unum duntaxat, vel alterum diem, aut per longius etiam tempus, sed ideo, quia non habet tempus, & occasionem opportunam tradendi eum Inquisitoribus, vel habenti licentiam illos legendi, & retinendi. Laym. *n. 7.* Palao *n. 11.* Reiffenstuel *n. 75.*

34 3. Qui talem Librum imprimunt, aut propriè cooperantur ad illius impressionem: quales sunt 1. qui pro impressione componunt litteras, præparant papyrum, & atramentum, premunt torcular &c. 2. Patronus officinæ, etiamsi proprijs manibus non laboret; quia verè imprimere dicitur, & impressor nominatur. 3. Author Libri, seu is, in cujus nomine liber imprimitur; quia in communi modo loquendi hic est, qui imprimit. 4. Corrector Typi; nam quatenus hic juvat ad librum emendatè imprimendum, etiam ipse cooperari ad impressionem dicitur: & esto, non comprehenderetur ut cooperans, comprehenderetur tamen ut legens Librum Hæreticum. 5. Qui expensas pro impressione facit: sed hic, nisi simul hujusmodi Librum imprimendum tradat, videtur Excommunicatione ista non comprehendi; quia valde remotè ad impressionem concurrit; & idem judicium est de eo, qui litteras æneas, atramentum, papyrum, & reliqua ad impressionem necessaria donat, vel vendit; sunt enim hæ actiones nimis remotæ. Ugolin. *de Censur. Pap. reserv. p. 2. c. 1. V. imprimentes*, Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 58.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 24.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 7. v. quod attinet*, Palao *§. 2. cit. n. 13.* Wiestner *n. 16* Reiffenstuel *n. 71. & 77.* Addit tamen Palao *l. cit.*

l. cit. eos, qui remotè ad impressionem concurrunt, posse fautores Hæreticorum esse, si eas actiones præstent, ut Hæresi faveant.

35 4. Qui hujusmodi Libros verbo, vel scripto tuetur, aut commendat, vel eosdem, ne ad Inquisitorum manus perveniant, occultat, aut postquam in Ministrorum Inquisitionis manus venêre, ex istis eripit, ab incendio, alióve interitu vindicat. Sanch. *n. 58.* Laym. *n. 7.* Palao *n. 14.* Wiestner *n. 16.* Reiffenstuel *n. 71. & 78.* Meritò tamen *l. citt. Sanchez*, & *Palao* observant, Excommunicationi huic non subjacere eum, qui Librum aliquem defendit, verè demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eo Catholicum est, aut præcisè laudando ingenium authoris, vel Stylum Libri, idque non in ordine ad tuendum, ne comburatur, aut Inquisitoribus tradatur; quia hoc non est defendere Librum Hæreticum, quà Hæreticum.

36 Dub. 3. quæ conditiones requirantur, ut ob Lectionem, retentionem &c. Libri Hæretici incurratur Excommunicatio in Bulla Cœnæ *cas. 1. cit.* lata? *n. 1.* requiritur, ut liber sit alicujus Hæretici; nam qui legit librum alicujus Pagani, Excommunicationem istam non incurrit, ut notat Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 22.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 11. fin.* Farin. *prax. q. 180. n. 10. ℣. quid autem*, Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 1.* quia Infideles non sunt Hæretici. Idem dicendum de eo, qui legit librum alicujus Catholici, etsi iste aliquos errores contra Fidem per ignorantiam Authoris, vel per malitiam alicujus Hæretici insertos habeat. Sanch. *n. 25.* Suar. *n. 13. & 14.* Palao *n. 2.* & consentiunt Navar. *Man. c. 27. n. 56.* Azor *p. 1. l. 8. c. 16. q. 2.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 2.* Wex *Ariadn. p. 4. Append. 1. ad cas. 10. Decad. 1. n. 2.* Schambog. *hic n. 15.* Wiestner *ibid. n. 17.* Excipiunt Suar. *l. cit.* & Coninck *D. 18. de Fid. n. 177.* nisi Scholia, & errores tali libro inserti ita creverint, ut ex illis major pars Libri constare videatur; quia tunc Liber à parte præcipua denominandus est: etsi contrarium sentiat Sanch. *l. cit.* cum Bonacin. *D. 2. de Censur. q. 5. p. 4. n. 6.*

37 2. Ut liber ille tractet Hæresin, vel de Religione, aut si de alia tractat, Hæresin contineat. Et hinc ab Excommunicatione hac liber est, 1. qui legit Libros, quibus continentur Ritus Græcorum, Ruthenorum, Armenorum; quia isti ab Ecclesia pro Hæreticis non habentur. Azor *q. 8.* Sanch. *n. 27.* Farin. *n. 10. ℣. quid autem*, Wiestner *n. 18.* Si tamen Authores talium Librorum sint verè Hæretici, sicut communiter esse solent, etiam isti Libri sub prohibitione Bullæ Cœnæ comprehenduntur; quia sunt Libri Hæreticorum de Religione tractantes. Suar. *n. 12.* Pal. *n. 1.* 2. Eandem Excommunicationem etiam non incurrit, qui legit, imprimit, retinet, &c. Libros Magicos, conscriptos à Catholico, vel etiam Infideli; quia Magia non est Hæresis. Navar. *n. 55.* Sanch. *n. 32.* Wiest. *l. cit.* 3. Ab eadem Excommunicatione immunis est, qui legit, retinet &c. Libros Hæreticorum Juridicos, Medicos, Philosophicos, Mathematicos, Politicos &c. saltem si Hæresin nullam contineant. Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 10.* Sanch *n. 33.* Laym. *n. 3.* Pirh. *n. 20.* Wex *n. 6.* Wiestner *l. cit.*

3. Ut prohibitus Hæretici Liber legatur &c. scienter; nam qui legit, retinet &c. hujusmodi Librum ignorans, quòd sit Liber Hæretici, vel quòd Hæresin contineat, Excommunicatione ista non afficitur; éstque hoc verum, etsi ea ignorantia sit crassa, & affectata; licèt enim ista non excuset à delicto *c. fin. de Const. in 6.* excusat tamen à pœna, quòd ad eam contrahendam desideretur scientia, prout desideratur in Bulla Cœnæ in casu præsenti. Sanch. *n. 38.* Laym. *n. 4.* Pirh. *n. 20.* Schambog. *n. 16.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 55.* *Excipitur*, quando ignorantia est adeo crassa, ut temeritas censeri possit; nam cum tali ignorantia Librum Hæreticum legens Excommunicationi huic obnoxius foret. Sanch. *l. cit.* 38

4. Ut talis Liber legatur, retineatur &c. sine legitima facultate: nam siquis ad hoc legitima facultate instructus sit, licitè illos legit, modò absit periculum perversionis; nam cùm hoc vitare Juris sit naturalis, & Divini, idcirco lectio Libri Hæretici cum tali periculo nulla dispensatione fieri licita potest. Schambogen *n. 16.* Wex *n. 11.* Potest autem hanc facultatem dare solus Pontifex, & ij, quibus Pontifex specialiter concessit, ut etiam alijs dare possent potestatem legendi Libros Hæreticos. Pirh. *l. cit.* Et talem facultatem à Summo Pont. concessam ordinariè habent Episcopi Germaniæ. Reiffenstuel *n. 56.* Sed hi, quia juxta formulam consuetam concessionis hæc facultas ipsis tantùm datur ad quadriennium, vel quinquennium, non possunt dare alijs facultatem legendi hujusmodi Libros in perpetuum, nec dent, quod ipsimet non habent. Ad quantum autem tempus dare facultatem hanc possint, controversia est: in qua satis certum est, si initio statim quadriennij, vel quinquennij sibi concessi concedant hanc facultatem, eam ab ipsis extendi posse ad quadriennium, vel quinquennium: si verò post tres, vel quatuor annos elapsos, plerique putant, facultatem ab ipsis concessam non posse ultra tempus de quadriennio, vel quinquennio residuum porrigi. Verùm, ut bene advertit Reiffenstuel *n. 63.* melius in hac re exspectatur decisio ex Oraculo *S. congreg.* 39

5. Ut id, quod legitur ex libro Hæretico, sit materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale; nam parvitas materiæ, quæ legitur ex tali Libro, sicut excusat à peccato mortali, ita etiam excusat ab Excommu- 40

municatione Bullæ Cænæ. Azor *p. 1. l. 8. c. 16. q. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 31.* Suar. *D. 20. sect. 2. n. 20.* Coninck *D. 18. dub. 11. n. 179. fin.* Bonacin. *D. 2. de Cenſur. q. 5. p. 4. n. 13.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 5.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 6.* Engl *hic n. 11.* Reiffenſtuel *n. 67.* cum communi aliorum contra Ugolin. *de Cenſur. p. 2. Gloſſ. ac eorundem libros n. 1. ϒ. 8.* Tolet. *l. 1. Inſtruct. Sacerd. c. 19. n. 9.* & paucos alios, volentes, Excommunicationem incurrere etiam illum, qui modicſſimam partem v. g. unam, vel alteram lineam legit, præſertim ſi intentionem habeat plura legendi. *Ratio reſponſionis* eſt, quia cùm univerſaliter loquendo in alijs Legibus Eccleſiaſticis, præſertim graviſſimam Excommunicationis Cenſuram infligentibus, excuſet parvitas materiæ juxta unanimem DD. non apparet, quare non etiam excuſet in hac lege.

41 Porro hanc parvitatem materiæ Sanch. *n. 31. cit.* cùm *Vivald. Sà, & alijs* extendit uſque ad unam integram paginam Libri etiam in folio impreſſi, eò, quòd regulariter loquendo non videatur ſubeſſe aliquod perverſionis periculum in lectione unius paginæ. Sed *Suar. Bonac. Palao* putant, hanc extenſionem eſſe nimiam, & meritò; quia cùm verſemur in materia periculoſa, in hac non ſunt laxandæ habenæ, & in pagina magni Libri in folio impreſſi Hæreſis inſperſa facilè ita deduci, & propugnari poteſt, ut periculum perverſionis ſubſit; conſ. ratio Legis, indèque obligatio adſit. Accedit, quia, ut fatetur *Sanchez* cum alijs, Excommunicationem incurrit, qui legit tantùm Epiſtolam Dedicatoriam, vel Præfationem, ergo multo magis eam incurret, qui legit ipſam ſubſtantiam Libri in quantitate, quæ Præfationi æqualis ſit. Hinc alij communiter dicunt, ad incurrendam hanc Excommunicationem ſufficere minorem aliquam materiam; quàm unius folij. Quanta autem reipſa ſufficiat, non conveniunt: conveniunt autem in eo omnes, quòd is, qui plus, quàm ejuſmodi paginam legit, Excommunicationem certò incurrat.

41 Neque excuſatur, ſi in illis paginis, quas legit, de Religione nullatenus tractetur, nec Hæreſis contineatur, ut cum communi bene advertunt Sanch. *n. 35.* Suar. *D. 21. Cenſur. ſect. 2. n. 10.* Laym. *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 70.* Ratio eſt, quia Bulla Cænæ, quæ omnem aditum legendi Libros Hæreticos præcludere intendit, ad incurrendam dictam Cenſuram non requirit, ut quis legat ipſam Hæreſin, vel materiam de Religione tractantem, ſed tantùm, ut legat Librum, in quo Hæreſis continetur, vel de Religione tractatur. Hinc juxta DD. *citt.* ad incurrendam Excommunicationem Bullæ Cænæ, ut *n. præc.* inſinuavi, ſufficit, ſiquis legat Proœmium, Epiſtolam Dedicatoriam, Præfationem ad Lectorem, vel Indicem duntaxat talis Libri.

Quod hactenus dictum eſt de Lectione, procedit etiam de retentione Libri Hæretici; nam & hæc parvitatem materiæ admittit, ita, ut excuſetur à peccato mortali, qui vel ad breve ſolùm tempus v. g. per unum, vel alterum diem, vel partem tantùm exiguam Libri Hæretici apud ſe ſine legitima conceſſione retinet: & quamvis, ut *n. 41.* dixi, unum, duo, vel tria folia reſpectu Lectionis ſint materia gravis, reſpectu retentionis tamen videntur eſſe parva, cùm minus delictum ſit retinere, quàm legere. Sanch. *n. 54.* Palao *n. 11.* 43

Dub. 4. an Excommunicationem iſtam incurrat etiam ille, qui Hæreticos Libros abſque legitima facultate legit animo errores in ijs contentos refutandi? Negativam tuentur Felin. *in c. ſiquis Epiſcopus in fin. ϒ. pro quo infertur h. tit.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 46. num. 26. & 27.* Maſcard. *de probat. concl. 862. n. 14.* Caramuel *Theol. fund. 17. q. 2. n. 434.* ex ratione, quòd cùm talis Lectio, vel retentio Hæreſeos odio fiat, vacet culpâ; ac proinde pœnæ non ſit obnoxia. 44

Sed dicendum, quocunque fine quis librum Hæretici retineat, vel legat, abſque licentia illius, qui illam dare poteſt, incurrere Excommunicationem Bullæ. Ita Azor *p. 1. l. 8. c. 16. q. 6.* Tolet. *l. 1. Summ. c. 19. n. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 53.* Suar. *D. 20. ſect. 2. n. 21.* Farin. *prax. q. 180. n. 39.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 9.* Tambur. *Decal. tom. 1. l. 2. c. 1. §. 7. n. 46.* Dian. *p. 6. tr. 6. reſ. 49.* Wex *Ariad. p. 4. Append. 1. ad Decad. 1. caſ. 10. n. 25.* Vincent. Petr. *tom. 1. comment. fol. 136. n. 15.* Wieſtner *hic n. 23.* & clarè patet ex Bulla Cænæ, ubi ſub Excommunicatione prohibetur lectio, & retentio hujuſmodi Librorum *ex quavis cauſa, & quovis ingenio, vel colore*: adeoque Bulla non curat, qua intentione fiat Lectio, vel retentio. 45

Ratio eſt, quia in ea Bulla lectio, & retentio iſtorum Librorum prohibita eſt ſub pœna Excommunicationis ob periculum generale perverſionis multorum: quod periculum cùm non ceſſet, etiamſi particulari alicui perſonæ nihil ſit inde timendum, idcirco etiam iſte prohibitione illa, & pœnâ tenebitur, qui bono licèt fine, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vel alterius, qui dare eam poteſt, illos legit, vel retinet. Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppoſitæ. 46

Dub. 5. quomodo oporteat legere Librum Hæretici, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cænæ? Satis convenit inter DD. 1. non ſufficere Lectionem ſolùm materialem, quæ verba duntaxat profert, ſed requiri formalem, quæ ſenſum verborum intelligit, ut contra Bonacin. *D. 2. de Cenſur. q. 5. p. 4. n. 14.* notat Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 2.* quia hæc ſola eſt lectio propria. 2. Non eſſe neceſſarium, ut verbis proferatur res lecta, ſed ſufficere, ſi viſu percurratur talis liber, nullum pronuntiando verbum, 47

bum, attendendo tantùm ad verborum ſenſum, Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 41.* Suar. *D. 20. ſect. 2. n. 18.* Bonac. *D. 2. de Cenſur. q. 5. p. 4. n. 12.* Palao §. 2. *cit. n. 2.* Wieſt. *hic n. 21.* ex ratione, quia ad veram lectionem verborum prolatione opus non eſt *arg. l. tabularum 2. §. inſpectio 5. ff. teſtam. quemad. aperiant.*

48 *Difficultas* eſt, an Excommunicatio incurratur etiam ab illo, qui auſcultat legenti Librum Hæreticum? Affirmat Suar. *D. 20. ſect. 2. n. 19.* negat Sanch. *c. 10. cit. n. 48.* Conink *D. 18. dub. 11. n. 178.* Palao §. 2. *cit. n. 4.* Melius diſtinguunt Azor *p. 1. l. 8. c. 16. q. 4.* Sayr. *theſaur. caſ. tom. 1. l. 3. c. 5. n. 14.* Graffis *p. 1. deciſ. l. 4. c. 18. n. 45.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 6.* Wieſtner *hic n. 24.* Vel enim juſſit eundem ſibi prælegi à famulo, aut alio, aut contrà ſolùm auſcultat ejuſdem lectionem, quam alius ſuâ ſponte, aut juſſu quidem, vel ſuaſione, non ſuâ tamen auſcultantis, ſed alienâ incepit.

49 *Si primum*, tenetur ea Excommunicatione auſcultans; quia ita jubens ita prælegi in moral æſtimatione ipſe cenſetur legere, cùm ex generali Regula, quod quis facit per alium, perinde ſit, acſi faciat per ſeipſum, quæ eſt *72. in 6.* Accedit, quia aliàs Cenſura, per Bullam lata, facilè poſſet eludi, & ita fieri, ut prohibitio careret fine.

50 *Si ſecundum*, non afficitur Excommunicatione; quia eo caſu legere ipſe moraliter non cenſetur. Quod extendit P. Wieſtner *n. 24. cit.* etiam ad eum, qui talem Librum prælegi alijs mandat, vel conſulit, ſed lectionem ipſe non audit; quia cùm Libri lecti Hæreſes nec viſu, nec auditu mediante percipiat, non poteſt cenſeri legens, qui ſolus Excommunicatione iſta afficitur. *Excipit* caſum, niſi mandato, vel juſſu ſuo Hæreſi favorem præſtet.

51 Dub. 6. quid dicendum de eo qui legit Librum Authoris Hæretici, in quo iſte de Religione non tractat ex inſtituto, ſed dogma tamen Hæreticum unum, vel alterum incidenter ſolùm, & obiter refert, vel probat? R. ſpectato tenore Bullæ Cœnæ, & hujus rigore, etiam iſtum Excommunicationem incurrere, ut notant Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 35.* Suar. *D. 21. de Cenſur. ſect. 2. n. 10.* Conink *D. 18. de Fid. dub. 11. n. 177.* Farin. *prax. q. 180. n. 22. fin.* Bonacin. *D. 2. q. 5. p. 4. n. 19.* Palao *tr. 4 D. 2. p. 10. §. 1. n. 7.* Wieſtner *hic n. 20.* & patet ex *Bulla cit.* ubi ſub Cenſura illa prohibetur lectio Librorum Hæreticorum, non ſolùm illorum, qui de Religione tractant, ſed etiam eorum, qui Hæreſin continent. Manétque talis liber prohibitus, etiamſi Hæreſin, quam continet, ex illo expunxeris; quia particularis expunctio non tollit communem Libri prohibitionem, ut *l. citt.* monent *Sanch. Bonac. Palao.*

52 Addidi, *ſpectato rigore*; nam huic rigori Germaniæ noſtræ uſu videtur derogatum in pluribus ejus Provincijs, ubi ſine Cenſuræ metu Viri timorati, & docti legunt, & in Bibliothecis ſuis retinent Opera Hæreticorum Authorum, profanum argumentum tractantia, licèt errores aliquos, ab Eccleſia damnatos, contineant, modò iſti frequentes non ſint, aut in odium Fidei ab Authoribus conſcripti. Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 4.* Wex *Ariadn. p. 4. Append. 1. ad caſ. 10. Decad. 1. n. 8.* Pirhing *hic n. 20. ℣. requiritur*, Engl *n. 10.* Schambog. *n. 15.* Wieſtner *n. 20.* & teſte Reiffenſtuel *n. 50.* plerique poſt Laymann ſcribentes, qui *n. 51.* addit, ejuſmodi Libros, ſi obiter ſolùm, & breviſſimè, ſimúlque apertè futiliter defendunt, aut referunt doctrinam Hæreticam, nec eam ex inſtituto tractant, legi tutò poſſe etiam extra Germaniam.

Dub. 7. an eidem Cenſuræ ſubjaceat etiam ille, qui legit, vel penes ſe retinet Epiſtolam, Concionem, vel aliud ſcriptum, quod Hæreſin continet, vel de Religione tractat? Affirmant, ut probabiliùs, Suar. *D. 20. ſect. 2. n. 10.* Ugolin. *de Cenſur. p. 2. Gloſſ. ac eorundem n. 2. ℣. nonò*, Farin. *prax. q. 180. n. 31.* & nonnulli alij, quos ſequitur P. Reiffenſtuel *hic n. 45.* Moventur 1. quia hæc prohibitio non eſt odioſa, ſed favorabilis; quia eſt in favorem Fidei, & defenſionem Catholicorum. ergo debet extendi, & non limitari ad Librum. 2. Non eſt ſignata magnitudo, quæ ad conſtituendum Librum requiratur, ergo Concio, Diſputatio, annotatio, quæ decem folia continet, jam poterit nuncupari liber. 3. Talis Epiſtola &c. poteſt eſſe pars ſaltem modica alicujus Libri: atqui partem etiam minimam Libri Hæretici v. g. Procœmium, Epiſtolam ad Lectorem, Syllabum Capitum, aut Indicem legens Excommunicationem incurrit ſecundùm dicta *n. 42. fin.* ergo &c. 4. Etiam talis Epiſtolæ, Concionis &c. lectio periculum perverſionis afferre poteſt, & ſolet. 5. S. Congregatio, circa Decretum *Trid. ſeſſ. 4. de Edit. Libror.* interrogata, quænam ibi comprehendantur nomine Libri, reſpondit comprehendi ſub illo Decreto *Conciones*, *Lectiones*, *Diſputationes*, & ſimilia. ergo etiam in caſu noſtro Bulla Cœnæ prohibendo lectionem Librorum Authoris Hæretici, cenſenda eſt quoque prohibere Conciones, & alias hujuſmodi ſcripturas paucorum foliorum.

53

Verùm, etſi Sententia hæc in praxi ſuadenda, tenendáque ſit, probabile tamen admodum eſt, hujuſmodi ſcripti, quod Tractatûs formam non referat, lectione Excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurri. Ita Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 29.* Bonacin. *D. 2. de Cenſur. q. 5. p. 4. n. 18.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 3.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5.* Herinx *D. 9. de Fid. q. 8. n. 86.* Wieſtner *hic n. 19.* Ratio eſt, quia diſpoſitio *Bullæ cit.* pœnalis, conſ. odioſa eſt. igitur cùm per eam ſub dicta

54

ta Censura prohibeatur solùm lectio, retentio &c. Librorum, ea pœna extendi non debet ad eos, qui legunt, retinent &c. Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum paucorum foliorum; quia hujusmodi scripta propriè, & secundùm communem loquendi usum non veniunt Libri nomine.

55 Ex quo patet *ad 1. argumentum* adversæ sententiæ. Certè si Constitutio hujus Bullæ, quatenus Censuram Excommunicationis infligit legentibus Libros Hæreticos, simpliciter favorabilis esset, quòd in favorem Fidei, & defensionem fidelium ordinata sit, etiam favorabilis simpliciter foret Lex pœnalis, quâ homicidæ, & latrones puniuntur, cùm & ipsa ad bonum Reip. & defensionem innocentium ordinetur. *Ad 2.* cùm à Jure non sit determinata quantitas requisita ad constituendum Librum, quantitas ista sumi debet à communi loquendi usu. atqui secundùm communem loquendi usum scriptura, quæ folijs decem minor est, Liber dici non solet, quamvis, ut vult Palao *l. cit. n. 5. ad 5.* talis nuncupari possit decem folia saltem continens. *Ad 3.* etsi talis Scriptura brevior posset esse pars Libri, non tamen est actu, nec unquam fuit pars Libri; & ideo nunquam fuit prohibita sub clausula Bullæ Cœnæ: secus est de Præfatione, Epistola Dedicatoria &c. quæ defacto Librum prohibitum composuit; quia prohibito Libro, etiam partes prohibitæ manent. *Ad 4.* præterquam quòd Constitutiones pœnales neque ob paritatem rationis extendi debeant ad casum non expressum in tali Constitutione, etiam non est par ratio talis scripti, quæ Libri; quia hi manent diutiùs, evulgantur latiùs, & majoris authoritatis sunt, quàm Epistola, & similes scripturæ non redactæ in Tractatum. *Ad 5.* quòd sub Decreto Trid. *de Edit. Libror.* comprehendantur etiam annotationes, scholia, disputationes, mirum non est, quia Decretum *Concil. Lat. sub Leon. X.* cujus Constitutio *cit.* Trid. explicatio, & renovatio est, expressè includit *quamcunque Scripturam*: contrà Bulla Cœnæ duntaxat prohibet lectionem, retentionem &c. Libri Hæretici.

56 Dub. 8. quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum, edito authoritate Pij IV. & postea per Sixtum V. Clementem VIII. & Successores Pontt. continuato, confirmato, & aucto? R. in hoc Libri prohibiti dividuntur in duas Classes. *In prima Classe* continentur Libri, qui propter ipsos Authores, Hæreticos scilicet, damnati, seu prohibiti sunt. Et tales sunt 1. Libri Hæresiarcharum, i. e. qui Hæresin invenerunt, aut suscitârunt, vel Hæreticorum quà talium Capita, & Duces sunt, vel fuerunt, ut Lutherus, Calvinus, Zvvinglius, quorum Libri omnes, & singuli, etsi de Religione non tractent, nec Hæresin contineant, sed de alia quacunque materia tandem agant, per hunc Indicem prohibiti sunt, ita decernente Ecclesia in odium Authorum; quia *damnato Authore, damnantur ejus Scriptura, & Libri, & Opera*, ut habet Summarium *c. fraternitatis 4. h. tit.* 2. Libri aliorum Hæreticorum Authorum, vel de Hæresi publicè suspectorum, continentes Hæresin, vel de Religione tractantes etiamsi Hæresin non contineant.

Ad *Secundam Classem* pertinent Libri, qui 57
prohibentur, aut prohibiti sunt non propter ipsum Authorem, sed propter doctrinam, quam continent: quales sunt 1. Libri, qui continere judicantur doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium repugnantem, licèt eorum AA. Catholici sint. 2. Libri & scripta tradentes Artem Magicam, aut res obscœnas, vel lascivas, si hoc faciant ex professo. In novo Indice, edito authoritate Alexandri VII. & Successorum Pontt. omnes Libri prohibiti ponuntur ordine Alphabetico, & illis, qui primæ Classis sunt, utpote speciali notâ dignis, additur *Primæ Classis*, ut videre est in moderno Indice: adeoque Libri omnes, quibus Characteristica ista non adijcitur, censentur esse secundæ Classis.

Jam 1. *Libri primæ Classis* omnes in 58
Indice prohibentur legi sub pœna Excommunicationis reservatâ Papæ. 2. Sub eadem Excommunicatione, non tamen reservata Summo Pontifici, prohibetur Lectio Librorum *secundæ classis*, qui prohibiti sunt, quia judicantur continere doctrinam non sanam, suspectam vel moribus fidelium repugnantem. 3. Lectio Librorum, & scriptorum tradentium artem Magicam, aut res obscœnas, & lascivas severæ, sed arbitrariæ Episcoporum coërcitioni subjecta est per *Constit. Pij IV.* incipit *Dominici 24. Mart. 1564.* & *Alexandri VII.* incipit *Speculatores 5. Mart. 1664.*

Notat tamen P. Wiestner *hic n. 25.* 59
ex Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 8.* memoratum Librorum prohibitorum Indicem quoad secundam Classem in Germaniæ nostræ Provincijs non esse usu receptum. Imò Becan. *tom. 2. tr. 1. de Fid. c. 15. q. 8. n. 5.* putat eundem Indicem, & Bullam Cœnæ in eadem Germania etiam non esse receptam plenè quoad aliquos Libros primæ Classis, scilicet Hæreticorum Authorum, saltem qui non sunt Hæresiarchæ: hinc putat, Catholicos in Germania non esse excommunicatos, qui legunt Libros Hæreticorum, quamvis peccent mortaliter, si eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis, ut frequenter fit. Pirhing *hic n. 21. in fin.* Contrà non receptionem, & non usum Bullæ, aut Indicis nec in Germania prætendi posse, multis acriter defendit P. Reiffenstuel *hic n. 113. & seqq.* Utramque Sententiam mitigat P. Engl *hic n. 9.* qui cum prima asserit receptam non esse prohibitionem

Bullæ, & Indicis in Germania quoad pœnam Excommunicationis, urgere tamen quoad reatum peccati, quod plerumque ob periculum perversionis, aut malæ delectationis ex lectione talium Librorum committitur.

60 Quidquid sit, certum videtur, etiam in Germania plures Libros, qui inter secundæ Classis prohibitos in Indice recensentur, licitè legi non posse, quales sunt, qui à Catholicis Authoribus scripti sunt de rebus obscœnis, de sortilegijs, maleficijs, incantationibus practicandis, de Astrologia Judiciaria, & prædicendis futuris contingentibus, quæ dependent à libera voluntate humana &c. Unde doctrina *Laymanni* videtur locum potissimum habere in ijs Libris, qui cæteroquin boni, & optimi sunt, sed ob unam, vel alteram, aut plures doctrinas minùs convenientes cum Theologia, SS, Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs, vel quia scripserunt de, aut super materia, de qua scribere, aut glossare non licet &c. prohibiti sunt; nam tales Libros in Germania, non obstante Indice expressè illos prohibente, passim teneri, & legi in comperto est, quales v. g. sunt Francisci Pellizarij Manuale Regularium, Augustini Barbosæ Collectanea, Declarationes, & remissiones &c. in qua doctrina consentit ipse P. Reiffenstuel *n. 119.* quamvis addat, securius, & laudabilius esse, etiam in his simpliciter obedire Sedi Apostolicæ.

61 Dub. 9. Quid agendum cum Libris prohibitis Hæreticorum, vel suspectorum de Hæresi? R. in locis, ubi viget Officium Inquisitionis contra Hæreticam pravitatem, ut in Italia, Hispania &c. sub Excommunicationis, & alijs pœnis contra Hæreticos latis tradi debent Inquisitoribus, nec sufficit eos propria authoritate comburere. Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 56.* Farin. *prax. q. 180. n. 40.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 90. n. 50.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 12.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 191. n. 12.* Reiffenstuel *hic n. 127.* & ita expressè statuit *Julius III. Const.* incipit *cùm Meditatio.* In alijs locis, ubi Inquisitionis Officium non viget, sufficit, & necesse est, ut vel comburantur, vel tradantur alicui, vel aliquibus, qui specialem facultatem legendi, aut retinendi Libros Hæreticos habent.

62 Quæritur 3. quænam aliæ Cautelæ per SS. Canones præscriptæ sint ad arcendum periculum Hæresis disseminandæ, & propagandæ? R. 1. prohibentur occulta conventicula, præsertim in locis Hæresi infectis, vel de ea suspectis *c. cùm ex injuncto 12. & c. excommunicamus 13. §. adijcimus 7. h. tit.* Concordat Jus Civile *l. denuntiamus 5. C. de his, qui ad Eccl. confug.* adeo, ut ædes, in quibus conventicula hujusmodi celebrantur, si hoc fiat consentiente domino, publicentur, & addicantur fisco *l. conventicula 15. C. de Episc. & Cleric.* Ratio est, quia hujusmodi clandestinæ coitiones periculosæ sunt admodum, & prout exempla docuerunt, Fidei veræ, quæ lucem amat, inimicæ.

2. Laicis interdicta est omnis prædi- 63
catio Verbi Divini *can. mulier 29. dist. 23. c. cùm ex injuncto cit.* & *c. excommunicamus §. quia verò 6.* idque ad exemplum Christi, qui munus prædicandi Verbum Divinum, non quibusvis, sed Discipulis tantùm, & præcipuè Apostolis commisit. *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Act. 13. v. 2.* Imò etiam Clerici, qui Prædicationis officium, non accepta ad hoc à Pontifice, vel locorum Ordinarijs authoritate, suscipere in se præsumpserint, excommunicari jubentur §. *quia verò cit.* Barbos. *ibid. n. 40.* Gonzal. *in c. 12. cit. à n. 6.* Pirhing *hic n. 31.* Schambog. *n. 21.* Wiestner *n. 27.* Reiffenstuel *n. 32.*

3. Iidem Laici sub pœnâ Excommu- 64
nicationis, per sententiam inferendæ, prohibentur publicè, ac privatim de Catholicæ Fidei Mysterijs disputare *c. quicunque 2. §. inhibemus 2. h. tit. in 6.* Et afficit prohibitio hæc etiam Laicos alias doctos, ut contra Cajet. *2. 2. q. 10. art. 7. dict. 1.* probabiliùs docet Gloss. *in §. inhibemus cit. V. tenet*, Franc. *ibid. n. 1.* Sylv. *V. Disputatio n. 1.* Azor *p. 1. l. 8. c. 26. q. 1.* Sanch. *l. 2. mor. c. 6. n. 5.* Farin. *prax. q. 178. n. 112.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 17.* Passerin. *ibid. n. 24.* Pirhing. *hic n. 27.* Wiestner *n. 29.* Reiffenstuel *n. 27.* Ratio est, quia Jus indistinctè, & generaliter loquitur; conf. etiam indistinctè intelligi debet *arg. c. quia circa 12. de privil.* Accedit, quia Leges feruntur de ijs, quæ communiter accidunt *l. nam ad ea 5. ff. de LL.* frequentiùs autem accidit, Laicos non habere sufficientem scientiam rerum Fidei, & Scripturarum. igitur omnibus censeri debet de Jure prohibita esse illa Disputatio, etiam Doctis, & ex eo quoque capite, ne fortè de hujusmodi Mysterijs disputante Laico docto, idem faciendi ansam accipiant rudes.

Contrà sub Excommunicatione in 65
c. quicunque cit. lata non continentur Clerici, quippe cùm textus tantùm loquatur de Laicis. *Proceditque* hoc, etsi primâ solùm tonsurâ initiati sint, & indocti. Pirhing *hic n. 27.* Dixi, *sub Excommunicatione Clericos non contineri*; nam & ipsis disputare cum Hæreticis de Fide regulariter illicitum est *can. cum quibus 36. fin. caus. 24. q. 3.* Gloss. *ibid. V. Certamen* Farin. *prax. q. 178. n. 113.* indoctis quidem; quia ita disputando se exponunt periculo errandi in multis: doctis autem; quia ex hujusmodi disputatione cum Hæreticis, præsertim illis, qui aliquo modo Magistri erroris fuerunt, cùm obstinati plerumque, & pertinaces in errore sint, nul-

la

la est spes conversionis, sed potiùs major perturbatio pacis inde consequitur, ut adeo imprudenter se gerant, qui ita disputant cum talibus Hæreticis. Sanch. *l. 2. mor. c. 6. n. 12.* Becan. *tr. de Fid. c. 15. q. 7. n. 11.* Pirhing *n. 27. cit.* ℣. *extenditur* 2. cum alijs. Imò si hujusmodi Disputatio instituatur coram Catholicis simplicioribus, periculum est, ne auditis Hæreticorum argumentis, in Fide incipiant dubitare, aut titubare. Sanch. *l. cit. n. 10.* Farin. *n. 126.* Pirh. *n. 27. Extens. 3.*

66 Sunt tamen nonnulli casus, in quibus Clerici, & in aliquibus Laici saltem docti de Fide disputare tum inter se, tum cum Hæreticis sine peccato, & periculo Excommunicationis possunt. Nam 1. possunt Clerici, modò circa Fidei controversias sufficienter instructi sint, disputare de Fide cum Hæreticis etiam publicè coram instructis, & firmis in Fide ad confutandos eorum errores, & ad defensionem Fidei. S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 7. in Corp.* Gloss. *in can. cum quibus cit. V. certamen*, Farin. *q. 178. cit. n. 122.* Passerin. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 17.* Pirhing *hic n. 28.* cum alijs. 2. licita est disputatio de Fide cum Hæreticis etiam coram simplicioribus, si is, qui cum ipsis disputat, non tantùm sit vir doctus, sed etiam clarus, qui possit ita perspicuè proponere solutiones Argumentorum, ut etiam rudes, & simplices id possint facilè capere, quod tamen rarò contingit: imò quando simpliciores ab Hæreticis sollicitantur ad Hæresin, tenentur viri docti coram simplicibus se illis opponere, & veram Fidem disputando defendere. Sanch. *n. 10.* Farin. *n. 126.* Pirh. *n. 27. Extens. 3.* cum communi. 3. non est prohibita etiam Laicis disputatio de rebus Fidei materialis, quæ fit exercitij tantùm causâ inter idem sentientes, & credentes, non ad persuadendam opinionem, vel sententiam disputantis ei, cum quo disputatur, sed ad veritatem elucidandam, & confirmandam, modò non adsint simpliciores, qui inde occasionem accipiant dubitandi de Fide S. Thom. *l. cit.* Sanch. *n. 9.* Farin. *n. 123.* Pirhing *limit.* 2. Passerin. *n. 10.* 4. Si in aliquo loco esset Hæreticus, qui perverteret fideles, nec adesset Clericus, vel Religiosus, qui ei posset resistere, cum illo Hæretico disputare Laicus, si sufficienter doctus sit, non solùm licitè posset sed ad id etiam lege Charitatis teneretur, ut proximorum saluti Spirituali consuleret. Sanch. *n. 7.* Becan. *n. 6.* Pirh. *limit. 3.* Passerin. *n. 23.* 5. in Germania nostra, & alijs locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti degunt, Laici, præsertim docti, non peccant, neque Excommunicationem incurrunt, etsi cum Hæreticis disputent de Fide; quia in his terris Constitutio *c. quicunque cit.* non est usu recepta, aut per contrariam consuetudinem abrogata. Sanch. *n. 7.* Becan. *n. 6.* Pirhing *limit. 4.* Passerin. *n. 25.* Wiestner *n. 29. fin.* Reiffenstuel *n. 28.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 58.* Plura de his videri possunt apud *citt.* & apud Palao *tr. 4. D. 2. p. 4. à n. 1.*

4. Injungitur Episcopis, & Archiepi- 67
scopis Visitatio saltem annua Diœcesium, & Provinciarum, in Virtute S. Obedientiæ, & sub pœna Depositionis *c. excommunicamus 13. §. adijcimus 7.* & *§. fin. h. tit.* Possunt tamen ipsi hujusmodi Visitationes obire per Archidiaconos, aut alias honestas, & idoneas personas, ut *ibidem* dicitur, quibus proinde incumbet, eos, quos Hæresi infectos, vel de ea suspectos invenerint, deferre ad suos Antistites, ut coram istis Hæresin abjurent, aut de ea se purgent, vel subeant pœnas Hæreticorum. Sed hinc ulteriùs.

Dubium oritur 1. an Hæretici ab Ec- 68
clesia cogi possint ad abjurationem erroneorum dogmatum? Rationem dubitandi faciunt ea, quæ *Tit. præc. n. 42.* dicta sunt de Infidelibus, ubi cum communi DD. negatur, illos directè cogi posse ad deserendos suos errores, & amplectendam veritatem Fidei Christianæ. videtur autem esse paritas istorum cum Hæreticis.

Sed ab Ecclesia ad hujusmodi abjura- 69
tionem compelli Hæreticos posse est certa DD. Orthodoxorum sententia, probatúrque 1. ex *§. adijcimus cit.* aliisq; textibus præsentis *Tituli.* 2. ex usu antiquissimo Ecclesiæ, quem jam olim S. Augustinus *Epist. 48. contr. Donatistas* vindicavit. 3. ex ratione; quia Hæretici Ecclesiæ, quam per Baptismum ingressi sunt, subjecti manent *c. majores 3. §. fin. de Baptism.* & Trid. *sess. 14. c. 2. de Pœnit.* neque enim per hoc, quòd ab ea defecerint, se liberare à Jurisdictione illius possunt. atqui subditos suos quivis Magistratus compellere ad pristinam fidem, & obedientiam potest. ergo & Ecclesia.

Ex quo cadit Ratio dubitandi opposi- 70
ta; negatur enim paritas cum Infidelibus, qui quòd per Baptismi januam in Ecclesiam nunquam ingressi sint, etiam eidem nullo modo sunt subditi.

Dub. 2. an liceat Principi Catholico 71
contra Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eósque bello adigere, ut Hæresin deserant, & veram Religionem amplectantur? R. distinguendo: Vel enim Hæretici isti hujusmodi Principi in temporalibus subjecti sunt, vel non sunt subjecti. *Si primum*, nisi aliud quid obstet, Principes Catholici non tantùm possunt, sed etiam tenentur contra subditos sibi Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eósque sic expugnare, quando alio modo eosdem coërcere non valent. Ita communis, & certa sententia teste P. Reiffenstuel *hic n. 225.* Ratio est, quia, ut ex *infrà n. 221.* dicendis patebit, eos tolerare in Provincijs suis non possunt, sed exterminare tenentur. igitur si hoc aliter præstare nequeunt, Hæreticis forsan invalescentibus, & aliorum Hæreticorum auxilium implorantibus,

tibus, utique bello eos expugnare poterit, ac tenebitur Princeps Catholicus.

72 *Si secundum*, tales Hæreticos bello aggredi ob solam Hæresim propria authoritate non potest Princeps Catholicus; quia caret omni Jurisdictione respectu ipsorum: potest tamen, nisi aliud quid obstet, contra eos bellum gerere authoritate Summi Pontificis, ad id exhortantis, suadentis, vel mandantis; quia Papa, tanquam supremus Ecclesiæ universalis Pastor, etiam in Hæreticos, utpote per Baptismum jam semel sibi subjectos, Jurisdictionem habet: conf. sicut alius Princeps rebelles sibi subditos, ita & ipse Hæreticos, si alia media non proficiant, per se, vel per alios coërcere, & expugnare potest. Reiffenstuel *n. 228.*

73 Addidi autem in utroque *n, præc. Nisi aliud quid obstet*: obstaret autem, si ex vi publicæ, & validæ Pacis, vel per alium legitimum Contractum, aut Pactum publicum securitas ipsis promissa, & præstita fuisset; tunc enim non possent ejici, nisi nova justa causa eos ejiciendi superveniat v. g. periculosæ machinationes &c. nam cuilibet, etiam Hæretico, servanda Fides est.

74 5. Cùm Archiepiscopi, & Episcopi extirpandæ Hæresi, quæ sub specie pietatis indies invalescebat, non viderentur sufficere, ita sollicitante S. Dominico, Religiosissimi Ordinis Prædicatorum fundatore, institutum est à Summo Pontifice Officium Inquisitionis in Hæreticam pravitatem, & constituta successu temporis in varijs Regnis, & Provincijs ejusdem S. Inquisitionis Tribunalia, Romæ autem S. Congregatio Cardinalium, quæ eandem Inquisitionem, per alias Provincias, & Regna exercendam, dirigeret, erecta à *Paulo III. Const.* incipit *licèt ab initio 12. Cal. Aug. 1542.* quam deinde alij Pontifices Successores approbârunt, & facultates respectivè auxerunt, prout constat ex *Const. 74. Sixti V.* & refert Card. de Luca *Relat. Cur. Rom. Discurs.* 14. *n. 2. & seqq.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 165. n. 8.*

75 Dub. 1. an Inquisitores sint Judices Ordinarij, an Delegati? Ordinarios esse affirmant Archidiac. *in c. ne aliqui 10. h. tit. in 6.* Host. *in c. ad abolendam 9. eod. n. 2.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* & videtur probari ex ratione; quia habent Jurisdictionem ad universitatem causarum, concernentium Fidem, & Hæresin, ab Apostolica Sede sibi concessam per modum Officij, seu publici Magistratûs, ut colligitur ex *c. ne aliqui cit. c. ut officium 11.* & *c. ut commissi 12. h. tit. in 6.* atqui Jurisdictio, quæ per modum Officij concessa est, seu quæ competit ratione muneris, & Magistratûs, quem quis gerit, Ordinaria est, non Delegata per *textum*, & Gloss. *l. more 5. V. suo Jure ff. de Jurisd.* ergo &c. *Conf.* Jurisdictio Inquisitorum non minùs descendit à Jure, seu Canone, quàm Jurisdictio Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ordinariorum. atqui Jurisdictio, quæ descendit à Jure, ordinaria est *arg. l. & quia 6. ff. eod.* ergo &c.

Sed veriùs dicitur esse Delegata. Ita 76
Franc. *in c. ne aliqui cit. n. 1.* Decius *in c. causam 16. de Offic. Deleg. n. 10.* Sylv. *V. Hæresis 2. q. 1. n. 2.* Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 6.* Farin. *prax. q. 186. n. 39.* Scaccia *de Judic. c. 67. n. 5.* Molin. *tr. 5. de I. & I. D. 28. n. 4. ℣. hos verò.* Petr. Barbos. *in l. cùm Prætor. 12. §. 1. n. 44. & 51. ff. de Judic.* Aug. Barbos. *in c. per hoc 17. n. 4. h. tit. in 6.* Palao *tr. 4. D. 8. p. 12. §. 2. n. 2.* Delben. *p. 2. de Offic. S. Inquis. dub. 195. sect. 2. n. 5.* Vinc. Petra *tom. 3. comment. fol. 167. n. 22.* Pirhing *hic n. 131.* Schambog. *ibid. n. 54. Ratio est*, quia Jurisdictionem, quam exercent, non exercent nomine proprio, sed alieno, & Apostolica authoritate, ut colligitur ex *c. ut officium cit.* ibi, *Ut Officium Inquisitionis contra Hæreticos - - - authoritate Apostolica possitis efficacius adimplere.* atqui exploratum est, Jurisdictionem, quæ non proprio, sed alieno nomine exercetur, delegatam esse *l. etsi Prætor 3. ff. de Offic. ejus, cui mandat. &c.* & dictum est *Libr. 1. Tit. 29. n. 1.* ergo &c.

Addo tamen, hanc ipsorum Jurisdi- 77
ctionem Ordinariæ valde affinem esse, ut notant Molin. *l. cit. n. 1. & 4. ℣. illa verò*, Barbos. *in c. 17. h. tit. n. 11. & 12.* Palao *n. 2. cit.* Petra *fol. 167. n. 29.* nam 1. adhæret Officio, 2. est ad universitatem causarum Fidei, 3. est perpetua, ita ut uno cedente, vel decedente sufficiatur alius, 4. non exspirat morte Papæ delegantis, etiam re integra, & quoad negotia nondum cœpta, quamvis data sit *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, vel *Summi Pontificis*, ob favorem Fidei, ne casus eveniat, in quo vel non possit contra Hæreticos inquiri, vel inquisitio diutiùs, quàm par sit differri debeat. Farin. *l. cit. n. 23.* 5. subdelegando etiam alijs committi potest, prout supponitur *c. ne aliqui 10. h. tit. in c. Clem. 1. § porro* ibi, *Coram dictis Inquisitoribus, & substitutis ab eis eod.* quòd etiam concedunt *Constitutiones Clementis VII.* & *Pij II.* apud Pegna *Direct. p. 3. q. 13. comm. 62.* Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 10.* Palao §. 2. *cit. n. 12.* Ex quo sequitur, quòd Officium hoc habeat perfectiones Jurisdictionis Ordinariæ, & Delegatæ, sublatis cujuslibet imperfectionibus.

Ex quo cadunt Argumentum, & 78
ejus Confirmatio in contrarium allata; solùm enim probatur, quòd Jurisdictio Inquisitorum magnam affinitatem cum Ordinaria Jurisdictione habeat.

Dub. 2. Qualis esse debeat, cui com- 79
mittitur Inquisitionis officium? R. In assumendis ad hoc Officium requiritur vitæ probitas, prudentia non mediocris, doctrina non vulgaris, & quidem tam in Theologia,

gia, quàm in Jure Canonico : in Theologia quidem, ut Hæreſes cognoſcat ; in Jure Canonico autem, ut cauſas, & lites poſſit decidere. Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 3.* Farin. *prax. q. 186. n. 54.* Palao *tr. 4. D. 8. p. 12. §. 2. n. 25.* Qui ab alio, quam Papâ deputantur ad hoc Officium, debent attigiſſe annum ætatis 40. prout ſtatuitur in *Clem. 2. h. tit.* aliàs conſtitutio erit nulla, quippe facta contra præſcriptam formam, & conditionem à Jure requiſitam. Gloſſ. *in Clem. cit. V. committi*, Farin. *n. 50. l. cit.* Palao *n. 24.* Et ſic major ætas requiritur in Inquiſitore Fidei, quàm in Epiſcopo, licèt iſte ſit Ordinarius Inquiſitor : cujus fortè ratio eſt, quia Officium Inquiſitionis non cum tanta indagatione ſolet committi, cum quanta indagatione conſtituuntur Epiſcopi. Abb. *in c. 7. §. 1. n. 6. de Elect.* Azor *q. 4.* Palao *n. 24. cit.* Pirhing *n. 132.*

80 Dixi, *Qui ab alio, quàm à Papa deputantur* ; nam ſi à Pontifice immediatè eligantur, non videtur neceſſarium, ut attigerint annum 40. ſed in quacunque ætate eligantur, valet eorum electio, ſive Pontifex ſciat illorum ætatem, ſive neſciat, Farin. *n. 51.* Palao *n. 24. cit. ℣. notanter.* Et hinc in Inquiſitoribus, qui eliguntur à Conſiſtorio Cardinalium, ut idem Farin. *l. cit. in fin.* notat, parum hodie curandum eſt de eorum ætate ; quia eliguntur de ſcientia Summi Pontificis.

81 Eandem ætatem, & qualitates, quæ juxta *n. 79.* requiritur in Inquiſitoribus, Gloſſ. & Joan. Andr. *in Clem. 2. cit.* requirunt etiam in Commiſſarijs Inquiſitorum, & Epiſcoporum ; quia ſubſtitutus ſapere naturam principalis debet *l. parabolanos 18. C. de Epiſc. & Cleric.* Sed etſi hoc verum ſit de cæteris qualitatibus, quoad ætatem minus aliquid requri, patet ex *Conſtit. Clem. VII.* incipit *Cùm ſicut*, ubi Pontifex, *decernimus*, inquit, *inſuper, ut veſtros Vicarios, ſive Commiſſarios inſtituere valeatis viros ſcientiâ probos, providos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigeſimum annum attigerint.* Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 4. ℣. quæres deinde.* Molin. *tr. 5. D. 28. n. 23.* Palao *l. cit. n. 26.* Neque mirum eſt, minorem ætatem requiri in Commiſſario, quàm in Inquiſitore, cùm rarò illis committatur integra Inquiſitorum poteſtas.

82 Dub. 3. quomodo procedere Inquiſitores in cognitione cauſarum Hæreſeos, & aliarum, cum iſta connexarum, atque incidentium debeant ? Rſp. poſſunt procedere vel conjunctim cum Epiſcopis, aut Capitulis, tanquam Judicibus Ordinarijs, vel ſeparatim ab iſtis *c. per hoc 17. h. tit. in 6. Clem. 1. §. propter 1.* & *Extr. 1. int. comm. eod.* Si ſeparatim procedant, inſtruere quidem Proceſſum, & proſequi illum ſeorſim usque ad ſententiam condemnatoriam poſſunt, condemnare tamen de Hæreſi convictum nequeunt, niſi Proceſſu Epiſcopis communicato, prout patet ex §. *propter cit.* & notat *ibid.* Gloſſ. *V. contra eos.*

Dixi, *Condemnare non poſſunt* ; nam 83
an unus ſine altero procedere poſſit ad ſententiam definitivam, per quam reus omnino abſolvatur, quia delictum plenè probatum non fuit, vel ad inrerlocutoriam, quæ vim definitivæ habet, per quam reus abſolvitur à tortura, vel alia pœna, controverſum eſt inter DD. Affirmant Gloſſ. *V. contra eos cit.* Clar. §. *Hæreſis n. 5.* Molin. *tr. 5. D. 28. n. 15.* Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 16.* Farin. *q. 186. n. 60.* qui dicunt hanc ſententiam, ſtando ſolo Jure communi, eſſe communiorem, & probabiliorem ; quia in *Clem. cit.* ſolùm prohibetur unus ſine altero ferre Sententiam contra Hæreticos. ergo per Argumentum à ſenſu contrario pro accuſatis ſententiam ferre poteſt unus ſine altero, *Negativa* tamen ſententia tutior, æquior, & magis recepta eſt, teſte Pirhing *hic n. 150.* quam proinde in praxi ſervandam putat Palao *tr. 4. D. 8. p. 13. n. 19.* quia quamvis de ſola condemnatoria expreſsè loquatur textus, tamen hoc ipſo, quòd requirat, ut ſententiam præcedat communicatio Proceſſuum inter utroſque Judices, ut examinetur, utrum reus condemnandus ſit, vel abſolvendus, tacitè etiam requiritur, ut reus non abſolvatur ab uno Judice ſine altero, ſicut non poteſt condemnari ab uno tantum.

Quod dictum eſt de Inquiſitoribus, 84
etiam dicendum de Epiſcopis, ſi procedant ſeparatim ab Inquiſitoribus ; nam nec Epiſcopus coram Judicio ſuo convictum de Hæreſi condemnare poteſt, niſi Proceſſu communicato Inquiſitoribus. *Procedit* autem hoc in ijs duntaxat Provincijs, ubi Officium S. Inquiſitionis viget ; nam ubi non viget, uti in Germania, Polonia, Gallia, poſſunt Epiſcopi totum proceſſum inchoare, & per Sententiam etiam condemnatoriam ſoli finire, absque hoc, quòd Proceſſum ſuum transmittant ad alienam Diœceſim, vel Provinciam, ubi Inquiſitionis Officium, & inquiſitores exiſtunt, eò quòd in præfatis locis, ubi Inquiſitio non viget, munus Inquiſitorum obeant, & eandem, quam illi, in Hæreticos poteſtatem habeant, ac privativè exerceant Epiſcopi, uti poſt Azor *p. 1. l. 8. c. 18. q. 2.* bene obſervat Pirh. *hic n. 130.* & receptus probat uſus, ac conſuetudo.

Quodſi Epiſcopus, & Inquiſitores diſ- 85
cordes ſint, Papam conſulere, vel cauſam cum ſummaria informatione ad eum omnino remittere debent *c. per hoc 17. h. tit. in 6.* & *ibi* Vivian. *in Ration.* Barboſ. *n. 1. & 15.* Paſſerin. *n. 11.* Vallenſ. *hic §. 2. n. 5.* Pirh. *n. 145.* Wieſtner *n. 35.* poſt Farin. *prax. q. 186. n. 64.* Similiter ad Papam referri debet, quando Epiſcopus, etiam Titularis, & Epiſcopus, quando Inquiſitor, uterque autem, quando Sedis Apoſtolicæ Legatus,

vel alius ejus Officialis Hæreticæ pravitatis insimulatur, ut statuitur *c. inquisitores 16. b. tit. in 6. Extrav. 3. int. comm. eod.* & Trid. *sess. 24. c. 5. de reform.* Decian. *tr. crim. sect. 5. c. 21. n. 5.* Molin. *tr. 5. D. 20. à n. 19.* Farin. *q. cit. à n. 113.* & 124. Palao *tr. 4. D. 8. p. 12. §. 2. à n. 6.* Vivian. *in c. 16. cit. pr.* & ℣. *sed si eum*, Barbos. *ibid. n. 1.* Passerin. *n. 1.* & *seqq.* Vallens. *hic* § 2. *n. 3.* Pirhing *n. 134.* & *duob. seqq.* Schambog. *n. 55.* Reiffenstuel *n. 446.* apud quos plura videri possunt circa modum instituendi Inquisitionis processum.

§. III.

De Pœnis Hæreticorum, & præcipuè de Spiritualibus.

SUMMARIUM.

86. &c. *Quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint?*
89. &c. *Quænam pœnæ Spirituales in eos sint latæ?*
91. &c. *Quinam istas incurrant?*
97. &c. *Conditiones requisitæ, ut incurrantur?*
101. &c. *Pœna fepelientium Hæreticos &c. contra Ecclesiæ prohibitionem.*
104. &c. *An Irregularitas, ob Hæresin contracta, hac relictâ, perseveret?*
106. &c. *Quis in ea dispensare possit?*
109. &c. *An Beneficia antè obtenta ob Hæresim amittantur ipso Jure?*
115. &c. *An Irregularitatem istam, & inhabilitatem incurrant etiam filij, & nepotes Hæreticorum?*
119. &c. *Quid de his dicendum in Germania?*

86 QUæritur 1. quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint? Videntur non posse puniri; quia, ut *suprà n. 1.* dictum est, Hæresis est error, ac proinde actus intellectûs internus, atqui ad actum internum potestas Ecclesiæ, quæ exterior est, se non extendit *can. cogitationis 14. de Pœnit. dist. 1. c. sicut 33.* & *c. tua nos 34. de Simon.*

Sed distinguendum est inter Hæresin materialem, & formalem. *Materialis* non subjacet Censuris, & pœnis alijs in Hæreticos latis; quia hæ non feruntur, nisi ob culpam conjunctam cum pertinacia, atqui in hæresi materiali vel nulla adest culpa, vel si adest, saltem pertinacia abest. *Ex quo sequitur*, Hæreticos materiales, si ad Catholicam Fidem convertantur, non debere absolvi ab Excommunicatione, nisi ad cautelam; sed sufficiet, si faciant Professionem Fidei, & suscipiant Sacramentum Pœnitentiæ, ut observat Layan. *l. 2. tr. 1. c. 13. n. 4.* König *hic n. 14.* ℣. *Hæresis.*

87 In *Hæresi formali* distingui debet inter Hæresin purè mentalem, sive merè internam, & inter eam, quæ manifestatur verbis, vel alijs signis externis, Hæresin internam sufficienter exprimentibus. *Prior* iterum Censuris, & pœnis relatis obnoxia non est, prout docent Azor *p. 1. l. 8. c. 10. q. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 8. n. 2.* Barbos. *in c. 13. b. tit. n. 2.* Wagnereck *l. cit. not. 2.* Zœs. *hic n. 1.* König *n. 15.* Reiffenstuel *n. 234.* & *235.* Vincent. Petra *tom. 3. fol. 177. num. 11.* & probatur per rationem dubitandi allatam. *Ex quo fit*, Hæreticum mentalem à quocunque Confessore, qui à mortalibus absolvendi potestatem habet, posse absolvi. Sanch. *n. 3.* *Neque obest*, quòd peccatum Hæresis consummetur sola mente; quia ut peccatum aliquod punibile sit ab Ecclesia, non sufficit, ut illud in sua specie consummatum sit, sed requiritur insuper, ut etiam aliquo modo externo sufficienter manifestetur. Sanchez. *n. 2.*

Posterior puniri hujusmodi pœnis po- 88
test, ut monent Navarr. *Man. c. 27. n. 56.* Suar. *D. 21. de fid. sect. 2. à n. 9.* Sanch. *l. cit. num. 6.* Wiestner *hic num. 41.* *Proceditque* hoc, etiamsi signa illa adeo occultè sint data, ut in Judicio probari Hæresis ijs prodita nequeat; nam adhuc ab hujus reo incurruntur pœnæ Hæreticorum, non quidem illæ, quæ requirunt sententiam, sed quæ sunt latæ sententiæ, & ab ipso Jure inflictæ; nam hæ accusationem, & Judicialem hominis sententiam non requirunt. Azor *c. 10. cit. q. 4.* Sanch. *n. 6.* Pirhing *n. 16.* Wiestner *n. 41* Reiffenstuel *n. 236.* Petra *n. 11.* & communissima TT. & Canonistarum.

Quæritur 2. quænam pœnæ Spiritua- 89
les in Hæreticos latæ sint? R. 1. incurritur ab ipsis Excommunicatio major ipso Jure *c. cùm Christus 7. c. ad abolendam 9. c. excommunicamus 13.* & *15. pr.* & *c. noverit 49. de sent. Excomm.* éstque Excommunicatio hæc reservata Papæ per *Bullam Cœnæ cas. 1.*

2. Privantur ipso Jure Sepulturâ Ecclesiasticâ *c. sicut 8.* ℣. *si autem h. tit.* & *c. quicunque 2. eod. in 6.*

3. Fiunt Irregulares, ita, ut nec Ordines suscipere, nec in susceptis sine Dispensatione ministrare possint, etiamsi ab Hæresi sint absoluti *can. saluberrimum 21. caus. 1. q. 7. c. quicunque cit.* §. *Hæretici 2.* & *c. statutum 15. pr. h. tit. in 6.*

4. Redduntur inhabiles ad Dignita- 90
tes, & Beneficia Ecclesiastica, aliáque Officia publica obtinenda: éstque collatio talis ipso Jure irrita per textus *citt.*

§. Pri-

5. Privantur Dignitatibus, Beneficijs, & Officijs, ante eorum in Hæresin lapsum obtentis *c. ad abolendam 9. h. tit.* & *c. ut commissi 22. eod. in 6.*

6. Quicunque Viri Ecclesiastici, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, Dignitates, Personatus, & quæcunque alia Beneficia Ecclesiastica sunt adepti, ijs privantur perpetuò, ita, ut nec mortuâ personâ intermediâ possint ea consequi; & si receperunt ea scienter, ad alia, & similia nequaquam imposterum admittuntur *c. quicunque cit. §. adhæc 3.* Joann. Andr. *ibid. V. perpetuò*, Franc. *not. 2.* Pirhing *hic n. 51.* König *n. 20.* Reiffenstuel *n. 291.*

91 Quæritur 3. Quinam incurrant Excommunicationem, & pœnas hactenus relatas? R. incurrunt illas 1. ipsi Hæretici: quod *c. excommunicamus 13. cit. §. qui autem 2.* extenditur etiam ad suspectos de Hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, & qualitatis personæ se debitè purgaverint; nam & isti excommunicari, & vitari debent, donec competenter satisfecerint: & si per annum contumaciter in Excommunicatione perstiterint, tanquam Hæretici sunt condemnandi: imò ut post *Hostiens.* & *Joann. Andr. in c. cit. n. 4.* tradit Abb. *ibid. n. 11.* Barbos. *n. 10.* Pirhing *n. 32.* ipso Jure pro Hæreticis habentur, ita, ut tantum opus sit sententiâ declaratoriâ criminis. Potest tamen ab ita suspecto purgari contumacia, ostendendo, se legitimè fuisse impeditum, ne in Judicio citatus compareret; & tunc effugiet omnem pœnam. Pirhing *n. 35. not. 4.*

92 2. Eorum *Credentes*, seu illi, qui erroribus ipsorum sive in particulri, sive in communi, sive expresè, sive confusè per signum aliquod externum assentiuntur: qualis esse censetur ille, qui sciens, aliquem esse Hæreticum, credit, ipsum rectam fidem habere, etsi in particulari nesciat ipsius errores; item qui dicit se credere, quidquid ipse credit; qui animo assentiendi ipsius erroribus prædicationem, vel lectionem ipsius audit; imò etiam ille, qui licèt non habeat animum assentiendi absolutum, habet tamen illum sub conditione, si ipsi rationes, & motiva Hæretici placuerint; nam talis jam credens est, saltem sub conventione: quod videtur sufficere, ut talis sub credente comprehendatur; quia ratione illius animi dubij amittit fidem. Navar. *Man. c. 27. n. 55.* Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 2.* Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 6.* & *D. 24. de Fid. sect. 1. n. 1.* & *3.* Bonacin. *D. 2. de Censur. q. 5. p. 3. n. 2.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 14. n. 5.* Barbos. *in c. 13. h. tit. n. 20.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 5. n. 1.* Pirhing *hic n. 106.* Reiffenstuel *ibid. n. 248.*

93 2. Eorum *Receptatores*, seu illi, qui Hæreticis ob causam Hæresis fugientibus, seque occultantibus alicubi hospitium præbent *c. sicut 8. h. tit.* Azor *p. 1. l. 8. c. 15. q. 2.* Farin. *prax. q. 182. n. 134.* Sanch. *l. cit. n. 10.* Suar. *sect. 1. cit. n. 4.* Laym. *n. 5.* Palao *n. 4.* Passerin. *in c. 11. h. tit. in 6. n. 11.* Pirhing *n. 112.* Schambog. *n. 30.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 249.* Neque ad hunc effectum requiritur multiplicata receptio, sed sufficit, si unica vice receperis; licèt enim *receptare* secundùm Grammaticos sonet iterationem, & repetitionem; at secundùm Ecclesiæ morem accipitur in simpliciori significatione, & pro uno duntaxat actu, ut *l. citt.* notant *Suar. Palao, Farin. n. 152.*

4. *Fautores*, seu qui Hæreticis ob causam Hæresis favorem præstant: quod fieri potest omissione, & commissione. *Omissione*, si, qui teneretur eos capere, aut Judicibus indicare, eos non capit, non indicat; si captos, & curæ suæ commissos non custodit diligenter; si puniendos non punit &c. *Commissione*: quod fieri potest verbis, aut factis. *Verbis* favet, qui laudat Hæreticum, ut talis est, affirmans esse virum probum, injustè ipsum damnari; qui consilium ipsi dat, ut possit errores suos celare, & condemnationem effugere: *Factis*, qui Hæreticos occultat in domo, auxilium illis præbet, ut effugiant, aut alia facit, ex quibus Inquisitionis officium erga ipsos impeditur. Azor *q. 7.* Sanch. *n. 11.* Laym. *n. 5.* Palao *n. 6.* Barbos. *n. 23.* Pirhing *n. 114.* König *n. 8.* Wiestner *n. 43.* 94

5. *Defensores*: quod dupliciter fieri potest, sc. defendendo Hæretici errores, & defendendo ejus personam ob causam Hæresis. *Errorem* defendere dicitur, qui argumenta in ejus favorem facit, & contrarias objectiones dissolvit; qui verbis laudat, scriptis extollit &c. sive deinde errori defenso assentiatur, sive non; in foro enim externo præsumitur errori assentiri, & tanquam Hæreticus omni Hæretico deterior est condemnandus *can. qui aliorum 32. caus. 24. q. 3.* *Personam* propter causam Hæresis defendere dicitur, qui impedit, ne capiatur à Judice, aut captum ab eo liberat; qui quovis modo vi, dolo, muneribus, potentia &c. facit, ut tutò vivat, eúmque in, vel extra Judicium protegit &c. Azor *q. 6.* Sanch. *n. 18.* Farin. *n. 63.* Palao *n. 5.* Barbos. *n. 2.* Pirhing *n. 113.* König *n. 8.* Wiestner *n. 45.* Reiffenstuel *n. 250.* 95

Dixi *Ob causam Hæresis*; nam 1. qui Hæreticos recipiunt, eos defendunt, aut ipsis favent ob aliam causam, quàm causam Hæresis, non incurrunt Excommunicationem, vel alias Juris pœnas, ut Caupones; quia latæ sunt in Hæreticos ratione Hæresis, ideoque non extenduntur ad alios, nisi quatenus in Hæresi ijsdem favent. Azor *q. 8. fin.* Sanch. *n. 19.* Pirhing *n. 116. not. 2.* 2. Idem dicendum de ijs, qui recipiunt, vel defendunt Hæreticum coacti per vim, vel metum mortis illatum, non tanquam Hæreticum, sed ut vitam suam tueantur; quia Leges hu- 96

manæ non obligant cum certo, aut probabili vitæ periculo. Azor *q. 5.* Farin, *n. 162.* Pirhing *l. cit.* 3. Similiter nullam pœnam incurrunt, qui recipiunt Hæreticos, ignorantes illos esse Hæreticos. Gloss. *in c. 8. V. ille quoque, & V. non possit h. tit. in 6.* Farin, *n. 163.* Pirhing *l. cit.*

97 Quæritur 4. quænam conditiones requirantur, ut quis ob Hæresin incurrat Excommunicationem? ℣. requiruntur hæ quatuor conditiones. 1. Ut sit Hæreticus formalis; nam Hæretici materiales, qui ex ignorantia solùm peccant, & parati essent errores suos deferere, si veritatem agnoscerent, Censurâ hac non ligantur, cùm ijsdem desit pertinacia, & sic non sint propriè Hæretici. Laym. *l. 2. tr. 1. c. 14. n. 1.* Pirhing *hic n. 16.* Engl *n. 6.* König *n. 4.* Schambog. *n. 14.* Wiestner *n. 46.* Reiffenstuel *num. 234. & 239.* Et pro talibus in Germania habentur Rustici, & alij homines simpliciores, qui sectam Lutheri, & Calvini profitentur: qui proinde absolvi possunt à suis Parochis, si postquam examinati sunt, appareat, quòd in ignorantia invincibili, vel saltem mortaliter non culpabili hactenus fuerint constituti, edita priùs Professione Fidei coram testibus, si id fieri possit: nisi tamen in aliqua Diœcesi consuetudo vigeat, ut tales etiam Materiales Hæretici mittantur ad Episcopum, vel ejus Vicarium, aut ad illos, qui habent facultatem absolvendi ab Hæresi, qui eos examinent, ac judicent, an falsam Sectam tenuerint ex ignorantia invincibili, vel culpabili quidem, sed sine pertinacia. Laym. *tr. 1. cit. 1. 13. n. 4.* Pirhing *n. 16.* Reiffenstuel *n. 239.*

98 2. Ut Hæresin animo conceptam verbis, vel alijs signis externis sufficienter prodat; nam Hæresis merè interna Excommunicationi non subest, neque absolutio ab illa est reservata, ut dictum *n. 87.* & notant Sanch. *l. 2. mor. c. 8. n. 2. & seqq.* Laym. *c. 14. n. 1.* Engl *hic n. 6.* Pirhing *n. 17.* König *n. 4.* Schambog. *n. 14.* Reiffenstuel *n. 240.* Dixi *merè interna*; nam ob exteriorem, etiam penitus occultam, quia v. g. aliquid contra Fidem voluntariè, & pertinaciter quis mente affirmat, & ore, ac linguâ exteriùs profert, etiam nemine præsente, & audiente, Excommunicatio ipso Jure incurritur. Pirhing *l. cit.* cum alijs. *Ratio* est, quia tunc Hæresis est verè externa, ac per se non est occulta, sed solùm per accidens: ideoque potestati & Jurisdictioni Ecclesiasticæ est subiecta.

99 3. Ut externa actio, per quam Hæresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa, & non tantùm, prout subsistat actui interno, & ab illo procedit; quia Excommunicatio, & similes pœnæ graves non imponuntur, nisi propter peccatum mortale externum. Laym. *n. 3.* Engl *n. 6.* König *n. 4.* Schambog. *n. 14.* Wiestner *n.* 48 Reiffenstuel *n. 242.* Hinc non est excommunicatus, qui Hæresin internam manifestat alteri animo capiendi ab eo consilium, aut instructionem; quia talis manifestatio non est actus malus, sed bonus, qui ab Ecclesia puniri non potest; nec est professio Hæresis, sed potius detestatio. Azor *c. 10. q. 5* Sanch. *n. 20* Laym. *n. 3.* Pirhing *n. 18.* Reiffenstuel *n. 244.* *Limitant* aliqui, & volunt hoc intelligi tantùm, quando consilium petitur animo acquiescendi consilio; secus enim negant. Sed meliùs etiam hoc casu procedere existimat Sanch. *l. cit.* quia mens illa in Hæretici animo latet, nec exteriùs aliquo modo explicatur; ipse verò actus externus petendi consilij bonus est, nec ad profitendam Hæresin ordinatus.

100 4. Ut actus externus ponatur, aut omittatur animo Hæresin asserendi, profitendi; nam si alio animo fiat, Hæresis peccatum non est, conf. nec pœnis ejusdem obnoxius. Laym. *n. 3.* Pirhing *n. 19.* Engl *n. 6.* Schambog. *n. 14.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 241.* Unde si quis legendo, narrando, vel disputando Hæresin, priùs conceptam mente, pronuntiet linguâ, non animo, seu voluntate eam confirmandi, vel exprimendi errorem, sed tantùm legendi, narrandi, vel disputandi gratiâ, non est Hæreticus externus; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam. Azor *c. 10. q. 7.* Sanch. *n. 23.* Pirhing *n. 19.* König *n. 4.* Reiffenstuel *n. 245.* *Contrà* Hæreticus externus est, qui ex interna Hæresi, quam animo fovet, Sacro non interest, à S. Communione abstinet, aut dum S. Hostia elevatur, non flectit genua, si quidem istæ omissiones prodeunt ex vi internæ Hæresis, & spectatis circumstantijs, censeri potest, eas positas animo virtualiter, & tacitè profitendi Hæresin. *Secus* est, si ob circumstantias oblivioni, aut inadvertentiæ probabiliter possint attribui, licèt reipsa ex animo Hæretico proficiscantur. Sanch. *n. 16.* Laym. *n. 4.* Pirhing *n. 19.* Engl *n. 7.* Schambog. *n. 14.* Reiffenstuel *n. 243.*

101 Quæritur 5. quam pœnam incurrant, qui contra prohibitionem Ecclesiæ sepelunt Hæreticos, horum credentes &c. ℣. 1. incurrunt Excommunicationem, neque ab hac absolvuntur, antequam satisfactionem congruam præstiterint, & corpus Hæretici ita tumulati exhumaverint *c. quicunque 2. pr. h. tit. in 6.* Navar. *hic cons. 12 n. 6.* Farin *prax. q. 192. n. 45.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 1. & 8.* Wagnereck *hic not. 3.* Zœs. *n. 2.* Honor. *n. 9.* Pirhing *n. 54.* Schambog. *n. 33.* Wiestner *n. 52.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 37.* & dictum est *Libr. 5. Tit. 28. n. 53.* Si plures fuerint, qui Hæreticum sepelierunt, & unus tantùm illius ossa extumulavit, vel eadem ossa fuerint ab aliquo extraneo extumulata, omnes absolvi possunt; quia jam posita est conditio, ad cujus posi-

tio-

tionem cessat prohibitio absolvendi illos ab Excommunicatione. Farin. *l. cit. n. 43.* & hoc teste omnes.

102 2. Sunt suspecti de Hæresi: & propterea Inquisitor potest contra eos procedere, tanquam contra suspectos de Hæresi. Farin. *n. 49.* ubi addit cum *Francisco Pegna*, hanc Hæresis suspicionem, quæ oritur contra eos, qui Hæreticos sepeliunt, esse aliquando levem, aliquando vehementem reputandam, juxta personarum qualitatem.

3. Clerici, dantes sepulturam Hæreticis, vel eorum fautoribus &c. suo privantur officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ *c. excommunicamus 13. §. credentes v. sanè Clerici in fin. h. tit.*

103 Immunes autem ab istis pœnis sunt 1. qui Hæreticum sepeliri curant, non ex causa Hæresis, vel favore Hæresis, sed ne illius cadaver putredine aërem corrumpat, vel ob amicitiam, vel consanguinitatem, modò hoc fiat extra locum Sacrum. Farin. *l. cit. num. 50.* & apud hunc *citt.* 2. Qui sepeliunt Hæreticum ignorantes esse Hæreticum. Farin. *num. 51.* & sumitur *ex c. quicunque cit.* ubi pœna Excommunicationis fertur in sepelientes *scienter.* 3. Qui metu coacti hoc fecerunt, ut colligitur ex *c. eod. V. præsumpserint*; metus autem, & vis tollit præsumptionem.

104 Quæritur 6. utrum Irregularitas ad Ordines suscipiendos, & ministrandum in susceptis, item inhabilitas ad Dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, per Hæresin contracta, hac relicta, vel ejuratâ, perseveret? Pugnant in hoc DD. sententiæ, ut videre est apud Farin. *prax. q. 189. n. 82. & seqq.* & *q. 193. n. 66. & seqq.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 5. n. 2.* distinguit, & concedit quidem, Irregularitatem, & Inhabilitatem istam perseverare, quando contracta est per Hæresin publicam, usque dum in ea fuerit dispensatum; contrà verò, si orta illa fuerit ex Hæresi occulta, quod nullibi caveatur, hanc Inhabilitatem ex Hæresi occulta, hac per pœnitentiam depositâ, manere.

105 Imò *Avil. p. 7. D. 4. dub. 2.* Henriq. *l. 14. c. 4. n. 6.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12.* Pal. *l. cit. p. 4. n. 2.* Pirhing *hic n. 46.* Schambog. *n. 28.* Wiestner *n. 55.* non improbabiliter putant, ab occulto Hæretico Irregularitatem, & Inhabilitatem istam non contrahi: ac propterea, si is, qui in Hæresim occultam incidit, resipiscat, validè eidem Beneficium conferri posse, *arg. c. ad abolendam 9. h. tit.* ubi sermo est de Hæretico publico. Rationem dant, quia non propter Hæresim solam, sed quatenus annexam habet Juris infamiam, Irregularitas in Hæreticos decreta est. atqui Infamia Juris non habet locum in Hæretico occulto. ergo &c. *Contrariam* sententiam probabiliorem, & Juri conformiorem putant Sylv. *V. crimen q. 2. n. 3.* Azor *p. 1. l. 8. c. 11. q. 3. & 6. 21. q. 8.* Sanch. *l. 2. mor. c. 25. n. 2.* Farin. *q. 192. n. 68.* Zoes. *hic n. 4.* Reiffenstuel *n. 255. ibid.* tum quia Jura universaliter loquuntur; tum quia Clemens VII. Inquisitoribus concedit facultatem dispensandi in Irregularitate ob Hæresin occultam.

Quidquid sit, licèt Irregularitas contrahatur ex delicto Hæresis occulto, satis tamen communis sententia est eorum, qui cum Sanch. *l. 2. mor. c. 25. n. 16.* Farin. *prax. q. 192. n. 79.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 4. n. 3.* docent, in hac Irregularitate virtute *Trid.* dispensare posse Episcopum; quia Concilium non limitavit in Irregularitatibus potestatem, sed absolutè dixit, in omnibus, quæ oriuntur ex delicto occulto, licere Episcopis dispensare, & unicam duntaxat excepit, quæ ex Homicidio voluntario nascitur; exceptio autem firmat Regulam in casibus non exceptis. *Neque obstat*, quòd per Bullam Cœnæ, ut *infrà n. 197.* dicetur, Episcopis sit adempta potestas absolvendi ab Hæresi occulta, quæ antea virtute Trid. ipsis competebat; Quia potestas absolvendi, & potestas dispensandi sunt omnino diversæ, & à diversis non fit illatio, præsertim si unum sit majus altero, sicut potestas absolvendi est major potestate dispensandi. 106

Aliud est in Irregularitate, contracta ob Hæresim notoriam; nam in hac, ut Clericus in eam lapsus ascendere ad superiores Ordines, & Laicus ad istos promoveri possit, dispensare solus Pontifex potest. Navar. *Man. c. 27. n. 205.* Sanch. *c. 25. cit. n. 13.* Pirhing *hic num. 47.* Ut verò ministrare possit in Ordinibus jam antè susceptis, dispensare potest etiam Episcopus, ut notat Sanch. *l. cit.* ex ratione; quia SS. Canones *can. convenientibus 4.* & *can. saluberrimum 21. caus. 1. q. 7.* item *can. nos consuetudinem 8. dist. 12.* permittunt, ut Hæreticus conversus ex dispensatione in Ordinibus, ante Hæresin susceptis, ministret. at Canon dispensationem permittens eo ipso censetur illam concedere Episcopo. Sanch. *n. 14.* *Excipiuntur* Episcopi, & Sacerdotes lapsi in Hæresin; nam cum his, ut celebrare Missam &c. possint, dispensat solus Papa. Sanch. *l. cit.* 107

In Germania, & alijs Provincijs Septentrionalibus Episcopi ex Hæresi ad Fidem Catholicam conversos, & ab ea absolutos, si cæterà digni sint, ordinare solent absque alia dispensatione; quia tales neque in foro Civili à publicis Dignitatibus, & Officijs excluduntur. Navar. *l. 1. cons. 1. q. 14. n. 4. tit. 2.* Laym. *l. 1. p. 5. c. 4. fin.* Pirhing *hic n. 47. v. illud.* 108

Quæritur 7. an Beneficia antè obtenta ob Hæresin amittantur ipso Jure? Negant Castro *l. 2. de just. Hæret. punit. c. 4.* Gomez *Regul. de annal. possess. q. 52.* Vasq. *1. 2. D. 172. c. 2. n. 11.* & alij apud Palao *tr. 4. D. 4. p. 5. n. 3.* ex ratione; quia quando dubium 109

est, an pœna aliqua sit Jure lata, an sententiæ ferendæ, præferenda est interpretatio benignior, seu illa, quæ dicit pœnam esse ferendæ sententiæ *arg. Reg. in pœnis 49. in 6.* atqui verba *c. ad abolendam 9. h. tit.* & *c. ut commissi 12. eod. in 6.* sunt dubia, & intelligi possunt de privatione, per sententiam condemnatoriam inducenda. ergo &c.

110 Sed dicendum, Hæreticos Beneficijs antè obtentis ipso Jure privatos esse. Ita Covar. *l. 2. var. c. 8. n. 4.* Gonz. *Reg. 8. Gloss. 15. n. 65.* Flamin. *l. 3. de Resign. q. 1. n. 31.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 66.* Menoch. *de arbitr. cas. 416. n. 61.* Sanch. *l. 2. mor. c. 26. n. 6.* Suar. *D. 21. de Fid. sect. 5. n. 17.* Farin. *prax. q. 189. n. 77.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 5. n. 4.* Fagnan. *in c. fin. h. tit. n. 21.* Barbos. *in c. 9. eod. n. 6.* Pirhing. *hic n. 50.* König *n. 18.* Wiestner *n. 58.* additque Barbos. *l. cit.* hanc Sententiam adeò receptam esse, ut videatur ab omnium sententia discedere velle, qui illam impugnare auderet.

111 Sumitur 1. ex *c. ad abolendam cit.* ubi Pontifex utitur verbo *Spoliatus*, quod significat executionem sententiæ privationis à Jure latæ. 2. Ex *Const. 2. Nicolai II.* incipit *Novit universitas*, & habetur in *Bullar. tom. 1. pag. 124.* ubi sic legitur: *Hæretici autem, & receptores, defensores, fautores eorum, ipsorúmque filij usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium admittantur: quodsi secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane; nos enim prædictos NB. ex nunc privamus Beneficijs acquisitis, volentes, ut tales & habitis perpetuò careant, & ad similia nequaquam imposterum admittantur.* 3. Ex *praxi*, & *stylo* Curiæ Apostolicæ, quo Beneficia Hæreticorum pro vacantibus habentur ab ipso lapsu eorum in Hæresim, ita, ut à quovis impetrari valeant, & à criminosis resignari amplius nequeant.

112 Ut tamen Hæreticus facto ipso Beneficium, à se antè obtentum, teneatur dimittere, requiritur Sententia Declaratoria criminis; nam ante illam non tenetur Hæreticus se Beneficijs suis spoliare, ut rectè advertit Azor *p. 1. l. 5. c. 8. q. 3.* Sanch. *c. 26. cit. n. 7.* Suar. *sect. 5. fin.* Farin. *n. 80.* Palao *n. 5.* Fagnan. *in c. ad abolendam cit. n. 41. & 42.* Barbos. *ibid. n. 8.* Pirhing *hic n. 50.* Reiffenstuel *ibid. n. 265.* quò facit Regula generalis, quòd in omni casu, in quo pœna ipso Jure incurritur, sententia delicti declaratoria requiratur. Imò non solùm requiritur sententia declaratoria criminis, sed etiam executio facta per Judicem. Azor *l. cit. q. 4.* Sanch. *n. 8.* Farin. *n. 79.* Palao *n. 5.* nisi Judex in sententia præciperet, ut condemnatus statim dimitteret Beneficium. Porro sententia hæc declaratoria retrotrahitur ad tempus commissi delicti, ita, ut restituendi veniant non tantùm fructus percepti à tempore hujus sententiæ latæ, sed etiam illi, quos Hæreticus percepit à tempore commissi delicti. Sanch. *n. 10.*

113 Quodsi tamen Hæreticus continuò, ac sponte ad unitatem Fidei Catholicæ redeat, antequam de Hæresi convictus fuit, & tanquam Hæreticus declaratus, ratio æquitatis suadet, ut ex dispensatione Papæ in Beneficio relinquatur, vel amissum restituatur. Rebuff. *prax. Benef. p. 3. tit. de mod. amitt. Benef. num. 5.* Sanch. *c. 26. n. 13.* Farin. *q. 189. n. 82. & 84.* Barbos. *in c. 9. cit. n. 9.* Pirhing *hic n. 50.*

Porro suspecti, & diffamati solùm de Hæresi non privantur ipso Jure Beneficijs obtentis, sed juxta criminis qualitatem illis per sententiam sunt privandi. Sanch. *n. 14.* Farin. *n. 86.* Pirh. *n. 50. cit.*

114 *Ad Argumentum Sententiæ adversæ* dico, dubietatem textuum sufficienter explicari per Curiæ Romanæ praxin, & consuetudinem, quæ optima est Legum interpres. *Neque obstat*, quòd *c. ut commissi cit.* Hæretici ob crimen Hæresis dicantur Beneficijs Ecclesiasticis *privandi*, *vel privati nuntiandi*; nam verba ista non vim disjunctionis habent, sed posteriora sunt declaratoria priorum, ita, ut sensus sit, pœnam privationis Beneficiorum priùs obtentorum incurri quidem facto ipso, sed ut cogatur illa Hæreticus dimittere, opus est sententiâ declaratoriâ criminis, prout dictum est.

115 Quæritur 8. an Irregularitatem istam, & Inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, & retinenda incurrant etiam Filij, & Nepotes Hæreticorum? Ad. distinguendo: Vel enim nati sunt, antequam parentes ipsorum laberentur in Hæresin, vel postquam lapsi in eam sunt. *Si primum*, per lapsum parentum, nisi & ipsi consentiant, non fiunt Irregulares, neque Beneficia legitimè obtenta amittunt. Abb. *in c. 10. h. tit. n. 4.* Clar. §. *Hæresis n. 17.* Azor *p. 1. l. 8. c. 13. pœn. 8. & si roges*, Sanch. *l. 2. mor. c. 28. num. 28. & 30.* Farin. *prax. q. 191. n. 58.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 2. n. 9.* Pirhing *hic n. 101. & 106.* Wiestner *ibid. n. 59.* Ratio præcipua est, quia nullibi invenitur cauta talis privatio, ergo asserenda non est; quia pœnæ, præcipuè respectu innocentium extendendæ non sunt.

116 *Si secundum*, interest, an Hæresis parentum occulta sit, an verò notoria. *Si occulta est*, Irregularitate hac non afficiuntur; quia, ut dictum est *n. 105.* probabiliter eâ etiam non afficiuntur parentes ipsorum: vel si afficiuntur, ab Episcopo dispensari cum ijs potest, sicut dispensari ab isto potest cum parentibus Hæresis occultæ reis, juxta *n. 106. Si notoria est*, inhabiles ad Beneficia deinceps obtinenda fiunt tam filij ipsorum, quàm nepotes, sed in his tantùm illi, qui ab ipsis descendunt per lineam paternam *c. statutum 15. h. tit. in 6.*

Di-

117 Discrimen tamen faciendum est aliquod inter Irregularitatem, parentum Hæreticorum, & Irregularitatem filiorum, ac nepotum Catholicorum, nam parentibus quidem Irregularitas hæc non remittitur, quando absolvuntur ab Hæresi, sed debent necessariò dispensari: *Contrà* Irregularitas filiorum cessat ipsa reconciliatione impertita parentibus. Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 658. n. 19. ỳ. filij*, Sanch. *l. 2. mor. c. 27. n. 21.* Schambog. *hìc n. 46.* König *n. 17.* Wiestner *n. 59.* Reiffenstuel *n. 270. & 271.*

118 Aliud dicendum de Filijs, & Nepotibus Hæreticorum relapsorum; nam quamvìs hi, si pœnitentes, & conversi sint, ad Sacramenta Ecclesiæ admittantur, tamen eorum filij adhuc remanent privati Beneficijs, & inhabiles ad alia obtinenda; quia, ut filij Hæreticorum evadant pœnas privationis, & inhabilitatis ad Beneficia, in *c. statutum 15. ỳ. hoc sane h. tit. in 6.* duo requiruntur, scilicet ut parentes eorum sint emendati, & simul etiam reconciliati Ecclesiæ. at verò relapsi, quamvìs per pœnitentiam resipiscant, non habentur tamen pro reconciliatis, sive incorporatis; quia sine audientia traduntur Curiæ Sæculari puniendi *c. super eo 4. h. tit. in 6.* Et hæc sententia videtur probabilior, quam etiam tenet Gloss. *in c. statutum cit. V. incorporatos*, Anchar. *ibid. not. 3.* Franc. *n. 4. fin.* Sanch. *n. 23.* Farin. *n. 65.* Zœs. *n. 12. hìc*, Pirhing *n. 105. ỳ. aliud*, Schambog. *n. 47.* Reiffenstuel *n. 272.* quamvìs alij contrarium sentiant, ut videre est apud Sanch. *n. 24.*

Quæritur 9. an Hæreticorum filij, 119
& nepotes Irregulares, & propterea ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda inhabiles sint etiam in Germania? Affirmativa videtur colligi ex praxi Curiæ Apostolicæ quæ hujusmodi filios, & nepotes, undecunque orti sint, ad Beneficia non admittit, nisi prævia Dispensatione in Irregularitate, parentum Hæresi contracta.

Sed retinenda est Sententia negativa, 120
Ita Sà *V. Hæresis n. 4.* Henriq. *l. 14. c. 5. n. 4.* Sanch. *l. 2. mor. c. 27. n. 28. fin.* Bonacin. *D. 7. de Irregul. q. 3. p. 7. n. 9.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12. fin.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 19. §. 2. n. 7.* Gibalin. *c. 5. de Irregular. n. 13.* Pirhing *hìc n. 101. fin.* Engl *n. 14.* König *n. 7.* Schambog. *n. 48.* Wiestner *n. 61.* & hoc teste plerique Germaniæ nostræ DD. *Ratio est*, quia Irregularitatis istius radix, & causa est infamia, quam ob parentum Hæresin etiam incurrunt filij, ac nepotes eorum, atqui in Germania, & alijs Septentrionalibus Provincijs parentes illorum nullam incurrunt aut Juris, aut facti infamiam, tum propter pacta, & fœdera cum ipsis inita, tum quia innumerabiles ex illis sunt tantùm materiales Hæretici.

Ad Argumentum contrarium dico, 121
ex praxi Curiæ Apostolicæ dispensationem præmitti ex causa, quòd pacta publica, quæ cum Hæreticis in Germania inita sunt, Apostolica Sedes nondum approbaverit.

§. IV.

De Pœnis Hæreticorum Temporalibus.

SUMMARIUM.

123. *Hæretici incurrunt Infamiam.*
124. *Et quidem ipso Jure.*
125. &c. *Non tamen eâ notantur ipsorum filij, & nepotes.*
128. *Fiunt inhæstabiles tam activè, quàm passivè.*
129. &c. *De quibus bonis?*
132. &c. *An successione priventur tanquam incapaces, an tanquam indigni?*
135. *Confiscantur ipsorum bona.*
136. *Quænam?*
137. *An etiam Jus Patronatûs?*
138. *Majoratûs, aut Fideicommissi?*
139. *Emphyteusis, & Feudi?*
140. 141. *Quale peculium filijf. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresin?*
142. &c. *An ob Hæresim mariti confiscetur etiam Dos, & bona Uxoris?*
146. *Aut vicissim bona mariti ob Hæresim Uxoris?*
147. &c. *Cui applicari debeant bona tum Clericorum, tum Laicorum confiscata ob Hæresim?*
151. &c. *An Hæreticus bona confiscata tradere fisco teneatur ante sententiam Declaratoriam criminis?*
154. &c. *Si in Hæresim lapsus Liberos habeat, amittit in hos patriam potestatem.*
156. &c. *Servi ab obsequio domini Hæretici liberi fiunt.*
160. &c. *An Hæresis etiam liberet à fide servanda Hæretico?*
163. *Si pœnis istis insuper habitis, non resipiscant, traduntur Curiæ Sæculari.*
164. &c. *A qua puniri possint pœna capitali.*
171. &c. *Num pœnæ temporales hactenus relatæ afficiant etiam Hæreticos in Germania?*

Pœ-

123 POenæ Temporales, quæ in Hæreticos, horúmque credentes, receptatores, defensores, fautores tum Jure Canonico, tum per Leges Civiles latæ sunt, etiam ipsæ complures sunt. Et quidem

Incurrunt Infamiam *can. infames 17. caus. 6. q. 1. c. excommunicamus 13. §. credentes 5. h. tit. Auth. Gazaros C. eod.* & alijs pluribus apud Tholos. *Synt. Jur. l. 33. c. 8. n. 3. fin.* Farin. *prax. crim. q. 189. n. 40.* & alios. Et hinc 1. repelluntur ab honoribus, & dignitatibus *l. quæ de Samaritis 18. C. h. tit.* ibi, *Neque ulla dignitate decorantur.* 2. Non possunt exercere aliqua Officia publica *l. cit.* ibi, *Neque publicam adipiscuntur curam.* 3. Privantur omnibus privilegijs, quibus fruebantur, quando erant Catholici *l. privilegia 1. C. eod.* 4. Censentur privati omni actu legitimo, ut decrevit *Leo X. Const.* incipit *Exurge* ℣. *nec non ad omnes editâ 1520.*

124 Dub. 1. utrum pœna hæc Infamiæ incurratur ipso Jure? ℟. Incurri ipso Jure; ut tamen afficiat actu ipso delinquentes, opus esse sententiâ declaratoriâ criminis. Ita Azor *p. 1. l. 8. c. 13. q. 8. ℣. septima.* Sanch. *l. 2. mor. c. 26. num. 1.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 4. ℣. tertia pœna*, Barbos. *in c. 13. h. tit. n. 24.* Pirhing *hic n. 52.* Schambog. *n. 32.* König *n. 21.* Wiestner *n. 63.* & hoc teste communiter DD. *Ex quo sequitur*, infamiam Juris ab Hæretico non contrahi perfectè ipso in Hæresin externam lapsu; sed si quidem lapsus iste notorius sit notorietate Juris, contrahetur infamia facti, Juris verò tantùm, quando per sententiam omnibus innotescit. Palao *tr. 4. D. 4. p. 4. n. 4.* inter quas Infamiæ species hoc discrimen est, quòd Infamia quidem facti tollatur per pœnitentiam, & emendationem; Juris verò solùm per sententiam, sicut per sententiam inducta est.

125 Dub. 2. an eâdem Infamiâ notentur etiam filij, ac nepotes descendentes ab Hæreticis, & horum fautoribus? Affirmant Covarr. *l. 2 var. c. 8. n. 1 ℣. tertiò*, Castro *de Punit. Hæret. l. 2. c. 9.* Pegna *Direct. Inquis. p. 1. comment. 4. ℣. hæc autem infamia*, Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 658. n. 25.* Farin. *prax. crim. q. 191. n. 23.* Reiffenstuel *hic n. 336.* neque negari potest teste Palao *l. cit.* communem esse sententiam, quæ dicit, ita infames esse Nepotes per paternam, & filios per maternam lineam ab Hæreticis descendentes. *Fundantur* 1. quia Infamiam contrahunt filij reorum læsæ Majestatis humanæ *l. quisquis 5. §. filij 1. C. ad Leg. Jul. Majest.* atqui ab istis ad reos læsæ Majestatis Divinæ legitimè ducitur argumentum, ut Salicet. *in Auth. Gazaros cit. fin.* Igneus *in l. necessariò 5. §. 2. ff. ad S. C. Syllan. num. 44.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 26. num. 7.* monent ergo &c. 2. Horum filij, nepotes contrahunt Irregularitatem, & inhabilitatem ad Beneficia obtinenda, secundùm dicta *n. 116.* hæc autem non videtur aliunde, quam ex infamia eorum provenire, ergo &c. 3. Quòd Hæreticorum filij infames sint, aperte colligitur ex *Const. Pontt. Innoc. IV. Alex. IV. Clem. IV. Honor. IV.* incipientibus *Ad extirpanda* quibus excluduntur à publicis Officijs.

Sed tenenda est Sententia negativa, 126
quam etiam defendunt Menoch. *vol. 9. cons. 808. n. 44.* Sanch. *l. 2. mor. c. 28. n. 5.* Suar. *D. 48. de Censur. sect. 3. n. 2.* & *D. 24. de Fid. sect. ult. num. 7.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 2. n. 10.* Pirhing *hic num. 107.* Schambog. *n. 49.* König *n. 21. fin.* Wiestner *num. 64.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 160. num. 46.* Ratio est, quia Infamia filijs, & nepotibus Hæreticorum nullo Juris textu imposita est. *Conf.* si infamiam contraherent, removerentur, etiam à testimonio dicendo, ab hoc non removentur, ut ex praxi constat. ergo &c.

Neque contrarium probent Argu- 127
menta allata pro oppositio. *Ad 1.* Argumento ducto à Liberis reorum læsæ Majestatis humanæ locus est in ijs duntaxat, in quibus æquiparatio expressa est Jure, non verò in illis, in quibus ea fundatur tantùm in similitudine rationis; nam ex hac sola Lex pœnalis extendi non debet *Reg. odia 15. in 6.* *Ad 2.* Irregularitas hæc in filijs, & nepotibus oriri ex delicto, & infamia parentum potest, quin ipsi filij, & nepotes infames fiant: patet ex Liberis ortis ex copula fornicaria. *Ad 3.* etiam illegitimi, quamdiu tales sunt, excluduntur ab Officijs publicis, & Dignitatibus.

II. Fiunt intestabiles tam activè, 128
quàm passivè, ita, ut neque Testamentum condere, neque succedere ex Testamento, vel ab intestato possint. *Primum* constat ex *c. Excommunicamus 13. §. credentes h. tit.* ibi, *Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem:* qui textus, etsi de fautore Hæreticorum loquatur, à fortiori de ipso Hæretico est intelligendus, ut bene notat Palao *tr. 4. D. 5. p. 26. num. 1.* *Secundum* patet ex *c. cit.* verbis immediatè sequentibus, ibi, *Nec ad hæreditatis successionem accedat.* Concordat Jus Civile *l. Manichæos 4. §. ipsos 2. l. Arriani 5. ℣. cunctis*, & *l. fin. C. h. tit.* quibus textibus Hæretici incapaces redduntur non tantùm successionis ab intestato, vel ex testamento, sed etiam Legati, Fideicommissi, Donationis inter vivos &c. Qui scienter Hæreticum instituit in Testamento, incurrit Excommunicationem *c. siquis 5. & c. seq. h. tit.* qui textus licèt tantùm loquantur de Episcopis, & Clericis, communiter tamen dispositio eorum extenditur etiam ad fideles quoscunque, qui scienter instituunt Hæreticos, etiamsi Laici fuerint. Farin. *prax. crim. q. 190. num. 111.* *Excipitur*, nisi hoc fiat

fiat causâ pietatis, & ad eorum neceſſitatem ſublevandam, ne fame pereant; quia adhuc ad Fidem converti poſſunt. Gloſſ. *in c. 6. h. tit. V. nihil conferant.* imò etiam in Teſtamento neceſſaria alimenta legari poſſunt. Sanch. *l. 2. mor. c. 14. n. 41.*

120 Dub. 1. de quibus bonis Hæreticus teſtari non poſſit? R. diſtinguendo inter bona, quæ acquiſivit poſt ſententiam declaratoriam criminis, & inter illa, quæ habuit ante eam ſententiam. *De prioribus* teſtari liberè poteſt, quia bona illa ſub confiſcationem non veniunt, & Jus Canonicum prohibens Hæreticos teſtari intelligendum eſt de bonis publicatis ob Hæreſin. *Proceditque hoc* non tantùm de illis bonis, quæ acquiſivit Hæreticus, poſtquam delicti pœnitens abjuravit Hæreſin, & Eccleſiæ reconciliatus eſt; ſed etiam de ijs, quæ acquiſivit poſt ſententiam ante abjurationem; quia confiſcatio non extenditur ab bona futura, & poſt ſententiam acquiſita. Palao *tr. 4. D. 5. p. 26. n. 1.* contra Farin. *prax. q. 190. n. 93.*

130 *De poſterioribus* Hæreticus teſtari nequit, poſtquam ſententia declaratoria criminis in ipſum lata eſt, utpote poſt quam illa non ampliùs delinquentis, ſed fiſci ſunt. An verò, ſi ante ſententiam declaratoriam criminis teſtatus de illis eſt, Teſtamentum hoc ipſo Jure nullum, an verò revocationi duntaxat obnoxium, dubiæ quæſtionis eſt. Communiùs negatur eſſe ipſo Jure nullum, quamvis revocationi obnoxium ſit. Ita Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 95. n. 24.* Sanch. *l. 2. mor. c. 24. n. 3.* Vaſq. *1. 2. D. 171. c. 1. n. 11.* Farin. *q. 190. n. 89. fin.* Palao *p. 26. cit. n. 1.* Pirhing *hic n. 74.* Wieſtner *ibid. n. 65.* quod ſatis indicatur in *c. excommunicamus* 13. §. *credentes h. tit.* ibi, *Nec teſtandi liberam habeat facultatem*, quaſi diceret, *Habet quidem facultatem teſtandi, ſed non liberam;* aliàs diceret: *Nec teſtandi ullam habeat facultatem.*

131 *Ratio eſt*, quia ſecundùm probabiliorem Sententiam, de quo *infrà n. 152.* hæreticus non privatur dominio utili ſuorum bonorum, & poteſtate illa in alios transferendi, quousque Sententia criminis declaratoria lata in ipſum ſit. ergo ex vi hujus dominij, & poteſtatis, ſicut poteſt ſua bona quolibet contractu validè, quamvis revocabiliter, alienare, ita etiam poterit Teſtamento.

Ex quo ſequitur, eos, qui capiunt ex tali Teſtamento, non teneri hæredibus venientibus ab inteſtato ante ſententiam declaratoriam reſtituere, quod acceperunt: quamvis teneantur poſt ſententiam, utpote quæ retrotrahitur ad tempus commiſſi delicti. Wieſtner *l. cit.*

132 Dub. 2. an Hæreticus ita privetur ſucceſſione ex Teſtamento tempore Hæreſis, ut illius ſit incapax, vel ſolùm ſit indignus? Multum intereſt, quo modo ex his duobus privetur Hæreditate; nam ſi privatur ut incapax ſucceſſionis, omnia, quæ illi deferuntur, aut relinquuntur, non fiſco, ſed venientibus ab inteſtato proveniunt; contrà ſi capax quidem Hæreditatis per ſe eſt, ſed ab ea repellitur tanquam indignus; tunc enim ipſi relicta fiſco, non venientibus ab inteſtato applicantur, ut dictum eſt *Libr. 3. Tit. 26. num. 90. & ſeqq.* Sanch. *l. 2. mor. c. 14. n. 31.* putat, Jure communi ſpectato, probabiliùs ſolùm eſſe indignum, ex ratione, quia nullo textu Juris communis hæc incapacitas ſtatuta eſt.

Sed communis ſententia, teſte Palao 133
tr. 4. D. 5. p. 26. n. 4. defendit, Hæreticum, durante Hæreſi incapacem Succeſſionis eſſe: ſumitur ex *c. excommunicamus* §. *credentes cit.* ubi apertè dicitur, *Neque ad Hæreditatis ſucceſſionem accedat.* Neque obſtat, quòd textus iſte tantùm loquatur de fautore Hæreticorum, qui Excommunicatione notatus, contemnit intra annum ſatisfacere; nam ſi iſte, qui fictione Juris ſolùm ob cauſam allatam Hæreticus eſſe cenſetur, incapax ſucceſſionis Hæreditariæ redditur, multo magis incapax reddetur, qui verè, & propriè Hæreticus eſt.

Ex quo ſequitur, poſt ſententiam ſal- 134
tem ab Hæretico Hæreditatem, quam Hæreſi durante, obtinuit, reſtituendam Hæredibus ab inteſtato venientibus; quia his acquiritur. Palao *n. 5.* Addidi *poſt ſententiam ſaltem*; nam, an ob Hæreſin Hæreticus ita incapax fiat ſucceſſionis durante Hæreſi, ut etiam ante ſententiam, & in foro conſcientiæ, quæ accepit, teneatur ipſis reſtituere, controverſia inter DD. eſt. Vaſq. *Opuſc. mor. c. 9. §. 4. dub. 2. n. 122.* Farin. *q. 190. n. 102. & 104.* & alij apud Sanch. *c. 14. num. 31. cit.* hoc affirmant; quia ipſe Hæreticus non habet titulum ad retinendum. Negant Leſſ. *l. 2. de I. & I. c 19. n. 52.* Sanch. *n. 31. cit.* Pirhing *n. 75.* Schambog. *num. 39.* juxta quos retinere Hæreticus res Hæreditarias ſibi relictas tamdiu poteſt, donec per ſententiam declaratoriam criminis eæ ipſi auferantur. *Rationem* dant, quia valde durum eſſet, ut teneantur delinquentes Hæreditatem ſibi delatam, vel Legatum ſpontè reſtituere ante præceptum Judicis.

III. Confiſcantur ipſorum bona *c.* 135
vergentis 10. c. excommunicamus 13. §. *damnati*, & §. *credentes*, *h. tit. Manichæos 4.* & *Auth. Gazaros C. eod.* ubi ratio redditur, quòd *longè gravius ſit æternam, quàm temporalem offendere Majeſtatem.* ſed læſioni temporalis Majeſtatis annexa eſt pœna confiſcationis bonorum, *l. quisquis 5. pr. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* ergo &c. *Proceditque hoc*, ut nec Catholicis eorum filijs aliquid relinquendum ſit *c. vergentis cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. exhæredatio*, Fagnan. *ibid. n. 1. & 16.* Farin. *prax. q. 191. à n. 1.* Zœſ. *hic n. 14.* Pirhing *n. 57. not. 6.* Schambog. *n. 44.*

Procedit hoc ſtricto Jure ſpectato; nam ex miſeratione ejuſmodi bona Liberis Catholicis relinqui poſſunt, ſcilicet benignitatem rigori Juris præferendo *c. vergentis cit.* Et hoc ſenſu aliqui exaudiunt *l. Manichæos 4. §. ſed nec 6. l. Hæretici 13. §. Orthodoxi 1. l. quæ de Samaritis 18. pr. & §. ſi alter 1. l. cognovimus 19. pr. & Auth. idem eſt C. h. tit.* quæ Liberos Orthodoxos fiſco præferunt. Imò ex eadem miſericordia ipſi Hæretico, ſi ad cor redeat, & errores ſuos relinquat, bona confiſcata condonari poſſunt, ut habetur *c. vergentis cit.* & notat Gloſſ. *ibid. V. miſereri*, Abb. *n. 2. not. 3.* Felin. *n. 2.* Barboſ. *n. 24.* & alij apud ipſum. Et ita condonari bona confiſcata Hæretico ad cor revertenti, conſuetudine totius Italiæ receptùm eſſe, ſcribunt Clar. §. *Hæreſis n. 7.* Decian. *tr. crim. l. 5. tit. 44. n. 19.* Barboſ. *l. cit.*

136 Dub. 1. quænam bona cadant ſub confiſcationem ob Hæreſin? ℟. regula eſt ab omnibus DD. recepta, omnia bona tam mobilia, quàm immobilia, Jura, & actiones, quæ Hæretici propria erant, cùm delictum commiſit, ipſo Jure confiſcari; nam Jura generaliter Confiſcationem bonorum decernunt in Hæreticos. Dixi, *quæ Hæretici propria erant;* nam bona, quæ ſunt alterius, etiamſi in poteſtate Hæretici reperiantur, in pœnam confiſcationis non deveniunt, ut bene notat Palao *tr. 4. D. 4. p. 2. n. 2.* quia æquum non eſt, innocentem alterius delicto prægravari. Addidi, *cùm delictum commiſit;* nam bona, quæ Hæreticus acquiſivit poſt ſententiam declaratoriam criminis, ſub confiſcationem non veniunt, ut dictum eſt *ſuprà num. 129.* Similiter ab ea ſorte excepta ſunt bona, quæ, dum commiſit delictum, non amplius fuerunt ipſius propria, eo quod illa alienaverit donatione ſimplici, aut contractu Palao *n. 3.* *Excipitur*, niſi alienatio hæc facta eſſet in fraudem fiſci: quia tunc nulla eſt donatio, aut venditio, ſed omnino revocatur à fiſco, ut ex omnium ſententia teſtatur Farin. *prax. crim. q. 164. n. 48. & 50.* Præſumitur autem in fraudem fiſci facta alienatio. 1. Si facta eſt donatio, vel venditio perſonæ conjunctæ jure ſanguinis, vel amicitiæ, à qua donans, aut vendens facilè donatum, aut venditum recuperare poſſit. Farin. *q. 164. n. 126.* 2. Si facta alienatione ſtatim committatur delictum, niſi appareat neceſſitas alienandi. Farin. *n. 154.* 3. Si donata, aut vendita ſint bona delinquentis omnia, vel major eorum pars, vel minor quidem, ſed pretioſior, niſi intervenerit juſtum pretium. Farin. *n. 121.*

137 Dub. 2. an publicatis bonis Hæretici, etiam publicetur Jus Patronatûs, Majoratûs, Fideicommiſſi, Emphyteuſis, Feudum? ℟. *ad 1.* diſtinguendo: Vel enim acceſſoriè venit ad Caſtrum, aut Villam, cui annexum eſt, vel contrà ratione ſolius perſonæ competit. *Si primum*, Jus Patronatûs cum Caſtro, aut re directè confiſcabili, cui adhæret, etiam ipſum publicatum conſebitur, tranſibitque cum illa ad fiſcum; quia tranſit ad quemcunque legitimum rei illius poſſeſſorem. Palao *tr. 4. D. 5. p. 5. n. 9.* & hoc teſte DD. omnes. *Si ſecundum*, intereſt, an tranſitorium Jus iſtud ſit ad alios, vel non. *Si hoc poſterius*, propriè non confiſcatur, ſed confiſcatis Hæretici bonis, extinguitur, & Eccleſia fit libera, Palao *n. 1.* niſi alij præter delinquentem compatroni ſint; tunc enim penes iſtos remanet. *Si prius*, tranſit ad iſtos, qui diſpoſitione inſtituentis vocantur, ne delicto alterius prægraventur. Farin. *q. 190. n. 24.* non verò ad Hæredes extraneos, ſed eo caſu Jus iſtud ſibi vendicat Fiſcus Eccleſiaſticus, bonis Hæretici publicatis. Sanch. *l. 2. mor. c. 19. n. 3.*

Ad 2. iterum diſtinguendum eſt, an 138
Hæreticus effectus ſit is, qui Majoratum, aut Fideicommiſſum inſtituit, an verò ille, qui ijs fruitur. *Si primum*, intereſt, an inſtitutio facta ſit ante, vel poſt commiſſum delictũ; nam ſi *poſt delictum* de bonis, quæ tempore delicti delinquentis fuerunt, facta illa fuit, ea confiſcationem non impedit; quia facta eſt de bonis fiſco obligatis, ac proinde, facta declaratione delicti, perit inſtitutio, & confiſcatur in perpetuum majoratus. Sanch. *l. 2. mor. c. 18. n. 60.* Palao *p. 7. n. 4.* Si verò inſtitutio ſit facta *ante delictum*, non ſubijcitur confiſcationi, ſaltem ſi facta ſit per contractum irrevocabilem; quia jus, ad majoratum, aut fideicommiſſum vocatis quæſitum, per inſtituentis delictum auferri nequit. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 659. n. 1.* Palao *p. 7. cit. n. 7.* *Si ſecundum* contingat, & in Hæreſim incidit is, qui Majoratu, vel Fideicommiſſio fruitur, intereſt, an ad ipſum tempore condemnationis jam delata fuerit ſucceſſio in Majoratu, aut Fideicommiſſo, an verò nondum delata ad ipſum ſit; nam *ſi hoc poſterius*, nec dominium, nec uſus fructus transferetur ad fiſcum, cùm delinquens nondum ſibi comparaverit illius dominium. *Si prius*, fiſcus quidem commoditatibus, & fructibus conſurgentibus ex eo Majoratu, gaudebit omnibus, dum poſſeſſor ille vivit; poſt mortem verò illius bona cum fructibus transferentur ad Succeſſorem, qui ex voluntate primi Inſtitutoris ad hæc vocatur. *Excipit* Sanch. *l. 2. mor. c. 18. n. 15.* niſi iſte alienationem expreſsè prohibuiſſet; tunc enim ſtatim ea bona cum fructibus pertinerent ad ſequentem vocatum. *Rationem* dat, quia fructuum commoditas in hac ſpecie non eſt ſeparata à rerum dominio, ſed cum eo eſt annexa, & conjuncta *l. & ex diverſo 35. §. ubi autem 1. ff. de R. V.* quare ſicut rerum illarum dominium nequit ad fiſcum tranſire ob vim expreſſæ prohibi-

tionis

tionis, ita nec perceptio fructuum. Plura videri possunt apud Sanch. *c. 18. cit.* Molin. *tr. 2. D. 658.* Palao *D. 5. cit. p. 6.* & alios.

139 *Ad 3.* distinguendum est inter Emphyteusin, quæ ex vi institutionis suæ ad Hæredes extraneos transmitti non potest, & inter eam, quæ ad hos transitoria est. *Prior* sub confiscationem non venit, sed post declarationem criminis ad proximè vocatum transibit statim quidem, quando ultra prohibitionem Legis, quàm secum trahit Emphyteusis, addita fuit expressa alienationis prohibitio à domino Emphyteusim concedente: post mortem verò delinquentis primùm, quando non est expressa ab institutore alienationis prohibitio, sed relicta Emphyteusis naturæ suæ; nam, ut *suprà* dictum de Majoratu, & Fideicommisso, quoad fructus, & commoditates, quamdiu delinquens vivit, ad fiscum pertinet, Palao *p. 8. n. 4. & seqq.* *Posterior*, seu ad Hæredes extraneos transitoria Emphyteusis, per hoc, quòd publicata sint bona delinquentis, etiam ipsa censetur publicata, & sic fiscus erit deinceps Emphyteuta habentis dominium directum; quia quæ ad Hæredes extraneos devenire possunt, non existente alia prohibitione speciali, possunt quoque ad fiscum devenire. Sanch. *6. 19. n. 25.* Et hoc probabiliùs verum est etiam de Emphyteusi Ecclesiastica: quo casu tamen Ecclesiæ datur optio, ut intra biennium deliberet, an velit Emphyteusim revocare, an fiscum perpetuò habere Emphyteutam. Sanch. *n. 31.* Porro, quæ de Emphyteusi dicta sunt, ad Feudum accommodari etiam debent; quia naturam Emphyteusis imitatur. Palao *p. 9. n. 1.*

140 Dub. 3. an, & quale peculium filiifam. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? R. distinguendo: Vel enim filiusf. commisit Hæresim, & propterea confiscantur bona ipsius; vel contrà eam commisit Pater, & propter hoc confiscanda veniunt bona patris.

Si primum, & solus filiusf. commisit Hæresim, *Profectitium* quidem hujus peculium sub confiscationem venit, sed totum cedit Patri. Palao *tr. 4. D. 5. p. 10. n. 6. & seqq.* & ratio est manifesta; nam bona, quæ sub nomine Peculij, profectitij veniunt, non sunt filij, sed patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum, ergo ob delictum filij publicari non possunt: quod verum est, etiamsi à patre filius haberet illorum administrationem; quia non per hoc censetur data potestas alienandi. Imò esto, filio à patre etiam fuisset data potestas donandi, & dissipandi, adhuc tamen non intelligeretur data facultas, ut per delictum alienare posset; quia non præsumitur de delicto fuisse cogitatum. Sanch. *l. 2. mor. c. 15. n. 18.* Venit verò sub confiscationem ob causam Hæresis Peculium istius *Adventitium* & *Castrense*, vel *quasi Castrense*, servato tamen patri Usufructu in peculio Adventitio, si illum in eo (prout in Adventitio Regulari contingit) pater antecedenter habuit. Palao *l. cit. n. 7. & seqq.* & demonstratur ex ratione opposita; nam etiam filiof. imponitur pœna confiscationis bonorum suorum. atqui Peculium adventitium Castrense, & quasi Castrense verè sunt in bonis ejusdem quippe quorum proprietatem, & posterioris etiam administrationem liberam independenter à patre habet. ergo &c.

Si secundum, & solus Pater commisit 141
Hæresin, bona *Castrensia*, vel *quasi Castrensia* filijf. ob delictum patris nullo modo publicantur; quia hæc tam quoad proprietatem, quàm quoad Usumfructum, & Administrationem sunt filij. igitur ob patris delictum publicari nequeunt. Sanch. *l. 2. mor. c. 16. n. 1.* Farin. *prax. q. 190. n. 17.* Palao *D. 5. cit. p. 11. n. 8.* Similiter etiam non publicantur bona ipsius *Adventitia*, neque quoad proprietatem, nec quoad usumfructum: *quoad proprietatem* quidem; quia quoad hanc sunt bona propria filij, qui delicto patris prægravari non debet: *quoad usumfructum* autem; quia ususfructus in bonis Adventitijs filij debetur patri ob patriam potestatem, quæ, ut *infrà n. 154.* dicetur, per crimen Hæresis facto ipso solvitur, cons. à puncto latæ in patrem sententiæ declaratoriæ criminis Ususfructus extinguetur, & consolidabitur cum proprietate, quam filius in Peculio isto habet. Farin. *n. 27.* Palao *n. 11.* Solum igitur publicabitur peculium *Profectitium*, & meritò; nam etsi filiusfam. hujus administrationem habeat, eam tamen duntaxat habet dependenter à possessione patris, quæ à puncto sententiæ declaratoriæ criminis in patrem latæ eidem tollitur: unde cum regula sit, quòd Hæretico confiscentur bona propria omnia, consectaneum est, etiam confiscari Peculium profectitium filij, quippe quod tam quoad proprietatem, quàm quoad Usumfructum est tantùm patris. Palao *n. 15.*

Dub. 4. an propter Hæresim maritorum confiscentur etiam Dotes, & bona uxorum? R. negativè. Patet ex *c. decrevit 14. h. tit. in 6.* Ratio est, quia universim loquendo *ob maritorum culpam uxores inquietari Leges vetant*, ut habetur *l. ob maritorum 2. C. ne uxor pro marit.* & *delicta suos debent, tenere Authores* juxta *l. sancimus 22. C. de Pœn.* Neque rationi est consentaneum, ut innocens propter alterius delictum puniatur, nisi id expressum sit, sicut expressum est puniri filios ob crimen læsæ Majestatis Divinæ, vel humanæ commissum à patre. Sanch. *l. 2. mor. c. 17. n. 2.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 12. n. 1.* Vivian. *in c. 14. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1. & seqq.* Passerin. *n. 1.* Vallens. *hic §. 2. n. 8.* Pirhing *n. 63.*

Schambog. *n. 35.* Imo hæc sua bona, publicatis mariti bonis, conjux innocens, propria authoritate potest capere, & occupare *l. fiquis 9. pr. C. de bonis præscriptor.* nam licèt aliàs Jure cautum sit, neminem in re propria habere manuum injectionem *l. extat 13. ff. quod met. caus. l. fiquis in tantam 7. C. unde vi.* hoc tamen uxori quasi in prærogativam Matrimonij conceditur, ut res proprias, detentas à viro, cujus bona publicantur, propria authoritate occupet. Sanch. *n. 3. fin.* Farin. *q. 25. n. 119.* Palao *n. 4.* Barbos. *n. 3.*

143 In specie uxori manent 1. Dos. 2. Bona ipsius Paraphernalia. 3. Donatio propter nuptias. 4. donata ipsi à consanguineis mariti, etsi hujus intuitu, nisi donans tempore donationis expresserit, ut res donatæ marito acquirantur. 5. res acquisitæ ab uxore constante Matrimonio, ut medietas bonorum. 6. quæcunque alia bona propria uxoris. Sanch. *c. 17. cit. n. 3.* Farin. *q. 190. n. 43. & seqq.* Palao *n. 1. & duob. seqq.* Pirhing *n. 64.* Estque hoc ita verum, ut ne quidem Ususfructus, qui ex dote, & bonis uxoris percipitur, publicatis mariti bonis, publicetur. Palao *l cit. n. 7.* Pirh. *n. 64. cit. not. 2.* Neque obstat, quòd Ususfructus Dotis, constante Matrimonio, pertineat ad virum; quia pertinet ad virum ad effectum alendi uxorem: unde reddita uxori Dote, redditur illi etiam Ususfructus; quia cum proprietate consolidatur. Similiter publicatio bonorum etiam locum non habet in Donatione mortis causâ facta inter conjuges; quamvis enim ista, si alteri, quàm conjugi facta sit, morte Civili non confirmetur, sed si is, qui donavit, supplicio afficiatur, ita donata transeant ad fiscum *l. si aliqui 7. ff. de mort. caus. donat.* morte viri tamen Civili confirmatur donatio mortis causâ facta uxori, licèt vir donans usque ad suam mortem naturalem revocare ejusmodi donationem possit *l. sed si 13. §. proinde 1. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* & *l. res uxoris 24. C. eod.* Sanch. *n. 16.* Pirhing *not. 3.*

144 *Excipitur*, nisi uxor cum marito Matrimonium contraxisset, quem sciebat tempore contractûs Hæreticum fuisse; tunc enim privatur Dote, ut constat ex *c. decrevit 14. cit.* non tamen ipso Jure, sed solùm per sententiam condemnatoriam Judicis, ut notat Sanch. *n. 18.* Pirhing *n. 65.* Non verò propterea uxor privatur aliis bonis, quæ habuit tempore contracti Matrimonij, vel quæ etiam acquisivit, durante Matrimonio, ut contra Gloss. *in c. cit. in cas.* Franc. *ibid. not. 1.* Farin. *q. 190. n. 49. & 50.* probabiliùs docet Sanch. *n. 22.* Barbos. *in c. cit. n. 3.* Pirhing *n. 66.* Schambog. *n. 36.* quia *c. decrevit cit.* de sola Dote loquitur, & in pœnalibus non est facienda extensio: & si Papa voluisset omnia bona uxoris tali casu publicari, non sola Dotalia expressisset, sicut id expressit *c. cùm secundùm 19. h. tit. in 6.* & durum est, per eandem generalem confiscationem bonorum plecti æquè uxorem Catholicam, ac ipsum Hæreticum, cùm uxoris delictum multo levius sit: & nullus Juris textus est, qui eam generalem confiscationem bonorum ob tale delictum imponat. *Neque obstat*, quòd Dos magis privilegiata sit, quàm cætera uxoris bona; nam ex hoc non infertur, amissa Dote, etiam hæc amitti ab uxore, si scienter nubat marito Hæretico. Pirh. *n. 66. cit.* Schambog. *n. 37.* quia hæc pœna soli Doti imposita est, fortè ob eam causam, ut quia gaudet majori privilegio, gravior etiam sit pœna: unde pœna ista extendi ad alia bona non potest.

Dixi, *quem sciebat tempore contractûs* 145 *Hæreticum fuisse*, nam si ignoravit Dos ei salva permanet. Præsumitur autem ignorâsse Hæresim viri, nisi probetur sciisse: ideoque fisco probatio scientiæ ejus incumbit Gloss. *fin. in c. 14. cit.* Franc. *ibid. n. 2. in Gloss. fin.* Barbos. *n. 11.* Passerin. *n. 5. Pro editque* hoc, etiamsi postea superveniat scientia de Hæresi viri; adhuc enim Dos manet uxori, nisi superveniente scientia peccato mariti sui consentiat. Farin. *q. 190. n. 52.* tunc enim perinde est, acsi ab initio sciisset Hæresin mariti adeoque Dotem perdet, & ea fisco applicabitur. Pirhing. *n. 65. hic.* Quodsi Dos uxori ab alio data sit ea conditione, ut ipsi, vel alteri tertio, soluto Matrimonio, restituatur, fiscus quidem in casu, quo ipsa nupsit scienter Hæretico, durante eorundem Matrimonio, percipiet fructus Dotis, ipsa tamen Dos, sicut aliud quodlibet Fideicommissum, non potest publicari in perpetuum; quia id crederet in præjudicium tertij. Sanch. *c. 17. cit. n. 19.* Passerin. *in c. 14. cit. n. 5.* Pirhing *n. 65. not. 5.*

Porro sicut uxor innocens ob Hæ- 146 resim mariti bona sua non perdit, ita neque maritus innocens ob Hæresin uxoris suæ. Estque hoc verum, etsi scienter Matrimonium contraxerit cum Hæretica; quamvis enim sic contrahendo regulariter à peccato non excusetur, nulla tamen bonorum suorum parte propterea spoliatur. quia textus *c. decrevit cit.* de sola uxore, & hujus dote loquitur. *Neque obstat*, quòd vir, & uxor sint correlativa, & dispositum de uno correlativorum censeatur etiam dispositum de altero illorum *arg. l. fiquis 1. C. de Cuprass.* ubi *Gottofredus* ait, Argumentum à Correlativis dari, si emptio est prohibita, & venditio quoque; nam id solùm obtinet tunc, quando in utroque est eadem ratio: secus si sit diversa, ut in proposito; quia mulier ob ejus facilitatem, & sexûs fragilitatem, & quia subjecta marito est, graviori periculo perversionis se exponit nubens marito Hæretico

tico, quàm vir, quare cùm non sit adæquatè eadem ratio in viro, quæ in muliere, non est extendenda hæc pœna ad virum. Sanch. *n. 23.* Barbos. *n. 6.* Passerin. *n. 7.* Pirh. *n. 67.* Schambog. *n. 38.*

147 Dub. 5. cui applicari debeant bona tum Clericorum, tum Laicorum confiscata propter Hæresin? R. bona Laicorum Hæreticorum confiscata, spectato Jure communi Canonico, in terris Ecclesiæ applicantur fisco Ecclesiæ, in terris verò Imperij fisco Sæculari *c. vergentis 10. h. tit.* ubi distinguendum est inter bona immobilia, & mobilia; nam ista pertinent ad fiscum loci, in quo fit confiscatio; quia mobilia bona non territorio adhærent, sed personæ damnatæ, eámque sequuntur Clar. §. *fin. q. 78. n. 27.* Sanch. *l. 2. mor. c. 20 n. 34.* Pirhing *n. 73. not. 2. Illa* autem, scilicet *immobilia* applicantur fisco domini loci, ubi sita sunt, & quidem illi, cui damnatus de Hæresi immediatè subjectus est, modò Imperium merum, & Regalia habeat, ideoque & jus confiscandi. Farin. *prax. crim. q. 190. n. 167.*

148 Quoad *bona Clericorum*, cùm diversa illa sint, opus est distinctione. Nam 1. bona, quæ ad Ecclesiam, cui præsunt, quo ad proprietatem, & ad Clericos solùm quoad administrationem & usumfructum spectant, ut sunt domus, prædia, & similia, ex quibus Clerici reditus percipiunt, non confiscantur ob Hæresim Clericorum, qui illa possident; & Judex illa confiscans Excommunicationem ipso Jure incurrit, à qua quidem absolvere Ordinarij possunt, non tamen antea, quàm plenè satisfactum sit illis, à quibus pecuniæ extortæ sunt, præterquam in articulo mortis. *Clem. nolentes 2. post pr. h. tit.*

149 2. Bona Clericorum acquisita ratione Beneficij Ecclesiastici non fisco, sed Ecclesiæ, cui inservierunt, applicari debent, prout habetur *c. excommunicamus 13.* §. *damnati 1. h. tit.* & notant Clar. §. *Hæresis n. 13.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 12.* Azor. *p. 1. l. 8. c. 12. q. 14.* Sanch. *c. 20. cit. n. 24.* Farin. *q. 190. n. 160.* Palao *D. 5. p. 14. n. 3.* Vivian. *in c. 13. cit.* §. *damnati*, Barbos. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 69.* Reiffenstuel *ibid. n. 306.* Ratio est, quia de bonis, intuitu Ecclesiæ acquisitis, Clerici de Jure communi testari nequeunt, sed ea post illorum obitum penes Ecclesiam remanere debent *c. quia nos 9.* & *c. relatum 12. de Testam.* sed ea, quæ in hæredes extraneos transmitti nequeunt, etiam transmitti non possunt in fiscum loco hæredis extranei succedentem. ergo &c.

150 3. Bona Patrimonialia, & quasi Patrimonialia Clericorum deferuntur fisco, & quidem spectato Jure communi, & secluſa consuetudine, Ecclesiastico, quia sunt accessoria personæ, eámque sequuntur. Sanch. *c. 20. cit. n. 22.* Palao *p. 14. n. 2.* Farin. *q. 190. n. 154.* Vivian. *in c. vergentis cit. pr.* Fagnan. *ibid. n. 1. & seqq.* Barbos. *in c. 13. cit. n. 8.* Dixi, *spectato Jure communi, & secluſa consuetudine*; nam in quibusdam Regnis consuetudine receptum est, ut bona immobilia, imò & mobilia Clerici committentis crimen Hæresis deferantur ad fiscum Principis Sæcularis: quam consuetudinem approbat Covar. *c. 9. cit. n. 12.* Neque consuetudo ista contraria est aut SS. Canonibus, aut rationi: non *SS. Canonibus*; quia hi, dum statuunt bona Clericorum esse applicanda Ecclesiæ, solùm loquuntur de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis: non *rationi*; quia bona patrimonialia, & quasi patrimonialia Clericorum transeunt ad quoscunque Clericorum successores. ergo etiam ad fiscum Sæcularem transire possunt, si ita consuetudine inductum sit. Quare circa hoc, & universim circa applicationem bonorum confiscatorum ob Hæresim servandæ sunt consuetudines, quæ in varijs Provincijs variæ, ac diversæ sunt, modò eæ sint rationabiles, legitimè præscriptæ, & conformes Juribus, ac Constitutionibus Papalibus. Farin. *n. 187.* Pirhing *l. cit. not. 3.*

151 Dub. 6. an Hæreticus, qui confiscationem bonorum suorum ipso Jure incurrit, ante sententiam declaratoriam criminis teneatur ea fisco tradere? Affirmant Castro *l. 2. de leg. pœnal. c. 10. & 11.* & *l. 2. de Just. Hæret. punit. c. 5. & 6.* Ant. Gomez *tom. 3. var. c. 2. n. 5. fin.* & nonnulli alij; quia aliàs possideret, & retineret ea bona contra voluntatem fisci, qui est dominus illorum, quod est illicitum. Sed communior; & probabilior cum Navar. *Man. c. 23. n. 66.* Ant. Gomez *l. 3. var. c. ult. n. 3.* qui sibi contrarius est, Azor *p. 1. l. 8. c. 12. q. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 22. n. 7.* Suar. *D. 22. de Fid. sect. 3. n. 3.* Farin. *prax. q. 190. n. 122.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 18. n. 2.* negat, hanc obligationem esse delinquenti imponendam; quia nimis grave foret in seipso facere executionem pœnæ Juris.

152 Hinc usque ad sententiam declaratoriam criminis possessio bonorum Hæretico, aut horum fautoribus &c. non aufertur *c. cùm secundùm 19. v. confiscationis h. tit. in 6.* Franc. *ibid. not. 1. & 2.* Surd. *de aliment. tit. 9. q. 32. n. 24.* Gonzal. *in c. 10. h. tit. n. 12. prop. fin.* Barbos. *ibid. n. 3. & 4.* & *in c. 19. cit. n. 7.* Zœs. *hic n. 15.* Pirhing *n. 60. not. 1.* Schambog. *n. 34.* Wiest. *n. 66.* Reiffenstuel *n. 304.* cujus possessionis ea vis est, ut Hæresis reus circa ejusmodi bona ante sententiam declarato-

riam quidem non possit facere alienationes voluntarias, utpote quæ jam obligata sunt fisco; possit tamen facere necessarias v. g. ad alendum se, & familiam suam, ad solvenda debita &c. quia prohibita alienatione censetur interdicta voluntaria, non necessaria. Sanch. *c. 22. n. 55.* Pirhing *n. 61. Except. 2.*

153 Si tamen sententia declaratoria postea lata sit, etsi lata sit primùm post mortem Hæretici, retrotrahitur illa sententia ad ipsum delicti commissi diem: cons. res postea alienatæ cum fructibus perceptis tunc restitui debebunt fisco *c. accusatus 8. §. in eo 7. h. tit. in 6.* Joan. Andr. *ibid. n. 1.* Host. *in c. 10. eod.* Sanch. *n. 33.* Pirhing *n. 60. not. 3. & n. 61.* Wiestner *n. 66.* Reiffenstuel *n. 307. Excipitur*, nisi possessor possessiones bonorum, quæ fisco addicta sunt, legitimè contra fiscum præscripserit, ad quod in crimine Hæresis requiruntur 40. anni, ut possessor præscribat bona defuncti adversùs fiscum *c. fin. ℣. si post de præscript. in 6.* Pirhing *n. 61. cit. Except. 1.*

154 IV. Si in Hæresim lapsus Liberos habet, amittit in hos patriam potestatem, ita, ut hi à die commissi criminis ante omnem sententiam sui juris efficiantur *c. quicunque 2. §. fin. h. tit. in 6.* ubi emancipatio, quæ à parentibus Hæreticis dignoscitur facta, pronuntiatur *nullius esse momenti, tanquam facta de hominibus sui juris.*

Ex quo sequitur 1. patrem, sic effectum Hæreticum, non posse pupillariter substituere filio suo impuberi. Gloss. *in §. fin. cit. V. desierint*, Sanch. *l. 2. mor. c. 24. n. 6.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 26. n. 13.* Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Passerin. *in c. 2. cit. n. 45. & 46.* Pirhing *n. 79.* Schamb. *n. 40.* Reiffenstuel *n. 301.* ex defectu patriæ potestatis, quæ ad substitutionem pupillarem requiritur.

155 *Sequitur 2.* non esse obligatum filium Catholicum parenti Hæretico extra necessitatem extremam præbere alimenta. Decian. *tr. crim. l. 5. c. 51. n. 39. & 68. & c. 44. n. 28.* Sanch. *l. cit. n. 7.* Palao *n. 14.* quia filius, exemptus à patria potestate, reputatur extraneus; extraneus autem non tenetur Hæretico alimenta præbere extra casum extremæ necessitatis. ergo nec filius. Addit tamen Farin. *prax. crim. q. 182. n. 13.* in casu necessitatis priùs subveniendum esse parenti, fratri, vel cognato Hæretico, quàm extraneo, ob sanguinis conjunctionem.

Hæc autem pœna ad receptatores, fautores, & defensores Hæreticorum non extenditur; quia *c. cit.* solùm loquitur de Hæreticis, & pœnæ extendi non debent Sanch. *l. cit. n. 5.* Farin. *q. 197. n. 29. fin.* Palao *p. 26. n. 15.*

V. Servi ab obsequio domini Hæretici 156 liberi fiunt, non ipso Jure statim post lapsum in Hæresin, ut vult Gloss. *in c. fin. V. absolutos h. tit.* & Abb. *ibid. n. 2.* Sed post sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex *c. fin. cit.* ibi, *lapsis manifestè in Hæresim.* ergo requiritur, ut Hæresis sit manifesta, nempe judicialiter per Sententiam, quæ est præcipua, & principalis manifestatio. Sanch. *l. 2. mor. c. 24. n. 13.* ubi ait, illam Sententiam retrotrahi ad diem commissi criminis, sicut *suprà n. 152.* dictum est de Confiscatione bonorum ob Hæresim.

Distinguendum tamen est, an servi illi 157 sint Catholici, an verò Hæretici & Infideles. *Priores* omnino liberi fiunt, nec restituuntur, licèt dominus, abjurata Hæresi, ad Fidem Orthodoxam redeat, eique beneficio Principis restituantur bona, quæ ob Hæresim amisit, ut colligitur ex *l. Manichæos 4. §. fin. C. h. tit.* ubi dicitur, *servos insuper extra noxam esse volumus*, i. e. ut explicat *Accursius*, liberos fieri volumus. libertas autem, semel acquisita quocunque modo, revocari non debet *l. si post 1.* & *seq. C. si adverss. libert. Posteriores* una cum reliquis bonis in dominium fisci transeunt, cum inter bona domini reputentur *l. rem in bonis 52. ff. de acquir. rer. dom.* nullo autem Jure reperitur hæc libertas eis concessa. Azor. *p. 1. l. 8. c. 12. q. 7.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 40. n. 1. ℣. cæterùm*, Sanch. *l. 2. mor. c. 24. n. 10. & 11.* Farin. *q. 197. n. 30.* Palao *tr. 4. D. 5. p. 26. n. 18.* Pirhing *hic n. 81.* Reiffenstuel *n. 314. & 315.*

Extenditur autem liberatio hæc 1. 158 etiam ad Vasallos, Famulos, Libertos; nam hi non ampliùs obligantur ad obsequium domino præstandum. *c. fin. h. tit. 2.* ad debitores; nam liberantur à quocunque debito, & obligatione. *Neque obstet*, quòd *c. fin. cit.* tantùm loquatur de obligatione fidelitatis; quia constitutio hujus *cap.* ut notat *ibid.* Gloss. *in notat.* Abb. *n. 1.* Pirhing *n. 82.* & hoc teste communiter alij Canonistæ, id ipsum procedit quoad omnia debita, & quascunque obligationes. 3. ad quascunque obligationes, & Jura, etiam Juramento vallata. Gloss. *V. absolutos*, Abb. *in c. fin. cit. n. 1. & seqq.* Fagn. *n. 1. & 5.* Barbos. *n. 3.* Gonz. *n. 1.* Pirh. *n. 80.* Wiestner *n. 86.* Reiffenstuel *n. 309. & seqq.* Neque Hæreticus nomina debitorum jam confiscata, vel obligationem fidelitatis, quâ Vasalli erant obstricti, recipit, etsi postea respiscat, & reconcilietur Ecclesiæ, quia obligatio semel extincta non reviviscit *can. quæris 129.* & *ibi*

ibi Gloss. *V. contrabatur de consecr. dist. 4.* & *l. qui res 98. §. aream 8. ff. de Solut.* Abb. *in c. fin. cit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 60.* Pirhing *hic n. 82. fin.*

159 Interest tamen, an jam pronuntiata sit Sententia declaratoria criminis vel non. Nam *si primum*, quod aliàs Hæretico præstandum fuisset, si non incidisset in Hæresim præstari deinceps fisco debet, utpote qui succedit in jura delinquentis condemnati de Hæresi. *Si secundum*, debita illa solvi, & obsequia præstari probabiliùs possunt, & debent adhuc domino Hæretico. Azor *c. 12. q. 8.* Sanch. *c. 24. n. 8.* Palao *p. 26. n. 20.* Pirhing *n. 82.* quia fiscus ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona Hæreticorum non potest occupare *c. cùm secundùm 19. h. tit. in 6.* ibi, *Sententia fuerit pronuntiata.* occuparet autem, si debitores Hæreticis non deberent solvere, sed fisco. ergo &c. *Ex quo sequitur*, quod debita, & obligationes per Hæresin non omnino extinguantur, cùm in credito post sententiam succedat fiscus, si alij vocati non sunt. Palao *n. 21.*

160 *Dubitatur*, an etiam Hæresis liberet à fide servanda illi, qui de Hæresi condemnatus est? *Videtur* non esse ipsi servandam fidem. 1. Quia, ut à *n. 156.* dictum est, Vasalli, Servi &c. liberantur à fidelitate, obedientia, & alijs obsequijs, quæ Hæreticis ipsorum dominis debuissent præstare. 2. Frangenti fidem terrenam fides servanda non est *l. qui fidem 16. ff. de Transact. c. sicut 29. §. jm. de Jurejur.* & *Reg. frustra 75. in 6.* ergo multo minùs est servanda Hæretico violanti fidem Divinam. 3. Hussio in Concilio Constantiensi data fides est, atqui hæc, ut Sectarij nostri temporis passim jactitant, & conqueruntur, eidem servata non est. ergo &c.

161 Sed etsi cum Hæreticis paciscendum non facilè sit, si tamen pacta cum ijs inita quædam sint, ea inviolabiliter custodiri, & observari debent, quoties res promissa ex se licita, & possibilis est. Sumitur ex *c. qualiter 3. de Pact.* & *l. hujus 1. pr. ff. eod.* ubi pacta generaliter, *can. noli 3. caus. 23. q. 1.* & *l. postliminij 5. §. in pace 2. ff. de captiv. & postlim. revers.* ubi etiam hostibus servanda dicuntur. *Ratio* est, quia ad hujusmodi pacta servanda obligat veracitas, fidelitas, & Justitia: quarum prima dictat nihil promittendum, nisi cum animo se obligandi, & promissa servandi; secunda obligat ad id præstandum, quod est promissum; tertia obstringit ad tribuendum cuique suum: & hoc tamdiu, quamdiu obligatio, ex promissione orta, non est remissa, vel relaxata.

162 Argumenta contraria non urgent. *Ad 1.* distinguendum est inter pacta publica, & privata: illa absolutè servari debent, si de re licita, quamvis cum Hæreticis, inita sint; ista relaxantur per sententiam declaratoriam criminis, ante illam autem etiam ipsa stringunt. *Ad 2.* ratio illa tantùm probat, quòd fides non sit servanda Hæreticis quoad Divina & quæ Religionem spectant; nam pacta publica servari debent etiam Infidelibus. igitur etiam Hæreticis. *Ad 3.* Concilium Hussio nunquam fidem dedit, sed Imperator Sigismundus ei dedit Salvum conductum, qui quia tantùm secundùm Jus commune concessus eidem est, illum tutari solùm potuit contra violentiam inferendam contra Jus. talem violentiam autem passus non est Hussius, utpote convictus de Hæresi, & propterea mortis reus factus, prout fatentur nonnulli etiam Acatholici AA. Accedit, quia ipse Hussius fidem Imperatori datam violavit prior arripiendo fugam, sibi sub pœna capitali prohibitam, ut bene demonstrat Becan. *de Fid. c. 16. q. 6.* & per consequens malè factum non fuisset, si dato, non concesso, fides eidem facta fuisset.

VI. Denique Hæretici, si pœnis 163
istis insuper habitis, errores suos pertinaciter abjurare noluerint aut in eos abjuratos relapsi, spontè non redierint, Curiæ Sæculari, præmissa, si Clerici fuerint, Degradatione, sunt tradendi *c. ad abolendam 9. c. excommunicamus 15. pr. h. tit.* & *c. quoniam 1. eod. in 6.* Clar. §. *Hæresis n. 7.* Menoch. *de arbitr. cas. 374. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 189. n. 11.* Pirhing *hic n. 84.* Wiestner *ibid. n. 71.*

Dub. 1. an Hæretici pertinaces pu- 164
niri possint pœnâ capitali? Negârunt id ex VV. Hæreticis Donatistæ, teste S. Aug. *Epist. 50.* & ex RR. Hussius, ut patet ex *Concil. Constant. sess. 15. art. 14.* 1. Quia id videtur esse contra morem Ecclesiæ primitivæ, à qua cædes, & vincula aliena fuisse, testis est Athanasius *Apolog. 2.* 2. Quia ipse Servator *Matth. 13. v. 30.* voluit zizania permitti crescere simul cum tritico usque ad messem.

Sed certa est affirmativa Sententia, 165
ut Covar. *l. 2. var. c. 10. n. 10.* Bellarm. *l. 3. de Laicis c. 21. & 22.* Vallent. *tom. 3. D. 1. q. 11. p. 3.* Suar. *D. 20. de Fid. sect. 3. n. 18.* & *D. 23. sect. 1. per totam*, Palao *tr. 4. D. 6. p. 2. n. 2.* Engl *hic n. 15.* König *n. 27.* Wiestner *n. 72.* notant. Patet 1. ex *c. ad abolendam*, *c. excommunicamus*, & *c. quoniam citt.* & concordat Concilium Calcedonense *act. 1.* ubi Episcopus Alexandrinus, *Si Eutyches*, inquit, *præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solùm pœnâ dignus est, sed & igne.* 2. Ex *l. Manichæos 4. §. in mortem 4. l. Arriani 5. l. quicunque 8. &c. C. h. tit.* ubi in Hæreticos, post alias minores, tandem exilij, & ultimi supplicij pœna constituta est.

est. 3. Ex *ratione* ; quia Hæresis est crimen valde enorme, & non solùm Religioni, sed etiam paci, ac tranquillitati publicæ maximè contrarium, quod demonstrant clades maximæ, ea incitante illatæ Regnis, atque Provincijs.

166 Et quidem hodie ex consuetudine comburuntur igne, ut testatur Abb. *in c. 9. h. tit. n. 13.* Clar. §. *Hæresis n. 7.* Azor *p. 1. l. 8. c. 13. ỳ. ultima pœna.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 42. n. 4. ỳ. hoc autem*, Farin. *q. 189. n. 4.* Palao *p. 2. cit. n. 3.* Barbos. *in c. 15. n. 3. h. tit.* Vallens. *hic §. 2. n. 6.* Zœs. *n. 17.* Engl *n. 15.* Wagnereck *not. 8.* Schambog. *n. 41.* König *n. 27.* Reiffenstuel *n. 319.* ubi tamen est distinguendum, an ejusmodi Hæretici, de crimine Hæresis condemnati, pœnitentes sint, an verò impœnitentes. *Si hoc secundum*, quandoque etiam vivi comburuntur, præsertim si fuerint Hæresiarchæ, ut notat Farin. *l. cit. n. 5.*

167 *Si primum*, ultimo supplicio, nisi relapsi sint, non afficiuntur, sed vel pœnâ exilij puniuntur, vel ad triremes damnantur, saltem per triennium, vel ad aliam pœnam. Farin. *q. 193. n. 85. 88. & seqq.* Palao *p. 2. cit. n. 1.* Fagnan. *in c. ad abolendam cit. n. 15.* Petra *tom. 3. comment. fol. 10. n. 13.* Zœs. *n. 18.* Pirh. *n. 92. fin.* Reiffenstuel *n. 325. & 328.* potéstque hæc pœna etiam esse pecuniaria, Farin. *l. cit. n. 111.* Ratio est, quia licèt aliàs ordinariè loquendo pœnitentia non liberet à pœna mortis per crimen promerita, tamen hoc speciale est in crimine Hæresis, in qua pia Mater Ecclesia nullum vult pœnitentem è gremio suo abijcere, sed ad exemplum DEI, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat pœnitentes ita misericorditer recipit, ut saltem pœnam mortis evadant.

168 Addidi autem, *nisi relapsi sint*; nam relapsi, etsi, cùm pœnituerint, Sacramenta Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ ipsis deneganda non sint, non tamen evitant pœnam corporalem, quin, non obstante pœnitentia, tradi debeant Curiæ sæculari, ut igni comburantur, non tamen vivi, sed post strangulationem. Gloss. *in c. super eo 4. in caſ.* & *V. deneganda h. tit. in 6.* Abb. *in c. 9. cit. n. 1.* Felin. *n. 2.* Host. *n. 9.* Clar. §. *Hæresis n. 7.* Farin. *q. 193. n. 32.* Palao *p. 2. n. 7.* Barbos. *in c. 9. cit. n. 20.* Gonzal. *ibid. n. 6.* Vivian. *in c. 4. cit. pr. 20 tit. in 6.* Passerin. *ibid. n. 5.* Pirhing *n. 98.* Schambog. *n. 42.* Reiffenstuel *n. 320.*

169 *Excipit* Palao *n. 7. cit.* si Hæreticus relapsus sponte, & à nullo alio præventus, veniat, & manifestet, se in Hæresin abjuratam reincidisse ; tunc enim putat pœnam mortis evasurum : rationem dat, quia causa, quare pœna mortis Hæreticis relapsis imponatur, est, quòd præsumantur fictè converti, & esse incorrigibiles, atqui à nullo præventus seipsum defert, & pœnitentiam expostulat, clarum signum tribuit veræ conversionis, ergo &c. Ampliat Exceptionem istam cum alijs *Palao* etiam ad casum, quo quis jam est captus ob Hæresin, dummodo fateatur Hæresin, de qua in processu non constabat.

Argumenta contraria *n. 164.* allata 170 non obstant. *Ad 1.* Ecclesia primitiva in Hæreticos tam severè non animadvertit, quia propter multitudinem, & potentiam Infidelium tunc dominantium destituebatur viribus ad hoc necessarijs. *Ad 2.* ex parabola zizaniorum discimus pati Hæreticos, quando eorum extirpatio majora in publicum mala afferret.

Dub. 1. num pœnæ temporales, & 171 corporales hactenus relatæ afficiant etiam Hæreticos in Germania, & Rom. Imperio ? R. distinguendo inter Hæreticos Laicos, & inter Clericos, qui in Hæresin inciderunt. Quoad *Laicos Hæreticos*, addictos sectis, quæ in Imperio tolerantur, pœnis istis in foro Sæculari locus non est, ob pacta, & fœdera publica, primò Pacis Religiosæ, quâ *anno 1555.* in Comitijs Augustanis Confessio Augustana quantum ad immediatos Status Imperij impune tolerari cœpit ; *Pax Religios. §. doch sollen.* deinde etiam Pacificationis Osnabrugensis, ubi privilegia, Augustanæ Confessionis Sectatoribus, seu Protestantibus concessa, etiam ad Calvinistas, qui cum alijs Hæreticis in Pace Religiosa excludebantur, extensa sunt, dum unanimi consensu conclusum est, ut quæ vel in Pace Religiosa, vel in ipso Instrumento Pacis Osnabrugensis Augustanæ Confessionis Statibus, & subditis tributa sunt, etiam ijs, qui inter illos *Reformati* dicuntur, competant. *Instrum. Pac. Osnabr. art. 7. §. unanimi.*

Dixi, *addictos sectis, quæ in Imperio* 172 *tolerantur* ; nam cæterarum Sectarum, quæ in Imperio non tolerantur, assectis nulla est promissa securitas : hinc ad pœnas jure latas meritò trahi possunt tam in foro Ecclesiastico, quàm in Sæculari. Imò etiam quoad Calvinistas dubitat P. Reiffenstuel *hic n. 342.* quia per Pacem Religiosam quam Summi Pontt. non reprobârunt, soli illi, qui Confessioni Augustanæ addicti sunt, non item alterius sectæ immunes à pœnis, & participes Jurium, & privilegiorum facti sunt, & licèt horum participes facti sint etiam Calvinistæ sub *Reformatæ Religionis* nomine per Pacem Monasteriensem, & Osnabrugensem, Pax tamen ista positivè reprobata, & irrita declarata est ab Ecclesia per *Bullam Innocentij X.*

Hin quamvis in foro Civili Pax ista 173 defacto observetur, ac proprerea etiam alij Hæretici, qui *Reformatæ Religionis* nomen sibi

sibi vendicant, à pœnis immunes esse permittantur, spectando tamen Jura, idem P. Reiffenstuel *l. cit.* cum P. König *hic n. 28. ỳ. addidi* existimat, adversùs eos procedere posse Judicem saltem Ecclesiasticum, illos temporaliter punire, inque carceres perpetuos detrudere; tum quia Pacta illa Pacis Osnabrugensis ab Ecclesia expressè sunt irritata; tum quia esto, quòd valeant, majorem tamen vim, quàm Legis Civilis habere nequeunt, cons. Ecclesiam nullo modo obligant. Addit tamen laudatus P. Reiffenstuel *n. 345.* non expedire, ut Judex Ecclesiasticus hujusmodi Laicum propter Hæresin temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eò quòd sine publica perturbatione id fieri vix posset, Hæreticis punitionem istam interpretaturis pro violatione Pacis publicæ, & propterea vel ad manutentionem apud Catholicos, vel ad arma apud potentias externas Acatholicas conclamaturis.

174 Quidquid sit de pœnis temporalibus, Spiritualibus certè Hæretici etiam *Laici* defacto in Germania possunt affici, quippe cùm Pontificis solius sit Pœnas has relaxare. *Clerici* verò, & *Religiosi*, si in Hæresin incidant, ne quidem temporales evadunt, sed ijsdem Pœnis (exceptâ Supplicij ultimi) etiam in Imperio à Judice suo Ecclesiastico executivè affici possunt, & debent, non aliter, acsi Pax nulla unquam concluſa fuisset: tum quia Principes Laici per illum Publicum Tractatum circa personas Ecclesiasticas quoad pœnas illarum statuere nil potuerunt *arg. c. quæ in Ecclesiarum 10. de Constit.* tum quia Fœdus illud, seu Pactum quoad easdem personas Ecclesiasticas nec tacitè, nec expressè approbatum fuit ab Ecclesia eximendo Hæreticos à pœnis Juris: imò contrarium hucusque practicavit, & adhuc practicat Ecclesia Clericos, & Religiosos Apostatas deprehensos temporaliter, & corporaliter puniendo, & ad carceres etiam perpetuos detrudendo. Reiffenstuel *n. 341.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 50.*

§. V.

De Judice in crimine Hæresis, Absolutione ab isto, & obligatione vitandi Hæreticos.

SUMMARIUM.

175. &c. *Quinam sint Judices competentes in causa Hæresis?*
181. &c. *An de illa cognoscere possit etiam Judex Sæcularis?*
183. &c. *An cùm puniendi ad hunc transmittuntur, examinare processum ab Ecclesiastico Judice institutum?*
185. *An Judex Sæcularis Hæreticos possit capere?*
186. *Et pœnas per SS. Canones latas exasperare?*
187. &c. *Quis absolvere possit ab Hæresi, & Excommunicatione per eam incursa?*
191. &c. *Quid requiratur, ut Episcopus possit absolvere ab Hæresi occulta pro foro conscientiæ vi Tridentini?*
195. *An facultas hæc ipsis concessa per Trid. per Bullam Cœnæ sit revocata?*
200. &c. *Quid nunc Episcopi post Bullam Cœnæ possint quoad absolutionem ab Hæresi?*
204. &c. *Quam facultatem ab Hæresi absolvendi habeant Regulares?*
207. &c. *An ab ista absolvere possint Confessarij vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi?*
209. *Quis absolvere ab illa possit in articulo mortis?*
210. *Vel quando adiri non potest Pontifex?*
211. &c. *An Hæretici, eorúmque credentes &c. sint vitandi?*
213. &c. *Quæ communicatio cum his sit permissa?*
218. &c. *Quæ prohibita?*
221. &c. *An Principes Catholici possint recipere, vel tolerare in suis territorijs Hæreticos, & ritus eorum?*
224. &c. *An, & qualiter cum ijs inire fœdus, uti ipsorum auxilio &c.*

175 QUæritur 1. quinam sint Judices competentes Ordinarij in crimine Hæresis? ỳ. talis 1. est *Pontifex*; nam hic est Supremus Judex in crimine Hæresis, à quo omnis aliorum Judicum Jurisdictio Spiritualis descendit, & dependet. Farin. *prax. crim. q. 186. n. 1.* Palao *tr. 4. D. 8. p. 12. §. 1. n. 1.* Pirhing *hic n. 123.* Schambog. *n. 52.* Reiffenstuel *n. 113.* Imò in quæstione, an aliquod dogma Hæreticum sit, necne, solus Papa judicare, & cognoscere potest. Farin. *l. cit. n. 2.*

176 2. *Legatus à latere*, Jure communi spectato; quia hic Summi Pontificis vices in omnibus plenissimè gerit: & ideo etiam supra Inquisitores Jurisdictionem habere videtur, ex *Constitutione*, seu *Litteris Urbani IV.* quarum tenorem recensèt Umbert. Locat. *in Judicial. Inquisit. V. Legatus n. 2.* Gundisal. *tr. de Hæret. q. 7. n. 8.* ubi dixit, quòd in crimine Hæresis in his, quæ jam per Ecclesiam definita sunt, Legatus Sedis Apostolicæ sit Judex competens per textum *c. ut commissi 12. h. tit.*

in 6. Addidi autem *Jure communi spectato*; nam de consuetudine Legati Sedis Apostolicæ sine speciali commissione Papæ, vel Supremi Tribunalis S. Inquisitionis non solent se intromittere. Farin. *l. cit. n. 4.* Palao *n. 1. cit.* Passerin. *in c. 17. n. 7. h. tit. in 6.* Pirhing *hic n. 123.*

177 3. *Episcopus* respectu omnium Hæreticorum suæ Diœcesis, sive Clerici illi sint, sive Laici. Host. *in c. 9. V. singuli h. tit.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Abb. *n. 3.* Azor. *p. 1. l. 8. c. 18. q. 2.* Farin. *q. 186. n. 5. & seqq.* Palao §. *1. cit. n. 2.* Passerin. *in c. 17. cit. n. 2.* Petra *tom. 3. comment. fol. 166. n. 3.* Pirhing *hic n. 124.* Schambog. *n. 52.* & constat ex *clem. 1. § propter quod 1. h. tit.* ibi, *Per Diœcesanos Episcopos.* Idque extenditur etiam ad Exemptos à Jurisdictione Episcopali; nam etiam adversùs istos procedere potest in crimine Hæresis, non quidem ut Judex Ordinarius, sed ut Judex Delegatus Papæ juxta *c. ad abolendam 9. fin. h. tit.* Petra *l. cit.* Passerin. *n. 3.* Ratio est, quia ad Episcopum spectat extirpare Hæreses, & lupos à causa arcere. Imò si Episcopus in expurganda Diœcesi suâ ab Hæreticorum erroribus negligens fuerit, idque certis indicijs constiterit *c. excommunicamus 13. § ult. h. tit.* ab Episcopali Officio jubetur deponi, & in ejus locum alius idoneus institui, qui velit, & possit Hæreticam pravitatem confundere.

178 4. *Capitulum, Sede Episcopali vacante*, prout constat ex *c. ad abolendam cit.* ibi, *Vel Clerici ipsi, Sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, Hæreticos judicaverint &c.* quia vacante Ecclesia Cathedrali, Jurisdictio manet penes Capitulum. Gloss. *in c. ad abolendam cit. v.* Clerici, Abbas *ibid. n. 4.* Decian. *tr. crim. l. 5. c. 21. n. 13.* Farin. *q. 186. n. 177.* Palao §. *1. cit. n. 5.* Fagnan. *in c. cit. n. 13.* Barbos. *ibid. n. 22.* Passerin. *in c. 17. cit. n. 6.* Pirhing *hic n. 125.* Reiffenst. *ibid. n. 440.* Idque procedit, sive Sedes propriè vacet per mortem Episcopi, sive quasi vacet per captivitatem, vel quia propter Literas Confirmationis non expeditas Episcopus electus administrare non potest. Gloss. *in clem. 1. V. Sede vacante h. tit.* Farin. *l. cit. n. 179.* cum *citt.* *Excipitur*, si Clericus in Hæresim lapsus exemptus sit; in hunc enim probabiliùs non potest procedere Capitulum, ut notant Decian. *l. cit. n. 14.* Farin. *n. 182.* Palao *n. 6.* Petra *n. 13.* Pirhing *n. 125.* Reiffenstuel *n. 441.* quia Capitulum non succedit Episcopo, nisi in ijs, quæ ei competunt Jure ordinario, non autem, quæ Jure delegato, ac speciali.

179 5. *Prælati inferiores Episcopo*, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum ab Episcopis independentem; nam hi non minùs, ac Episcopi procedere possunt in causa Hæresis, ut notat Molin. *tr. 5. de Just. D. 28. n. 11.* Palao §. *1. cit. n. 6. fin.* Passerin. *in c. 17. cit. n. 4.* Petra *tom. 3. comment. fol. 166. n. 18.* Secus est de Prælatis non habentibus territorium, etiam Regularibus; nam hi de subditis Hæreticis, vel de Hæresi suspectis cognoscere non possunt, nec illos citare, aut contra illos inquirere, vel procedere ex *Constit. Pauli V.* incipit *Romanus*, quæ in Bullario est *26.* ubi idem Pontifex, abrogatis omnibus privilegijs, prohibuit omnibus Religiosorum Superioribus, ne in hujusmodi causis se ingerant, voluitque eas solùm ab Inquisitoribus, aut Ordinarijs cognosci posse: quam Constitutionem confirmavit *Alexander VII.* alia *Constit.* incipit *Licèt aliàs 8. Jun. 1660.* In Germania tamen, ut notat P. Reiffenstuel *hic n. 438.* videtur usus, & consuetudo obtinuisse, quòd Prælati Regulares suos subditos etiam in causa Hæresis judicent, & pœnis Juris afficiant, ut patet ex praxi; nam casu, quo Regularis Apostata, Hæreticam Sectam amplexus, denuo revertitur, aut capitur, non ab Episcopo, sed à Prælato suo Regulari judicatur, ac punitur.

180 Præter enumeratos Judices, qui Ordinaria potestate cognoscere de crimine Hæresis possunt, alij de eo cognoscere possunt potestate Delegata. Inter hos præcipuum locum obtinent *Inquisitores S. Officij*: de quibus suprà *à n. 74.* Potest autem potestas hæc etiam alijs delegari, præcipuè verò ab Episcopo Vicario suo: independenter à qua delegatione Vicarius Generalis non est Judex competens in crimine Hæresis; quia ob gravitatem istius criminis requiritur specialis commissio, ut colligitur ex Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* ibi, *Ipsis Episcopis, & non eorum Vicarijs committum.* Farin. *q. 186. n. 13.* Palao §. *1. cit. n. 8.* Passerin. *in c. 17. cit. n. 9.* Petra *fol. 166. cit. n. 16.* Pirhing *n. 124.* Reiffenstuel *n. 439.* Idem de Vicario Capituli Sede vacante etiam docent Farin. *n. 13.* & Palao *n. 8. cit.* Sed attentis principijs, quæ *Libr. 1. Tit. 28. n. 30.* jeci, videtur tenendum contrarium; quia secundùm ibi dicta Vicarius Capituli Sede vacante vi generalis suæ commissionis potest omnia, quæ Sede plena indigent speciali mandato, quòd Capitulum omnem suam potestatem, & Jurisdictionem transfuderit in Vicarium à se electum. ergo nisi hoc alteri specialiter delegaverit, hic ejus Vicarius etiam cognoscere poterit de causa Hæresis.

Dub. 1. an de causa Hæresis cogno- 181
scere etiam possit Judex Sæcularis? R. olim hunc potuisse cognoscere de crimine Hæresis, quando ejusdem infimulatus est Laicus, prout cum Decian. *tr. crim. l. 5. c. 25. n. 8.* communis DD. habet, & sumitur ex *l. cunctos 1. §. fin. C. de Summ. Trinit.*

Trinit. & *l. quicunque 2. §. fin. C. h. tit.* Hodie verò ejus cognitio, sive principaliter, sive incidenter in Judicium deducatur, est fori Ecclesiastici tantùm. Ita Gloss. *in c. ut inquisitionis 18. V. quoque h. tit. in 6.* Joan. Andr. *ibid. V. prohibemus*, Farin. *prax. q. 186. à n. 153.* Palao *D. 8. cit. p. 14. n. 2.* Thom. del. Ben. *de Immun. c. 16. dub. 22. n. 12.* Petr. Barbos. *in l. Titia 34. ff. solut. Matr. num. 37.* August. Barbos. *in c. 18. cit. n. 7.* Passerin. *ibid. n. 23. & 24.* Fagn. *in c. ad abolendam 9. n. 10. & 21.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 6. n. 7. & 8.* Honor. *hic n. 1.* Pirhing *n. 126. & 127.* Schambog. *n. 53.* Wiestner *n. 36.* Reiffenstuel *n. 431.* & patet ex *c. ut inquisitionis cit.* ℣. *prohibemus quoque*, cujus Constitutionem confirmavit *Julius III. Const.* incipit. *Licèt edita 1551. Gregorius XIV. Const.* incipit *Quia aliàs edita 28. Maj 1591.* ibi, *De crimine Hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertinet, neque Curia Sæcularis se quoquo modo intromittat. Ratio est*, quia Hæresis crimen merè Ecclesiasticum est, utpote contra quod ex Divinis Litteris, & secundùm SS. Canones pronuntiandum est. atqui de re merè Ecclesiastica, sive incidenter, sive principaliter in Judicium deducatur, cognoscere, & pronuntiare non Sæcularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis *c. decernimus 2.* & *c. seq. de Judic. c. tuam 3. de Ord. cognit. c. lator 7. qui fil. legit. c. si Judex 12. de Sent. Excomm. in 6.*

181 *Proceditque hoc*, etiamsi facti sit quæstio, ut notat Barbos. *in l. Titia cit. n. 38.* Pirhing *n. 127. coroll. 3.* Wiestner *n. 37.* Reiffenstuel *n. 432. Ratio est*, quia facti quæstio, de Hæresi mota, à Juris quæstione ferè separari non potest: quod inde ostenditur; quia ut Hæreticorum pœnis quis affici possit, non sufficit constare, quòd Hæretica verba protulerit, sed ulteriùs investigandum an ea protulerit ex scientia, vel ex ignorantia, ex malitia, vel simplicitate, cum, vel sine pertinacia, verbo, an adsint omnia, quæ ad Hæresin, pœnis Ecclesiasticis obnoxiam, à SS. Canonibus exiguntur. hoc autem est Juris quæstio. ergo &c.

182 Dub. 2. an Magistratus Sæculares, quando in Hæreticos, de Hæresi condemnatos, ac sibi traditos, jubentur debita animadversione procedere, possint examinare justitiam causæ, & processûs, ab Inquisitoribus, & Episcopis instituti? ℟. non posse, sed absque dilatione, h. e. intra quinque, vel sex dies sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ in eosdem debent procedere *c. ut inquisitionis* ℣. *prohibemus cit.* junct. *Gloss. V. percussum*, & *Const. Innoc. IV.* & *VIII.* apud Farin. *q. 186. num. 162.* Palao *p. 14. cit. n. 5.* Fagnan. *in c. ad abolendam n. 23.* Barbos. *in c. ut inquisitionis n. 4.* Reiffenstuel *hic n. 452.* Eandem Censuram incurrunt Magistratus Sæculares, quando Judicibus Ecclesiasticis, brachium ipsorum invocantibus, succurrere renuunt in ijs, quæ Officium Inquisitionis spectant, præsertim in incarceratione, & custodia reorum *c. ut inquisitionis cit. post pr.* Palao *num. 10.* Imò recusantes exequi sententiam ab Inquisitoribus latam, vel omittentes his succurrere pro Hæreticis puniendis, quando requisiti sunt, suspecti redduntur fautoriæ, ac proinde adversùs ipsos, tanquam fautores Hæreticorum procedi potest. Farin. *n. 164.* Palao *n. 10. cit.*

Excipitur, si Judex Laicus evident- 184
ter, & certò, absque ulla tergiversatione, & Processûs visione cognoscat, eum, qui de Hæresi condemnatus est, & sibi traditus ad executionem supplicij capitalis, innocentem esse, quòd v. g. testes falsi adversùs ipsum deposuerint; tunc enim supersedere ab executione Sententiæ debet, & Judicem Ecclesiasticum de innocentia condemnati informare; quia secundùm dicta *Libr. 1. Tit. 32. n. 30.* innocens, qui ut talis certò est cognitus, non potest in causa capitali ad pœnam sanguinis secundùm allegata, & probata condemnari, quòd intrinsecè malum sit innocentem occidi. igitur neque exequi sententiam ab alio latam, Judex poterit tali casu, si ipse certò cognoverit condemnatum innocentem esse. Aliud est, si nullitas, vel injustitia Sententiæ ex se evidenter non appareat; tunc enim nullo modo licet Judici Sæculari executionem sententiæ contra Hæreticum differre prætextu nullitatis, aut probationes recipere ad effectum supersedendi ab executione illius, & remittendi causam Superiori. *Neque obstat*, quòd in alijs delictis hoc fieri possit, quando in continenti probationes offeruntur; nam in crimine Hæresis ob favorem Fidei hoc prohibitum esse videtur ex Rescripto *Innocentij VIII.* ut alijs *citt.* notat Palao *p. 14. cit. n. 7. fin.*

Dub. 3. an Principes, cæteriquei 185
Magistratus Sæculares saltem possint de Hæresi diffamatos, aut suspectos capere, & incarcerare? ℟. posse, non tamen, ut ipsimet causam examinent, sed ut Ecclesiasticorum Judicum examini eos remittant. Clar. §. *Hæresis n. 5.* Farin. *q. 186. n. 158.* Petra *tom. 3. comment. fol. 7. n. 13.* Pirhing *hic n. 127. coroll. 3.* Schambog. *n. 53.* Wiestner *n. 38.* Reiffenstuel *n. 455.*

Similiter valida, imò & laudabilia 186
sunt illorum Statuta quibus Processus, à locorum Ordinarijs, & Inquisitoribus adversùs Hæreticos instituti, promoventur, pœnæque, Hæreticis per SS. Canones infligendæ, augentur, & exasperantur. Decian. *tr. crim. l. 5. c. 25. n. 2.* ℣. *sed & Canonistarum*, Farin. *l. cit. n. 157.* Palao

lao *n. 4.* Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel *n. 456.*

117 Quæritur 1. quis absolvere possit ab Hæresi, & Excommunicatione per illam incursa? 2. interesse, an crimen Hæresis occultum adhuc sit, & ad forum contentiosum nondum deductum, an contrà ad hoc deductum. *Occultum* censebitur non tantùm tunc, quando per testes probari non potest, ut putat Garc. *p. 2. de Benef. c. 11. n. 46.* sed quod non est publicum, seu notorium, & famosum: quare etiamsi delictum ab aliquibus sciatur, & probari possit, si tamen non sciatur à majore parte viciniæ, aut Parochiæ, vel Collegij, seu Communitatis, in qua saltem decem sint personæ, adhuc debet censeri occultum. Azor *p. 1. l. 8. c. 10. q. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 19.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 39. n. 21.* Pirhing *hic n. 39. not. 4.*

118 *Ad forum contentiosum deductum* tunc censebitur, quando accusatio, vel denuntiatio coram legitimo Judice facta est, & reo intimata, isque citatus; quia citatio est primus actus Judicij. Sanch. *l. cit. n. 21.* & *l. 8. de Matr. c. 34. n. 58.* Alij verò probabiliter putant, non posse dici delictum deductum ad forum contentiosum, nisi post litis contestationem; quòd ante hanc non dicatur propriè cœptum Judicium, nec lis mota, cùm forum verè contentiosum dici non possit, nisi super delicto commisso negando, vel confitendo contendatur, per quem actum etiam in criminalibus inducitur contestatio litis. Barbos. *alleg. cit. n. 29.* & *duob. seqq.* Pirhing *n. 40.* Id verò intelligendum est, dum lis pendet, seu durat Judicium; nam si delinquens ob defectum plenæ probationis in foro externo sit absolutus, delictum iterum fit occultum, neque dici potest cum effectu deductum ad forum contentiosum. Sanch. *c. 11. cit. n. 21.* Barbos. *n. 32.* & *33.* Pirhing *n. 40. cit.*

119 His prænotatis, dicendum, si Hæresis crimen ad forum contentiosum deductum est, Jure ordinario, & præscindendo à specialibus privilegijs, absolvere ab ea posse solum Summum Pontificem, cui absolutio illius reservata ratione Excommunicationis illi annexæ, ut omnes fatentur. Et afficit reservatio hæc non tantùm Censuram, sed etiam ipsum peccatum Hæresis per se, & immediatè, adeò, ut etsi quis bona fide absolutus sit ab eo, qui potestatem absolvendi à Censuris Pontifici reservatis non habet, absolutio ista sit irrita etiam quoad culpam, ideóque peccatum illud reus iterum confiteri debeat: quod non esset necessarium, si peccatum Hæresis non esset reservatum per se; tunc enim absolutio peccati valeret, & ita absolutus absolvi solùm deberet à Censura. Sublata verò Excommunicatione Hæresis per eum, qui legitimè potest ab ea absolvere, cessat quoque peccati reservatio, ita, ut quilibet Confessarius ab Hæresis peccato tunc possit absolvere; quia non reservatur, nisi ut conjunctum cum Excommunicatione. Hinc etiam, qui aliquo ex capite ob Hæresim, quam commisit, Excommunicationem non incurrit, e. g. quia ignoravit, Censuram istam annexam Hæresi esse, etiam non incurrit reservationem culpæ. Sanch. *l. 2. mor. c. 8. n. 5.* & *c. 11. n. 1.* Suar. *D. 21. de Fid. sect. 4. n. 2.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 3. pr.* Pirhing *hic n. 37.* Schambog. *n. 42.* Reiffenstuel *n. 346.*

120 Si crimen Hæresis occultum, & nec-dum ad forum contentiosum deductum sit, absolvere ab Hæresi, & Excommunicatione ipsi annexa pro foro conscientiæ ex vi Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* potest Episcopus. Quo nomine hic veniunt 1. *Episcopi etiam electi, & confirmati tantùm*, etiamsi non sint consecrati, imò nec Sacerdotes; quia absolutio ab Excommunicatione non est absolutio Sacramentalis, etiamsi fiat in foro conscientiæ tantùm, sed actus Jurisdictionis. Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 3. fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 39. n. 2.* & *3.* Palao *p. 3. cit. §. 1. n. 2.* 2. *Capitulum, Sede vacante*, ut docet Sanch. *l. cit. n. 4.* ex ratione; quia potestas ista, licèt per privilegium, Jure tamen communi, & Jurisdictione ordinaria competit, quæ autem sic competunt, transeunt in Capitulum: contrarium tamen alijs *citt.* defendit Palao *n. 3.* 3. *Prælati alij inferiores*, Jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem habentes in territorio suo. Avil. *de Censur. p. 7. D. 10. dub. 6.* Sanch. *n. 5.* Palao *n. 4.* Pirhing *n. 38.* contra Garc. *p. 7. de Benef. c. 11. n. 15.* & *17.* & quosdam alios; quia potestas hæc, in Decreto isto Conciliari concessa Episcopis, ad Jurisdictionem pertinet, sed hujusmodi Prælati Jurisdictione Episcopali gaudent, solúmque differunt ab Episcopis in consecratione. 4. *Prælati Regulares exempti*, quamvis non habeant territorium, non quidem vi *Trid.* quia hoc tantùm loquitur de habentibus Diœcesim propriam; sed ex concessione S. Pij V. qui speciali privilegio Facultatem, per *Trid.* concessam Episcopis, extendit etiam ad Prælatos conventuales exemptos *Mot. propr.* apud Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 61. art. 9. fin.* Palao *n. 5.* & *6.* Pirh. *n. 39.* contra Sanch. *n. 7.*

121 Dub. 1. quid requiratur, ut Episco-pus in foro conscientiæ absolvere possit ab Hæresi occulta, & incursa per eam Excommunicatione? R. 1. requiritur, ut subditos & Diœcesin habeat; nam ratione subditorum in propria Diœcesi datur Episcopo hæc potestas: conf. Episcopi Titulares de Jure absolvere nequeunt

queunt ab ista Excommunicatione. Pirhing, *hic n. 38.*

2. Ut non exerceat potestatem istam, nisi in subditos : quo nomine tamen ex consuetudine generali Ecclesiæ , & benigna interpretatione Summi Pontificis , veniunt omnes illi, qui à tali Episcopo percipere possunt Sacramenta Pœnitentiæ , & Eucharistiæ , adeoque non tantùm illi, qui domicilium , vel quasi in Diœcesi ipsius habent , sed etiam peregrini , & vagabundi. Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 139. in Declar. 3.* Sanch. *c. 11. cit. n. 8. 9. & 17.* Barbos. *alleg. 39. n. 4. & 5.* Palao *p. 3. cit. §. 1. n. 8.* Pirhing *n. 39.*

192 3. Non possunt Episcopi absolvere ab Hæresi etiam pro foro conscientiæ extra Diœcesim existentes , prout patet ex Decreti verbis *in Diœcesi sua. Neque obstat*, quòd hæc absolutio sit actus Jurisdictionis voluntariæ , quem erga subditum exercere Episcopus , etiam extra Diœcesim suam existens , potest ; nam verba prædicta concessionem restringunt ad Diœcesin ; consequenter restringunt dictam Regulam. Barb. *alleg. cit. n. 7.* Palao *n. 13.* Pirhing *n. 39. ỳ. deinde.*

193 4. Absolutionem ab Hæresi impertiri Episcopus solùm potest per seipsum, non autem per Vicarium ; nam ità expressè *Trid.* in Decreto allegato *sess. 24. c. 6. de reform. fin.* ibi , *Eis tantùm , non eorum Vicarijs. Excipiunt* aliqui , quòd Episcopus pro una , vel altera vice possit alicui specialiter committere facultatem absolvendi ab Hæresi occulta. Azor *p. 1. l. 8. c. 10. q. 11.* Sanch. *c. 11. cit. n. 23.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.* Contrarium tamen tradit Molin. *tr. 5. de I. & I. D. 18. n. 2.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 15. n. 29.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 113.* Palao *n. 20.* & alij ; quia dictio taxativa *Tantùm* apposita Episcopis restringit potestatem absolvendi ab Hæresi ad eorum personas , & particula *Non* posita ante Vicarios excludit omnes Vicarios , etiam ad unum , vel alterum casum deputatos. Et hæc Sententia videtur esse probabilior , & tutior , cùm opposita non sit certa ante Declarationem Summi Pontificis : quare antequam iste mentem suam ulteriùs declaret , abstinendum erit ab hujusmodi commissione in casu etiam speciali ; quia in dubio illicitum est uti Jurisdictione , de qua non constat , an sit concessa , præsertim si Excommunicatio annexa sit , ut notat Molin. *l. cit.* quem sequitur Pirhing *n. 40. cit. fin.*

194 Imò vix in aliquo casu potest contingere , ut necessarium sit Episcopum absolutionem ab Hæresi committere alicui alteri , ut bene advertit Palao *l. cit.* quia ut in ejusmodi commissione prudenter procedat Episcopus , debet instructus esse causa sufficiente ad delegandum : cùm autem de causa requisita ad delegationem illam specialem instruitur , etiam potest instrui de causa requisita , & conveniente ad tollendam Censuram. Poterit ergo eo casu Episcopus , etiam reo absente , Censuram absolutione sua tollere , quâ sublatâ , peccatum Hæresis non ampliùs reservatum est , sed ab illo absolvere quivis Confessarius potest , ut adeo non ampliùs necessarium sit ejus absolutionem delegare alteri.

Dub. 2. an facultas , ex relato 195
Trid. Decreto concessa Episcopis , per *Bullam Cœnæ* quoad absolutionem ab Hæresi , & cæteris casibus contentis in Bulla ista sit revocata? Verba Bullæ §. *cæterùm* sunt sequentia : *Cæterùm à prædictis sententijs nullus per alium , quàm per Romanum Pont. nisi in articulo mortis constitutus - - - absolvi potest , etiam prætextu quarumvis facultatum , & indultorum , quibuscunque personis Ecclesiasticis - - - etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis - - - per Nos , & dictam Sedem , aut cujusvis Concilij decreta - - - concessorum &c.* Et additur Excommunicatio adversùs eos , qui sic absolvere præsumpserint. Ita *Gregorius XV.* & *Urbanus VIII.* in suis Bullis.

Negant hanc potestatem Episcopis 196
pro foro conscientiæ in peccato Hæresis occulto revocatam esse , Bannez *2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. post Concl. 2. arg. 3.* Navar. *l. 5. conf. 11. q. 1. de Privil.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 13. fin.* Henriq. *l. 6. de Pœnit. c. 14. n. 7.* & alij plures , quos referunt Sanch. Barbos. & Palao *n. seq.* allegand. *Fundamentum* illorum præcipuum est , quia correctio Juris vitanda est , quoad fieri potest, potest autem vitari , si dicatur , quòd Bulla Cœnæ revocans , quasvis facultates absolvendi ab Hæresi , & alijs casibus expressis , intelligi debeat , de peccatis publicis , & de absolutione , quæ etiam in foro externo prosit.

Sed dicendum , longè probabiliùs 197
per Clausulam Bullæ relatam Episcopis revocatam esse facultatem absolvendi ab Hæresi , & reliquis ibi contentis. Ita Azor *p. 1. l. 8. c. 10. q. 10.* Marc. Ant. Genuens. *prax. Archiep. Neapol. c. 67. n. 10. edit. 1.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 27.* Suar. *D. 21. de Censur. sect. 3. n. 5.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 115.* Farin. *prax. q. 192. n. 61.* Bonacin. *D. 1. de Censur. q. 3. p. 2. n. 1. ỳ. 1.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 40. n. 23. & seqq.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* Sperell. *decis. 112. n. 61.* Pignatell. *tom. 1. consult. 291. n. 2.* Vinc. Petra *tom. 3. comment. fol. 178. n. 10.* Reiffenstuel *hic n. 362.* sicque teste Marc. Ant. Gen. *l. cit.* declaratum est à *Gregor. XIII.* & *Clem. VIII.* item à *S. Congr. Conc.*

teſte Fagnan. *in c. quoniam de Conſt. n. 29.* & *c. dilectus de temp. ordin. n. 31.* ubi ſubjungit : *Unde fruſtra nonnulli ex RR. TT. hunc articulum in controverſiam adducunt, cùm habeamus claram determinationem S. Congreg.* Similes Declarationes refert Piaſec. *prax. p. 1. c. 1. art. 3. n. 6.* & *ſeqq.* & noviſſimam *in Cauſa Hiberniæ 9. Septembr. 1690.* Vinc. Petra *fol. 178. cit. num. 19.* Hinc meritò Alexander VII. in Decreto edito *1665.* inter alias propoſitiones tanquam ſcandaloſam damnavit ſequentem : *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem Hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. die 18. Julij in Conſiſtorio S. Congreg. Eminentiſſimorum Cardd. viſa, & tolerata eſt.*

198 *Fundamentum* præcipuum iſtius Sententiæ eſt, quia in Bulla Cœnæ Papa prohibet, ne quis abſolvat ab Hæreſi, aliiſque caſibus in Bulla contentis, prætextu facultatum, vel privilegiorum, quæ Epiſcopis, aliiſque ſunt conceſſa à Sede Apoſtolica, etiam vi Decreti alicujus Concilij, ſed nullum Concilium, niſi *Trid.* hanc facultatem abſolvendi in caſibus occultis conceſſit Epiſcopis. ergo illam intendit Pontifex revocare. *Argumento*, quod in contrarium *n. 196.* allegatum eſt, locus duntaxat eſt ſtante dubio de intentione Legis ; fallit autem, ſi aliunde conſtet de contraria intentione Legis, ſeu diſpoſitione Legislatoris, prout fit in propoſito.

199 *Excipiunt* aliqui Epiſcopos in Regionibus ab Urbe remotioribus, quos putant ſententiam priorem, ſcilicet facultatem hanc, Epiſcopis à *Trid.* datam, per *Bullam Cœnæ* revocatam non eſſe, in praxi tutò ampleƈti poſſe, & propterea Lutheranos, Calviniſtas, ac ſimiles Hæreticos, qui Catholicam Fidem ſuſcipere volunt, per ſe, vel per Delegatos ſuos in foro conſcientiæ abſolvere non tantùm ab Hæreſi occulta, ſed etiam à notoria, & publica ; quia ob nimiam frequentiam, & multitudinem abſolvendorum adeſt neceſſarium, & evidens impedimentum eos mittendi Romam, & ideo tales caſus Papales fiunt Epiſcopales. Laym. *de Juriſd. Ordin. concl. 72.* Wagnereck *in c. licèt de Offic. Vicar. in 6.* Pirhing *hic n. 42.* Sed hoc verum credo, non vi *Trid.* vel alterius Juris, ſed vigore ſpecialium facultatum, quæ hujuſmodi Epiſcopis remotioribus à Sede Apoſtolica ſingulis quinquennijs renovandæ concedi ſolent, ut notat P. Wieſtner *hic n. 50.*

200 Dub. 3. quam ergo poteſtatem abſolvendi ab Hæreſi nunc poſt Bullam Cœnæ habeant Epiſcopi ? ℣. 1. *in foro externo*, non obſtante hac Bulla, poſſunt Epiſcopi, præſertim Germaniæ, ubi alij Inquiſitores Hæreticæ pravitatis non ſunt, de Jure communi abſolvere Hæreticos (dummodo non ſint Hæreſiarchæ, ſeu novæ Hæreſis authores, aut relapſi) ab Excommunicatione Papæ reſervata, tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ, abjurata priùs Hæreſi, & injunƈtâ illis Pœnitentiâ, prout ſumitur ex *c. ut officium 11. pr. ℣. ſi verò b. tit. in 6.* & tradit *ibidem* Franc. *n. 2.* Farin. *prax. q. 192. n. 52.* Palao *tr. 4. D. 4. p. 3. §. 1. n. 23.* Pirhing *hic n. 42.* Reiffenſtuel *ibid. n. 369.* quæ abſolutio illis prodeſt etiam in foro interno, ita, ut ablata Excommunicatione, à quovis Confeſſario approbato à peccato Hæreſis abſolvi poſſint, cùm è contrario abſolutio, data in foro interno, non profit pro foro externo : & hinc abſolutus in foro interno, ſi poſtea de Hæreſi accuſetur in foro externo, non evadit pœnas illius fori. Sanch. *l. 2. mor. c. 12. n. 7.* Barboſ. *alleg. 40. n. 29.* Pirhing *n. 44. ℣. illud. Ratio eſt*, quia utrumque Judicium tendit ad diverſos fines ; nam pœnitentia, in foro interno impoſita, tendit ad hoc, ut ſatisfiat DEO, & imponitur tanquam medicina propriæ ſalutis : at pœna fori Judicialis externi tendit ad vindiƈtam publicam, ut ſatisfiat Reip. pravo Hæretici exemplo læſæ.

201 2. *in foro* etiam *interno* poſſunt Epiſcopi ab Hæreſi abſolvere Jure Ordinario, & ſecluſo ſpeciali privilegio, eum, qui ob impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus duraturum prohibetur adire Pontificem. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 5.* Dian. *p. 12. tr. de Conclav. reſol. 24.* Palao *p. 3. cit. §. 5. n. 4.* & *ſeqq.* Reiffenſtuel *hic n. 372.* Ratio eſt, quia caſus Papalis, ſuperveniente impedimento, adeundi Papam, fit Epiſcopalis : imò ejuſmodi impedimentum perpetuum, vel diu duraturum reputatur tanquam verus articulus, ſeu periculum mortis in ordine ad impetrandam dictam abſolutionem ab alio, quàm à Papa, cùm moraliter certus ſit, ſe ante mortem non poſſe adire Papam pro obtinenda abſolutione.

202 Neque ita impeditus tenetur mittere Procuratorem, vel ſcribere ad S. Pœnitentiariam pro obtinenda abſolutione à Cenſuris Papæ reſervatis Sanch. *l. 2. mor. c. 13. n. 14.* Dian. *l. cit. reſol. 24. §. nec in tali caſu*, Barboſ. *alleg. 41. n. 7.* Palao *§. 5. cit. n. 7.* Baſſæus *V. abſolutio n. 30.* Reiffenſtuel *n. 393.* Ratio eſt, quia Jura ſolùm exigunt, ut reus perſonaliter adeat Papam, ſeu ut Apoſtolico conſpectui ſe præſentet, ergo ſi hoc non poteſt, ad aliud à Jure non impoſitum minimè tenetur, Dixi, *minimè tenetur* ; nam ad majorem quietem conſcientiæ rectè fit contrarium, idque in praxi obſervatur, præſer-

fertim in locis ab Urbe parum distantibus, ut notant DD. apud Dian. *resol. 25. assert. 3.*

203 Debet tamen Episcopus, in casu Impedimenti absolvens Hæreticum, ita absoluto sub juramento injungere, ut cessante impedimento, Romam se conferat, ut notat P. Reiffenstuel *n. 375.* ubi addit in locis remotioribus Episcopos censeri præscripsisse Jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere. Imò ut Laym. *c. 6. cit. n. 6.* testatur, in Germania Lutherani, & Calvinistæ, qui Catholicam Fidem amplecti volunt, quamvis notoriè tales sint, ordinariè ne quidem ad forum contentiosum Episcopi deducuntur, sed mox institiuntur in Fide Catholica, & post abjurationem Hæresis ad Confessionem Sacramentalem, & susceptionem S. Eucharistiæ admittuntur.

204 Dub. 4. quam potestatem absolvendi ab Hæresi habeant Regulares? R. in his spectanda sunt Ordinum singulorum privilegia. In Societate JESU vi privilegij Apostolici concessi à *Julio III. 22. Oct. 1552.* & confirmati à *Gregorio XIII. 28. Mart. 1584.* ab Hæresi, & Censuris, per eam contractis (extra Hispaniam & Italiam juxta *Declarationem Clem. VIII. 16. Nov. 1592.*) quoscunque absolvere in foro conscientiæ potest Præpositus Generalis, & facultate ab eo communicata Provinciales, qui etiam eandem facultatem alijs sibi subjectis communicare possunt, ut habetur in *Compend. privil. dict. Societ. V. Absolutio §. 7.*

205 Item omnibus Superioribus Societatis, & ijs, quibus ipsi communicaverint, concessa est facultas absolvendi ab Excommunicatione, incursa ob Lectionem Librorum prohibitorum, in ijs locis, ubi possunt nostri ab Hæresi absolvere, prout concessit *Gregorius XIII. 6. Nov. 1583.* & habetur in *cit. Compend. V. Absolutio §. 4.* ubi advertitur, si Libri prohibiti editi sint ad stabilienda Dogmata Hæretica, facultatem hanc à Superioribus communicari non posse, nisi in casibus particularibus, perspectis circumstantijs. In ijs verò Provincijs, in quibus peculiari concessione amplior esset facultas, liber permittitur illius usus. Palao *tr. 4. D. 4. p. 3. §. 3. n. 3.*

206 Respectu illorum, qui sub obedientia Societatis vivunt, facultas absolvendi ab Hæresi, & à relapsu in Hæresim reservatur Præposito Generali, communicatur tamen Provincialibus sub onere monendi pœnitentem, quòd sub pœna peccati mortalis maneat obligatus, vel se Præposito Generali præsentandi, vel rem eidem manifestandi eo modo, qui servata Sigilli integritate, Provinciali videbitur. Palao *l. cit. n. 2.*

207 Dub. 5. an sub facultate generali absolvendi à casibus reservatis, concessa per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi, comprehendatur etiam facultas absolvendi ab omnibus casibus contentis in Bulla Cœnæ, & sub facultate absolvendi à reservatis in eadem Bulla, facultas absolvendi ab Hæresi? Affirmant Sot. *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 5.* Cordub. *Summ. q. 8.* Reginald. *prax. l. 8. n. 53. fin.* Filliuc. *tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 165.* & noviſſimè Gobat. *tr. 3. Quinar. n. 248.* ubi notat, intrepidè à Confessarijs Septentrionalibus hanc sententiam in usum deduci, cùm præsertim Hæresis in Hisce partibus propter suam frequentiam vix annumeranda sit Casibus Papæ reservatis.

208 Sed meliùs negativam defendunt Azor *p. 1. l. 8. c. 10. q. 12.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 109.* Sanch. *l. 2. mor. c. 10. n. 12.* Suar. *D. 21. de Fid. sect. 4. n. 21.* Farin. *prax. crim. q. 192. n. 63.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 40. n. 31.* Palao *tr. 4. D. 3. p. 3. §. 4. n. 2.* Vinc. Petra *tom. 3. comment. fol. 180. n. 25.* Pirhing *hic n. 44.* Reiffenstuel *ibid. n. 405.* & apertè constat 1. ex *Decreto Alexandri VII. edito 23. Mart. 1656.* ubi ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id imposterum ullo tempore hæsitari contingat, cùm Hæresis crimen præ cæteris gravissimum speciali notâ dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab Hæresi in Jubilæis, vel alijs similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab Hæresi. 2. Confirmat usus, & stylus Curiæ Romanæ, qui hac in parte vim Legis habet; nam in Jubilæis post concessam facultatem absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ, interdum exprimi solet *Etiam ab Hæresi*, quod superfluum foret, si sub generali illa clausula contineretur. 3. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus *Reg. 81. in 6.* at Hæresis absolutio est ita reservata, ut verisimiliter Papa eam non concessisset; neque enim verisimile est Papam tot Legibus, in favorem Fidei latis, derogare voluisse, nisi id exprimat.

209 Dub. 6. quis absolvere ab Hæresi & Excommunicatione per eam incursa possit in articulo mortis? R. in hoc absolvere potest quivis Sacerdos. Habetur *can. de his 9. & seqq. caus. 26. q. 6.* & *in* Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacram. Pœnit.* ubi dicitur ita *in Ecclesia DEI custoditum semper fuisse*: & ratio additur, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat.*

An verò ab ea absolvere quivis Confessarius etiam possit extra verum mortis articulum etiam illum, qui impedimento perpetuo prohibetur, ne possit adire Papam, controversia est inter DD. Affirmant Palao *tr. 4. D. 3. p. 3. §. 5. n. 4.*

&

& alij *citt.* à Dian. *p. 12. de conclav. resol. 24. ỳ. sed hìc oritur.* Rationem dant, quia, ut paulò antè dictum est, Sacerdos quilibet absolvere potest ab Hæresi in mortis articulo, sed juxta dicta *n. 201.* perpetuum impedimentum, & mortis articulus æquiparantur.

210 Sed meliùs tenetur negativa cum Navar. *Man. c. 25. n. 90.* Barbos. *de Offic. Epis. alleg. 41. n. 32.* Dian. *l. cit. resol. 25.* Reiffenstuel *hìc n. 396.* quia Major illa Propositio, in Argumento Sententiæ adversæ allata, intelligenda solùm est de vero mortis articulo, in quali non est sic impeditus. *Conf.* quia potestas absolvendi impeditos datur tantùm Episcopis *c. de cætero 11.* & *c. ea noscitur 13. de Sent. Excomm.* ergo non competit simplici Sacerdoti.

Excipitur, nisi impediatur etiam accedere Episcopum, & alios facultate absolvendi prœditos; tunc enim poterit absolvi à quovis Sacerdote approbato, & potestatem habente absolvendi à peccatis mortalibus, ut bene advertit Tambur. *de casib. reserv. c. 12. §. 2. n. 28. & 34.* Stoz. *Tribun. l. 2. n. 68.* Reiffenstuel *n. 397.*

211 Quæritur 3. an Hæretici, eorúmque credentes, fautores &c. sint vitandi? *Certum est*, antiquo Jure fuisse vitandos, ut quoscunque alios Excommunicatos, publicè quidem, si notorij erant, privatim autem, si occulti. De Jure recentiori non eadem sententia DD. est; nam Gutier. *l. 1. qq. can. c. 1. n. 42.* & Suar. *D. 9. de Censur. sect. 2. n. 10.* putant esse vitandos, postquam ut Hæretici denuntiati sunt, etiam sine mentione Censuræ. Sotus verò *in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. post concl. 3.* vitandos asserit, etiamsi denuntiati non sint, modò notorium sit esse Hæreticos, aut horum fautores &c. quòd notorium sit, ei crimini ipso Jure annexam esse Excommunicationem, & sic denuntiati sint satis.

212 Sed dicendum, non esse vitandos, nisi nominati denuntiati sint, quamvis sint manifesti, & notorij. Ita Navar. *de Orat. Miscell. 47. n. 2.* Azor *p. 1. l. 8. c. 13. q. 7.* Sanch. *l. 2. mor. c. 9. n. 3.* Pirhing *hìc n. 23.* Wiestner *ibid. n. 45.* cum alijs. *Proceditque hoc* probabiliùs, etiamsi aliquis ut Hæreticus nominatim condemnatus, & declaratus sit, ut notat Sanch. *l. cit. n. 4.* quia vigore *Extrav. ad evitanda, à Martino V.* in Concilio Constantiensi edita, & relata apud Navar. *Man. c. 27. n. 35.* nemo vitare tenetur Excommunicatum, nisi Censura à Judice contra personam denuntiata sit specialiter, & expressè; hoc autem non fit sola denuntiatione Hæresis, vel alterius criminis, habentis Excommunicationem sibi ipso Jure annexam, ergo &c. Addit Sanch. *l. cit. fin.* idem dicendum, etsi quis declaretur per sententiam esse Hæreticus, & incurrisse omnes illius pœnas, vel apertiùs, omnes Censuras; quia nondum est specialiter, & expressè denuntiatus ut Excommunicatus, & multi adhuc nescirent sub Censuris comprehendi Excommunicationem. Schambog. *hic n. 20.* Reiffenstuel *ibid. n. 22.*

Ex quo sequitur 1. licitum esse Ca-213 tholicis, præsertim in locis, ubi permixti cum Hæreticis vivunt, uti in Germnia, Gallia, Anglia, cum Hæreticis conversari, civilia cum ijs commercia inire &c. quia quamvis sint publici Hæretici, non tamen sunt expressè, & nominatim denuntiati. Azor *p. 1. l. 8. c. 11. q. 1.* Sanch. *c. 9. cit. n. 5.* Pirhing *n. 24.* Reiffenstuel *n. 4.*

2. Licitum est cum Hæreticis non-214 dum denuntiatis simul orare, & rem Divinam, ac Conciones cum eis audire, comitari funus, eósque ad Sepulturam deducere; sicut enim licitum est communicare cum vivo Hæretico non denuntiato, & eum comitari ad rem per se licitam, ita & cum mortuo deducendo eum ad Sepulturam. Navar. *cons. 12. n. 7. b. tit.* Azor *c. 11. cit. q. 4.* Sanch. *n. 7.* Pirhing *n. 24. coroll. 2.* modò id non fiat 1. animo favendi Hæreticis ut Hæretici sunt (quia hoc intrinsecè malum est) sed solo affectu humanitatis, & amicitiæ, 2. Dummodo id fiat sine scandalo, & offensione Catholicorum, & sine communicatione in ritibus, & ceremonijs Hæreticorum. 3. Dummodo Hæretici sepeliantur in loco profano; nam si comitarentur ad Sepulturam in loco Sacro, comitarentur ad rem illicitam, & cooperarentur peccato sepelientium. *Navar. Sanch. Pirhing l. citt.*

3. Licitum est Catholico adire tem-215 pla Hæreticorum, & in ejus preces fundere ritu Catholico, vel Conciones eorum audire, si ex justa causa fiat, v. g. ut famulus dominum suum comitetur, vel ut errores Ministri Hæretici annotentur ad confutandum, modò absit scandalum, & periculum propriæ perversionis. Azor *c. 11. cit. q. 4.* Becan. *tr. de Fid. c. 9. q. 5. n. 7.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 11. n. 5.* Sanch. *l. 2. mor. c. 4. n. 26.* Pirhing *l. cit. coroll. 3.* Reiffenstuel *ibid. n. 24.* Neque id est per se signum professionis falsæ Religionis, cùm audire Conciones Hæreticas sit quid indifferens, & ordinari possit ad alios fines malos, & bonos.

4. Licitum est Catholico in prædictis 216 locis filium Hæretici ex Baptismo suscipere, si hic ritu, & modo Catholico, non Hæretico, aut Schismatico ministretur; quia id nullo Jure prohibitum est. Non tamen ordinariè, & sine gravi causa licebit vice versa, ut Catholicus adhibeat Hæreticum in Patrinum filij sui; quia juxta Canones Eccle-

siæ

fiæ Patrini officium est susceptum è Baptismo instruere in primis Fidei Rudimentis: ideoque Hæreticus hoc munus obire non potest. Navar. *l. 1. conf. 1. n. 67. de Constit.* Azor *c. 11. q. 9.* Sanch. *c. 9. n. 12.* Pirhing *n. 26. coroll. 5.* Videantur, quæ dixi *Libr. 4. Tit. 11. n. 75. & seqq.*

817 5. Possunt filij Hæreticorum admitti ad Scholas Catholicorum ?, etiamsi jam adulti sint, & erroribus Hæreticorum imbuti; quia non sunt nominatim denuntiati: non tamen possunt filij Catholicorum adire scholas Hæreticorum, ob periculum perversionis. Navar. *l. cit. n. 64.* Azor *q. 8.* Sanch. *n. 11.* Pirhing *coroll. 6.* Reiffenstuel *n. 24.*

818 Contrà 1. illicitum est Catholicis à Parochis, & Episcopis Hæreticis Sacramenta recipere, sive Baptismi extra casum necessitatis, sive Evchariſtiæ, sive Pœnitentiæ, sive alia, si inde oriatur scandalum, vel periculum perversionis, vel si Sacramentum ritu Hæretico ministretur: quamvis quantum præcisè est ex vi Hæresis, & Excommunicationis, id non sit directè prohibitum, si Hæretici illi non sint nominatim denuntiati, vel notorij percussores Clericorum, adeóque non sint vitandi Sanch. *n. 10.* & in extremo vitæ periculo etiam Sacramentum Pœnitentiæ ab Hæretico Presbytero rite ordinato percipere esse licitum, docet Azor *c. 11. cit. q. 10.* quia tunc Excommunicatus etiam denuntiatus non caret Jurisdictione.

819 2. Generaliter loquendo illicitum est Catholicis contrahere Matrimonium cum Hæreticis, quamvis illud sit validum; tum quia id specialiter prohibitum est Jure Ecclesiastico *can. cave 15.* & *can. seq. caus. 28. q. 1.* tum quia præbetur alijs scandalum; tum quia per tale Matrimonium conjux Catholicus exponit se, & liberos periculo perversionis, & quia Sacrilegium committitur, dum profanatur Sacramentum, illúdque Hæretico administratur. Sanch. *n. 9.* Videantur, quæ dixi *Libr. 4. Tit. 6. an. 132.*

820 3. Universim vitandi Hæretici sunt in rebus Divinis: & quidem Jure Divino in tribus sequentibus casibus. 1. Si ex communicatione cum illis in hujusmodi rebus apud Catholicos oriatur scandalum, & offensio, vel si ex ea suspicio nascatur, quòd Catholici Hæreticorum ritus, mores, & dogmata verbo, signo, vel facto profiteantur. 2. Si ex communicatione in his rebus periculum animæ Spirituale immineat, videlicet perversionis in Fide, aut Catholicæ Religionis contemptus. 3. Si Catholicus cum Hæretico habeat commercium in crimine, ob quod fuit excommunicatus. Extra hos casus non Jure Divino, sed Canonico tantùm Hæretici in rebus Sacris vitandi sunt. Azor *c. 10. q. 2.* Pirhing *n. 22.* Schambog. *n. 18.*

821 Dub. 1. an Principes Catholici recipere, vel tolerare in suis territorijs Hæreticos, vel ritus eorum possint? Et 1. ordinariè loquendo non posse illos recipere, vel tolerare, & multò minùs eorum ritus, seu exercitium, seu Religionis, seu Sectæ: sed tenentur illos ubique locorum repellere, vel expellere. Patet ex placitis utriusque, Canonici *c. ad abolendam 9. §. statuimus, c. excommunicamus 13. §. moneantur 3. h. tit. c. ut officium 11. §. statuimus eod. in 6.* Civilis verò *l. omnes 2.* & *Auth. Gazaros C. eod.* tum quia Hæresis gravissimum, & DEO maximè injuriosum delictum est; tum quia eorundem tolerantia occasionem præbet scandalo, periculo perversionis gravissimo: imò in ea Republica, ut loquitur S. Ambrosius *3. Offic. Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum*: quod experientia passim oculis oberrans probat.

822 Dixi *Ordinariè loquendo*; nam tolerari, imò recipi Hæretici, ut inter Catholicos degant, possunt. 1. Si prudenter consideratis omnibus, id omnino necessarium videatur vel ad majus malum, puta dissidij, aut perturbationis Reip. impediendum, vel ad majus bonum, puta ipsorum Hæreticorum conversionem, procurandam. Laym. *l. 2. tr. 1. c. 17. n. 4.* Reiffenstuel *hic n. 146.* 2. Si Hæreticis per pacis, aut alium contractum, vel pactum ex objecto suo non malum, nec invalidum per Principem Catholicum fuit promissum, ut in territorio aliquo recipiantur, vel recepti tolerentur; nam fides publica cuique servanda est, etiam Paganis, Judæis, & Hæreticis à quovis etiam Catholico. Laym. *l. cit.*

823 Monet tamen idem *Layman*, libertatem Religionis Hæreticis permissam, multóque magis promissam adeo perniciosam esse saluti animarum, ac cuivis Reip. ut inter mala ejusdem maxima censeri debeat: ideoque Catholicis Principibus, rectè omnia considerantibus, & in DEUM confidentibus, non facilè malum aliquod gravius videri possit, cujus vitandi causam Hæreticis subditis suis libertatem exercitij Religiònis promittere, aut juramento confirmare liceat.

824 Dub. 2. an, & qualiter Principes Catholici in bello, quod intenditur, vel actu jam geritur, sub certo fœdere auxilium præbere Hæreticis, aut istos in auxilium vocare contra alios, præsertim Principes Catholicos, vel cum illis fœdus, ut vocant, defensivum, & offensivum inire possint de mutuo auxilio ferendo contra quoscunque?

825 *Certum est 1.* non posse Principes Catholicos præbere Hæreticis auxilium,

aut istud ab ipsis petere ad bellum sive defensivum, sive offensivum injustum, sive sine justa causa suscipiendum, aut susceptum contra Catholicos, vel etiam contra Acatholicos. Ita omnes teste P. Reiffenstuel *hic n. 157.* Patet ratio; quia tale bellum intrinsecè malum est, taléque foret, etiamsi ejusmodi Princeps ad illud prosequendum non uteretur Hæreticorum auxilio.

825 *Certum est 2.* gravissimè peccare Principes Catholicos, si pecunijs, armis, militibus, annonâ, aut alio modo Hæreticis vi fœderis succurrant ad bellum, quod isti contra Principes Catholicos gerunt, aut gerere intendunt pro dilatanda sua, & infirmanda nostra vera Religione, præsertim in bello offensivo, aut defensivo Religionis; quia hoc nihil aliud est, quàm Hæresin propugnare, & veram Religionem oppugnare: & propterea hoc facientes excommunicantur in *Bulla Cœnæ §. 7.*

826 *Certum est 3.* non licere Principi Catholico promittere, aut præbere auxilium Hæreticis etiam in bello justo adversùs alios, præsertim Catholicos Principes, aut populos cum conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ præjudiciosis, seu talibus, ut inde certò prævideatur oriturum grave damnum, vel præjudicium ejusdem. Reiffenstuel *n. 159.* & patet ex *Bulla Cœnæ §. cit.*

827 *Certum est 4.* non licere Principi Catholico ad bellum, etsi aliàs justum, pro conservandis, vel recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitis invocare in auxilium Hæreticos, aut fœdus cum ipsis inire, vel pactum contra alios præsertim Principes, & populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ, ac Religioni, Catholicæ graviter præjudiciosis, aut si exinde certò secuturum prævideatur grave damnum, seu præjudicium Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ; nam bonum hujus commune, utpote Spirituale, & à quo innumerarum pendet salus animarum, semper præferendum est bonis temporalibus, prout omnes fatentur.

828 *Difficultas* est, an liceat Hæreticos juvare, vel illorum auxilium implorare, aut fœdus cum ijsdem inire, si hoc fiat cum conditionibus honestis, & Ecclesiæ, aut Religioni Catholicæ nequaquam præjudiciosis, nec aliunde eidem Ecclesiæ, vel Religioni periculum, aut damnum ex tali fœdere imminere prævideatur? Negant non pauci, existimantes, nunquam fieri posse, ut fœdus cum Hæreticis ineatur, vel auxilium eis præstetur, aut petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religionis directè, aut indirectè sequatur.

829 Sed dicendum, regulariter quidem, & ordinariè illicitum, & graviter peccaminosum esse Principibus Catholicis inire fœdus cum Hæreticis, illósque in bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem Catholicos Principes, dari tamen aliquos casus, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, vel Religioni graviter præjudiciosæ, simúlque moraliter apparet, quòd ex tali fœdere, vel auxilio nec scandalum, nec grave aliquod damnum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ sequi valeat: & multò magis quando tale fœdus redundat in certum emolumentum Ecclesiæ, aut necessarium est ad avertendum longè majus Ecclesiæ, vel Religionis damnum.

830 *Quòd ordinariè, & regulariter illicitum sit*, constat 1. ex S. Scriptura, ubi DEUS similia fœdera cum Infidelibus graviter prohibuit, & contrà agentes severè punivit, ut passim exempla extant in eadem Scriptura. 2. Ex Oraculis Summorum Pontt. SS. Patrum, & aliorum DD. qui hujusmodi fœdera gravissimè improbârunt sæpiùs, licèt non exprimerentur conditiones Ecclesiæ præjudiciosæ. 3. Ex ratione: quia ordinariè ex hujusmodi fœderibus scandalum, & damnum Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ directè, vel indirectè sequitur, quippe cùm Hæretici, quantumcunque arcto fœdere Catholicis colligati, ob implacabile tamen, quod gerunt, nostræ Religionis odium, semper, ubi minimè prævidetur, Ecclesiæ, & Religioni nocere, suámque sectam promovere allaborent, ut plurimis exemplis demonstrant Pignatell. *tom. 9. consult. 185.* ubi quidem tantùm loquitur de fœdere inito cum Infidelibus, sed eadem ratio pugnat etiam de eo, quod initur cum Hæreticis.

831 *Quod verò sub conditionibus allatis licita esse possint ejusmodi fœdera*, ostenditur ex ratione, quia fœdus cum Hæreticis inire, vel auxilium ab eis petere, aut hoc ipsis præstare non est ex se, & ex natura sua malum, sed tantùm ratione scandali, & periculi damnorum, quæ Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ exinde plerumque imminent. igitur licita erunt, quando moraliter certum videtur, abesse omne tale periculum, & multò magis, quando apertè conspicitur, inde sequi commodum, & emolumentum Ecclesiæ, vel averti majus ejusdem malum. *Conf.* Quando Catholicus aliquis privatus injustè, & sine omni causa vellet occidere alium Catholicum, non est dubium, quin iste contra illum in auxilium vocare posset Hæreticum ponè stantem. ergo id licebit etiam Principi Catholico ad defensionem boni publici, servatis conditionibus suprà positis.

TITU-

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Schismatis.*
2. 3. *Differentia à Seditione, & Hæresi.*
4. *Varietas.*
5. 6. *Potest dari sine Hæresi, sed non diu.*
7. 8 9. *Quinam sint Schismatici?*
10. *Requisita, ut aliquis dicatur verè Schismaticus.*
11. &c. *Quinam non sint verè Schismatici?*
16. *Quale peccatum sit Schisma?*
17. &c. *Quæ ejus pœnæ?*

HÆreticis affines sunt Schismatici, & Apostatæ, imò non infrequenter etiam Hæresis rei: quare ex ordine doctrinæ etiam de his agendum, hoc quidem Titulo de prioribus, de posterioribus in sequenti.

1 Quæritur 1. quid sit *Schisma*? R. *Schisma*, à quo *Schismatici*, Græca vox, idem, quod *Scissura* significat. In præsenti sumitur pro scissione, vel divisione, quâ se aliquis, vel aliqui dividunt ab unitate Ecclesiæ. Et hinc, quia unitas Ecclesiæ consistit tum in conversatione, seu communione membrorum inter se, tum in ordine ad unum Caput, quod est Christus, cujus vices gerit Summus Pontifex, scilicet ut in una Fidei doctrina, cultu Religionis, & in Spirituali regimine omnes fideles sint subjecti uni Capiti Ecclesiæ, nempe Romano Pontifici: hinc *Schismaticus* dicetur ille, qui subesse Summo Pontifici, & membris Ecclesiæ illi subjectis communicare renuit. Ipsum verò *Schisma* definiri poterit, quòd sit divisio, sive discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est Corpus Mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Ita Sanch. *l. 2. mor. c. 36. n. 1.* Barbos. *ad Rub. h. tit. n. 4.* Gonzal. *in c. 2. eod. n. 4.* Passerin. *in c. un. eod. in 6. n. 4.* Zoes. *hic n. 1.* Pirhing *n. 1.* Engl *n. 1.* Schambog. *n. 2.* König *n. 2.* Reiffenstuel *n. 2.* & communiter DD. cæteri cum S. Thom. *2. 2. q. 39. art. 1.*

2 Quæritur 2. quomodo differat Schisma à Seditione, & Hæresi? R. à *Seditione* differt; quia hæc dissensionem solùm inducit in Corpore Politico, illa in Ecclesiastico. S. Thom. *2. 2. q. 42. art. 1.* Farin. *prax. crim. q. 184. n. 6.* Wiestner *hic n. 3.* & alij passim. Ab *Hæresi* differt ex triplici capite. 1. Quia Hæresis ad Schisma se habet, sicut species ad genus: nam omnis Hæreticus est Schismaticus; quia ab Ecclesia Romana secundùm aliquod dogma perversum se dividit: non tamen vice versa omnis Schismaticus est Hæreticus; quia potest aliquis credere omnes articulos Fidei, etiam illum, quo decernitur suprema potestas, & Primatus Papæ, & tamen eidem ex perversitate voluntatis se nolle subijcere, nec alijs membris Ecclesiæ conjungi. Azor *p. 1. l. 8. c. 20. q. 1.* Sanch. *l. 2. mor. c. 36. n. 8.* Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 3.* Vallens. *hic n. 1.* Pirhing *n. 2.* Schambog. *n. 3.* König *n. 7.*

2. Hæresis per se, & directè opponitur Fidei, aliquem ejus articulum negando, vel de eo dubitando; Schisma autem Charitati Ecclesiæ unitatem tollendo, ut cum *Doctore Angelico* advertit Sanch. *c. 36. cit. n. 7.* Farin. *n. 5.* Barbos. *ad Rubr. h. tit. n. 5.* Wiestner *hic n. 2.* Reiffenstuel *n. 7.* cum *citt.* 3

3. Schisma est via ad Hæresim, sicut amissio Charitatis ad amissionem Fidei; nam Schismaticus saltem in fine fingit Hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur. S. Thom. *q. 39. art. 1. ad 3.* Sylv. *V. Schismaticus q. 1.* Pirhing. Schamb. *l. citt.*

Quæritur 3. quotuplex sit Schisma? 4 R. Schisma aliud est Purum, aliud conjunctum cum Hæresi. *Schisma purum* non opponitur Fidei, sed Charitati, & Paci, quando scilicet aliquis ex sola malitia voluntatis non vult Summo Pontifici quà tali obedire, vel reliquis membris unitus esse, ut si certum aliquod Regnum constituat sibi Archiepiscopum, vel Patriarcham, cui in Spiritualibus obediat, aut alios speciales Religionis cultus ab Ecclesia reprobatos adhibeat, & non obtemperet mandatis Pontificis quà talis, quamvis de cætero non neget Pontificatum Romanum, vel alios Fidei articulos. *Schisma conjunctum cum Hæresi* est, quod præter separationem ab Ecclesia insuper in Fide dissentit, ut quia negat Pontificem Romanum esse Christi Vicarium, & Ecclesiæ Caput, vel Eychariſtiam legitimè distribui sub una specie &c. Engl *n. 1.*

Quæritur 4. utrum dari possit Schisma purum, & non conjunctum cum Hæresi? 5 R. practicè quidem vix unquam dari purum Schisma, teste *D. Hieronymo can. inter Hæresim 26. caus. 24. q. 3.* ubi, *Nullum*, inquit, *Schisma non aliquam sibi confingit Hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Engl *hic n. 2.* König *n. 7.* Reiffenstuel *n. 4.* Magnif. P. Schmier *p. 2.*

de Delict. c. 3. n. 63. Absolutè tamen Schisma purum, & sine Hæresi dari potest, sed non diu. Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 3.* Wagnereck *in c. 1. eod. V. dictos*, Passerin. *in c. un. in 6. n. 13.* Vallens. *hic n. 1. fin.*

6 Et quidem quòd Schisma purum dari aliquamdiu sine Hæresi possit, patet ex descriptione ejusdem *n. præc.* Quòd verò dari sine hac non possit diu, constat exemplo Schismatis Anglicani, & aliorum Septentrionalium, cujus Rei, postquam recesserunt à Pontificis Romani obedientia, simul recesserunt à Fidei veræ dogmatis. *Ratio à priori* est, quia Schisma, ut *n. 3.* dictum est, est via ad Hæresim, & dum, insuper habitis Ecclesiæ Censuris, pertinaciter detrectat obedire Summo Pontifici, tanquam universalis Ecclesiæ Capiti, tacitè disponit, ut Schismaticus profiteatur, eidem non esse obediendum, per quod fit Hæreticus. Addo tamen, ex Schismate oriri Hæresim non ex vi Schismatis, & necessariò, sed ex malitia Schismaticorum, ut patet in Orientalibus, qui à Romani Pontificis obedientia quidem sæpius recesserunt, aliquamdiu tamen omnes Fidei articulos professi sunt.

7 Quæritur 4. quinam sint propriè Schismatici? R. tales sunt ij duntaxat, qui recedunt vel à Summo Pontifice, ei negando reverentiam, & obedientiam debitam, vel à cæteris Ecclesiæ membris, seorsim Orationes, jejunia, & alias functiones spirituales, tanquam si essent corpus à reliqua Ecclesia distinctum, exercendo. Sylv. *V. Schismaticus pr.* Azor *p. 1. l. 8. c. 20. q. 4.* Sanch. *l. 2. mor. c. 36. n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 184. n. 3.* Palao *tr. 6. D. 4. p. 5. n. 2.* Fagn. *in c. quod à prædecessore 1. h. tit. n. 12. & 13.* Passerin. *in c. un. eod. in 6. n. 5.* Pirhing *hic n. 3.* Schambog. *n. 4.* König *n. 6.*

Potest autem hoc fieri directè, vel indirectè. *Directè* se dividit ab unitate Ecclesiæ, qui expressè, & formaliter intendit non recognoscere Pontificem, ut Superiorem: *indirectè*, qui facto ipso ostendit non recognoscere, dum ita se gerit, acsi ei subjectus non esset. Et tales censentur esse 1. qui præsumunt absque debita authoritate congregare Concilium universale, aut ipsum, postquam per legitimam authoritatem est dissolutum, prosequuntur. Sanch. *l. 2. mor. c. 36. n. 14.* Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 13.* Conink *D. 30 dub. 5. n. 38.* Delben. *dub. 235. sect. 1. n. 13.* Palao *p. 5. cit. n. 3.* Passerin. *l. cit. n. 9.*

8 2. Qui appellant à Sententia Summi Pontificis ad Concilium Generale, si per Concilium Generale intelligant illud, cui sua authoritate non præsit Summus Pontifex; nam appellare ad Concilium, cui cum Capitis summa authoritate Pontifex ipse præsideat, est appellare ad ipsum Pontificem: & ideo id non est Schismaticum, licèt sit prohibitum sub pœna Excommunicationis in *Bulla Cœnæ Cas. 1.* Habet tamen talis appellatio saporem Schismatis; quia qui sic appellat, videtur sentire, quòd Concilium sit supra Papam, & quòd liceat à Papæ judicio recedere. Passerin. *l. cit.*

9 3. Similiter Schismatici habendi sunt Catholici existentes in Anglia, qui Regi exhibent obedientiæ signa, quibus restantur eum esse Christi Vicarium in Spiritualibus, quamvis interiùs sic esse nullo modo credant; quia sejunctio ab unitate Ecclesiæ, ejúsque obedientia in opere externo consistit. Suar. *n. 13. cit.* Sanch. *n. 14.* Palao *n. 3.* Passerin. *n. 15.* Pirhing *n. 4. not. 1.* quo Schisma distinguitur ab Hæresi, quippe quæ necessariò errorem intellectûs requirit.

10 Quæritur 6. quid requiratur, ut aliquis dicatur verè Schismaticus? R. 1. requiritur, ut recedat ab obedientia Summi Pontificis, & communione cæterorum fidelium quà talium. 2. Ut hic recessus junctus sit cum pertinacia; quia verum Schisma est quædam rebellio in Summum Pontificem, vel Ecclesiam. 3. Ut idem recessus, fiat quoad illa, quæ pertinent ad unitatem Ecclesiæ; nam verum Schisma est separatio ab unitate Ecclesiæ inter se, & cum suo capite. 4. Ut sic recedens agnoscat, eum, cui obedire detrectat, esse Caput Ecclesiæ, & verum Christi Vicarium. 5. Ut exerceat actum formalis inobedientiæ, h. e. ut obedire Pontifici nolit, licèt agnoscat eidem ex doctrina fidei esse obediendum.

11 Et hinc 1. non est propriè Schismaticus, qui quomodocunque peccat mortaliter; licèt enim, quamdiu peccato isto tenetur, sit membrum Ecclesiæ mortuum, non tamen ex vi illius se separat ab unitate Ecclesiæ, quæ in Fide, & Sacramentorum usu, cum debita ad Christum, ejúsque Vicarium Subjectione consistit. Reginald. *l. 9. n. 258.* Farin. *prax. q. 184. n. 24.* Bonacin. *D. 3. q. 4. p. ult. §. 5. ỳ. 3. propos. 1.* Palao *tr. 6. D. 4. p. 5. n. 10.*

12 2. Qui solummodo est Excommunicatus; quia à fidelium communione non ipse se separat, sed separatur. Farin. *n. 26.* Passerin. *in c. un. cit. n. 10.* Wiestner *hic n. 5.* cum *citt.*

12 3. Qui recedit ab obedientia unius Episcopi, & Diœcesis communicatione, si perseveret in obedientia Papæ, & in communicatione cum alijs Ecclesijs. Azor *p. 1. l. 8. c. 20. q. 4.* Sanch. *l. cit. n. 13.* Farin. *n. 27. & 30.* Palao *n. 6.* Passerin. *n. 12.* Engl *hic n. 6.* Pirhing *n. 3. coroll. 3.*

Scham-

Schambog. *n.* 7. König *n.* 4. Wiestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 6. Ratio est, quia verè, & propriè dictum Schisma importat separationem ab Ecclesia Catholica & universali, ejúsque capite. Neque obstant *can. scire 7. caus. 7. q.* 1. & *can. loquitur 18. caus. 24. q.* 1. ubi dicitur Schismaticus, qui à suo Episcopo, & solis membris Ecclesiæ Diœcesis particularis se separat; nam textus isti, & similes intelligi possunt de Summo Episcopo, & Ecclesia universali: vel si urgeas, eos intelligendos etiam de Episcopo inferiore, responderi potest, tales dici Schismaticos latè tantùm, & impropriè, non etiam strictè. Schambog. *l. cit.*

13 4. Qui agit solummodo contra præceptum, vel prohibitionem Papæ, eò quòd ipsi videatur difficile & arduum, vel extra Pontificis potestatem, ut si jussus nolit v. g. arma deponere, alienum restituere &c. quia hic potest, adhuc recognoscere Pontificem tanquam Caput Ecclesiæ, & cum ipso, ac cæteris Ecclesiæ membris communicationem habere: & hinc propriè non Schismaticus, sed inobediens erit; aliàs quilibet transgressor præcepti Ecclesiastici esset Schismaticus, quod non est dicendum. S. Thom. 2. 2. *q. 39. art.* 2. Cajet. *ibid. dub.* 2. Azor *c. 20. cit. q.* 4. Sanchez *n.* 3. Farin. *n.* 11. Palao *n.* 7. Passer. *n.* 10. Vall. *hic n.* 1. *fin.* Pirh. *n.* 3. *coroll.* 2. Schambog. *n.* 5. König *n.* 5. Wiestner *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 5.

14 5. Qui Papæ recusat subesse, & obedire, quòd persona ipsius videatur sibi suspecta, vel odiosa, in odium, & vindictam illius. Azor *q.* 4. *cit.* Pirh. *l. cit.* Engl *n.* 6. Schambog. *n.* 5. Quod multò magis procedit, quando probabiliter creditur talem non esse verum Pontificem, vel an verus sit, probabiliter dubitat, ut fit, quando duo electi sunt, & non constat, quis ex illis rité electus sit, prout contigit tempore Urbani VI. tunc enim Schismaticus non erit, qui nulli adhæret, sed utrique obedientiam denegat, quantumvis à parte rei unus eorum sit verus Pontifex, modò paratus sit obedire illi, quem Concilium Generale, ad quod eo casu recurrendum erit, declaraverit esse verum, & legitimum Pontificem. Abb. *pr. h. tit.* n. 2. Barbos. *ad Rubr. eod. n.* 6. Passerin. *in c. un. eod. in 6. n.* 11. König *n.* 5. cum *citt.*

15 6. Qui Papam non recognoscit, ut Dominum temporalem alicujus Provinciæ, vel à cæteris Ecclesiæ membris se sejungit, quatenus constituunt Rempublicam merè civilem; quia adhuc potest conjungi Pontifici, quatenus est Caput Ecclesiæ, & membris ejus, ut talia illa sunt. Sylv. *V. Schismaticus pr.* Azor *c. 20. cit. q.* 4. Sanch. *c. 36. n.* 4. Palao *p.* 5. *n.* 8. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. n.* 4. Passerin. *n.* 12. König *n.* 5. Wiestner *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 5.

Quæritur 6. quale peccatum sit Schis- 16
ma, & quæ illius Pœnæ statutæ à Jure? R. est peccatum gravissimum, nec admittit parvitatem materiæ; quia malitia illius consistit in superbia, & contemptu Ecclesiæ, cujus unitatem, quantum est ex se, scindit: quæ malitia tota reperitur, in quacunque re fiat ab ea unitate recessus Valent. 2. 2. *D.* 3. *q.* 15. *p.* 2. *pr.* Bonacin. *D.* 3. *de Charit. q.* 4. *p. ult. §.* 5. *propos.* 2. Palao *tr. 6. D. 4. p.* 5. *n.* 5. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 36. *n.* 9. Wiestner *hic n.* 8. Hinc meritò in ejus criminis reos gravissimæ per SS. Canones constitutæ pœnæ sunt.

Et quidem 1. Excommunicatio ma- 17
jor *can. nulli 5. dist.* 19. & *can. de Liguribus 43. caus.* 23. *q.* 5. quæ ipso Jure lata, & Sedis Apostolicæ absolutioni reservata est per *Bullam Cœnæ cas.* 1. *fin.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 5. Sanch. *l.* 2. *c.* 36. *n.* 11. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *à n* 12. Palao *tr. 6. D. 4. p. 6. n.* 4. Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 6. Gonzal. *in c.* 2. *n.* 5. Wagnereck *in c.* 1. *V. factas fin.* Passerin. *in c. un. eod. in 6. n.* 15. Vallens. *hic n.* 2. Engl *n.* 3. Schambog. *n.* 13. König *n.* 9. Wiestner *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 9. Tangit Excommunicatio hæc solùm Schismaticos propriè dictos, quos descripsi *n.* 9. non verò impropriè tales, seu illos, qui in re una tantùm, vel altera recedunt ab obedientia Papæ, & generaliter eum recognoscunt, ut Superiorem, & Vicarium Christi, ut contra nonnullos cum communi advertit Azor *l. cit. q.* 5. Sanch. *n.* 12. Suar. *n.* 12. & 13. Palao *n.* 7. Pirh. *n.* 4. *not.* 1. Neque illâ afficiuntur Schismaticorum receptatores, fautores, & defensores; quia in suprà dicta Bulla non exprimuntur, cùm verba ejus pœnalia sint, ad ista Excommunicatio hæc extendi non debet. Sanch. *n.* 16. Suar. *n.* 14. Pirh. *not.* 2. König *n.* 9. Incurrunt tamen isti Excommunicationem non reservatam, per textum *c. un. h. tit. in 6.* & *Const. Pauli IV.* incipit *Cùm ex Apostolatus*, ubi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur fautores Schismaticorum, ut notârunt Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 65. *n.* 6. & *c.* 67. *n.* 2. Farin. *prax. q.* 184. *n.* 17. & 18. Palao *p.* 6. *cit. n.* 7. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. n.* 5. Passerin. *in c. un. cit. n.* 29.

2. Inhabilitas ad Beneficia, & Di- 18
gnitates Ecclesiasticas præsertim Episcopalem, imposterum obtinendas *c. quia diligentia 5. de Elect.* manétque ista probabiliter etiam post peractam pœnitentiam, & Schismatis abjurationem, ut contra nonnullos melius docent Azor *c. 20. cit. q.* 8. Sanch. *c.* 36. *n.* 18. Suar. *D.* 43. *de Cen-*

sur. sect. 2. n. 7. Farin. *q. 184. n. 36.* Palao *p. 6. n. 12.* Barb. *in c. 2. h. tit. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 5.* Passerin. *in c. un. cit. n. 20.* Pirh. *hic n. 5.* Wiestner *n. 10.* Reiffenst. *n. 10.* & colligitur ex *c. quia diligentia cit.* ubi electus in Episcopum, abjurato Schismate, *dispensativè* permissus est confirmari. ergo signum est inhabilem remansisse. Porro in hac inhabilitate dispensat solus Pontifex, vel qui potestatem ab eo specialiter habet, si Schisma publicum sit, ut contra Abb. *in c. 2. h. tit. n. 7.* Decium. *in c. at si Clerici 4. §. de adulterijs n. 124. de Jud.c.* & *in c. quia diligentia cit. n. 17.* Lambertin. *p. 1. l. 2. q. 9. art. 8.* melius docet Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 164.* Sanch. *n. 18. cit.* Farin. *n. 36. fin.* Bonacin. *D. 3. q. 4. de charit. p. ult. §. 5. n. 10.* Palao *p. 6. n. 13.* Pirhing *n. 5.* quia ejus est solvere, cujus est ligare. Dixi autem, *si Schisma sit publicum*; nam si occultum sit istud crimen, dispensare in illo posset Episcopus ex vi Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in casibus, & Irregularitatibus occultis, & excipitur sola Hæresis. Imò Garc. *l. cit. n. 162.* putat, Schismaticum occultum nullam incurrere inhabilitatem: quod probabile existimat Palao *l. cit. n. 14.* & dat rationem; quia pœna inhabilitatis non cuilibet Schismatico videtur imposita, sed publico & manifesto, qualis erat Episcopus in *c. quia diligentia cit.*

19 3. Bonorum confiscatio: item privatio Beneficiorum, Officiorum, Honorum, ac Dignitatum Ecclesiasticarum priùs obtentarum, ut vult Rebuff. *prax. Benef. tit. de mod. amitt. Benef.* Flamin. *l. 3. de resign. q. 1. n. 36.* Farin. *q. 184. n. 42.* qui pro se adducunt *can. nos consuetudinem 8. dist. 12. c. quia diligentia cit.* & præcipuè *c. un. h. tit. in 6* ibi. *Omnibus Beneficijs Officijs &c. perpetuò privantes, & inhabiles reddentes ad habenda.* *Sed dicendum*, si Schisma Hæresi conjunctum non sit, privationem Beneficiorum, Officiorum &c. ipso facto non inducere; quia *can. nos consuetudinem*, & *c. quia diligentia citt.* non loquuntur de Beneficijs antea obtentis, & *c. un.* loquitur tantùm in casu speciali, quo postposita Electione Canonica unius Pontificis alius eligitur: & esto, illius dispositio universaliter intelligenda foret, tamen postea per *Extrav. un. int. comm. h. tit.* excepta bonorum confiscatione, est penitus revocata, ut notat *ibid.* Barbos. *n. 2.* Et ideo negativam sententiam meritò tenent Garc. *c. 10. cit. n. 151.* Sanch. *c. 36. n. 19.* Palao *p. 6. n. 15.* Pirhing *n. 7.* Wiestner *n. 10.* Reiffenstuel. *n. 11.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 65.*

4. Infamia, & Irregularitas, non quidem Juris, cùm de ea nihil reperiatur expressum in Jure, sed facti tantùm, ob enormitatem criminis, quæ proinde, isto per pœnitentiam sublato, cessat, imò non inducitur, nisi crimen notorium sit. Suar. *de Censur. D. 43. sect. 2. n. 7.* Bonacin. *D. 3. q. 4. de Charit. p. ult. §. 5. n. 12.* Sanch. *c. 36. n. 20. fin.* Farin. *q. 184. n. 42.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Passerin. *in c. un. eod. in 6. n. 17.* Pirhing *hic n. 8.* Schambog. *n. 8.* Wiestner *n. 11.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 67.* & ratio est, quia talis infamia, & Irregularitas provenit ex quovis crimine notorio depositione digno. Quodsi tamen Schisma adjunctam habeat Hæresim, tunc ille Schismaticus, utpote Hæreticus, etiam incurret Irregularitatem ipso Jure, quæ proinde, etiam Schismate tali ejurato, perseverat, ut dictum est *Tit. præc. n. 104.* 20

5. Privatio Ecclesiasticæ Jurisdictionis *can. Novatianus 6. ¶. qui ergo caus. 7. q. 1. can. didicimus 31. pr. caus. 24. q. 1. c. quod à prædecessore 1. h. tit.* & hinc irritæ sunt collationes Beneficiorum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, Ecclesiarum uniones &c. ab Episcopis, vel alijs Prælatis Schismaticis factæ. S. Thom. *2. 2. q. 19. art. 3.* Azor *p. 1. l. 8. c. 20. q. 9.* & *12.* Farin. *q. 184. n. 43.* Palao *p. 6. cit. n. 1.* & *18.* Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* Fagn. *ibid. n. 1.* Barbos. *n. 1.* Gonzal. *n. 2.* & *7.* Vallens. *hic n. 3.* Zœs. *n. 2.* Honor. *n. 5.* Engl *n. 5.* Pirhing *n. 9.* Schambog. *n. 15.* König *n. 10.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 13.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 66.* Verùm, ut ejusmodi privatio Jurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem sententia declaratoria criminis, ut patet ex dictis *Tit. præc. n. 112.* 21

6. Suspensio ab usu, & exercitio Ordinum, à Schismatico, qui publicè, & nominatim denuntiatus est, scienter receptorum *can. ordinationes 5. caus. 9. q. 1. c. quod à prædecessore 1.* & *c. fin. h. tit.* Gloss. *in c. 1. cit. V. irritus*, Barbos. *ibid. n. 3.* & *seqq.* Fagn. *n. 2.* Wagnereck *V. factas*, Gonzal. *n. 1.* & *c. 2. n. 1.* & *6.* Vivian. *ad dict. c. 2. p. 2.* Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n. 17.* Vallens. *n. 13.* Zœs. *n. 2.* Honor. *n. 5.* & *7.* Schambog. *n. 15.* König *n. 10.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 14.* 22

TITULUS IX.

De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Apostasia, & quotuplex?*
2. *Quid sit Apostasia á Fide?*
3. *Quale sit peccatum?*
4. *Quot modis committatur?*
5. *An pro Apostata habendus sit etiam, qui coactè Idolis sacrificat &c.*
6. *Pœna Apostatarum à Fide.*
7. *Quid sit Apostasia Inobedientiæ?*
8. &c. *Ejus pœnæ.*
11. *Quid sit Apostasia à Religione?*
12. &c. *Requisita ut aliquis constituatur verus Apostata à Religione.*
16. &c. *An pro Apostata habendus sit etiam, qui ad Urbem recurrit pro gravamine, sibi illato per Superiores?*
19. &c. *Vel qui discedit à Religione sua animo ingrediendi aliam?*
22. &c. *Pœnæ Apostatarum à Religione.*
26. *Quid sit Apostasia ab Ordine?*
27. &c. *An pro Apostata ab Ordine habendus sit etiam, qui Ordinibus solùm minoribus, vel primâ tonsurâ initiatus est?*
30. &c. *Pœnæ hujusmodi Apostatarum.*
33. &c. *Quando hæ locum habeant?*
36. *Pœna rebaptizantium, & rebaptizatorum.*
37. *Quinam istas incurrant?*
38. *Quis dispensare quoad istas possit?*
39. 40. *An pœnas istas etiam incurrant, qui Sacramentum Confirmationis iteratò conferunt, vel recipiunt?*

1 POst Schismaticos sequuntur Apostatæ: quibus junguntur reiterantes Baptismum; quia hi, dum recedunt à priore Baptismo, per reiterationem quasi Apostatare videntur. Abb. *hic in Rubr.* Pirhing *ibid. pr.* Honor. *n.* 1. Est autem *Apostasia* vox Græca, quæ desertionem, seu defectionem significat: hìc sumitur pro defectione, quâ receditur temerariè à vitæ prioris instituto, quod tuendum publica, & solenni professione susceperat; cons. *Apostata* Christianus ille dicetur, qui ita à DEO, & vitæ instituto recessum facit. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 1. Pirhing *hic n.* 1. Schambog. *ibid. n.* 2. Est autem triplex Apostasiæ Species, videlicet Perfidiæ, Inobedientiæ, & Irregularitatis, quæ ultima duplici modo committi potest, scilicet recedendo vel ab Ordine, vel à Religione. His præmissis.

2 Quæritur 1. quid sit Apostasia *Perfidiæ*, seu *à Fide*? R. est omnimoda desertio Fidei Orthodoxæ, susceptæ in Baptismo: ac proinde committitur, cùm quis à Fide Christiana transit ad Judaismum, vel Paganismum. Ita Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 183 *n.* 13. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. & *in c.* 4. *n.* 4. Barbos. *ibid n.* 2. Wagnereck *ad Rub. not.* 3. Vallens. *hic n.* 1. & 2. Zœs. *n* 1. Pirhing *n.* 2. König *n.* 2. Schambog. *n* 3. Reiffenstuel *n.* 2. & sumitur ex *can. non potest 24. caus.* 2. *q.* 7. *can. Beatus* 2. *caus.* 3. *q.* 4. *l. siquis* 1. & *l. seq. C. h. tit.* Hinc licèt illi, qui à vera Religione, & Fide Catholica ad Sectam aliquam Hæreticam, v. g. Lutheranam, aut Calvinianam transeunt, vulgò Apostatæ dicantur, verè tamen, & propriè loquendo Apostatæ à Fide non sunt, sed Hæretici. Sanch. *l.* 2. *mor.* 7. *n.* 15. Gonzal. *ad c.* 4. *cit. n.* 4. Wagnereck *ad Rubr. not.* 3. Reiffenstuel *n.* 3

3 Dub. 1. quale peccatum sit Apostasia à Fide? R. est peccatum Infidelitatis, & quidem gravius Hæresi imò hanc includit; quia & ipsa est error cum pertinacia circa objectum Fidei. Differt tamen ab Hæresi, quia per hanc à Fide Christiana receditur solùm ex parte, per Apostasiam autem in totum. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 15. Farin. *q.* 183. *n.* 16. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Vallens. *hic n.* 2. Pirhing *n.* 2. *not.* 1. Engl *n.* 2. König *n.* 7. Wiestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. Et hinc licèt omnis Apostata sit simul Hæreticus, non tamen vicissim omnis Hæreticus est simul Apostata. Wiest. *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 4.

4 Dub. 2. quot, quibúsque modis possit quis esse Apostata? R. tribus. 1. Quando quis mente sola recedit à Fide Catholica: quo casu quidem aliquis Apostata constituitur coram DEO, pœnas tamen Juris non contrahit; quia est peccatum internè tantùm patratum, de quo Ecclesia non potest cognoscere. 2. Quando quis mente simul, & verbis, vel factis Fidem Catholicam deserit: quod fieri potest vel omnino occultè, ita, ut nemo delictum illius noverit; vel manifestè, & ita, ut plures alij compertum habeant. Utroque modo commissum hoc crimen authorem suum ipso Jure Excommunicatione, & alijs pœnis à Jure constitutis afficit. 3. Quando quis verbis tantùm, aut factis, non tamen animo desciscit à Fide Catholica. Et hic probabilius in foro conscientiæ non afficitur Excommunicatione, aut alijs Apostatarum pœnis; quia Hæreticus, aut Apostata nemo est, nisi qui scienter, & spontè animo

mo à Fide, & Religione Catholica discedit: in foro tamen exteriori censetur Apostata, ac proinde, tanquam Hæreticus, & Apostata punitur ab Ecclesia, utpote quæ probabiliter credit, eum mente, & animo recessisse à Fide. Eadem ratione Ecclesia etiam condemnat, & plectit delicta alia externa, vel quia sunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur, qualia sunt homicidium, adulterium, sacrilegium, cujusmodi non est Hæresis, vel Apostasia; vel quia Ecclesia probabiliter judicat, voluntate, & animo delinquere eos, qui scienter aliquid exteriùs committunt, quod cum Fidei Catholicæ confessione pugnat. Sylv. *V. Apostata q.* 1. Angel. *V. eod. q.* 9. Tabien. *V. Apostasia q.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 4. & 6.

5 Dub. 3. an pro Apostata habendus sit, qui coactè Circumcisionem à Judæis vel Turcis passus est, aut Idolis sacrificavit, Fide in corde retenta? ℟. si coactio fuit *præcisa*, & *absoluta*, nempe quia animo renitens, ligatus manibus, & pedibus, circumciditur, vel ejus genua flectuntur coram Idolis, certum est, hanc passum in neutro foro censeri posse Apostatam *can. Presbyteros* 32. *dist.* 50. *can. constat* 91. *caus.* 1. *q.* 1. Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 5. Ratio est, quia eo casu pati potiùs, quàm agere censetur. Si verò vis illata non fuit præcisa, sed *conditionalis*, videlicet metus mortis, aut alterius mali gravis, distinguendum est inter forum externum, & internum. *In foro externo* pro Apostata habebitur, & ut talis punietur juxta *can.* 61. *Apost.* *In foro* tamen *interno*, & reipsa non erit Apostata, nec Excommunicationem, quâ Apostatæ innodantur, incurret, cùm corde Fidem retineat, & absit error pertinax, qui ipsum separare posset à communione fidelium. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 5. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 8. Gonzal. *l. cit. n.* 5. Gravi tamen peccato se obstringet contra obligationem profitendi Fidem exteriùs juxta dictum Christi, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* Matth. 10. *v.* 33. & Apostoli, *Corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. *v.* 10. quamvis enim talis nolit Christum abnegare, eligit tamen illum negare potiùs, quàm subire pœnam. Et hinc olim Presbyteri, & Diaconi, qui ex metu Idolis immolârunt, si postea ad seriam pœnitentiam redierunt, ad honores quidem, & Beneficium Ecclesiæ, non verò ad Officium, & Ministerium Altaris restituebantur *can. Presbyteros cit.*

6 Dub. 4. quæ pœnæ latæ sint in Apostatas fidei, horúmque fautores, receptatores &c. ℟. incurrunt Excommunicationem, & cæteras pœnas, quas incurrunt Hæretici, & horum fautores &c. prout constat ex *c. contra* 13. *de Hæret. in* 6. & notant Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. Host. *Summ. eod. n.* 3. Sylv. *V. Apostasia n.* 11. *q.* 8. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 7. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 18. Farin. *prax. q.* 183. *n.* 19. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *n.* 3. Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 6. Honor. *hic n.* 4. Pirhing *n.* 2. *Resp.* 2. Engl *n.* 2. König *n.* 9. Wiestner *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 4. Quin severius longè tractantur; nam 1. vivi in perpetuum, mortui usque ad quinquennium accusari possunt *l. siquis* 2. & *l. Apostatarum* 4. *C. h. tit.* 2. Si errore suo alios corrumpant, cum dispendio fortunarum capite plectuntur *l. eum qui* 5. *C. eod.* 3. Ijsdem nullatenus prodest Pax Religiosa, & Pacificatio Osnabrugensis de Hæreticis in Imperio impune tolerandis, sed hodiedum, siquis Catholicus, sive Hæreticus in totum à Fide desciscret, & Sectam Judaicam, Mahumetanam, vel aliam amplecteretur pœnâ infamiæ, confiscationis bonorum, mortis, & alijs, utroque Jure vel Nominatim in Apostatas, vel generaliter in Hæreticos constitutis plecti posset, & deberet. König *hic n.* 9. Reiffenstuel *ibid. n.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 3. *n.* 70.

Quæritur 2. quid sit Apostasia *Inobedientiæ?* 7
℟. *Apostasia Inobedientiæ*, seu *ab Obedientia* est delictum, quo aliquis DEO, vel Superioribus legitimè constitutis, & agnitis præfractè renuit obedire, horúmque præcepta transgreditur *c. siquis* 2. & *c. illud* 5. *de major. & obed.* Adeoque *Apostata inobedientiæ* dicetur ille, qui præfractè, i. e. ex contemptu, vel superbia transgreditur præcepta sui Prælati, illíque, vel SS. Canonibus, & DEI præceptis non obedit. Gloss. *in c.* 1. *V. Apostasiæ h. tit.* Sylv. *V. Apostasia pr.* ℣. *similiter*, Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 71. *n.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 112. *n.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 546. *n.* 24. Farin. *prax. crim. q.* 183. *n.* 54.

Dubitatur, quæ sit hujus Apostasiæ 8
pœna? ℟. est diversa pro diversitate originis, ex qua oritur. Nam si inobedientia hæc oritur ex infidelitate, ut cùm quis non credit, Papam habere summam potestatem in Ecclesia, talis habetur pro Hæretico, & ut talis punitur *can. nulli fas* 5. *dist.* 19. Innoc. *in c.* 1. *n.* 1. ℣. *& tamen h. tit.* Host. *ibid. n.* 1. ℣. *quod verum est*, & ℣. *sin autem*, Sylv. *l. cit. n.* 3. Menoch. *n.* 25. Decian. *n.* 2. ℣. *hi tamen*, Farin. *n.* 56. & alij apud istum.

Si autem oriatur ex superbia, & 9
contemptu formali, quo quis contemnit obedire præcepto DEI, vel Canonum, aut Prælatorum suorum, pluribus punitur pœnis; est enim infamis, repellitur ab accusando, & ferendo testimonio, excommuni-

municatur, si contumax post monitionem esse perstiterit, deponitur, si incorrigibilem se ostendat, denique Curiæ Sæculari traditur *can. siquis 3. caus. 3. q. 4. can. si autem 11. caus. 11. q. 3.* Innoc. *in c. 1. cit.* ℣. *Apostata inobedientiæ*, Marian. Socin. *ibid. n. 3. & 4.* Goffred. *Summ. de Apostat. n. 3.* ℣. *pro Apostasia inobedientiæ*, Armill. *V. Apostasia n. 5.* Angel. *V. eod. pr.* Sylv. *n. 3.* Decian. *l. cit. n. 2. fin.* ℣. *sunt tamen*, Menoch. *n. 7. & n. 26.* Farin. *n. 57.* & hoc teste communiter omnes Canonistæ. Excommunicatio tamen ista non erit reservata; quia Bulla Cœnæ, per quam reservatio inducta est, solùm loquitur de Apostatis fidei, & non alijs. Farin. *l. cit. fin.*

10 Si denique quis non obediat solùm ex ignorantia, fragilitate, & concupiscentia, vel etiam aversione à superiore, sine contemptu tamen formali, minùs peccat, & propterea minùs punitur. Sylv. *n. 3. fin.* Menoch. *n. 27.* Farin. *n. 59.* & *n. 60.* Imò si non obediat, quia Prælatus præcipiens non habet Jurisdictionem, aut si habet, injusta præcipit, immunis ab omni pœna est; quia immunis etiam à culpa. Farin. *n. 58.*

11 Quæritur 3. quid sit Apostasia *à Religione?* ℟. est omnimoda defectio, sive temerarius recessus à Statu Religioso, per Professionem, aut Vota Religionis substantialia inito, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi Sylv. *V. Apostasia q. 4. n. 9.* Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 1.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 41. n. 109.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 2.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1.* Pirhing *hic n. 8.* Wiest. *ibid. n. 4.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 74.* Estque perinde, sive ita recedens abijciat habitum, sive retineat; sicut enim Habitûs susceptio non facit Monachum, ita neque ejus retentio ab Apostasiæ excusat crimine. Abb. *in c. 1. n. 2. h. tit.* Sylv. *V. Apostasia n. 9.* ℣. *si verò*, Decian. *l. 5. tr. crim. c. 73. n. 21. & n. 25.* Mascard. *de Probat. concl. 112. n. 1.* Menoch. *de arbitr. cas. 546. n. 36.* Azor *p. 1. l. 12. c. 17. q. 6.* Farin. *prax. crim. q. 183. n. 62.* Sanch. *l. cit. n. 4.* Laym. *n. 2.* ℣. *porrò* cum *citt.* Manétque talis, etsi non multo post suum discessum pœnitentiâ ductus revertatur, si, cùm discederet, animum non redeundi habuit Tambur. *tom. 3. de Jur. Abbat. D. 8. q. 1. n. 2.*

12 Dub. 1. quid requiratur, ut quis constituatur verus Apostata à Religione? ℟. 1. requiritur, ut recedat à Statu Religioso: ex hujus requisiti defectu Virgines Anglicanæ, Ursulinæ quædam, & similes devotæ fœminæ, ab Instituto suo recedentes, pro Apostatis haberi nequeunt; quia earum Status non est Religio à Sede Apostolica approbata. Ita *l. citt.* Sanchez *n. 7.* Tambur. *n. 4.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 11.* & teste *Tamburino* decidit *Rota.*

2. Ut in Religione tali approbata 13
ediderit Vota Substantialia Religionis: Nam Novitius, etsi Vota Devotionalia fecerit, post ea recedendo non fit Apostata; quia per ea Vota non fit Religiosus. Sanch. *n. 6.* Tambur. *n. 3.* Wiestner *n. 4.* Perinde autem est, sive Vota illa solennia sint, sive Simplicia; nam etiam recedens à Societate JESU post Vota biennij Apostata efficitur, ut declaratum est à *Gregorio XIII. Const.* incipit, *Ascendente edita 10. Sept. 1558.*

3. Ut recessus iste completus sit 14
opere; nam qui solùm animum habet recedendi, etsi istum profiteatur verbis, Apostatarum pœnis non subjacet. Less. *l. 2. de J. & J. c. 41. n. 109.* Gonz. *in c. fin. h. tit. n. 4.* Wiest. *n. 5.*

4. Ut istud fiat sine licentia Supe- 15
rioris; nam si hujus authoritate fiat, sive sponte, sive coactè, quia ob culpam sic jussus, egreditur, non est Apostata, nisi casu, quo culpam hujusmodi eo fine commisit, ut extorqueret dimissionem. Less. *l. cit.* Laym. *c. 16. cit. n. 1.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 5.* Pirhing *hic n. 8.* Wiest. *ibid. n. 6.*

5. Ut ita recedens sine licentia non 16
habeat animum redeundi. Barbos. Pirh. *l. citt.* nam si animum redeundi habeat, saltem post breve tempus, habendus potiùs est pro fugitivo. Engl *hic n. 4.* Si diutiùs v. g. per tres, vel quatuor annos extra Religionem manere intendat, in foro externo quidem habebitur pro Apostata, donec animum redeundi probet, in foro tamen interno solùm erit fugitivus. Clar. §. *fin. q. 78. n. 4.* Less. *c. 41. n. 109.* Farin. *q. 183. n. 63.* Palao *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 4.* Laym. *c. 16. n. 1. cit.* Wiestner *n. 7.* & dictum est *Libr. 3. Tit. 31. n. 469.*

Dub. 2. an pro Apostatis haberi, 17
& horum pœnis affici possint Regulares, recurrentes ad Urbem à gravaminibus, per Superiores suos sibi illatis? ℟. negativè, si recto tramite ad Urbem recurrant, séque sine ulteriori vagatione præsentent Secretario S. Congreg. *Proceditque hoc*, etsi discesserint sine eorundem Superiorum licentia, ut advertit Nicol. *Lucubr. Canon. l. 3. Tit. 31. de Regular. post n. 43.* ubi plura *S. Congr.* Decreta refert, cujus novissimum Decretum refert Monacell. *Append. p. 1. fol. 342. n. 1.* editum *6. & 27. Jun. 1698. in Valentin. Lectorat.* Si autem temerè, levique de causa Urbem, sive Curiam peterent, absque Superioris sui licentia, ad eundem Superiorem remittendi essent plectendi juxta *Decretum S. Congr. Episc. & Regul.* relatum à Fagnan. *in c. de priore n. 38. de Appell.*

17 Qui è Clauſtris egrediuntur, & Monaſteria relinquunt (retento, vel dimiſſo habitu) prætextu nullitatis ſuæ Profeſſionis, non audiuntur (quamvis ad Urbem accedant) ſuper eadem prætenſa nullitate ex quacunque cauſa, niſi priùs redeant ad Clauſtra, juxta diſpoſitionem Trid. *Seſſ. 25. c. 19. de Regular.* ut ſæpe ſæpiùs reſpondit *S. Congr. Concil.* & recenter *in Bononienſ. 4. Jun. 1689.* Claromont *29. Nov. 1692.* & *in Grennenſ. 9. April. 1701. Proceditque hoc*, etſi egreſſi vellent tranſire ad aliam Religionem, ut declaravit *S. Congr. Epiſc. in Provinciæ Peticæ 30. April. 1700.* & plenè tradit Donat. *Prax. Regul. tom. 2. tr. 12. q. 11.* Imò etſi tanquam incorrigibiles, ſervatâ formâ Conſtitutionum Apoſtolicarum, fuiſſent ejecti. *S. Congr. Conc. in Papienſ. 15. Mart. 1692.*

18 Quoad Apoſtatas tamen Regulares, qui dimiſſo habitu, more Sæcularium in terris Hæreticorum vagantur, ut eos ad reditum in gremium piæ Matris Catholicæ, ut ſæpe cupiunt, alliciant, ijſdem, ſi ad propriam Religionem redire reformident, Sacra Pœnitentiaria Urbis (cui ad hunc effectum porriguntur preces) facto verbo cum Sanctiſſimo, ſolet per Reſcriptum indulgere, ut invento benevolo receptore, ad quamcunque aliam Religionem, & aliquando (quamvis rarò) etiam ad non Clauſtralem tranſire valeant: & ſic bis, tèrque ad terminos *Indulti Generalis Innocentij XII. editi 1694.* obtentum ſe vidiſſe teſtatur Monacell. *l. cit. n. 3.*

19 Dub. 3. utrum Apoſtata verus ſit etiam ille, qui à ſua ad aliam Religionem diſcedit animo illam ingrediendi, ſed non petitâ licentiâ à Superiore Religionis, quam deſerit? Duæ ſunt opiniones DD. è diametro ſibi oppoſitæ.

Gloſſ. *fin. in c. fin. h. tit.* Butrio *ibid. n. 2.* Abb. *n. 4.* Sylv. *V. Apoſtaſia q. 4. n. 9.* Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 30. art. 1.* Leſſ. *l. 2. c. 41. n. 102.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 8.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1.* Fagnan. *in c. fin. cit. n. 11. & ſeqq.* Gonzal. *ibid. n. 4.* Honor. *hic n. 10.* Pirhing *n. 8.* Reiffenſtuel *n. 13.* negant, talem habendum pro Apoſtata, etiamſi ab Ordine, quem profeſſus eſt, non petitâ Prælati licentiâ, & illicitè, ad alium Religioſum Ordinem, quantumvis laxiorem, tranſierit, ex ratione, quia per talem tranſitum non recedit omnino à Statu Religioſo, quod hi DD. requirunt ad Apoſtaſiam propriè dictam.

20 *Contrà* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 12. à n. 17.* & *tom. 5. de Cenſur. D. 31. ſect. 6. n. 4.* Palao *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 7.* cum alijs ſic tranſeuntem habent pro vero Apoſtata; quia Statum Religioſum, quem profeſſus eſt, temere, & perpetuò deſerit, quod putant ad veram Apoſtaſiam ſufficere. *Mediâ viâ* cum alijs incedit Farin. *prax. q. 183. n. 105.* ubi diſtinguit, & Apoſtaſiæ pœnas evitare exiſtimat eum, qui intrat Religionem aliam, quæ ejuſdem eſt Regulæ, licèt diverſi habitûs, ab illa, ex qua egreſſus eſt: ſecus, ſi intrat Religionem, quæ ſimul eſt diverſi habitus, & diverſæ Regulæ; hunc enim & Apoſtatam eſſe, & Apoſtatarum pœnis ſubjacere exiſtimat.

21 Quidquid ſit quoad hoc punctum in alijs Religionibus, in Societate JESU ſic recedentem pro vero Apoſtata habendum patet ex *Conſt. Pauli III.* incipit *Licèt debitum editâ 15. Calend. Nov. 1549. S. Pij V.* incipit *Æquum reputamus 10. Calend. Febr. 1565.* & *Gregorij XIII.* incipit *Aſcendente 8. Calend. Jun. 1584.* ubi Præpoſito ejuſdem Societatis conceditur poteſtas in ſic egreſſos procedendi, tanquam in veros Apoſtatas.

22 Dub. 4. quænam pœnæ in Apoſtatas, à Religione deficientes, Jure communi ſtatutæ ſint? R. Jure communi in eos ſtatuta eſt pœna triplex. 1. Excommunicatio major: quæ tamen ipſo facto (extra Societatem JESU *ob Conſtitutionem Gregorianam cit.*) non incurritur, niſi poſt habitum dimiſſum *c. ut periculoſa 2. ne Cleric. vel Monach. in 6.* Abb. *in c. fin. h. tit. n. 2.* Sylv. *V. Apoſtaſia q. 8. n. 11.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 20.* Suar. *3. p. D. 31. ſect. 6. n. 1.* Gonz. *in c. fin. cit. n. 6.* Engl *hic n. 5.* Pirhing *n. 9.* Schambog. *n. 6.* Wieſtner *n. 10.* Reiffenſtuel *n. 14.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 76.* Unde alij Religioſi Apoſtatæ, habitum non deponentes, non videntur ipſo Jure excommunicati, quamvis ſint excommunicandi. *Ratio* diſparitatis poteſt dari; quia ſi habitum retineant, poterunt ex habitu adhuc cognoſci, & facilius capi, ut ſic ad Religionem ſuam reducantur. Schambog. *n. 6. cit.*

23 2. Suſpenſio ab uſu, & exercitio Ordinum Sacrorum, durante Apoſtaſiâ ſuſceptorum: quæ etiam manet poſt pœnitentiam peractam, & perpetua eſt, niſi Papa diſpenſet *c. fin. h. tit.* Gloſſ. *ibid. V. diſpenſatione*, Vivian. *in ration. pr.* Fagnan. *n. 1.* Barboſ. *n. 1.* Gonzal. *n. 1.* Zœſ. *hic n. 2.* König *n. 12.* Schambog. *n. 6.* Reiffenſtuel *n. 15.* Ex quo Sanch. *l. cit. n. 21.* Suar. *ſect. 6. n. 3.* Farin. *q. 183. n. 112.* Palao *p. 16. n. 12.* Fagnan. *n. 4.* Wieſtner *n. 11.* & alij inferunt, ijſdem prohiberi etiam aſcenſum ad Ordines altiores, quòd majora prohibita cenſeantur, cui vetita ſunt minora *c. cum illorum 32. V. primos de Sent. Excom.*

24 3. Amiſſio omnium privilegiorum ſuæ Religionis. Trid. *ſeſſ. 25. c. 19. de Regular.* quæ pœna ut incurratur, neceſſe eſt, ut

ut sic egrediens habitum Religiosum dimiserit, & secuta sit Sententia declaratoria criminis. Sanch. *n. 33.* Tambur. *q. 9. n. 2.* Wiestner *n. 11.*

25 Præter has aliæ plures in eosdem Apostatas sancitæ pœnæ sunt per Constitutiones particulares, & Privilegia Religiosorum Ordinum, inter quæ non minimum est, quòd Prælati Regulares Apostatas, & Fugitivos suos, ubicunque fuerint, persequi, & deprehensos, invocato etiam ad id brachio Sæculari, capere, incarcerare, & alijs modis, ac pœnis coërcere possint: de quo vide *Libr. 3. Tit. 31. n. 272.*

26 Quæritur 4. quid sit Apostasia *ab Ordine*? R. est temeraria defectio, seu transitus à Statu Clericali ad conversationem Laicalem: quando Clericus, relicto Ordine suo, & dimisso habitu, ac tonsura, ad matrimonium, militiam, vel aliam vitam Laicalem propria authoritate transit. Host. *Summ. hic n. 2.* Sylv. *V. Apostasia q. 2. n. 5.* Farin. *prax. crim. q. 183. n. 115.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1. prop. fin.* Pirhing *hic n. 4.* König *n. 11.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 25.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 72.*

27 Dub. 1. an hujusmodi Apostasia committatur etiam ab eo, qui Minoribus Ordinibus, aut primâ solùm Tonsurâ initiatus est? *Certum* esse videtur, non posse dici Apostatam, si Beneficium nullum habeat; quia ejusmodi Clerici liberam habent potestatem transeundi ad nuptias, vel Statum Sæcularem, possúntque renuntiare Ordini, seu Statui Clericali, ipso facto dimittendo Habitum, & Tonsuram, vel exercendo negotia Sæcularia, nec possunt cogi ad reassumendum habitum. Honor. *hic n. 11.* Engl *n. 7.* Pirhing *n. 4.*

28 *Controversia* inter DD. est de ijs, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent. In qua affirmativam defendunt. Abb. *in c. 3. h. tit. n. 3.* & *n. 4.* ℣. *idem de constitutis in minoribus*, Joan. Andr. *n. 2. post med.* Butrio *n. 6.* ℣. *hoc intellige*, Duual. *de Fid. q. 8.* Soulay *Panopl. Cleric. l. 7. c. 1.* Farin. *q. 183. n. 132.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Honor. *hic n. 11. Contra* ad Apostasiam, & pœnas istus incurrendas opus esse, ut Sacro aliquo Ordine initiatus sit Clericus, contendunt Gloss. *fin. in c. 3. cit.* Sylv. *V. Apostasia n. 5.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1. prop. fin.* Reiffenstuel *hic n. 26.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 73.* & alij ab his *citt.*

29 Difficultatem hanc P. Wiestner *hic n. 13.* alijs *citt.* putat tolli ope distinctionis posse, si dicatur, Apostasiam, in sensu stricto, & proprio acceptam, committi ab ijs duntaxat, qui ab Ordine Sacro ad conversationem Laicalem recedunt; eos autem, qui ita recedunt ab Ordine minore, vel prima Tonsurâ, solùm committere Apostasiam in latiori, sensu & minùs propriè dictam, quæ propterea non est peccatum, saltem grave, neque eos redire cogit ad Statum Clericalem, modò Beneficia, quæ habent, dimittant.

Dub. 2. quæ sint pœnæ Apostatarum ab Ordine propriè dictorum? 30 R. quadruplex est. 1. Excommunicatio major, sed ferendæ solùm sententiæ, ut ex *c. tuæ 3. h. tit.* desumit Abb. *in c. 1. eod. n. 3.* & sequuntur Engl *hic n. 7.* Pirhing *n. 5.* Schambog. *n. 5.* Wiestner *n. 14.* Reiffenstuel *n. 28.* nisi præsumat Matrimonium defacto contrahere; hoc enim inito, ipso facto excommunicatur. *Clem. un. de Consang.* ab hac tamen Excommunicatione, quia Jure reservata non est, absolvi possunt ab Episcopo, ut dictum est *Libr. 5. Tit. 3. n. 33.* & patet ex *Clem. cit.*

2. Infamia, quæ tamen non Juris, sed facti duntaxat est: conf. per pœnitentiam tollitur. Thesaur. *de Pœn. Eccl. p. 2. V. Apostasia c. 4. n. 3.* Pirhing *hic n. 5.* Schambog. *n. 5.* Wiestner *n. 15.* 31

3. Irregularitas, impropriè tamen dicta, & orta ex infamia: hinc cum ista per pœnitentiam tollitur, nisi Apostata Matrimonium contraxisset, & hoc consummâsset; tunc enim contraheret Irregularitatem propriè dictam ob Bigamiam similitudinariam, in qua dispensare Episcopus potest secundùm dicta *Libr. 1. Tit. 21. n. 14.*

4. Amissio privilegij Canonis, ita, 32 ut talem Apostatam, postquam habitum, & tonsuram dimiserit, percutiens Excomunimcationem Canonis non incurrat, prout ex *c. 1. h. tit.* colligunt Abb. *ibid. n. 5.* Gonzal. *n. 3.* & alij: quod saltem verum est, postquam ab Episcopo ter monitus non resipuerit *c. in audientia 25. de sent. Excomm.* Gloss. *in c. 1. V. liberari fin.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *n. 4.* Pirhing *hic n. 15.* Schambog. *n. 5.* König *n. 11.* ℣. *an ex hac causa*, Reiffenstuel *n. 31.* Wiestner *n. 16.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 72.*

Dub. 3. quando pœnæ hæ locum 33 habeant? R. locum habent tantùm in Clericis, qui in Majoribus Ordinibus constituti sunt; nam Clerici, in Minoribus constituti, si habitum, & tonsuram deponant, secundùm dicta *n. 29.* non fiunt propriè Apostatæ. Et quidem in Clericis constitutis in Majoribus tunc solùm locus est pœnis prædictis, quando constat de Apostasia ab Ordine, & Statu Clericali.

Si verò graviter de illa fuerint dif- 34 famati, vel suspecti, tunc deficiente pro-

batione, per Censuram Ecclesiasticam compellendi sunt ad canonicè se purgandum, prout statuitur *c. tuæ 3. h. tit.* quam purgationem si non præstiterint, habentur pro convictis, & compelluntur reassumere habitum, etiam per incarcerationem, si alia media nil proficiant, poteritque incarceratio hæc tamdiu continuari, donec *à suæ præsumptionis* nequitia resipiscant, ut habetur *c. à nobis 5. eod.*

85 Porro carcer iste pro gravitate culpæ, & contumaciæ potest ita exasperari, *ut solummodo vita ipsis misera reservetur*, ut dicitur *c. à nobis cit.* non tamen debet esse ita durus, ut ob ejus asperitatem periculum mortis incurrat detentus; alioquin Judex Ecclesiasticus pœnam Irregularitatis non evadet. Abb. *in c. à nobis cit. n. 1. not. 3.* Pirhing *hic n. 7. coroll. 3.*

86 Quæritur 5. quæ pœnæ incurrantur ab ijs, qui rebaptizant, vel rebaptizari se scienter permittunt? R. præter reatum gravissimi Sacrilegij, quem utrique incurrunt, si rebaptizatio fiat scienter, & absolutè, nullo præcedente dubio de valore primi Baptismi, in eos utroque Jure gravissimæ constitutæ sunt pœnæ: *Imperiali* enim tam rebaptizans, quàm rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur *l. siquis 2. C. ne Sanct. Baptism. iter.* *Ecclesiastico* autem uterque Irregularitatem contrahit *can. confirmandum 65. dist. 50. can. Afres 3. dist. 98. can. qui in qualibet 10. caus. 1. q. 7.* & *c. ex litterarum 2. h. tit.* Et si Clerici sint, deponi *can. eos, quos 118. de consecrat. dist. 4.* Si verò Laici, excommunicari debent, ut Abb. *in c. ex litterarum cit. n. 2.* Thesaur. *p. 2. V. Baptisma n. 2.* Pirhing *hic n. 13. 16. & 17. fin.* Engl *n. 8.* Schambog. *n. 8. & 14.* Wiestner *n. 18.* docent.

Dub. 1. an præter rebaptizantem, & rebaptizatum Irregularitatem istam incurrant etiam alij, & quis in ea dispensare possit? R. *ad 1.* eam incurrunt etiam Acolythus, Subdiaconus, & Diaconus, qui rebaptizanti ministrant, si crimen ejus publicum sit *c. ex litterarum cit.* Vivian. *ibid. in ration.* Barbos. *n. 8.* Gonzal. *n. 3.* Honor. *n. 16. hic*, Pirhing *n. 14.* Schambog. *n. 9.* König *n. 13.* Wiestner *n. 18.*

87 *Ad 2.* distinguendum est, an crimen occultum sit, an verò publicum; nam si publicum est, in ea Irregularitate dispensat solus Pontifex: si occultum, etiam Episcopus vigore Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* Palao *tr. 27. D. 6. p. 16. n. 14.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 6. & 7.* Pirhing *n. 16. fin.* Wiestner *n. 18.* Reiffenstuel *n. 40.*

88 Dub. 2. an qui bis Sacramentum Confirmationis alicui contulit, vel qui bis illam suscepit, Irregularitatem incurrat? R. negativè; quia id Jure Canonico non est expressum, & Irregularitas nunquam est statuenda, nisi in Jure expressa reperiatur *c. is, qui 18. de Sent. Excomm. in 6.*

89 Neque refert, quòd *can. dictum 40 dist. 5. de consecr.* æqualiter prohibeatur iterari Sacramentum Baptismi, & Confirmationis; non enim inde sequitur, eandem pœnam imponi iteranti Confirmationem, quæ Baptismum repetenti, cùm pœnæ non sint extendendæ de casu expresso ad casum non expressum. Pirhing *hic n. 17.* Schambog. *n. 13.* Reiffenstuel *n. 41.* Dicunt tamen quidam, de consuetudine contrarium observari.

PARS

PARS II.

De Criminibus adversantibus Charitati Proximi.

A Criminibus, quæ DEO, ejus Cultui, & veræ Religioni immediatè opposita sunt, descenditur ad illa, quæ lędunt Charitatem Proximi: quod in triplici bonorum genere potest contingere, scilicet in bonis vitæ, famæ, & fortunæ. Hæc igitur crimina, quamvìs non omnia Pars hæc Secunda complectetur: initium fit à bonis vitæ.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1. *Parricidium est crimen gravissimum.*
2. *Ejus Definitio.*
3. &c. *Quinam Parricidarum nomine veniant?*
8. &c. *Utrum Parricidij culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium?*
12. &c. *Quinam casus, & causæ excusent à culpa, & pœna Parricidij filios, si parentes occidant?*
18. &c. *Pœnæ decretæ in filios, qui occiderunt suos parentes.*
23. &c. *Pœnæ Parentum interficientium Liberos.*
28. &c. *Pœnæ procurantium abortum.*
34. *Pœna Parricidij impropriè talis.*

1 EX ijs Criminibus, quibus vita Proximi lęditur, gravissimum facilè est Parricidium: & hinc non immeritò illud Imperator §. *alia 6. Inst. de Public. Judic.* vocat *Asperrimum crimen*; quem sequitur Host. *Summ. h. tit. pr.* ubi ait, inter delicta, quæ in hominem committuntur, nullum gravius esse, quàm homicidium, & inter homicidia pariter nullum reputari gravius, quàm Parricidium. Adstipulatur cum alijs Decian. *tr. crim. l. 9. c. 6. n. 1.* ubi Parricidium maximum omnium scelus, & etiam Sacrilegium appellat.

2 Quęritur 1. quid sit *Parricidium*, & quinam in Jure *Parricidarum* nomine veniant? ℟. voce *Parricidij* olim quodvis Homicidium, & Delictum Capitale venit *arg. l. necessarium 2. §. & quia 23. ff. de origin. Jur.* juxta quam ij, qui pręerant rebus capitalibus, *Quasi res Parricidij* appellabantur. Harpprecht *ad §. alia cit. n. 2.* König *hìc n. 1.* In pręsentiarum significat Homicidium in personas conjunctas impiè commissum: & dividitur in *Parricidium propriè*, & *verè tale*, quod à Liberis in Parentes, vel à Parentibus in Liberos commissum est *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et in *impropriè* tale, quando occiduntur cognati collaterales, vel affines, itémque conjuges *l. lege 1. ff. de Leg. Pompei. de Parricid.*

Quare *Parricidarum* nomine veniunt 3
1. Liberi, qui occidunt proprium Patrem, vel Matrem: quod verum est, etiamsi tantùm sit Vitricus, vel Noverca *l. lege cit.* vel etiam naturalis tantùm, & non legitimus, vel legitima. Clar. *§. Parricidium n. 2.* Azor *p. 2. l. 2. c. 25. q. 1.* Farin. *prax. crim. q. 120. n. 105. 110. & 111.* Perez. *in Cod. tit. de his, qui parent. vel liber. occid. n. 5. & 6.* Happr. *in §. alia cit. n. 2. & 10.* Brunnem. *ad l. lege cit. n. 1.* Stryck. *Us. modern. Pandect. tit. de Leg. Pomp. de Parricid. circ. med.* Engl *hìc n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 6.* Reiffenstuel *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2.*

n. 58. quia Lex Pompeja ſanguinem potiùs, quàm reſpectum Civilem attendit.

4 2. Parentes, qui occidunt filios §. *alia*, & *l. lege cit.* junct. *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et extenditur etiam ad Vitricum, & Novercam, ſi occidat Privignum, vel Privignam. Farin. *l. cit. n.* 111. Harppr. *in* §. *alia cit. n. 5.* Manz. *ibid. n. 9.* cum alijs *ſuprà*. *Neque obſtat*, quòd olim Lege Regia parentum poteſtas etiam in vitam Liberorum fuerit *l. in ſuis* 11. *fin. ff. de Liber. & Poſthum.* & *l. fin. C. de Patr. poteſt.* ibi, *Patribus, quibus jus vitæ in liberos, neciſque poteſtas olim erat permiſſa.* nam poteſtas iſta ijſdem Patribus poſtea etiam per Legem humanam adempta fuit, quòd patria poteſtas in pietate debeat, non atrocitate conſiſtere, ut dicitur *l. Divus 5. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 73.* Harppr. *l. cit. n. 7.* Manz. *ibid. n. 10.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 6.* Reiffenſtuel *hic n. 3.*

5 3. Nepotes, & neptes, occidentes Avum, vel Aviam, aut alios quoſcunque Aſcendentes, & contrà in infinitum *l. lege cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. Aviam, V. Pœnam*, & *V. filium*, Azor *q. 2.* Farin. *q. 120. n. 108.* & *109.* Berlich. *concl. 6. n. 24.* & *25.* Harppr. §. *alia cit. n. 5.* Fleck. *Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 12.* Pirhing *n. 1.*

4. Socer, aut Socrus occidens Generum, vel Nurum, & vice verſa *l. lege cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. Socerum*, Azor *q. 2.* Farin. *q. 120. n. 117.* Berlich. *concl. 7. n. 83.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Pirhing *l. cit.* König *n. 8.*

6 5. Maritus occidens uxorem, & contrà *l. lege cit.* Farin. *n. 129.* quod extenditur etiam ad eum, qui occidit Sponſam, & contrà *l. ſciendum* 3. & *ibi* Gloſſ. *V. in pari fin.* Azor *q. 2.* Farin. *n. 132.* Berlich. *concl. 7. n. 39.* & *ſeqq.* Brunnem. *n. 1.* Pirhing, König *l. citt.* Imò Parricidij reum ſe facit etiam, qui occidit Patrem, vel Matrem Sponſæ, & viciſſim; quia Pater, & Mater Sponſæ veniunt appellatione Soceri, & Socrûs, & contrà Sponſus venit appellatione Generi. Farin. *n. 132. cit.*

6. Frater occidens Fratrem, vel Sororem, & contrà *l. lege cit.* Eſtque perinde, ſive ſint utrinque conjuncti, ſive per Patrem, aut Matrem tantùm. Gloſſ. *marg. in l. cit.* Azor *q. 2.* Farin. *n. 124.* Berlich. *concl. 7. n. 63.* Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n 5.* Pirhing *n. 1.* König *n. 8.*

7 7. Conſanguineus quicunq; tranſverſalis occidens alium Conſanguineum intra quartum Gradum inclusivè. Clar. §. *Parricidium n. 4.* Azor *q. 2.* Farin. *n. 126.* Berlich. *concl. 7. n. 79.* &c. Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Fleck, *tit. 33. n. 12.* Pirhing, König *l. citt.*

8. Libertus occidens Patronum, vel Patronam *l. 1. cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. Patronum*, Farin. *n* 113. Brunnem. *n. 1.* Harppr. *n. 5.* Pirh. *l citt.*

Dub. 1. utrum Parricidij culpa, & 8
pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium? R. affirmativè. Sic enim 1. porrigitur ad eum, cujus mandato commiſſum eſt Parricidium *l. lege cit.* ibi, *Cujuſve dolo malo id factum erit.* Azor *p. 2. l. 2. c. 25. q. 2.* Farin. *q. 120. n.* 136. Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 38.* Harppr. *in* §. *alia 6. Inſt. de Publ. Judic. n.* 11. Pirhing *n.* 1.

2. Ad eum, qui ad Parricidium 9
opem aliquam, conſilium, vel auxilium præſtitit. Farin. *n. 139.* Et hinc Parricidij reus eſt, qui emit venenum, ut illud filius Patri daret. *Proceditque hoc*, etſi filius Patri illud non potuerit dare *l. ſciente 7. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* ubi Gloſſ. *marg.* ait, *Conatus interdum punitur ſine effectu*, Berlich. *concl. 6. n. 43.* & *ſeqq.* Harppr. *n.* 12. & 14. Manz. *n.* 11. Pirhing *l. cit.* König *n. 9.* *Neque obſtat*, quòd teſte Clar. §. *fin. q. 92. n.* 1. & alijs, nunc conſuetudine per totum Orbem inoleverit, ut niſus, vel conatus pro effectu non ſit putandus, vel puniendus; nam, ut idem Clar. *l. cit. n. 2.* explicat, excipienda ſunt crimina atrociſſima; nam in his, quando conatus venit ad actum proximum, ita, ut per delinquentem non ſteterit, ſecutum fuiſſe effectum, affectus pro effectu punitur: imò juxta eundem *Clarum* neque in alijs delictis conatus debet eſſe ſine omni pœna.

3. Ad omnes conſcios, & partici- 10
pes hujus criminis *l. utrum 6. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Hoſt. *Summ. h. tit. n. 1.* Azor *c. 25. cit. q. 2.* Berlich. *concl. 6. n. 39.* & *ſeqq.* Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. n. 7.* Brunnem. *ad l. 1. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. n. 2.* & *ad l. utrum cit. n. un.* Harppr. *n.* 11. Manz. *n.* 12. Pirhing *l. citt.*

Dixi *Conſcios*, & *participes*; nam 11
ſcientibus ſolùm, nec patefacientibus, & non participibus, etiam eventu ſecuto, non ordinariam, ſed leviorem pœnam imponendam exiſtimant Berlich. *concl. 6. n. 42.* Perez *n. 7. cit.* Harppr. *n. 23.*

Dub. 2. quinam caſus, & cauſæ ex- 12
cuſent à culpa, & pœna Parricidij filios, ſi parentes occidant? R. 1. excuſantur, ſi ſint furioſi, & in furore, quo de ſtatu mentis dejecti ſunt, parentes occiderint; nam hi *furore ipſo ſatis puniuntur*, ut dicitur *l. pœna 9. §. fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Farin. *q. 120. n. 181. limit. 7.* Berlich. *l. 4. concl. 6. n. 55.* Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. vel fil. occider. n. 10.*

2. Si filius Patrem ignoranter, & 13
ſine dolo, puta de nocte, vel in conflictu, in-

incognitum, aut insolito vestitu indultum occidat, quia Parricidij culpa, & pœna requirit, ut dolus intervenerit. Menoch. *de arbitr. cas. 356. n. 28.* Decian. *l. 9. tr. crim. c. 15. n. 1. & n. 35.* Berlich. *concl. 6. n. 57.* Farin. *n. 182. limit. 8.*

3. Si filius à Patre fuit expositus, & major factus eundem occidat; quia per talem expositionem Pater amisit jus patriæ potestatis: & idcirco occisio illius non dicitur Parricidium, saltem in foro externo. Menoch. *cas. 356. n. 30.* Decian. *l. 9. c. 8. n. 9. & c. 15. n. 29.* Farin. *n. 164. limit. 3.* Berlich. *n. 59.*

14 4. Si filius sit adoptivus; nam hìc si Patrem Adoptivum occidat, non punitur ut Parricida, tum quia *Lex Pompeja de Parricid.* inducta fuit ob violatam naturam, quæ in Adoptivis nullam patitur injuriam; tum etiam, quia filiorum appellatione non veniunt Adoptivi, qui non verè, & propriè, sed fictè, & imaginariè filij dicuntur. Menoch. *cas. 356. n. 36.* Farin. *n. 163.* Berlich. *n. 56.* qui tamen addunt, tale homicidium graviùs puniendum, quàm aliud simplex.

15 5. Si filius occidat Parentem ex causa defensionis necessariæ, observato moderamine inculpatæ tutelæ; quia defensio Jure naturæ cuivis permissa est, & omnis honesta ratio expediendæ salutis, ut habetur *l. ut vim. 3. ff. de I. & l. l. itaque 4. ff. ad Leg. Aquil. l. Prætor. 1. §. vim vi 27. ff. de vi, & vi armat.* Menoch. *l. cit. n. 35.* Farin. *n. 186.* Berlich. *n. 62. & 63.* König *hic n. 6.*

16 6. Si filius occiderit Patrem in Patriam perduellem; *Minimè* enim, ut JCtus *l. minimè 35. ff. de Relig. & sumpt. fun.* nobiliter loquitur, *Majores lugendum putârunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit: quem si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio afficiendum, omnes constituerunt;* nam pietas patriæ pietati in parentes præferenda est. Perez *in Cod. tit. de bis, qui parent. vel fil. occider. n. 10.* Berlich. *concl. 7. n. 28.* Harppr. §. *alia cit. n. 32.* Engl *n. 1.*

17 Plures alios casus enumerant Farin. *q. 120. cit. à n. 159.* Berlich. *concl. 6. à n. 55. & alij.* Hoc tantùm notandum est, ex ijsdem causis excusari etiam parentes, si filios occidant, ut videre est apud Berlich. *à num. 82.* Item aliquæ ex istis causis, quia omnino excusant à culpa, etiam excusant ab omni pœna, aliæ contrà, quia culpam non omnem tollunt, idcirco etiam solùm excusant à pœna ordinaria Parricidij.

18 Quæritur 2. quænam pœnæ decretæ sint in eos, qui occiderunt suos Parentes? *Et 1. quidem dubitatur* de pœnis, quæ per Jus Imperiale in eos latæ sunt? R. hìc distinguendum inter Jus antiquum, & novum. Olim virgis sanguineis, h. e. usque ad sanguinem cæsus Parricida, & culeo, h. e. sacco coriaceo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia inclusus, in mare, aut flumen proximum jactabatur; vel si mare, aut flumen non esset proximum, bestijs obijciebatur, ab ijs lacerandus §. *alia 6. Inst. de Publ. Judic. l. pœna 9. pr. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. & l. un. C. de bis, qui parent. vel liber. occider.* ubi ratio redditur, *ut omni Elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur.* Mixtura autem dictorum animalium, ut refert Vivian. *in c. 1. b. tit.* ad majorem Parricidæ pœnam adinventa est; quia canis naturaliter fugat Simiam, Simia Gallum, Gallus Viperam, & cùm Vipera non inveniat refugium, intrat corpus Parricidæ.

Pœna ista in Hispania, teste Gomez 19
l. 3. var. c. 3. n. 4. adhuc in usu est, hoc solùm immutato, quòd Parricida, ad evitandam desperationem, priùs interficiatur, ejúsque solummodo corpus, cum ejusmodi animalibus sacco inclusum, in undas jactetur. In Saxonia, teste Berlich. *p. 4. concl. 6. n. 14. & 15.* & Stryck. *Us. mod. Pand. tit. de Leg. Pomp. de Parricid. §. 1.* loco Simiæ substituitur felis, & si serpentes vivi haberi nequeant, in charta, seu linteo serpens depingitur, & ita pictura cum Parricida sacco inseritur. In alijs locis animalia illa, de quibus in Legibus Romanis fit mentio, non adduntur; sed Parricida, sacco linteo inclusus, tamdiu deprimitur in aquam, donec suffocetur. Carpzov. *prax. crim. q. 120. n. 19.* Berlich. *l. cit. n. 13.* Stryck. §. 1.

In plerisque Provincijs, & Regnis 20
culei, & submersionis pœna propter ejus crudelitatem exolevit, & ejus loco successerunt aliæ pœnæ, potestate Judici data, ut pro varietate circumstantiarum exasperare illas, vel mitigare possit. Alicubi Parricidarum membra rotæ subijciuntur; alibi ad caudam equi affixi, & crati vimineæ insidentes, dedecorosè ad supplicij locum pertrahuntur, ibíque decapitantur, & rotæ imponuntur; in alijs locis strangulati, & dolio inclusi in flumen abijciuntur: in nonnullis in quatuor partes dissecti suspenduntur, vel canibus lacerandi traduntur &c. Clar. §. *Parricidium n. 5.* Farin. *q. 120. n. 12.* Perez *in Cod. tit. de bis, qui parent. vel liber. occider. n. 3.* Brunneman. *ad l. 7. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. n. 1.* Harppr. §. *alia cit. n. 30.* Manz. *ibid. n. 22.* Engl *hic n. 2.* Pirhing *n. 2.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 6.*

Dub. 2. quænam pœnæ in parentum 21
interfectores latæ sint de Jure Canonico? R. antiquioribus Ecclesiæ Sanctionibus *can. aut facta 19. dist. 1. de Pœnit.* habetur,

in

in illos generatim animadvertendum severiùs, quàm in Homicidas cęteros. Postea *can. latorem 15. caus. 33. q. 2.* à Nicolao Papa interfectori parentis interdictus est ingressus Ecclesiæ uno anno, tribus Sacra Communio, decem annis Oblationes, prętèr jejunia, abstinentiam à carnibus, & vino, & alia pœnitentiæ opera. Jure Decretalium nulla extat constituta pœna, fortassis ideo, quòd, ut olim Salon, teste Seneca *l. 1. de Clementia*, ita etiam Summi Pontifices existimarent, tam abominando, & ab humanitate omni alieno scelere se neminem contaminaturum, ut eruditè advertit Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 4.* Hodie de Jure isto Parricidarum pœna est arbitraria, pro excessu augenda, vel minuenda. Engl *hic n. 2. fin.* König *ibid n. 12.*

22 Dub. 3. an aliquo tempore extinguatur accusatio, & pœna Parricidij? ℟. negativè: sed accusatio ejus propter atrocitatem, & enormitatem criminis perpetua est, ejúsque pœna nullo unquam tempore, ne quidem immemoriali, prescribi potest per textum expressum *l. fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Decian. *tr. crim. l. 9. c. 6. n. 10.* & *c. 14. n. 2.* Farin. *q. 120. n. 138.* Berlich. *p. 4. concl. 7. n. 86.* Harppr. *in §. alia 6. n. 34. Inst. de Publ. Jud.* Fleck. *Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 56.*

23 Quæritur 3. quæ sit pœna Parentum interficientium Liberos? *Et 1. quidem dubitatur* de pœna Juris Civilis? ℟. hoc Jure spectanda sunt tria tempora. 1. Legis Regiæ, quâ introductum fuit, ut Pater in Liberos suos vitæ, ac necis haberet potestatem *l. in suis 11. ff. de Liber. & Posthum.* & *l. fin. C. de patr. potest.* quæ tamen potestas eidem postea etiam per Jus Civile sublata est, prout dictum est *n. 4.* 2. Posteriorum temporum usque ad tempora Constantini M. ubi nex filio illata in Parente pœnâ Homicidij ordinariâ puniri cœpit. P. Wiest. *hic n. 6.* 3. A temporibus Constantini, ubi Parricidij pœna, de qua *n. 18.* extensa est etiam ad Parentes, qui suos occidunt filios *§. alia 6. Inst. de Publ. Judic.* & *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.*

24 Juxta *Const. crim. Carol. V. art. 131.* mater, quæ vivum infantem à se editum malitiosè occidit, viva in terram defoditur, & per ejus corpus stipes, seu palus transfigitur: quæ tamen pœna *ibidem* ad desperationem evitandam mitigatur, & permittitur Judicibus, ut, ubi copia fluminis adest, trucidatrix sui proprij partûs aquâ suffocetur; & ubi delictum hoc frequens esset, ante submersionem candentibus forcipibus torqueatur, secundùm arbitrium Judicis. Sed etiam hæc submersionis pœna in usu esse desijt, ejúsque loco ali, pœnæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio Judicis, & consuetudine locorum vel Legum municipalium exasperandæ, vel mitigandæ, infliguntur. Berlich. *p. 4. concl. 6. n. 2. & seqq.* Fleck. *Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 57.* König *hic n. 11.* Reiffenstuel *ibid. n. 6.*

Additur in *cit. art. 131. Const. Carol.* quòd meretrix, quæ clàm peperit, & se abortum fecisse dicit, infanticidij rea esse præsumatur, & nisi innocentiam suam legitimè probaverit, eámque præsumptionem ex alijs rei circumstantijs legitimè diluerit, per tormenta ad confessionem veritatis cogi possit. Berlich. *p. 4 concl. 7 n. 29.* & *concl. 8. n. 30.* Fleck. *Biblioth. l. 4. tit. 33. n. 59.* 25

Dub. 2. quæ sit pœna Juris Canonici, in Parentes Liberorum interfectores lata? ℟. de his duo sunt constituta. 1. Mater filij interfectrix, si vidua sit, per *c. veniens 1. h. tit.* jubetur detrudi in Monasterium, & si de ejus incontinentia non timeatur arceri à secundis Nuptijs. Si verò sit conjugata, à marito quidem non est separanda, alijs tamen modis puniri debet *c. intelleximus 2. eod.* Hodie tamen hujusmodi homicidæ tam Parentes, quàm Liberi vix unquam puniuntur à Judicibus Ecclesiasticis, sed à Curia tantùm Sæculari, ad quam proinde Reus, si Laicus sit, remitti solet. Si verò sit Clericus, priùs juxta præscriptum Canonum degradari debet, sícque degradatus traditur Curiæ Sæculari, non exspectata alia incorrigibilitate. Farin. *q. 120. n. 21.* Vivian. *in c. 1. cit. pr.* Schambog. *n. 4. hic*: & meritò; cùm enim propter simplex Homicidium Clericus degradari, & in arctum Monasterium detrudi debeat *c. cùm non ab homine 10. de Judic.* & *c. tuæ 6. de Pœnis*, pro qualificato homicidio utique gravius puniri debet, cons. Curiæ Sæculari tradi, cùm Ecclesia aliam graviorem pœnam non habeat. Pirhing *hic n. 5.* Reiffenstuel *ibid. n. 10.* 26

2. Parentes, qui tenellos adhuc infantes, in suo lecto collocatos, opprimunt, etiamsi oppressionem illorum nec intenderint, nec præviderint, quia tamen, eos in lectum communem recipiendo, periculo oppressionis exposuerunt, à Lucio III. *c. fin. h. tit.* jubentur tres annos agere in Pœnitentia, & horum unum in pane, & aqua: quæ pœna hodie sublata est, testibus Menoch. *de arbitr. q. 356. n. 61.* Decian. *l. 9. c. 8. n. 26.* Wagnereck *in c. fin. cit. in Exeg.* Schamb. *hic n. 8.* König *n. 12. fin.* Ejus loco in plerisque Diœcesibus Germaniæ est Casus reservatus, in alijs pro arbitrio Judicis puniendus. Wiest. *hic n. 8.* Quod intelligendum, si oppressio talis culposa sit; nam quandoque culpâ prorsus caret, si videlicet lectus sit amplus, & infans aliàs implacabilis, vel aliter à frigore defendi nequeat: tunc ergo 27

go opprimens etiam nulli pœnæ erit obnoxius. Navar. *Man. c. 15. n. 13.* Barbos. *in c. fin. cit, n. 2.* Engl *n. 4. hìc.*

28 Quæritur 4. quibus pœnis subjaceant parentes, & alij Abortum procurantes? R. si fœtus fuit animatus, mater, quæ abortum procurat, eúmque vel in utero necat, vel vivum expellit, atque interimit, verum Parricidium committit, pœnarúmque illius, Jure Civili constitutarum, rea est *l. Cicero 39. ff. de Pœnis*, & *Const. crim. Carol. V. art. 133.* ubi pœna capitalis contra ita delinquentem specialiter statuitur. Azor *c. 26. q. 3.* Berlich. *concl. 8. n. 1.* Engl *hìc n. 3.* Reiffenstuel *n 13.* Plerumque tamen mitiùs punitur Mater, quæ infantem in utero perimit, prout advertunt Decian. *tr. crim. l. 9. c. 8. n. 14.* König *n. 7.* & quidem meritò; licèt enim non minùs impia sit Mater, quæ lucem invidet nascituro, & prolem extinguit, antequam eam in lucem effundat, longè tamen crudelior est illa, quæ filio, quem jam natum vidit, & amplexata est, præsentem adimit vitam, & propterea etiam crudelius meretur supplicium. Interim etiam priori casu mater capitali pœnâ plectenda est *l. Cicero cit.* & *Const. Carolin. art. 133.*

29 Si verò fœtus nondum animatus fuit, Jure Civili nec homicidij, nec ultimi supplicij rea, sed pœnâ Judici arbitrariâ v. g. exilij, fustigationis &c. punienda erit mater abortum procurans Clar. §. *fin. q. 63. n. 2.* Menoch. *de Arbitr. cas. 357.* Berlich. *p. 4. concl. 8. n. 1.* König *hìc n. 7.* Reiffenstuel *ibid. n. 14.* & statuitur *l. Cicero cit.* & *Const. Carol. art. 133. cit.* Porro fœtus animatus ex Physicorum, & Medicorum communi Sententia præsumitur, si masculus sit, quadragesimo, si fœmina, octogesimo die. Menoch. *cas. 357. cit. n. 3.* Gomez *l. 3. var. c. 3. n. 32.* Farin. *q. 122. à n. 139.* Barbos. *in Summ. dist. 5. n. 2.* Wiest. *tit. de Homicid. n. 54.*

29 Jure Ecclesiastico contra quoscunque sive directè, sive indirectè procurantes Abortum gravissimæ constitutæ sunt pœnæ, præcipuè verò per *Const. Sixti V.* incipit *Ad effrenatam*, quæ est *87.* inter Constitutiones dicti Pontificis in *Tom. 2. Bullarij Cherubini*, & per extensum refertur à P. Reiffenstuel *hìc n. 16.* Hanc tamen postea moderatus est *Gregorius XIV. Const.* incipit *Sedes Apostolica*, éitque inter Constitutiones illius Pont. ordine *8.* in *Tom. 2. Bullar. Cherub.* per extensum relata apud P. Reiffenstuel *n. 18. hìc.* Et quidem, quando fœtus non est animatus, in totum tollitur Constitutio Sixti V. & reducitur ad dispositionem Juris communis: quando verò animatus fuit, fit moderatio quoad Absolutionem à peccato, & Excommunicationem reservatam Ordinario in foro conscientiæ tantùm. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 136.* circa cæteras pœnas autem dicta *Constitutio Sixtina* in pleno suo vigore manst. Azor *p. 2. l. 2. c. 26. q. 3.* Barbos. *l. cit.* Sporer *p. 4. c. 4. sect. 2. n. 714.* & hoc teste omnes, patétque ex ipsa *Bulla Gregoriana.*

Adeoque, qui directè, vel indirectè, per se, vel per alium quocunque modo procurant Abortum fœtûs animati, vel ad id consilium, aut auxilium præstant, vel favorem incurrunt 1. omnes pœnas ab utroque Jure contra Homicidas voluntarios constitutas. 2. Contrahunt Irregularitatem. 3. Sunt privati omni privilegio Clericali. 4. Sunt inhabiles ad omnia Officia, & Beneficia tam Simplicia, quàm Curata. 5. Ipso facto excommunicantur. 6. Si Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum habent, ipso facto eo privantur, & tam ad idem, quàm quodvis aliud perpetuò sunt inhabiles. 7. Insuper si ita delinquens sit Clericus, debet deponi, & degradari, sicque degradatus tradi Curiæ Sęculari puniendus juxta Leges Divinas, & humanas. 31

Et quidem pœna Irregularitatis, Excommunicationis, & inhabilitatis ad Beneficia obligat in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, & quantumvis delictum occultum sit. Reiffenstuel *hìc n. 20.* Pœna verò Beneficij priùs habiti, quia executionem externam requirit, ante sententiam Judicis saltem declaratoriam criminis non obligat, ut proin hæc, sicut & Degradationis, & traditionis ad Curiam sęcularem, locum non habeat, quamdiu Delictum occultum manet. Reiffenstuel *n. 21.* Quia tamen ante eandem sententiam, & licèt Delictum occultum sit, ut paulò antea dictum est, ipso facto Irregulares sunt, conf. prętер alios Irregularitatis effectus non ampliùs possunt celebrare Missas (quod tamen plurima Beneficia requirunt) saltem ex hoc capite ante omnem Sententiam in foro conscientiæ tenebuntur dimittere Beneficia sua; quia obligationi, vigore Beneficij impositæ, satisfacere non ampliùs possunt, nisi à Papa dispensetur: quod tamen difficillimè, & non nisi urgentissimis de causis fieri potest, ut habet *Bulla Sixtina cit. §. 8. circ. fin.* Reiffenstuel *n. 25.* 32

Circa dispensationem, & absolutionem ab his pœnis id solùm moderatus est Gregorius XIV. quòd ab Excommunicatione, in Bulla priùs strictissimè reservatâ, absolvere possit quivis Episcopus, & quivis Confessarius ab eo specialiter deputatus. Unde nec in Irregularitate, nec in privatione Beneficiorum, ac inhabilitate ad illa ullo modo dispensare valet Episcopus potestate sua Ordinaria, ut contra Sporer *p. 4. c. 4. n. 722. fin.* rectiùs docet Reiffen- 33

fenſtuel *hic n. 22.* & patet ex *Conſtit. Sixtin. cit.* ubi Pontifex Diſpenſationem hanc expreſsè ſibi reſervavit, quæ quoad hoc per *Gregorium XIV.* non eſt correcta. Neque ſuffragatur in hoc Epiſcopis Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* quia ibi ſolùm conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in Irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, provenientibus ex Delicto occulto, exceptâ illâ, quæ provenit ex Homicidio, non item in alijs pœnis lege Pontificia latis. eſt autem procuratio Abortûs fœtus animati verè Homicidium. ergo &c.

84 Quæritur 5. Quæ ſit Pœna Parricidij impropriè talis, quando occiditur conſanguineus collateralis à conſanguineo, uxor à marito &c. ℟. Jure Civili in hos animadvertitur pœnâ ordinariâ Legis Corneliæ de Sicarijs, i. e. ſupplicio ordinario Homicidij, ut patet ex §. *alia 6 fin. Inſt. de Publ. Judic.* ibi, *ſiquis autem alias cognatione, vel affinitate perſonas conjunctas necaverit, pœnam Legis Corneliæ de Sicarijs ſuſtinebit.* Quod item habetur *l. pœna 9. §. qui alias 1. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* ibi, *Qui alias perſonas occiderint, præter patrem, & matrem, avum, & aviam, - - - capitis pœna plectantur, aut ultimo ſupplicio mactentur*: ita tamen, ut etiam pro diverſitate circumſtantiarum, & conſuetudine locorum pœna hæc interdum exaſperetur. Et quidem juxta *Conſt. crim. Carol. V. art. 137. fin.* perſona, quæ conjugem, aut conſanguineum propinquiorem occidit, antè forcipibus candentibus aduritur, vel trahæ impoſita, ad locum ſupplicij rapitur. Stryck. *Uſ. mod. Pandect. de Leg. Pomp. de Parricid. §. 1. fin.* König *hic n. 13.* Reiffenſtuel *ibid. n. 2.*

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expoſitis.

SUMMARIUM.

1. *Quinam in hac Rubrica veniant nomine Infantium, & Languidorum?*
2. &c. *Peccati, quod expoſitione iſtorum committitur, gravitas.*
6. &c. *Pœna exponentium Infantes, & Languidos.*
9. &c. *Amittunt patriam, & dominicam poteſtatem in expoſitos.*
12. *Non tamen iſtam acquirunt, qui eos ſuſcipiunt.*
13. *Quamvis alimenta poſſint repetere.*
14. *Quo caſu iſtud non poſſint?*
15. &c. *Unde hujuſmodi expoſitis ſubminiſtrari alimenta debeant?*
21. &c. *An, & qualiter dominus famulo ægrotanti providere de neceſſaria cura, & alimentis debeat?*
25. &c. *An Expoſiti, & alij, quorum parentes ignorantur debeant haberi pro Legitimis?*

1 PArricidio propinqua eſt inhumanitas, quâ infantes, & languidi cujuſcunque ætatis, quibus æducatio, alimenta, aut cura debetur, contra Pietatis officium expoſiti deſeruntur *can. fin. diſt. 87. can. un. h. tit. & l. necare 4. ff. de agnoſc. & alend. Liber. l. fin. C. h. tit. Infantum* autem nomine hìc veniunt Liberi ſeptennio minores; *Languidorum* verò infirmi ſeu illi, qui gravi, ac diuturna, præſertim verò perpetua, & incurabili detinentur infirmitate, per quam ad labores, & quæcunque negotia, aut res gerendas inhabiles exiſtunt, cujuſcunque ætatis ſint. Barboſ. *in Rubr. h. tit. n. 2.* Wagnereck *in c. un. V. de prædictis not. 1. eod.* Pirhing *hic n. 3.* Schambog. *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 21.*

2 Quæritur 1. Quale peccatum ſit exponere infantes, & languidos? ℟. hos exponentes incurrunt graviſſimum reatum culpæ, adeò, ut proprij partus expoſitio in quibuſdam Diœceſibus ſit Caſus Epiſcopo reſervatus. Idque verum eſt non tantùm, ſi expoſitio fiat, ut infans pereat, ſed etiam ſi fit, ut ab alijs alenda, & educanda aſſumatur. *Pars 1.* eſt extra controverſiam; quia quantum in ipſis eſt, ſic exponentes expoſitos necare videntur *can. poſſe 21. diſt. 86. can. fin. diſt. 87. l. necare 4. ff. de agnoſc. & alend. Liber. & l. fin. C. h. tit.* & hinc etiam tanquam Homicidæ puniuntur ſecundùm dicenda *n. 7.*

Pars 2. tenetur à communi, & 3
quaſi unanimi DD. quia etiam tali modo facta Expoſitio ab utroque Jure graviſſimè prohibetur, ut patet ex textibus *citt.* qui loquuntur generaliter. Concordat *Novell. 153.* ubi *pr.* Expoſitio infantium univerſaliter vocatur *crimen à ſenſu humano alienum, & quod ne ab ullis quidem Barbaris admitti credibile eſt.* Ratio eſt, quia dum alimentis prolem ſuam exponentes deſtituunt, ignari, num aliquis illam, antequam moriatur, aſſumat, & alat, periculo mortis eam exponunt, & ſic etiam ipſi, quantum in ſe eſt, necare illam videntur.

Nec excuſat à peccato parentem, ſi 4
dicat, ſe non ex malevolentia erga prolem,

lem, sed ad declinandam infamiam exponere infantem ad hanc autem declinandam non modò prolis, sed etiam propria vita periculo exponi potest; quia *viris bonis iste* (infamiæ, & honoris perdendi) *metus major, quàm mortis esse debet*, ut dicitur, *l. isti 8. §. 2. ff. quod met. caus.* Nam hoc procedit solum, quando fama ab alio injustè invaditur, vel aufertur, non verò, quando lęditur justè, juxta illud vulgatum: *Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio*, in hoc autem casu nemo injustè lędit famam matris illicitè impręgnatæ. ergo &c. *Conf.* quia aliàs ad famam propriam tuendam posset quis licitè etiam procurare abortum fœtûs animati, vel inanimati, & natum proprijs manibus occidere, cùm non referat, sive ferro, aut violenta manu, sive fame, & alimentorum subtractione infans occidatur *arg. l. necare*, & *Novell. 153. citt.*

5 *Excipitur* tamen casus, quo parens, aut dominus ob egestatem infantem suum, aut servum languidum sustentare non potest; tunc enim, si exponant illos in loco pio, vel alio, in quo commodè sustentari possunt, præsertim si iste pro hujusmodi Expositis specialiter erectus sit, ut sunt Hospitalia, Orphanotrophia &c. à culpa, & pœna immunes sunt, ut notant Azor *p. 2. l. 2. c. 26. q. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 147.* Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 10. fin.* Pirhing *hic n. 2. not. 2.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 10.* Quam Exceptionem nonnulli etiam extendunt ad Casum *n. præc.* quia tunc morale periculum, ne defectu alimentorum moriatur expositus, nullum est.

6 Quæritur 2. quæ sit pœna exponentium infantes, & languidos? &c. de *Jure Canonico* pœnâ arbitrariâ puniuntur. Engl *hic n. 2. De Jure Civili* ex Sententia Gloss *in l. fin. C. de Patrib. qui fil. distrax.* & quorundam aliorum DD. hujusmodi Parens tenetur pœnâ capitis: quod videtur insinuari *can. fin. dist. 87.* & *l. fin. C. h. tit.*

Sed distinguendum est, an exponantur in loco solitario, e. g. silva, an verò in via publica, aut alio loco non infrequenti.

7 *Si primum*, & infans expositus fame, frigore, aut ferarum laniatu pereat, omnino tenendum est, exponentem teneri pœnâ capitis, ut colligitur ex *l. necare 4. ff. de agnosc. & alend. Liber.* & statuitur in *Const. crim. Carol. V. art. 132. fin.* notatque Bartol. *in l. necare cit.* Boss. *tit. de Homicid. n. 7.* Brunnem. *in l. necare cit. n. 2.* Fleck. *Bibliothec. l. 4. tit. 33. n. 7.* Monacell. *p. 2. tit. 13. form. 7. n. 5.* Wiestner *hic n. 2.* Reiffenstuel *n. 7.*

8 *Si secundum*, alteram distinctionem DD. adhibent, an eo casu infans expositus repertatur vivus, an verò præter intentionem, & opinionem moriatur. In hoc *posteriori* casu Carpz. *pract. crim. p. 1. q. 10. n. 11.* existimat, exponentem satis plecti fustigatione, vel alia simili pœna; quod desumitur ex *cit. art. 132. Const. Carolin.* ibi, Nach Gelegenheit des gefährlichen Hinlegens. In *priore* sufficiet relegatio, aut alia mitior pœna arbitrio Judicis, ut pariter innuitur *art. 132. cit.* & notat Menoch. *de arbitr. cas. 396. n. 5.* Wesenbec. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. n. 14.* Berlich. *p. 4. concl. 7. n. 31.* Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 10.* Monacell. *n. 5. cit.* Engl *hic n. 1.* Zœs. *n. 1.* König *n. 8.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 70. Excipitur* iterum, si causa expositionis sit egestas parentis tanta, ut prolem alere nequeat; tunc enim sicut expositio talis culpâ vacat, ut dictum est *n. 5.* ita etiam à pœna immunis est.

Pœnæ hactenus relatæ utroque Ju- 9
re adjungitur alia, quâ Pater, qui filium & dominus, qui Servum languidum exponunt, vel in expositionem eorum consentiunt, aut ratam eandem habent, privantur patria, & dominica potestate, quatenus hæc filio onerosa est, ita ut filius efficiatur sui Juris, servus verò libertatem, & libertus ingenuitatem consequatur *c. un. h. tit. l. sancimus 3.* & *l. fin. C. h. tit.* Ratio est, quia eos censentur habere pro derelictis: & sic jus patriæ, ac dominicæ potestatis remisisse *l. fin. ff. pro derelict.* hinc repetere illos non amplius possunt; quia *remittentibus actiones suas non est regressus dandus*, ut dicitur *l. quæritur 14 §. si venditor 9. ff. de Ædilit. Edict. nec suum quis dicere potest, quem pereuntem contempsit*, ut habetur *l. unusquisque 2. C. h. tit.*

Dixi, *Qui exponunt, vel in exposi-* 10
tionem consentiunt &c. Secus est, si parentibus ignorantibus, vel invitis infans ablatus, & expositus fuisset; tunc enim pro suo eum agnoscere, & sibi iterum, ubicunque existat, solutis expensis, assumere valent. Barbos. *in Rubr. h. tit. n. 6.* Wagnereck *in c. un. eod. v. infans expositus.* Zœs. *hic n. 2.* Schambog. *n. 3.* Reiffenstuel *n. 19.* Ratio est, quia cùm in tali casu parentes omni culpâ vacent, jus patriæ potestatis erga filium retinent. Imò tali casu potiùs furtum, seu Plagium commissum esse censendum est, & Patri actio furti competit *l. eum, qui 14. §. si filiusf. 13. ff. de Furt.*

Addidi, *Quatenus patria potestas fi-* 11
lio onerosa est; nam in quantum favorabilis eidem est, non amittitur: cons. ita expositus alimenta à parentibus exponentibus semper prætendere, iisque succedere adhuc valet; non autem hi vicissim, ut clarè decisum est *c. un. h. tit.* & *l. unusquis-*

que 2. cum duab. seqq. C. eod. Vallens. *hic n. 1.* Engl *n. 2.* Reiffenstuel *n. 11.* Ratio est, quia eo casu expositus videtur incertum habere Patrem, cùm Pater, quem habet, non sit filio dignus, quòd filium indignum se existimaverit, ut proinde meritò omni utilitate, ex eo proveniente, carere debeat.

12 Quæritur 3. an is, qui infantem, & languidum expositum suscipit, aut sustentat, in ejus personam aliquid acquirat Juris? ℟. negativè. Patet ex *c. un. h. tit. l. sancimus 3. C. h. tit.* & *l. nemini 24. C. de Episcop. audient.* idque meritò; tum quia sustentatio, & educatio nullo Jure habetur pro Adoptione; tum ne infans, qui non peccavit, contra Juris præcepta aliena impietate fortè amittat libertatem, & plectatur maculâ servitutis. Azor *p. 2. l. 2. c. 26. q. 1.* Tholosan. *l. 11. Synt. c. 13. n. 3.* Vivian. *in c. un. cit. ℣. ij tamen*, Barbos. *ibid. n. 1.* Gonzal. *n. 4.* & *8.* Wagnereck *V. de prædictis not. 1.* Vallens. *hic n 2.* Honor. *n. 3.* König *n. 9.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 14.*

13 Expensas tamen in alimenta, & educationem, quas ita suscipiens fecit, repetere ab ijs, qui hæc eis præstare tenebantur, non prohibetur; quia per expositionem infans, ut *n. 11.* dictum est, à patria potestate liberatur solùm in odiosis, in favorabilibus autem, quale est jus alimentorum, sed potestate ejusdem manet. Steph. Gratian. *Discept. for. c. 267. n. 41.* Barbos. *in c. un. h. tit. n. 8.* Engl *n. 4.* Honor. *n. 5.* Pirhing *n. 2. not. 2.* König *n. 9.* Wiestner *n. 6.*

14 *Excipitur*, nisi expensæ istæ ex officio, aut liberalitate, vel pietatis, & misericordiæ causâ factæ essent, sicut factæ esse præsumuntur, quando sic expositi educantur ab Ecclesia, vel Hospitali, aut alio loco publico in hunc finem fundato, vel etiam à privato divite, & liberali viro *arg. can. Sacrorum 15. caus. 12. q. 2.* Unde eo casu repeti expensæ haud amplius poterunt, ut notat Azor *c. 26. cit. q. 1. ℣. 3. quæres*, Pirhing *n. 2. not. 2.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 15.* & *17.*

15 Quæritur 4. unde subministrari alimenta infanti exposito debeant, si nemo privatus curam illius suscipiat? ℟. eo casu subministranda sunt à Brephotrophijs, Hospitalibus, & alijs pijs locis, erectis ad hujusmodi pietatis officia; ita enim exigit pia Fundatoris intentio, quam implere utique oportet. His deficientibus, succurrere debet Ecclesia, utpote cujus reditus propterea dicuntur esse Patrimonium Christi, & pauperum: & servit huc, quod dicitur *can. aurum 70. caus. 12. q. 2.* ibi, *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.*

Si Ecclesiæ sufficientes reditus non 16
habeat, alendi exposíti sunt à Communitate loci, in quo inventi, & baptizati sunt. Ubi verò nec Hospitalia publica pro expositis recipiendis adsunt, nec bursa Communitatis, & Eleemosynæ piorum locorum suppetunt, possunt in subsidium divites tam Sæculares, quàm Ecclesiastici collectari pro his nutriendis. Abb. *in c. un. h. tit. n. 3.* Surd. *de aliment. tit. 1. q. 81.* Barbos. *in c. un. cit. n. 4.* & *5.* Wagnereck *ibid. V. prædictis not. 2.* Monacell. *p. 2. tit. 13. form. 7. n. 4.* Pirhing *hic n. 3. not. 4.* Engl *n. 3.* König *n. 9.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 12.*

Quicunque autem Infantem expo- 17
situm assumunt, & educant, id Juris acquirunt, quòd eis (excluso Fisco, parentibus, & consanguineis tanquam indignis) ab intestato succedant, si absque descendentibus decedens bona temporalia reliquit *arg. Novell. 115. c. 3.* Surd. *de aliment. tit. 16. q. 18. n. 19.* Barbos. *in c. un. cit. n. 9.* Engl *hic n. 4.* Reiffenstuel *n. 18.*

Quæritur 5. à quo alenda sit proles, 18
quæ in uno loco exposita, in alio nata, & baptizata est? Videtur ex una parte alenda ab Hospitali, Ecclesia, vel Communitate loci, ubi exposita est; quia expositus consequitur libertatem Romanam *c. un. h. tit.* & *l. sancimus 3. C. eod.* ac proinde Jura Civilia loci, in quo expositus fuit. *Contrà* ex *l. municipem 1. l. qui ex vico 30. ff. ad municipal.* & *l. cives 7. C. de Incol.* videtur colligi, educandam sumptibus loci, in quo nata est; quia origo, & nativitas Civem quemque faciunt, commodorum, & incommodorum, munerum, & onerum capacem: vel si locus nativitatis, & Baptismi distincti sint, ab hoc posteriore ex Decreto *Conc. Basileens.* quod *sess. 19.* statuit, Jura Civitatis aliquem consequi, quo quis loco est baptizatus, cùm quod tribuit nativitas carnalis, magis tribuere debeat Spiritualis.

Difficultas solvi ope distinctionis po- 19
test: Vel enim locus, in quo prolem natam, & baptizatam constat, est originarius, & domiciliarius, in quo parentes stabilem sedem habuerunt, vel non, quòd scilicet proles nata sit ex matre vagabunda illac transeunte. *Si primum*, proles alibi exposita, & baptizata ad istum remitti potest, prout ex *citt. ll.* desumi posse existimat Zypæus *Consult. Can. h. tit. n. 7.* & sequitur P. Wiestner *hic n. 7.* *Si secundum*, verius ad hunc non est remittenda, sed alenda in loco expositionis; quia vagus commodis, & incommodis loci non afficitur, nisi quando in eo actu existit.

Neque obstant *ll. citt.* quia intelli- 20
gendæ sunt de Nativitate originaria. *Ad textum* Concilij Basileensis dicendum, eum pro-

procedere de Judæis, Turcis, & alijs Paganis baptizatis alicubi extra patriam suam, ut cum eodem Zypæo *n. 5. & 6.* observat P. Wiestner *n. 8.*

21 Quæritur *5.* an, & qualiter dominus famulo ægrotanti teneatur providere de necessaria cura, & alimentis? Rr. dominum non teneri ad magnas, sed tenues duntaxat expensas pro cura famuli ægrotantis ratione famulatûs. Bartol. *in l. si cùm dotem §. sui autem ff. solut. Matr.* & *in l. in rebus ff. commod.* Sylv. *V. familia n. 4.* Engl *hic n. 5.* Reiffenstuel *ibid. n. 25.* Ratio est, quia cùm ratione famulatûs præstet ei competens salarium, uti supponitur, intuitu ejus ad magnas expensas non videtur adstringendus, quamvis sine dubio laudabiliter valde agat, si, quando alias bene habens est, liberaliùs famulo suo ægrotanti succurrat.

22 Dixi *ratione famulatûs*; nam ex obligatione Charitatis ut proximo etiam per majores expensas succurrere debet, si habet, & famulus pauper est. Sylv. *l. cit.* ubi addit, posse ægrotum famulum contra Dominum, imò etiam contra quemvis alium divitem implorare officium Judicis, saltem Ecclesiastici, ut sibi ægroto, & pauperi subveniatur *arg. can. sicut 8. dist. 47.* & *ibi* Gloss. *V. esurientium*, id probans ex *c. ad Apostolicam 42. de Simon.* Ratio patet, quia quivis tenetur pauperi, in extrema, vel gravi necessitate constituto, subvenire de superfluis naturæ, vel statûs: de quo plura TT.

23 An verò casu, quo dominus in famulum ægrotantem majores expensas fecit, illas postea de mercede possit deducere, pendet ex eo, an protestatus sit de earum deductione à se facienda, an non. *Si primum*, deductionem ejusmodi facere potest. *Si secundum*, non potest; quia censetur intuitu pietatis fecisse, conf. sine obligatione ad refusionem *arg. l. cùm tutores 1.* & *l. alimenta 11. C. de negot. gest.* Engl *hic n. 5.*

24 Alia quæstio est, an dominus famulo ægroranti tempore infirmitatis teneatur præstare Salarium, seu mercedem: ad quam *Libr. 3. Tit. 18. n. 71. fin.* respondi, ex multorum valde probabili sententia eum teneri: quod P. Engl *n. 5. cit.* putat limitandum, ut procedat quoad illum annum duntaxat, quem famulus servire saltem inceperit *arg. l. post duos 15. §. bis quoque 1. ff. de Advocat. diversi. Judicior.*

25 Quæritur 7. an pro legitimis, vel illegitimis habendi sint Expositi, & alij, quorum parentes ignorantur? Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. pr. n. 9.* Garc. *p. 7. de Benefic. c. 2. n. 8. & seqq.* Suar. *de censur. D. 50. sect. 4. n. 4.* Vasq. *1. 2. D. 66. c. 8. n. 48.* putant, habendos pro Illegitimis: & hanc sententiam de Stylo Datariæ servari, & hujusmodi Expositos cum Dispensatione solùm admitti ad Ordines, & Beneficia, testatur Corrad. *prax. dispens. l. 3. c. 2. n. 1. & 2.* Eandem esse magis tutam, & in praxi sequendam monent Sayr. *de Censur. l. 6. c. 10. n. 39.* Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 1. art. 4. de requis. ætat. confirm. & natal.* Pignatell. *tom. 7. consult. 34. per totam.*

Contrà hujusmodi Expositos legi- 26
timis accensent Palæot. *de Noth. & Spur. c. 63. n. 3. & 7.* Menoch. *l. 6. de Præsumpt. q. 54. n. 20.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 35. à n. 31.* Pont. *l. 11. de Matr. c. 6. n. 4.* Palao *tr. 13. D. 4. p. 1. §. 1. n. 9.* Barbos. *in Rubr. b. tit. n. 3.* Gonzal. *ibid. n. 8.* Wagnereck *ibid. ÿ. de prædictis not. 3.* Wiestner *hic n. 10.* Reiffenstuel *n. 20. ibid.* quorum Sententiam tenui *Lib. 1. Tit. 17. n. 3.* Et meritò, quia non illegitimi tantùm, sed etiam legitimi quandoque ob egestatem, & alias causas exponi solent, ut patet in Moyse, Cyro, Paride, Semiramide, & alijs apud Gonzal. *n. 8. cit.* ut proin in re dubia capi debeat præsumptio proli favorabilis.

Limitant hanc secundam Sententiam 27
nonnulli ad eos, qui Expositi sunt Hospitalium, & Confraternitatum, quibus Pontifex Indultum concessit, ut pro legitimis habeantur Expositi, qui ab ijs, & in ijs educantur. Secus existimant, si fuerint Expositi in alijs Hospitijs, & locis, quæ tale Indultum non habent; tunc enim putant habendos pro Illegitimis, ac proinde tanquam Irregulares ad Ordines saltem sine Dispensatione Episcopi promoveri non posse. Amostaz. *de caus. pijs l. 4. c. 11. n. 76.* & favet Monacell. *p. 2. Tit. 13. form. 7. n. 8.* sed ratio *n. præc.* data generaliter procedit de Expositis omnibus.

Neque officit Stylus Datariæ; quia 28
hujusmodi Dispensationes non fiunt de necessitate, sed vel expediuntur ad cautelam, vel pro ijs tantùm, in quibus adest certitudo maculæ illegitimitatis, non autem pro alijs, qui in occulto dubio facti versantur. Monacell. *l. cit. n. 9.* Quod adeo verum puto, ut ne quidem necessaria videatur esse dispensatio Episcopi: & si necessaria foret aliqua Dispensatio, hujus dispensatio non sufficeret; quia Irregularitas ex defectu natalium non descendit immediatè ex delicto, atqui Episcopus vi Trid. *sess. 24. c. 6. de Reform.* solùm dispensare potest in Irregularitate occulta, quæ ex delicto descendit.

Ex quo sequitur, hujusmodi Expositos 29
capaces esse Ordinum, Beneficiorum, Dignitatum, artium &c. neque in hunc finem illos adstringendos, ut probent Natales legitimos, utpote qui in ipsis ex Juris benignitate præsumuntur. *Contra* non sunt capaces Canonicatuum, Dignitatum,

& Officiorum illorum, quæ ex fundatione, vel Statuto requirunt Nobilitatem. Steph. Gratian. *Discept. forens. c. 267. n. 26.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 151.* & *ad Rubr. h. tit. n. 3.* Gonzal. *ibid. n. 8.* Reiffenstuel *n. 20.* Ratio est, quia Nobilitas, cùm non communiter insit, non præsumitur, sed probari debet. non possunt autem illam probare Expositi, cùm certum Patrem demonstrare nequeant. Vide, quæ dixi *Libr. 1. Tit. 17. n. 3. alleg.*

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, vel Casuali.

AParricidij, & Expositionis criminibus Compilatio Gregoriana nos ducit ad Homicidij explicationem genericam, de quo sit

§. I.

De Natura, & Varietate Homicidij, & Mutilationis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Definitio Homicidij in genere.*
3. 4. *Divisio in Voluntarium, & Casuale.*
5. *Voluntarij in Justum, & Injustum.*
6. *Injusti in Simplex, & Deliberatum.*
7. *Posterioris diversæ species.*
8. *Casuale duplici modo potest contingere.*
9. *Alia divisio Homicidij.*
10. &c. *Ut pœnæ Homicidij voluntarij incurrantur, requiritur animus occidendi, & ipsa mors.*
14. &c. *Unde in dubio colligendus sit animus occidendi?*
16. *Mutilatio est amputatio alicujus membri.*
17. *Quid sit Membrum?*
18. &c. *Quis dici mutilatus possit, vel non?*

1 QUæritur 1. quid sit *Homicidium*? R. *Homicidium*, dictum ab homine occidendo, *est violenta exanimatio hominis ab homine facta.* Host. *Summ. hic n. 1.* Wesenbec. *q. ad Leg. Corn. de Sicar.* Harppr. *ad §. item Lex Cornelia 5. Inst. de publ. Jud. n. 6.* Farin. *prax. crim. q. 119. n. 3.* Vallens. *hic n. 1.* Pith. *n. 1.* Schambog. *n. 2.* König *n. 2.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 2.* & communiter alij. Dixi *ab homine*; nam si homo occidatur à fera, vel bruto, propriè non Homicidium, sed *Pauperies* appellatur. *Rubr. & textus Inst. & ff. si quadrup. pauper. fecer.*

2 Addidi *Hominis*, sive humani corporis. Perinde autem est, quis occidatur, cujus ætatis, sexûs, conditionis, & an editus jam in lucem sit; nam etiam qui fœtum jam animatum interimit, Homicida est *l. necare 4. ff. de agnosc. liber.* & Homicidij pœnâ tenetur *l. si quis 8. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* & ibi Gloss. *V. infantis*, Covar. *in Clem. si furiosus un. h. tit. p. 2. §. 3. n. 1.* Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 32.* Farin. *prax. crim. q. 122. n. 131.* Paulus Zacchias *qq. Medico Legal. l. 1. tit. 2. q. 9. n. 16.* Pirhing *hic n. 1.* König *n. 12. & seqq.* Wiestner *n. 1.* Magnif. P. Schmier *tr. de potest. Ordin. c. 6. n. 287.*

3 Quæritur 2. quotuplex sit Homicidium? R. duplex est, Voluntarium, & Casuale. *Voluntarium* duplici modo committi potest, illud intendendo vel directè, & in se v. g. ferro impetitum feriendo ex proposito, & animo occidendi; vel indirectè ponendo causam adeò propinquam, ut ex ea mortem moraliter certò secuturam prævideri potuerit, licèt hæc in se non intendatur formaliter, & explicitè, sicut contingit, siquis graviter percutiat fœminam prægnantem, & inde sequatur abortus; si sclopum exploserit in locum frequentem hominibus, & inde aliquis occidatur &c. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. pr. n. 1. ¥. voluntarium*, Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 2.* Vallens. *hic n. 2.* Engl *n. 1. ¥. cæterùm*, Pirhing *n. 2.* Schambog. *n. 3.* König *n. 3.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 3.*

4 *Casuale*, sive *Involuntarium est*, quod accidit præter intentionem occidentis, adeo, ut hic id non intenderit directè, nec etiam indirectè, dando causam ejus valde propinquam, etsi fortè culpam admiserit non adhibendo debitam diligentiam ad id præcavendum, sicut fit, cùm pilâ modo in ludo non insolito ictus corruit mortuus, cùm ex vulnere non lethali Chirurgi malitiâ, vel imperitiâ mors sequitur. Covar. *in Clem. cit. p. 2. §. 4. n. 1.* Wagnereck *not. 2.* Vallens. *n. 6.* Pirhing *n. 2.* Schambog. *n. 4.* König *n. 3.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 4.*

5 Quæritur 3. quotuplex sit Homicidium Voluntarium? R. Homicidium Voluntarium aliud est *Justum*, quod nulla prohibetur Lege; aliud Injustum, quod prohibetur Lege vel naturali, vel Divina, vel

vel Humana. *Prius* vel est *Necessarium*, ac *Defensivum*, cùm quis se, vel res suas defendendi causâ interficere cogitur; vel est *Punitivum*, quod publica authoritate Magistratûs fit ad punienda delicta. Pirhing *n. 2.*

6 *Posterius* & ipsum duplex est, scilicet Simplex, & Deliberatum. *Simplex* dicitur, quod commissum est quidem animo occidendi, non tamen cum deliberatione, ex intervallo præcedente cædem, ut si factum est in rixa subitò coorta, & calore iracundiæ superveniente. *Deliberatum*, seu *Præmeditatum*, quod perpetratur cum deliberatione, & occidendi proposito ex intervallo præcedente.

7 Potéstque hoc fieri quinque potissimùm modis. 1. Simpliciter, & sine alia qualitate, quæ delicto specialem malitiam addat. 2. Ex Insidijs. 3. Proditoriè. 4. Per Assassinium. 5. Per Veneficium. *Veneficij* autem nomine hìc non intelligitur cum vulgo Sortilegium, aut Incantatio, vel alia Magiæ pars, sed Homicidium, quo aliquis veneno, dolosè porrecto, necatur *l. ejusdem 3. pr. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Carpzov. *pract. crim. p. 1. q. 20. n. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 66.* Qui ita veneno occiderit, juxta *Const. crim. Carol. V. art. 130.* si masculus sit, punitur rotâ; si fœmina, suffocatur aquis, aut alio modo morte afficitur.

8 Quæritur 4. quotupliciter contingere possit Homicidium Casuale? R. contingere potest dupliciter, videlicet 1. ita, ut vacet omni culpa occidentis. 2. Ut intervenerit aliqua istius culpa, eò, quòd ab ipso non sit adhibita debita diligentia ad homicidium cavendum. *Prius* dicitur *Merè casuale*; posterius cum addito *Culposum* vocatur.

9 Hinc alij omnes hactenus relatas Species Homicidij una divisione complexi, illud dividunt in Necessarium, Dolosum, Culposum, & Casuale. *Necessarium* dicunt, quod fit ob necessariam sui defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ; *Dolosum*, quod dolo malo, sive animo, & intentione occidendi; *Culposum*, quod sine tali intentione, sed culpâ aliquâ in præcavendo commissâ; *Casuale* denique, quod ex casu omnino fortuito committitur.

10 Quæritur 5. quid requiratur ad Homicidium Voluntarium injustum, ejúsque pœnam incurrendam? R. duo requiruntur. 1. Ut sit commissum per directam, & expressam, ac spontaneam voluntatem occidendi, per quam scilicet mors ipsa vel in se fuerit intenta, vel saltem in sua causa proxima, sive actione tali, ex qua certò, & inevitabiliter mors sequi soleat, ita, ut moraliter loquendo sit impossibile velle illam, & non velle mortem, ut siquis velit absolutè aliquem gladio ferire punctim circa præcordia, vel cæsim circa caput, & sic eum occidat. Suar. *D. 44. de Censur. sect. 1. n. 5.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5.* Pirhing *hic n. 5.* Schambog. *n. 6.* König *n. 16.* & colligitur ex *c. siquis 1. h. tit.* ibi, *per industriam* - - *& per insidias*, & *c. sicut 6. §. illi autem 1. eod.* ibi, *qui animo occidendi:* & similiter loquuntur Leges Civiles.

11 2. Requiritur, ut effectus, sive mors reipsa sequatur actu; quia generatim pœna à Jure decreta non incurritur, nisi per delictum consummatum, cùm in pœnis mitior interpretatio sit facienda *Reg. 49. in 6.* nec sint extendendæ, sed ad proprietatem verborum Legis restringendæ *Reg. 15. in 6.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. pr. n. 5.* Suar. *D. 44. cit. sect. 2. n. 2.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5.* & *in c. 18. n. 1.* Passerin. *in c. fin. eod. in 6 n. 3.* Zœs. *hìc n. 3.* Honor. *n. 3.* Pirhing *n. 5. & deinde.* Schambog. *n. 7.* König *n. 16.* & apertè colligitur ex *c. relatum 4. de Cleric. non resid. c. perpetuo 7. de Elect. in 6. c. pro humani 1. h. tit. in 6.*

12 *Ex quo sequitur 1.* non esse reum homicidij, qui animum occidendi habuit, & ipsa cædes aliunde, etiam per miraculum, fuit impedita, quamvis eam intendens in actum aliquem externum, etiam propinquum, prodierit. 2. Qui tendens ad occidendum inimicum, & inveniens eum mortuum, ut suam rabiem satiet, amputat ei caput, vel cadaver alio modo deformat; quia non potest dici occidisse hominem, qui homo dici non ampliùs potest. Navar. *Man. c. 27. n. 19.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5.* Zœs. *hìc n. 5.* 3. Qui intendit solùm percutere, & vulnerare, non tamen in parte corporis periculosa, sine voluntate occidendi; vel instrumento usus est, quod ex se non erat aptum ad inferendam mortem; nam si mors nihilominus sequatur, censebitur præter intentionem percutientis, & per accidens sequi, neque erit directè, ac perfectè voluntarium homicidium, utpote quod nec in se, nec in causa directè intendit. Suar. *D. 44. cit. sect. 1. n. 4.* Zœs. *hìc n. 4.* Pirhing *n. 5.* Schambog. *n. 6.*

13 Sunt autem animus occidendi, & cædes ipsa ita necessaria ad constituendam in foro externo malitiam Homicidij, ut si alterutrum desit, non solùm Homicidium commissum esse non censeatur, sed nec ordinariæ Homicidij pœnæ sit locus *l. lege Cornelia 1. §. Divus 3. ff. de Leg. Corn. de Sicar.* *Neque obstat*, quòd antiquitus etiam conatus ad occidendum pro delicto perfecto habitus fuerit, atque punitus, prout patet ex §. *item Lex 5. Inst. de Publ. Judic. l. Lege Cornelia 1. pr. & §. præterea*

rea 1. l. Divus 14. ff. & l. is qui 7. cum duab. seqq. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. nam hic Legum rigor successu temporis per consuetudinem multùm est diminutus, & pœnæ ordinariæ extraordinaria, etiam quando conatus ad actum proximum pervenit, substituta, uti testantur Clar. §. *fin. q. 92. n 2.* Mynsing. *cent. 3. obs. 9.* Gaill. *l. 1. de Pac. publ. l. 1. c. 14. n. 16. & seq.* & ostendit certa, ac notoria praxis Germaniæ. König *n. 17.*

14 Quæritur 6. unde animus, seu propositum occidendi in dubio colligendum sit? R. præsumitur ex facto, sive cæde, ita, ut si homicida propositum occidendi abfuisse asserat, probandi onus sustinere cogatur *l. frater 1. C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* nam animus talis præsumitur, qualem verba, vel facta ipsa declarant. Menoch. *l. 6. præsumpt. 35. n. 2.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 7. & 8.* König *hic n. 16. Excipitur*, nisi aliæ adsint conjecturæ, quæ ejusmodi præsumptionem tollant, & probationis onus in Adversarium rejiciant.

15 Tales sunt 1. si Homicida occiso consanguinitate, vel intimâ amicitiâ tempore cædis conjunctus fuit; hoc quippe casu Homicidium non tam dolo, quàm casu factum esse præsumitur. Tusch. *concl. pract. 143. n. 36.* 2. Si genus armorum, quo Homicida ad occidendum usus est, minùs ad id aptum fuerit *l. Lege Cornelia 1. §. Divus 3. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Clar. §. *Homicidium n. 5.* maximè si aptiora ad occidendum arma ad manus habuerit. Menoch. *de arbitr. cas. 361. n. 6.* 3. Si manu tantùm occidat. Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 17.* His tamen, & similibus casibus juramentum, quod Purgationis appellant, reo deferendum cum Barthol. Bertazol. *cons. 85. n. 23. vol. 1.* existimat König *hic n. 16.*

16 Quæritur 7. quid sit *Mutilatio*? R. est amputatio, vel truncatio alicujus membri, ut colligitur ex *c. Clericis 5. ne Cler. vel Monach.* & *c. in Archiepiscopatu 4. de Raptor.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 11. n. 2.* Engl *hic 51.* Pirhing *n. 119.* Schambog. *n. 91.* Reiffenstuel *n. 55.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. c. 6. n. 292.*

17 *Membrum* autem propriè dicitur pars corporis, quæ peculiarem functionem, sive officium, ab alijs partibus corporis distinctum, habet, ut sunt oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla, mamilla fœminæ, & similes. Abb. *in c. cùm illorum 32. de sent. ex comm. n. 8.* Sylv. *V. Homicidium 3. q. 3. dict. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 206.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 1. dub. 1.* Molin. *tr. 3. de I. & I. D. 69. n. 2.* Laym. *c 11. cit. n. 1. ỳ. hoc ex communi*, Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 6.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2280. & 2281.* Zœs. *hic n. 77.* Honor. *n. 6.* Engl *n. 52.* Pirhing *n. 119.* Schambog. *n. 91.* König *n. 35.* Wiestner *n. 8.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 292.* & colligitur ex illo Apostoli *Rom. 12. v. 4.* ibi, *Omnia membra corporis non eundem actum habent*, ubi membra ex actibus distinctis distinguit.

Ex quo sequitur 1. non posse dici mutilatum esse, cui infligitur solùm vulnus, etiam cum copiosa sanguinis effusione; quia ad mutilationem requiritur amputatio, Suar. *D. 44. de Censur. sect. 2. n. 6.* Zœs. *hic n. 81.* Engl *n. 51.* Pirhing *n. 119.* Correa *n. 2280. & 2281. Neque obstat*, quòd Martinus V. quibusdam Religiosis concesserit privilegium dispensandi in Irregularitate orta ex homicidio, mutilatione, & enormi sanguinis effusione; quia ut *l. cit.* advertit *Suarez*, tertia illa particula, vel tantùm addita est ad tollendos scrupulos, vel non sumenda est per se sola, sed conjuncta cum alijs, ita, ut sensus sit, vi talis privilegij dispensare illos posse, etiamsi occisio, vel mutilatio facta sit cum enormi sanguinis effusione: neque gratis fit ista additio; nam quò cum majori sanguinis effusione mors, aut mutilatio facta est, eò Irregularitas est difficiliùs dispensabilis. 18

Sequitur 2. non censeri mutilatum, cui abscissus est digitus; quia digitus non membrum, sed pro parte membri habetur *l. idem 10.* junct. Gloss. *ff. de Ædil. Edict.* Layman. *l. cit.* Suar. *sect. 2. n. 9.* Gonz. *in c. 7. n. 6.* Monacell. *p. 2. tit. 13. n. 36.* Correa *n. 2290. & 2291.* Zœs. *n. 77.* Honor. *n. 6.* Engl *n. 52.* Pirhing *n. 119. ỳ. ex quo infertur*, Schambog. *n. 91.* Reiffenstuel *n. 55.* Schmier *n. 294.* de quo tamen aliqui ex *citt.* dubitant; quia etiam digitus, licèt sine consortio manûs operari nequeat, sæpe tamen aliquid proprium habet in actione manûs, ut patet in Musica, scriptura, & similibus: hinc Suar. *l. cit.* putat hunc casum esse dubium: & propterea in casu hoc petenda est Dispensatio ad cautelam, prout *13. Jul. 1687.* respondit *S. Congr. Concil.* apud Monacell. *n. 36. cit.* 19

Sequitur 3. similiter non censeri mutilatum, cui abscinditur cartilago aurium, vel nasi; quia non est membrum, & licèt ad sensationem aliquid conferat, non tamen per illam exercetur operatio sentiendi, sed potiùs spectat solùm ad ornatum, & custodiam membri, videlicet auris, & nasi. Laym. *l. cit.* Correa *n. 2287.* Zœs. *n. 86.* cum alijs *suprà.* Sed & hunc casum in controversiam trahit cum nonnullis alijs Suar. *n. 9. cit.* quia hujusmodi cartilaginis abscissio, considerata deformitate, quam inducit, videtur esse satis gravis diminutio integritatis corporis humani. 20

Sequitur 4. multò minùs mutilatum 21 censendum, cui excutitur dens, aut re-

scin-

scinditur pars carnis ; quia nec ipsa sunt membrum, sed officium solùm habent membrum aliquod in sua functione coadjuvandi. Suar. *l. cit. n. 6.* cum reliquis *suprà.* In dubio, an abscissio aliqua pro vera mutilatione habenda sit, vel non, determinatio relinquitur arbitrio Ordinarij, qui, ut Suar. *l. cit.* monet, semper inclinabit in favorem Legis ; & Irregularitatis, cæteris paribus ; quia supponitur certa mutilatio.

§. II.

De Homicidio Voluntario Justo.

SUMMARIUM.

22. &c. *Licèt occidere injustum aggressorem vitæ aut propriæ.*
25. &c. *Aut alienæ.*
30. &c. *Cum moderamine inculpatæ tutelæ: ubi, quid ad hoc requiratur?*
35. &c. *Neque ita occidens incurrit Irregularitatem.*
43. &c. *Explicatur istud per casus particulares.*
50. &c. *An Irregularitatem incurrat, qui occidit aggressorē injustum, à quo illatam vim declinare fugiendo potuisset?*
55. &c. *An liceat occidere invasorem injustum famæ, & honoris?*
60. &c. *Aut fortunarum?*
69. &c. *An licitè, & justè ad mortem condemnentur malefactores?*
71. &c. *An aliquando liceat seipsum occidere, vel mutilare?*
74. &c. *An liceat cuivis occidere Bannitum?*
78. &c. *An Patri filiam, aut marito uxorem, vel adulterum deprehensum in adulterio?*
81. &c. *An Irregularitas incurratur propter Homicidium justum, secutum ex Sententia condemnatoria?*
83. &c. *A quibus hæc incurratur?*
88. &c. *Quinam ex hoc capite Irregularitatem non incurrant?*
96. &c. *Qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis?*
102. &c. *Quando Irregularitatem incurrat Prælatus Ecclesiasticus, causas sanguinis demandans alteri?*
106. &c. *An eam evitet Accusator interponens protestationem, quòd pœnam sanguinis non intendat?*
110. &c. *An similis protestatio juvet civiliter agentem de crimine?*
117. &c. *Qualis debeat esse hæc protestatio.*
121. &c. *Quid dicendum de teste in causa sanguinis.*
124. &c. *Quid de Supplicij capitalis Spectatoribus?*
127. *Quodnam sit bellum justum, & quotuplex?*
128. &c. *An Irregulares fiant, qui pugnant in bello justo defensivo?*
131. &c. *Vel offensivo?*
134. &c. *Quid dicendum de Clerico pugnante in bello justo offensivo?*
137. &c. *Quinam in bello injusto incurrant Irregularitatem?*
143. &c *An eam incurrant, qui milites animant ad pugnandum?*

JUstum Homicidium secundùm dicta *n. 5.* dupliciter potest contingere, scilicet vel authoritate privata ob necessariam sui defensionem, vel authoritate publica per Sententiam condemnatoriam nocentis, vel per cædem hostis in bello justo. Hinc

11 Quæritur 1. an aggressorem injustum liceat occidere? Ita, licèt, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ita S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 7.* Clar. §. *Homicidium n. 24.* Farin. *prax. crim. q. 125. n. 3.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 11.* Barbos. *in c. 2. n. 3.* & *in c. 18. n. 12.* Wagnereck *ibid. not. 1.* Haun. *tom. 1. de 7. & 7. tr. 2. n. 630.* Vallens. *hic n. 3.* Zoes. *n. 27.* König *n. 20.* & *31.* Wiestner *n. 26.* Reiffenstuel *n. 130.* & alij TT. ac JCti. Patet ex *l. ut vim 3. ff. de 7 & 7.* ubi Florentinus, *Quod quisque*, inquit, *ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur.* Concordant *l. sed & si 5. pr. ff. ad Leg. Aquil. l. is, qui 2. & seqq. C. ad Leg. Corn. de Sicar. & Const. crim. Carol. V. art. 140.*

12 *Ratio est*, quia talis occisio habet speciem defensionis, quæ à natura cuilibet permissa est. *Conf.* quia si hoc Leges non permisissent, innoxij, & bonæ conscientiæ homines à malis, & ijs, qui iræ, vindictæ, & alijs passionibus indulgent, passim, & liberè invaderentur, cujusmodi invasionum licentia magis perniciosa Reip. est, quàm esse possit facultas, quibus quis potest, modis contra injustum invasorem se defendendi.

14 *Ex quo sequitur*, ità occidentem in foro tam Civili, quàm Canonico ab omni pœna immunem esse. *Clem. un. h. tit. l. is qui cit. & l. seq. C. ad Leg. Corn. de Sicar. & Const. Carolin. cit. art. 139. & 140.* adeò, ut invasus nec impensas in curam, vel Medicos factas, nec damnum operarum amissarum, neque aliud quidpiam hæredibus interfecti resarcire cogatur. *Const.*

crim. art. 140. cit. Berlich. *p. 4. concl. 12. n. 3.*

25 Dub. 1. an vim vi repellere, & observato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere liceat tantùm in defensionem propriam, an verò etiam in defensionem aliorum innocentum, quos alius, vel alij injustè aggrediuntur? ℟. affirmativè: & procedit hoc non tantùm, quando defendendi sunt parentes, uxor, liberi, aut alij conjuncti, sed etiam quando extranei innocentes vim ejusmodi patiuntur. Patet ex *can. fortitudo 5. & seqq. caus. 23. q. 3. c. dilecto 6. ℣. & quidem de Sent. Excom. in 6.* & *Const. crim. cit. art. 150. §. item* so einer. Clar. §. *Homicidium n. 27.* Farin. *prax. crim. q. 124. à n. 267.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 5.* Vivian. *in c. 2. b. tit. pr.* Barbos. *ibid. n. 6.* & *in Clem. un. b. tit. n. 19.* Haun. *de J. & J. tom. 6. tr. 2. n. 318.* Zœs. *hic n. 36.* Engl *n. 18.* Wiestner *n. 27.* Reiffenst. *n. 137.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. c. 6. n. 300.*

26 *Ratio est*, quia præcepto Divinæ Legis jubemur proximum diligere, sicut nos ipsos. igitur eundem, quibus nos ipsos possumus, & solemus, modis periclitantem defendere licebit. licet autem nos ipsos defendere etiam occidendo injustum aggressorem, si aliter periculum averti nequeat, ergo & proximum. *Conf.* exemplo Moysis, qui in defensionem Hebræi cujusdam occidit Ægyptium, & propterea à Spiritu S. per os S. Stephani fuit laudatus. *act. 7. v. 24.*

27 Est autem hæc obligatio aliquando ex Charitate tantùm, quâ tenemur succurrere proximo periclitanti; aliquando insuper ex Justitia, & quidem rigorosè etiam cum proprio periculo, veluti cùm alicui ex officio incumbit alios ab injurijs, & damnis defendere, uti sunt 1. Principes, & Magistratus respectu subditorum. 2. Vasalli respectu Dominorum, à quibus feuda acceperunt, ex pacto. 3. Milites respectu eorum, pro quibus militant, & respectu Ducum suorum, ex Sacramento. 4 Filij respectu Parentum, ex pietate, & gratitudine. Engl *n. 18. & 19.*

28 Interest autem plurimùm, an quis teneatur ex Charitate, an ex Justitia; nam si ex Charitate solùm tenetur, non tenetur cum magno sui periculo; secus, si ex Justitia: item quando aliquis tenetur ex Justitia, si obligationem suam non impleat, obligatur ad reparandum damnum, quod inde oritur; at quando aliquis obligatur solùm ex Charitate, omittens implere hanc obligationem peccat quidem, ad reparationem tamen damni, ex omissione orti, non obligatur. Engl *n. 20.*

29 Porro licentia hæc suam, aut alterius vitam contra injustum aggressorem defendendi procedit, etiamsi defensio hæc fieri non possit, nisi cum periculo alterius innocentis; nam per innocentis interpositionem non potest eripi alicui jus defendendi se à natura competens. Et hinc arcem, aut urbem oppugnans, in qua sunt innocentes, non tenetur ideo minùs eam oppugnare, ut nocentes puniat: & à tiremi Turcarum invasus, non tenetur à sui defensione cessare propter remiges Christianos, qui in ea sunt, & lædi possunt; quia damnum hoc per accidens contingit. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 119. n. 7.* Zœs. *hic n. 32.*

Dub. 2. quid requiratur, ut censeatur observatum moderamen inculpatæ tutelæ? ℟. ex communi DD. requiruntur sequentia, 1. Ut is, qui sic occiditur, fuerit aggressor injustus; non enim potest esse justa defensio sibi, ubi non præcessit injusta offensio. Suar. *D. 46. de Censur. sect. 1. n. 7.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 5. sect. 3. dub. 2. concl. 1.* Zœs. *hic n. 27.* Pirhing *n. 92.* König *n. 21.* Wiestner *n. 28.* Reiffenstuel *n. 132.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. c. 6. n. 303.* Censetur autem injustus aggressor etiam, qui ferrum stringit, aut sclopum expedit animo occidendi; neque enim quis tenetur exspectare ictum, vel explosionem, sed potest antevertere occidendo, ut præter *cit.* notat Clar. §. *Homicidium n. 33.* Navar. *l. 5. conf. 31. b. tit.* & *Man. c. 15. n. 2. fin.* Farin. *prax. crim. q. 125. n. 74.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 13.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1.* Carpzov. *pract. crim. p. 1. q. 29.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 635.* Engl *hic n. 16.* & patet ex *l. sed & si 5. pr. ff. ad Leg. Aquil. l. siquis 3 ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *Const. crim. Carol. V. art. 140.*

2. Ut defensio offensioni avertendæ sit proportionata *c. ut famæ 35. de Sent. Excomm. fin.* ibi, *Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio - - - exigit.* Concordat *l. sed & si 5. pr. ff. ad Leg. Aquil.* & *l. scientiam 45. §. qui cùm aliter 4. ff. eod.* Hinc quando vis illata averti, & vinci potest pugno, aut baculo, vel aggressorem exarmando, fugando, humi prosternendo &c. mors inferri nequit. Sylv. *V. Homicidium 3. q. 4. dict. 1.* Suar. *sect. 1. cit. n. 8.* Zœs. *hic n. 27.* Pirhing *n. 92. ℣. 2. requiritur.* König *n. 22.* Wiestner *n. 29.* Reiffenstuel *n. 133.* Magnif. P. Schmier *c. 6. cit. n. 302.*

3. Ut conflictus fiat paribus armis: quod tamen, ut rectè explicat Navar. *Man. c. 15. n. 3.* & ex eo Engl *hic n. 17.* tunc solùm procedit, quando inter invasorem, & invasum est paritas in fortitudine, & conditione statûs. Hinc damnandus non est, qui contra validum latronem cum fuste venientem sclopetum explodit, vel Nobilis, qui contra plebejum non pugno, sed

sed gladio se defendit, dummodo à majori violentia, quàm ad sui defensionem necessaria sit, abstineat. Navar. *n. 3. cit.* Berlich. *p. 4. concl. 13. n. 54.* Engl *n. 17. cit.* König *n. 22.* Imò cùm, ut *n. seq.* dicam, defensio fieri in continenti debeat, plerumque neque locus, neque tempus est inquirendi, vel sollicitandi paritatem armorum. Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 304.* Interim tamen, si conflictus paribus armis factus sit, major erit præsumptio pro eo, qui alterum sui defendendi causâ occidit, quòd moderamen rectè observârit. König *l. cit. fin.*

33 4. Ut defensio fiat in continenti, h. e. in ipsa invasione, & concertatione *l. quod est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi, & vi arm.* & *c. si verò 3.* ibi, *Si in continenti vim vi repellat, de Sent. Excomm.* nam si ex intervalio hoc fiat, & ubi jam aggressor nullam ampliùs aut vult, aut potest inferre vim, non tam defensio, quàm vindicta foret occidere. Gloss. *in c. 18. V. moderamine h. tit.* Abb. *ibid. n. 9.* Clar. *§. Homicidium n. 34.* Azor *p. 2. l. 2. c. 1. q. 2.* Boër. *decis. 168. n. 6. & seq.* Farin. *prax. crim. q. 125. n. 338.* Gaill. *l. 1. de Pac. publ. c. 16. n. 17.* Pirhing *hic n. 92.* König *n. 22.* Wiestner *n. 30.* Reiffenstuel *n. 134.* Magnif. P. Schmier *c. 6. cit. n. 303.* Hinc si digladiantes aliquamdiu separati fuerint, & postea invasus invasorem, & hostem suum invadat, occidátque, frustra necessariam defensionem prætendit Damhoud. *prax. crim. c. 67. n. 11.* Idem est, si invasus, & læsus se domum conferat, indéque arrepto gladio, ad aggressorem revertatur, & eum interficiat. Tusch. *concl. pract. 129. n. 15. tom. 2.* & ex eo König *n. 22. cit.* Secus foret, si postquam invasor aggredi jam cessavit, & aufugit, sit periculum novæ invasionis; quia in tali casu præventio nec vindicta, nec injusta aggressio, sed pura defensio foret. Navar. *Man. c. 15. n. 2.* Pirhing *hic n. 92.* Reiffenstuel *ibid. n. 135.*

34 Porro an requisita hæc, & consistens in ijs moderamen sit observatum, prudentiæ, & arbitrio Judicis pro foro externo est relinquendum. Suar. *sect. 2. cit. n. 7.* Farin. *q. 125. n. 395.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1.* Pirhing *n. 92. fin.* Reiffenstuel *n. 136.* Dixi *in foro externo*; nam in foro conscientiæ unusquisque sequi potest judicium conscientiæ suæ, vel alterius viri prudentis, & docti, pensatis circumstantijs. Suar. *l. cit.*

35 Dub. 3. an qui ob sui, suorúmque, aut etiam extranei defensionem injustum invasorem occidit, servato dicto moderamine, incurrat Irregularitatem? Affirmant aliqui, quibus consentit Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 30.* ubi ait, sic occidentes Irregulares fieri, sed Irregularitate facilè dispensabili. Fundantur 1. *can. de his 6.* & *can. siquis 8. dist. 50.* quibus textibus reus Homicidij, ob defensionem commissi, à susceptione, & usu Ordinum repellitur. 2. Ex Concil. Trig. *sess. 14. c. 7. de reform.* ubi loci Ordinario facultas committitur dispensandi cum illo, qui ut morte se liberaret, vim vi repellendo occidit.

Sed tenenda est negativa Sententia, 36
quam etiam defendunt S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 7. Corp.* Abb. *in Clem. si furiosus h. tit. n. 10.* Covar. *ibid. p. 3. §. un. n. 1. & 5.* Clar. §. *Homicidium n. 27. & 28.* Navar. *Man. c. 27. n. 207. & 212.* Suar. *D. 46. de Censur. sect. 1. n. 4. & 7.* Avila *p. 7. D. 5. sect. 3. dub. 5.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 1. & 2.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 109. concl. 3.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 8. n. 1.* Barbos. *in Clem. cit. n. 11.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 9.* & *in c. 18. eod. n. 5.* Zœs. *hic n. 28.* Engl *n. 55.* Pirhing *n. 77. & 81.* Schambog. *n. 50.* König *n. 32.* Reiffenstuel *n. 146. & 154.* Magnif. P. Schmier *tr. de potest. Ordin. c. 6. n. 297. & seqq.* Et quidem, quòd Irregularitatem non incurrat, qui injustum invasorem propriæ vitæ occidit, aut mutilat, patet ex *Clem. cit.* ubi expressè ita occidens ab Irregularitatis incursu absolvitur.

Quòd verò eandem Irregularitatem etiam non incurrat, qui occidit injustum invasorem patris, matris, vel alterius cognati, aut etiam extranei innocentis, ostendere videtur ratio; quia si per tale Homicidium incurreretur Irregularitas, illa incurreretur vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis Christianæ: non autem incurrit eam *ex delicto*; quia non delinquit, cùm licitè occidat, & aliquando etiam ex obligatione Legis naturalis, & Divinæ, vi cujus tenetur quis defendere proximum, neque etiam *ex defectu lenitatis Christianæ*; quia talis defectus esse, vel dici non potest, quando quis occidit hominem, ad quod Christiana pietate, vel etiam ex Justitia obligatur, cùm una virtus non contradicat alteri, nec repugnet cum altera. *Conf.* quia Irregularitas solùm Jure Ecclesiastico est introducta, non autem est credibile, quòd Ecclesia voluerit aliquem inhabilem reddere ad Ordines suscipiendos, vel exercendos, propterea, quòd Legem naturalem servaverit, & noluerit incurrere mortem Spiritualem animæ; nam alioquin abstraherentur fideles ab observatione præcepti Divini metu Irregularitatis.

Neque obstat, quòd in *Clem. cit.* ab 38
Irregularitate tantùm excipiatur is, qui occidit alium ad defendendam vitam propriam; nam ibi non excluditur necessaria defensio proximi: neque in illa *Clem.* Pontifex condidit Jus novum, sed declaravit antiquum quoad casum particularem de-

fensionis vitæ propriæ, qui est casus gravissimus, & non rarò contingit; reliquos verò, qui rariùs accidunt, reliquit opinioni DD. Avila *dub. 5. cit.* Pirh. *n. 81. Minùs obstat*, quòd etiam Judex Irregularis fiat, quamvis licitè, & sine culpa, imò ex obligatione Justitiæ ad mortem malefactores condemnet; nam Homicidium hoc in causa voluntarium est Judici, utpote qui officium Judicis suscepit sponte, vel saltem non ita coactè, ut non posset sine peccato illud recusare. Avil. Pirh. *l. cit.*

39 Aliud est, si in defensione propria, aut proximi innocentis moderamen inculpatæ tutelæ non observetur, & injustus aggressor occidatur, à quo quis defendere se potuisset illum mutilando, aut debilitando tantùm; nam tali casu Irregularitatem incurrit occidens, cùm occisio talis non necessaria, adeoque illicita, & injusta sit, Sylv. *V. Homicidium 3. q. 4. pr.* Henriq. *l. 14. c. 10. n. 2.* Suar. *D. 46. cit. sect. 1. num. 8.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 3. dub. 2. concl. 3.* Hurtad. *D. 2. de Irregul. difficult. 10. n. 35.* Palao *p. 15. §. 8. cit. n. 3.* & colligitur ex Trid. *sess. 14. c. 7. de reform.*

40 Et propterea tale Homicidium etiam in foro Sæculari punibile est, non quidem pœnâ ordinariâ, ut nonnulli cum Bald. *in l. 11. C de emendat. Servor.* volunt, sed extraordinariâ, & mitiore carceris, relegationis, multæ pecuniariæ &c. pro qualitate delicti; ut habetur *Const. crim. Carol. V. art. 142. §. fin.* eò quòd aggressor sibi imputare debeat damnum, ex offensione alterius secutum, & ignoscendum aliquo modo sit invaso, & provocato, si non potuit in continenti justam iram temperare *arg. l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de adulter.*

41 Et hoc verum est, licèt excessus latâ culpâ commissus sit *l. in lege 7. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Tiraquell. *tr. de Pœn. temper. caus. 1. n. 8.* Imò etiamsi probaretur, aut constaret, excessum dolo malo, & cupidine vindictæ esse factum. Clar. §. *Homicidium n. 34.* Berlich. *p. 4. concl. 18. n. 1. & 14.* König *hic n. 31.* Atque Sententia hæc teste Clar. *l. cit.* communis, & receptissima.

42 Textus *n. 35.* in contrarium allegati, ut notat Gloss. *fin. in can. de his*, & *in can. si quis V. defensione*, Suar. *sect. 1. cit. n. 3.* Barbos. *de Offic. Episc. Alleg. 39. n. 54.* Pirhing *hic n. 77.* intelligendi sunt de casu, quo occisor moderamen inculpatæ tutelæ excessit: quod etiam colligitur ex eo, quia non est credibile, quòd Synod. Trid. PP. voluerint corrigere *Clem. si furiosus cit.* & Irregularitatem inducere, à qua *Clem.* ista absolvit.

43 Dub. 4. quibus casibus Irregularitas non incurratur ex occisione injusti aggressoris, facta in defensionem vitæ propriæ, aut proximi? R. in nullo casu incurritur, quando defensio est necessaria, & moderamen inculpatæ tutelæ ab occidente observatur. Estque perinde, sive occisus sit aggressor formaliter injustus, sive materialiter, sive actu vim intentet, sive eam moliatur in actu proximo. Patet ex dictis.

Ex quo sequitur 1. Irregularem non 44
esse, qui prævenit aggredi se volentem, & priùs occidit; quia, ut *n. 30.* dictum est, non tenetur exspectare, donec ab ipso præveniatur, modò aliud medium evadendi mortem non superfit; quia plus tenetur quis providere vitæ suæ, quàm alienæ, ut at S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 7. Corp.* Pirhing *hic n. 78. Extens. 1.* Engl *ibid. n. 16.*

2. Irregularis non est, qui alium 45
occidit, à quo ipse, vel proximus ejus innocens aliàs fuisset mutilandus, v. g. manu, pede &c. si aliàs integritas membrorum propugnari nequeat; quia sicut mutilatio alteri injustè facta æquiparatur Homicidio quoad Irregularitatem contrahendam, ita defensio à mutilatione æquiparatur defensioni à morte quoad excusandam Irregularitatem, præsertim cùm contingere possit, ut ex abscissione membri, vel vulnere lethali mors consequatur. Suar. *D. 46. de Censur. sect. 2. n. 6.* Pirh. *n. 78. cit. Extens. 2.*

3. Irregularis non est, qui ob sui 46
necessariam defensionem occidit innocentem invasorem, ut furiosum, vel amentem, si aliter se contra istum tueri nequeat; quia tunc cædes innocentis tantùm per accidens contingit, utpote non intenta per se, sed secuta ex opere licito, & necessario, quod est defendere vitam propriam. Barbos. *in Clem. un. b. tit. n. 17.* Pirhing *l. cit. Extens. 3.* Contra Ministros Justitiæ tamen maleficus se defendere eos mutilando, vel occidendo nequit; quia cùm illi exequantur justum imperium Judicis, non sunt aggressores injusti: & hinc contra eos se defendendi jus nullum reo competit.

4. Irregularis non est, qui cùm 47
seipsum non possit defendere, evocat alium, ut ipsum defendat ab injusto aggressore, & hunc occidat; quia quod licet alicui facere per seipsum sine Irregularitate, potest etiam per alium, cùm id censeatur per seipsum facere. Navar. *Man. c. 27. n. 212.* Zoes. *hic n. 35.* Pirhing *Extens. 4.*

5. Irregularis non est, qui invaso- 48
rem suum ad se defendendum occidit, licèt cum interno odio, vel appetitu vindictæ; quia actus internus sine actu externo non sufficit ad Irregularitatem inducendam, si revera quis occidat ad defendendam vitam suam. Barbos. *in Clem. cit. n. 16.* Pirh. *Extens. 5.*

6. Irregularis non est, qui ob sui de- 49
fensionem occidit aggressorem, quem tamen

men ad se invadendum contumeliosis verbis, inflictâ alapâ, stupro illato ipsius uxori, aut filiæ, vel aliâ injuriâ irritavit, si non prævidit, quòd illata injuria necis sibi intentandæ periculum allatura sit. Secus, si prævidit, & non præcavit; tunc enim Irregularis fit ita occidens, vel mutilans, ut cum alijs monet Navar. *Man. c. 27. n. 238.* Gutier. *can. qq. l. 2. c. 6. n. 43.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 72. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 8. n. 2. fin.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 9.* Zoes. *hic n. 29. & 30.* Wiest. *n. 34.* Reiffenst. *n. 152.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. c. 6. n. 308. & 309.* Ratio est, quia tale Homicidium injustum est in causa: cons. ita lacessens alterum reus est Homicidij saltem casualis, sed hujus reus in casu, quo debitam diligentiam non adhibuit in præcavendo, Irregularitatem incurrit, ut *infrà à n. 210.* declarabitur. ergo &c.

50 Dub. 5. an Irregularitatem incurrat is, qui pro sui defensione occidit invasorem injustum, à quo illatam vim declinare potuisset fugiendo? Conveniunt DD. non fieri Irregularem, quando fugiendo se exponeret periculo, quia dubitabat, ne fortè cadat, aut aggressor, ex fuga ipsius audacior factus ipsum insequatur, & occidat, vel mutilet; tunc enim non tenetur quis tali periculo se exponere, ideóque, etsi non fugiat, sed occidat aggressorem, non incurrit Irregularitatem ullam, etsi Clericus sit; neque enim qualitas loci, & temporis patitur plenius deliberandi consilium. Sylv. *V. Homicidium 3. q. 4. dict. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 8. n. 4. fin.* Barbos. *in c. 10. h. tit. n. 3.* Pirhing *hic n. 79. fin.*

51 *Difficultas* est, an, qui morale periculum nullum videt fore in fuga, Irregularis fiat, si omissâ fugâ, invasorem injustum occidat? Affirmant Gloss. *in Clem. un. V. non valens. h. tit.* Abb. *in c. olim 1. de restit. spoliat. n. 28.* Sylv. *V. Excommunicatio 6. q. 9.* Navar. *Man. c. 27. n. 211.* Majol. *l. 5. de Irregul. c. 48. n. 6.* Henriq. *l. 14. c. 10. n. 3.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 3. dub. 2. §. ex dictis*, Barbos. *in Clem. cit. n. 23.* Pirhing *hic n. 79.* & desumunt istud ex textu *Clem. cit.* ubi ab Irregularitate pronuntiatur immunis ille, qui aggressorem aliter non potuit declinare. potuisset autem in casu præsente occidens. ergo &c.

52 Sed melius adhibetur distinctio, quâ utuntur Covar. *in Clem. cit. p. 3. §. un. n. 1. & 4.* Suar. *D. 46. de Censur. sect. 1. n. 5. & 6.* Conink *D. 18. dub. 6. n. 90.* Berlich. *p. 4. concl. 13. n. 31. & seqq.* Bonacin. *de Censur. D. 7. q. 4. l. 6. n. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 8. n. 5.* Barbos. *in c. 2. h. tit. n. 5.* Gonzal. *in c. 11. eod. n. 9.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 637. & 638.* Zoes. *hic n. 31.* Engl *n. 15.* Pirhing *n. 80.* Schambog. *n. 51.* König *n. 22.* Wiestner *n. 36.* Reiffenstuel *n. 149. & 150.*

53 Vel enim fugere invasus potest sine infamia, & dedecore gravi, ut homines plebeij, Clerici, & Religiosi, vel non potest, ut milites, & viri nobiles sæculares. *Si primum*, occidens eo casu incurrit Irregularitatem; quia respectu ipsius ad vitæ defensionem non est necessaria occisio. *Si secundum*, eam non incurrit; quia hujusmodi hominibus æqualis, imò major est jactura famæ, quàm vitæ igitur si ob defensionem vitæ occidens ab Irregularitate excusatur, etiam talis excusabitur, qui occidit aggressorem vitæ, & violentiam illius non potest evitare, nisi cum suo magno dedecore.

54 Neque obstat *Clem. cit.* nam esto, ibi non excipiatur occidens invasorem, qui non potest absque ignominia mortem vitare, excipitur tamen, ut bene advertit Palao *l. cit.* in communi Regula, qui solùm Homicidio illicito, & injusto hanc Irregularitatem imponit. Deinde ita occidens revera adhuc occidit in defensionem vitæ, & licitè ipsi simul cum occisione etiam proponatur aliud medium evitandi periculum vitæ, nempe fuga, non tamen credibile est, quòd Ecclesia obligare illum voluerit ad eligendum medium sibi graviter ignominiosum, cùm adsit aliud, quo defendere se possit absque ignominia.

55 Dub. 6. an liceat occidere injustum invasorem famæ, & honoris? Affirmant Azor *p. 3. l. 2. c. 1. q. 16.* Sot. *l. 5. de Just. q. 1. art. 9.* Tann. *tom. 3. D. 4. q. 8. n. 73.* Dian. *tom. 8. tr. 5. res. 9. n. 5.* & alij nonnulli: quod etiam videtur deduci ex dictis *n. 53.* ubi ab Irregularitate immunem pronuntiavimus eum, qui injustum invasorem vitæ occidit, quamvis fugâ evitare posset periculum, si hæc eidem graviter ignominiosa sit. Atqui iste revera occidit in defensionem honoris; nam vitam fugâ salvare posset, ergo &c. *Cons.* fama, & vita pari passu ambulant *l. isti 8. §. quod si 3. ff. quod met. caus. l. justa 9. ff. de manumiss. vindict.* & crudelis in se est, qui famam suam negligit *can. non sunt 56. caus. 11. q. 3.* & *can. nolo 10. caus. 12. q. 1.* atqui secundùm hactenus dicta injustus aggressor vitæ impunè occidi potest. ergo & famæ.

56 *Contrà* negativam defendunt, & propterea sic occidentem Irregularem pronuntiant Sylv. *V. Homicidium 3. q. 4. dict. 1.* Navar. *l. 5. cons. 6. n. 4. h. tit.* Reginald. *prax. tom. 2. l. 21. c. 5. n. 63.* Less. *tr. 2. de J. & J. c. 9. n. 79. & 82.* Fill. *tr. 29. c. 3. n. 51.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 3.* Barbos. *in c. 10. h. tit. n. 3. fin.* Carden. *cris. Theol. dissert. 21. c. 2. per totum.* Pirhing *hic n. 79.* Schambog. *n. 51.* König *n. 23.* idque colligi videtur ex *Clem.*

un h. tit. ubi ab Irregularitate pronuntiatur immunis, *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem,* ergo à sensu contrario, si non agatur de vita, sed tantùm de fama, & honore, is, qui propterea occidit, vel mutilat, Irregularis efficitur.

57 Quidquid sit, esto, quòd Sententia affirmans probabilitate aliqua speculativa non careat, ea locum habere non potest, nisi quando invasio præsens est, & quasi in puncto illius factæ, aut faciendæ; nam quando facta jam est, occisio propterea facta non defensionis, sed vindictæ potiùs rationem obtineret. Imò etiam tunc, quando occisio fit ad calumniam injustam, vel effectum illius impediendum, in praxi rarissimè locus huic sententiæ est; nam 1. sæpe contingit, quòd calumniator calumniam in vulgus jam sparserit: quo casu nihil proderit calumniatoris occisio, utpote quâ non impeditur effectus calumniæ. 2. Ignominiam tolerare non est vera ignominia, sed apud DEUM, & homines prudentes verus honor, & gloria, quæ ex virtute, & animi constantia nascitur: imò plerumque ignominia illata, aut inferenda per occisionem non cavetur, aut tollitur, sed augetur, ut adeò occisio non sit medium aptum ad propulsandam calumniam. 3. Ad defensionem honoris, famæ, & existimationis multa alia prodita sunt legitima media, veluti actio injuriarum tam Civilis, quàm Criminalis, actio ad Palinodiam, & retorsio verbalis, ut adeò injuriantem ob defensionem honoris occidere vix unquam cogat necessitas. Quæ omnia confirmantur ex Decreto *Alexandri VIII. Prop. 17. & 18.* & *Innocentij XI. Prop. 30.* ubi inter prohibitas refertur sententia, quæ docet, quòd liceat viro honorato occidere eum, qui nititur gravem calumniam sibi inferre, aut qui minatur libellis famosis, vel revelatione injusta veri, falsive criminis honorem graviter diminuere.

58 Ad Argumentum contrarium *n. 55.* allatum dico, in casu illo adhuc defendi vitam, sed ex duobus medijs eam defendendi eligi unum minùs ignominiosum invaso, nempe occisionem invasoris, ex præsumptione, quòd Ecclesia usum illius sub pœna Irregularitatis eo casu non prohibeat. *Ad Conf.* etsi fama, & honor respectivè æquiparentur vitæ, in eo tamen maxima disparitas est, quòd honor, ut *n. præc.* ostensum est, plerumque alia ratione, si non conservari, saltem recuperari potest: adeóq; cùm habeatur aliud remedium Jure constitutum, non licebit per viam facti procedere. Contrà autem vita hominis, nisi in continenti defendatur, semel amissa nulla arte revocari potest. Nec dici potest famam suam negligere, ac insuper habere is, qui injurias legitimo Magistratûs auxilio, non per cædes vindicat.

59 Dub. 7. an liceat occidere aggressorem injustum pro defensione rerum temporalium? Satis convenit inter DD. licitam esse occisionem, si defensio sit mixta, i. e. si consideratis circumstantijs loci, temporis, & personarum, periculum sit, ne raptor non tantùm in bona, sed etiam personam aliquid moliatur, prout patet ex *c. interfecisti 2. h. tit.* Et hinc Jure Civili licèt occidere furem nocturnum, si absque periculo capi, aut expelli nequeat; quia cùm nox reddat homines temerarios, non potest facilè dignosci, an ad furandum, an ad occidendum venerit, aut quale facinus tentaturus sit; diurnum autem furem tunc occidere licet, si se armis defendat *c. si perfodiens 3. h. tit. l. itaque 4. ff. ad Leg. Aquil.* & *l. furem 9. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*

60 Tota autem difficultas est, an idem dicendum, si nullum personæ periculum immineat, an si v. g. fur cum meo equo, aut sarcina jam aufugiat, quem adhuc telo, aut sclopo insequi possum, hoc mihi liceat? Negant hoc casu licitum esse occidere Gloss. *fin. in c. 2. h. tit.* Abb. *ibid. n. 2.* Sylv. *V. Homicidium 2. q. 16. n. 11.* Navar. *Man. c. 27. n. 211. & seqq.* Gutier. *qq. can. l. 2. c. 6. n. 61.* Molin. *tr. 3. de I. & I. D. 72. n. 3.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 3. dub. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 3.* Fagnan. *in c. interfecisti 2. n. 4. & seqq.* & *in c. suscepimus 10. h. tit. n. 7. & seqq.*

61 Moventur 1. textu *Clem. un. h. tit.* ubi ab Irregularitate solùm absolvitur, qui invasorem occidit ad defensionem vitæ. 2. *c. interfecisti cit.* ubi illud homicidium tantùm fieri impune dicitur, quod aliquis committit *se, & sua liberando:* adeoque non tantùm res, sed & personam defendendo. 3. *c. suscepimus cit.* ubi Irregularis pronuntiatur, qui furem occidit, & ratio datur, quòd *expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam,* quàm interficere pro earum conservatione. 4. *c. significasti 18. eod.* ubi Clericus, pro defensione rerum Ecclesiæ percutiens, Irregularis judicatur, si vulnus, ab eo inflictum, lethale fuerit. 5. *Ratione;* quia notabilis defectus lenitatis est, pro bonis inferioris ordinis vitam alteri tollere. sunt autem bona fortunæ inferiora vitâ, ergo &c.

62 Sed distinguendum est inter casum, quo levis solùm momenti invaduntur bona, & inter eum, quo invaduntur bona magni momenti: item an ista posteriora, si subtracta fuerint, viâ Juris facilè recuperari valeant, an verò non. Si levis solùm momenti bona sint, aut magni quidem, sed viâ Juris facilè recuperabilia, illicita

licita est occisio, & propterea Irregularitas ab occidente certò incurritur. Covar. *in Clem. si furiosus p. 3. §. un. n. 6. ℣. decimò*, Farin. *prax. crim. q. 125. n. 238.* Zœs. *hic n. 34.* Pirhing *n. 91.* Wiestner *n. 38.* Reiffenstuel *n. 139.* & reipsa consentiunt DD. *n. 65.* allegandi. Et hinc meritò Innocentius XI. damnavit Propositionem sequentem: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

64 *Excipit* Carden. *Cris. Theol. Dissert. 21. c. 4. n. 82. & 90.* duos casus. 1. Quando fur intentat rapere aureum, aut rem talis valoris de manibus viri nobilis, & is raptus sit viro nobili ignominiosus; tunc enim iste potest rem talem defendere opponendo gladium, & si quidem fur desistat, non licebit illum percutere: si verò etiam ipse educat gladium contra dominum illius rei, jam fur non solùm est invasor rei, & honoris, sed etiam vitæ; cons. contra eum se invasus defendere poterit defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ. 2. Quando res ablata, licèt in se nec aureum valeat, ratione necessitatis tamen æquivalet multis aureis, ut si fur intentet auferre artifici instrumentum artis, quo ablato, cùm aliud simile invenire non possit, necesse est illum cessare ab opere, atque adeò cessare sustentationem suam, & suorum; in hoc enim casu attenditur non ad valorem, quem habet instrumentum in se sed ad detrimentum, quod ex ablatione resultat artifici, & fortasse multis aureis æstimabitur.

65 Quodsi verò bona, quæ fur auferre tentat, sint magni momenti, & aliter non recuperabilia, cædes pro eorum defensione est licita. Sylv. *V. bellum* §. 2. *q. 2.* Clar. §. *Homicidium n. 25.* Covar. *n. 6. V. decimò cit.* Suar. *de Censur. D. 46 sect. 2. à n. 4.* Farin. *q. 125. n. 168. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 9. dub. 11. n. 73.* Coninck *D. 18. dub. 9. n 80. & 88.* Fill. *tr. 20. c. 5. q. 6. n. 146.* Bonacin. *de Irreg. D. 7. q. 4. p. 6. n. 10.* Gaill. *l. 1. de Pac. Publ. c. 16. n. 10. 15. & 16.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 8. n. 7.* Barbos. *in c. 2. b. tit. n. 4. & in Clem. un. n. 20.* Gonzal. *in c. 3. n. 11.* Wagnereck *in c. 18. not. 5.* Zœs. *n. 34. hic*, Pirhing *n. 86.* König *n 24.* Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel *n. 138.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 312.* & sumitur ex *l. rede 1. C. unde vi, l. quod est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi, & vi armat. l. furem 9. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *Const. crim. Carol. V. art. 150. circa pr.* ubi inter Homicidia inculpata numerat, siquis pro defensione vitæ, vel bonorum alterius hominem occidit.

66 *Ratio* est 1. quia res, vel bona alter hominis sanguis, & vita esse dicuntur propter summam eorum necessitatem ad vitam conservandam: & hinc metus amissionis omnium, vel majoris partis bonorum æquiparatur metui mortis à Gloss. *in l. advocatis 14. C. de Advocat. diversi. Judic.* & Tiraquell. *de Nobilit. c. 31. a n. 364.* 2. Licitum est bellum tam offensivum, quàm defensivum, quamvis sæpe in eo aliquot millia hominum intereant, ergo etiam licitum erit occidere injustum aggressorem bonorum. 3. Si ejusmodi rerum, ac fortunarum defensio non esset licita, homines improbi ad illas diripiendas facilè, & liberè moverentur.

Ex quo sequitur, eum, qui occidit 67
in defensionem bonorum magni momenti, & non facilè recuperabilium, etiam non incurrere Irregularitatem, prout DD. *citt.* notant, & sumitur *arg. can. quia te 38. dist. 50.* ubi Stephanus V. ab Impedimento Canonico immunem pronuntiat eum, qui occidit ob defensionem libertatis. igitur Irregularitatis impedimentum non evitatur sola defensione vitæ. *Ratio est*, quia Irregularitas incurritur vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis. in casu præsenti ex neutra causa incurritur: non ex delicto; quia, ut ex *n. præc.* patet, culpâ vacat hoc casu occisio: non ex defectu; quia ex hoc Irregularitas incurritur solùm, quando cædes committitur authoritate publica, scilicet vel in bello justo, vel prolatione, & executione sententiæ condemnatoriæ ad mortem, vel mutilationem.

Neque obstant Argumenta *n. 62.* in 68
contrarium allata. *Ad 1.* patet ex duobus *n. præc.* Irregularitatem evitari non ob solam defensionem vitæ. *Ad 2.* verba illa, *te, tuaque liberando*, ut cum alijs notat Gonzal. *in c. 2. b. tit. n. 4.* debent accipi disjunctivè, ut sensus sit, *Te, vel tua &c.* *Ad 3.* in casu *c. susceptimus cit.* Monachus occidens non observavit moderamen inculpatæ tutelæ; quia occidit, recuperatis jam rebus ablatis, & has aliò transferendo absque vitæ suæ, & ipsarum periculo potuisset servare, antequam latrones solverentur. Suar. *sect. 2. cit. n. 10.* *Ad 4.* Presbyter, de quo *significâsti cit.* etiam ipse excessit moderamen; quia sola vociferatione potuisset impedire furtum, accurrentibus Parochianis pro subsidio, sicut defacto accurrerunt, quando ille clamavit. *Ad 5.* vitam proximi tunc solùm bonis nostris præferre debemus, quando proximus est positus in extrema, vel gravi necessitate, & ita, ut necessitate illa se liberare non possit: quod non fit in casu præsenti.

Quæritur 2. an licitè, & justè in 69
malefactores, & per publicos ministros executioni detur sententia, quibus illi condemnantur ad mortem, aut membrorum truncationem? Videtur tenenda negativa; quia solus DEUS vitæ, ac membrorum Dominus est juxta illud *Sap. 16. v. 13.*

Tu

Tu es enim, Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem: & *Deut. 32. v. 39. Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius DEUS præter me; ego occidam, & ego vivere faciam.* Sed textus isti non tollunt Magistratui publico potestatem maleficos per sententiam ad mortem condemnandi, & executionem istius præcipiendi; quia quando hoc facit Magistratus, exigente enormitate criminis, id facit, non propria, sed DEI voluntate, quatenus hic ipsi potestatem istam concessit, juxta illud *Rom. 13. v. 4. Non sine causa gladium portat; DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

70 Hinc dicendum, licitè, & justè malefactorem, priùs legitimè convictum, per sententiam ad mortem, & mutilationem corporis condemnari, ejúsque executionem præcipi Ministris Justitiæ posse. Est Catholica veritas, & patet 1. *Exod. 22. v. 18.* ubi præcepit DEUS, *Maleficos non patieris vivere.* 2. *can. quali 44. caus. 23. q. 5.* ubi Pelagius Papa dicit non posse *quidquam majus esse, unde DEO Sacrificium possit offerri, quàm si* Sacerdotes Justitiæ *ordinent, ut hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.* Similia habentur *can. proæst 4. q. cit. can. quæsitum 45.* & *can. siquos 47. caus. cit. q. 4. 6. postulâsti 21. h. tit.* 3. Ex *ratione*; quia omnem potestatem legitimo Magistratui dedit DEUS, quam ei datam esse Reip. salus exposcit. atqui hæc exposcit animadverti in facinorosos, & malefactores, ne isti, tanquam putrida, & noxia membra, reliquum corpus inficiant. ergo &c. Servari tamen in pœna, de his sumenda, debet ordo Juris; nam si hoc non servato, Domini tyrannidem in subditos exerceant, sine dubio graviter peccant, & propterea Jurisdictionibus suis per superiorem privandi sunt. Mynsing. *cent. 5. obs. 8. n. 2. & 3.* Engl *hic n. 2.*

71 Dub. 1. an aliquando liceat seipsum occidere, vel mutilare? R. negativè; quia vitæ, & membrorum suorum nemo dominus est *l. liber homo 13. ff. ad Leg. Aquil.* Quare qui seipsum occidit, vel mutilat, ordinariè non tantùm gravissimè peccat contra Charitatem sui, sed etiam injuriam infert DEO, tanquam usurpans potestatem DEO, vel subordinato ejus Magistratui competentem: & propterea suicida rectè punitur Jure utroque: Canonico quidem privatur sepulturâ Ecclesiasticâ, dummodo constet, quòd sanæ mentis, & deliberatè seipsum occiderit, adeóque in statu peccati mortalis decesserit, ut dictum est *Libr. 3. Tit. 28. n. 49. 64. & duob. seqq.* De Jure Civili bona occidentis seipsum applicantur fisco, si tamen duo concurrant. 1. Quòd id fecerit metu pœnæ promeritæ, non ex impatientia carceris, tristitia, & alia causa. Farin. *prax. crim. q. 128. n. 74.* 2. Quòd jam priùs crimen commiserit, habens annexam pœnam confiscationis bonorum, ut læsæ Majestatis, Hæresis &c. sicut habetur *l. fin. §. idem rescripsit 2. ff. de bonis eorum &c.* & clariùs *Const. crim. Carol. V. art. 135.* Farin. *l. cit. n. 77.*

Quodsi quis tantùm se vulneravit, 72
præsertim animo occidendi, videtur quidem alicubi præter infamiam etiam pœna capitis statui, si scilicet ex malitia, non ex impatientia doloris, luctu, aut aliâ causâ id fecerit *l. siquis 38. §. fin. ff. de Pœnis*, & *l. omne delictum 6. §. qui se vulneravit 7. ff de re militar.* Ex generali tamen consuetudine, secundùm quam conatus non punitur eâdem pœnâ, effectu non secuto, Judex imponere ei potest arbitrariam, sicut vulneranti alterum. Clar. §. *fin. q. 68. n. 38. ℣. seipsum occidere volens*, Menoch. *de arbitr. cas. 284. n. 23. & seqq.* Gomez, *tom. 3. var. c. 3. n. 14. ℣. sed advertendum est*, Farin. *q. 128. cit. n. 37.* Engl *hic n 35.*

Dixi autem, ordinariè non esse li 73
citum seipsum mutilare, aut mortis suæ causam præbere; nam 1. licet seipsum mutilare, vel mutilationem procurare, si ita necessarium sit ad conservandam vitam totius individui, ut si partem aliquam comprehenderit gangrena; quia licèt homo non sit dominus suorum membrorum, est tamen custos, & conservator. atqui rectè custodit, qui ad conservationem totius partem amputat, cùm utique sit melius partem, quàm totum perire, Engl *n. 10.* 2. Licet carnem suam moderatè affligere, ut hæc subjiciatur Spiritui, modò id non fiat cum notabili vitæ, vel membrorum periculo; nam hoc peccaminosum potius, quàm meritorium foret. Engl *n. 11.* 3. Excusat specialis DEI instinctus, & jussus, qualem censentur habuisse SS. quædam Virgines, quæ timore violandæ Castitatis in persecutionibus se in flumen præcipitârunt; Samson, qui *Jud. 6.* concussis columnis domûs, se unà cum Philistæis oppressit &c. Engl *n. 12.* 4. Licitum est, quando causa justa subest, aliquid facere, vel omittere, unde certò scitur secuturus interitus indirectè: & sic miles potest, & tenetur non deserere stationem in communi periculo, etsi certus sit se occidendum; sic potest reus non fugere ex carcere, etsi certò sciat se morte plectendum &c. Less. *l. 2. de Just. c. 9. n. 27. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 3. & 4.* Engl *n. 13.* 5. Non prohibetur aliquis etiam positivè cooperari ad sui cædem, quando ista ex Judicis sententia ob commissum delictum est infligenda: & sic condemnatus ad furcam potest sibi ipse aptare laqueum, condemnatus ad mortem per famem potest abstinere à cibo clanculum sibi submisso, condemnatus ad mortem per venenum potest,

est, imò ut *Arragon.* & *Victoria* volunt, tenetur illud bibere. Less. *l. cit. n. 29.*

74 Dub. 2. an Bannitum, cujus occidendi potestas cuilibet à Magistratu publicè concessa est, etiam in conscientia occidere liceat? R. affirmativè; cùm enim Magistratus habeat potestatem occidendi malefactorem, eandem alijs demandare rectè potest, quando propter fugam Rei non est occasio per Judices ordinarios eam exequendi. Lex autem Superioris, & mandatum justum in foro externo, etiam in foro interno justum censetur. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 2. n. 2.* Engl *hic n. 4.* König *ibid. n. 18.* Reiffenstuel *n. 67. resp. 2.* Ut verò Magistratus facultatem occidendi Bannitum cuivis dare, & hic uti illa bonâ conscientiâ possit, opus est, ut tam ex parte dantis, quàm ex parte utentis plures conditiones concurrant.

75 *Ex parte dantis* requiritur 1. ut is, in cujus vitam potestas cuivis conceditur, sit proscriptus, seu bannitus propter capitale crimen, & ut de hoc sufficienter constet. 2. Ut ordinario procedendi modo in Bannitum præsentem executio fieri nequeat; secus enim obtinet Regula Juris in contrarium, quòd *non sit singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultûs faciendi*, prout dicitur *l. non est 176. ff. de R. J.* 3. Ut periculum aliquod grave ex ita Banniti malitia immineat Reip. ut si sit proditor, perduellis, prædo, insidiator vitæ Principis, veneficus &c. König *n. 19.* Reiffenstuel *l. cit.*

76 *Ex parte utentis* requiritur 1. ut talis occisio fiat ex Zelo Justitiæ, & non ex privata vindicta, aut cupiditate lucri. 2. Ne fiat pendente Appellatione, vel eo tempore, quo reus per Appellationem, à tali sententia Banni interpositam, coram Superiore causam suam prosequitur. 3. Ne extra territorium proscribentis *arg. l. fin. ff. de Jurisd. omn. Jud.* & *c. fin. de Const. in 6.* nisi etiam in alijs territorijs denuntiatus in talem delinquentem sit Bannus. 4. Ut proscriptus non sit parens, filius, frater, vel conjux, cui Jure naturæ debentur alimenta, quem cons. occidere natura abhorret; naturalia enim Jura per Civilia immutari non possunt §. *sed naturalia 11. Inst. de J. N. G. & C.* Clar. *V. Homicidium n. 54.* Farin. *prax. crim. q. 103. n. 199. & seqq.* Laym. *p. 3. cit. c. 2. n. 2.* Engl *hic n. 5.* König *n. 20.* Reiffenstuel *n. 68.*

77 Porro, ut bene notat Molin *tr. 3. de J. & J. D. 7. n. 1.* facultas hæc, ut quilibet Bannitum possit occidere, non est facilè danda à Magistratu, tum ob alia incommoda, tum quòd tales Malefactores, regulariter sine Sacramentis, in peccatis lethalibus moriuntur, & sic corpore, & animâ simul pereunt: quod utique Christianæ pietati repugnat. *Ex quo sequitur* 1. sententiam hanc pro foro conscientiæ rarò admodum practicabilem esse, & ferè in eo duntaxat casu, quo ex vita malefactoris proscripti quotidianum Reip. periculum immineret; tunc enim pub ica Reip. salus ab occisione talis hominis, sicut cujuscunque hostis excusaret. Engl *n. 6.* Reiffenst. *n. 70.*

Dub. 3. an licitum sit patri occide- 78
re filiam, aut marito uxorem, aut adulterum in adulterio deprehensos? Affirmat Clar. §. *Homicidium n. 48.* cum alijs nonnullis, quia hoc permittitur per LL. Civiles *l. patri 20. ff. ad Leg. Jul. de adult.* & *l. marito 24. ff. eod.* cum alijs concordantibus. Neque dici potest, quòd Leges istæ injustæ sint; nam 1. injustitiam hanc tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum tot sæculis à Solonis tempore non notârunt. 2. Easdem Leges Justinianus Princeps Christianus inseruit suo Codici, tótque alij Principes, & JCti Christiani approbârunt. 3. Potest Lex Civilis, ut *n. 74.* dictum est, facere potestatem cuivis occidendi Bannitos. ergo potest etiam concedere patri potestatem occidendi filiam, aut adulterum cum hac, vel uxore sua in adulterio deprehensos.

Sed dicendum, lethaliter peccare pa- 79
trem, si filiam, & maritum, si uxorem, vel adulterum in adulterio deprehensos occidat. Ita S. Thom. *in 4. dist. 37. q. 2. art. 1.* Palud. *ibid. q. 2. ad ult.* Medin. *de Restit. q. 3. caus. 4.* Sot. *l. 5. de Just. q. 1. art. 3. ad 2.* Covar. *de Sponsal. p. 2. c. 7. §. 7. n. 9.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 7. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 9. n. 16.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 2. n. 4.* Engl *hic n. 7.* Ratio est, quia qui sic occiduntur, exponuntur manifesto periculo interitûs tam quoad animam, quàm quoad corpus, & hoc absque ulla necessitate, cùm capi, accusari, & per sententiam puniri possint. Accedit, quia nimis durum est, inauditum, & indefensum, nec spiritualibus medijs munitum, à privatis occidi: & inde fieret, ut multoties ex sola suspicione Homicidia patrarentur.

Ad LL. in contrarium allegatas 80
plerique DD. volunt, eas, quatenus occisionem talem positivè permittunt, esse correctas per Jus Canonicum *can. inter hæc 6. caus. 33. q. 2.* ubi Nicolaus Pontifex consultus, utrum marito liceat secundùm *Legem mundanam* (nempe Longobardorum, ut ait *Glossa*, quæ tunc in Italia observabatur) uxorem, quæ adulterium perpetravit, occidere, respondit, *Sancta DEI Ecclesia mundanis nunquam constringitur Legibus: gladium non habet, nisi Spiritualem, quo non occidit, sed vivificat*, non obscurè insinuans, Legem illam ab Ecclesia improbari. Alij verò cum Molin. *l. cit.*

cit. putant per eas Leges tale homicidium solùm permitti negativè, quatenus scilicet propter justum, nimiúmque dolorem, quo lacessitus id efficit, & propter dedecus maximum, quod ex adulterio uxoris ei sequitur, hujusmodi homicidæ condonant pœnam. Cum Bannitis lata disparitas est; quia hi tantùm tunc permittuntur à quovis impune occidi, quando ordinario procedendi modo in ipsum executio fieri nequit, ut dictum est *n. 75.*

81 Dub. 4. an propter Homicidium justum, secutum ex sententia condemnatoria, incurratur Irregularitas; Videtur non incurri; quia Irregularitas pœna est, & pœna infertur propter delictum, atqui in tali Homicidio, si sententia Legibus sit conformis, nullum est dilictum. ergo &c. Sed duplex est causa incurrendi Irregularitatem, ex delicto, & ex defectu Christianæ lenitatis; cùm ex delicto incurritur, pœna est; cùm ex defectu lenitatis, solùm est inhabilitas, & eatenus nullam supponit culpam propriam, ut patet in laborante defectu natalium, qui absque suo delicto Irregularis est, & ab Ordinibus suscipiendis impeditur.

82 *Dicendum* igitur, Irregularitatem propter Homicidium etiam justum incurri. Est exploratum in Jure Ecclesiastico: & causa hujus inductæ fuit, quia inconveniens videbatur Ecclesiæ, ab eo, qui alienum sanguinem voluntariè fudit, incruentam DEO offerri Hostiam, & repræsentari personam Christi mitissimi, & sanguinem suum pro nobis fundentis, præsertim post exemplum Legis Veteris, in qua DEUS sibi Templum, non à Davide, quòd multum sanguinis fudisset, sed à Salomone Rege pacifico ædificari voluit 1. *Paralip.* 22. *v.* 8. S. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 205. *fin.* Zœs. *hic n.* 39. Engl *n.* 45. 46. & 61. Schambog. *n.* 60. Pirhing *n.* 94. König *n.* 30. Wiest. *n.* 13. Reiffenst. *n.* 75. Magnif. P. Schmier *tr. de Potest. Ord. c.* 6. *n.* 290.

83 Dub. 5. quinam Irregularitatem ex hac causa contrahant? R. contrahit eam 1. *Judex* sententiam mortis, aut mutilationis dictans, vel proferens *can. aliquantos* 1. *dist.* 51. *can. sæpe* 29. & *can. bis, à quibus* 29. *caus.* 23. *q.* 8. *c. ex litteris* 10. *de excess. Prælat. c. Clericis* 5. & *c. sententiam* 9. *ne Cleric. vel Monach.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 1. *n.* 1. Fagnan. *in c. de cætero* 11. *h. tit. n.* 9. Gonzal. *ibid. n.* 10. Zœs. *hic n.* 40. Engl *n.* 61. Schambog. *n.* 62. König *n.* 30. Reiffenst. *n.* 89. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c.* 6. *n.* 340. Et hinc si Judex Ecclesiasticus aliquem dignum morte inveniat, si Clericus est, illum degradat, & brachio sæculari remittit, ut juxta qualitatem delicti eum judicet, sententiam proferat, ac tandem exequatur. Ne verò ita tradendo videatur cooperari ad mortem Rei, apud eundem Judicem Sæcularem efficaciter intercedit, ut citra mortis periculum circa eum sententiam moderetur *c. novimus* 27. *de V. S.*

2. *Assessores*, & alij, qui Judici ad 84
ejusmodi Sententiam proferendam assistunt, suóque suffragio, aut consilio eam promovent *c. citt.* quia complent personam Judicis, & ad sententiam ferendam concurrunt. Suar. *de Censur. D.* 47. *sect.* 1. *n.* 4. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 1. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 11. *cit. n.* 10. Zœs. *hic n.* 40. Engl *n.* 61. Pirhing *n.* 96. Schambogen *n.* 62. König *n.* 30. Wiestner *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 99. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 347.

3. *Accusator*, & *Denuntiator*, saltem 85
si accusatione, vel denuntiatione sua non proprium tantùm interesse, sed vindictam publicam intendat, & ex illa Rei mors, aut mutilatio sit secuta, prout sumitur ex *can. siquis* 8. *dist.* 50. & supponitur *c. postulásti* 21. *h. tit.* & *c. Prælatis* 2. *eod. in* 6. Suar. *D.* 47. *sect.* 2. *n.* 1. Layman *c.* 7. *n.* 1. Palao *p.* 14. §. 2. *n.* 1. Gonzal. *n.* 10. *cit.* Zœs. *n.* 46. Engl *n.* 61. Schamb. *n.* 73. König *n.* 30. Schmier *n.* 352. cum aliis *suprà.*

4. *Advocatus* accusatoris, si accu- 86
satus ad mortem, vel mutilationem condemnetur: nec proficit ei, etiamsi protestatus fuerit, se non agere, vel intendere pœnam sanguinis; quia valde efficaciter influit docendo, & movendo Judicem suis argumentis ad sententiam ferendam, & protestatio est facto contraria, ideóque fit particeps homicidij inde secuti, Suar. *D.* 47. *cit. sect.* 4. *n.* 3. Palao *p.* 14. §. 3. *n.* 5. Zœs. *n.* 58. Pirhing *n.* 112. Schambog. *n.* 80. idque sumitur ex *c. Prælatis cit.* ubi tantùm excipitur Accusator in propria causa. ergo hæc Constitutio locum non habet in Advocato, qui defendit causam alienam.

5. *Testes* deponentes contra reum in 87
causa sanguinis *can. bis, à quibus* 29. *caus.* 23. *q.* 8. 6. *Notarius* sententiam capitalem scribens *c. sententiam* 9. *ne Cleric. vel Monach.* 7. *Ministri Justitiæ* sententiam illam exequentes. 8. Omnes deferentes reum ad mortem, & comitantes Judicem ad custodiam tam equestres, quàm pedestres. 9. Quicunque alij, qui ad prolationem sententiæ, vel ejus executionem authoritate publica concurrunt. Sylv. *V. Homicidium* 3. *q.* 2. *n.* 3. *dict.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *à n.* 208. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 5. *à n.* 1. Suar. *D.* 47. *sect.* 4. *n.* 1. Avil. *p.* 7. *D.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. Laym. *c.* 7. *cit. n.* 1. Gonzal. *n.* 10. *cit.* Zœs. *n.* 60. Engl *n.* 61. Pirhing *n.* 96. Schambog. *n.* 62. König *n.* 30. Wiestner *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 368.

Dub.

88 Dub. 6. quinam ex hoc capite Irregularitatem non incurrant? Ex. 1. illam non incurrit *Pontifex*; quia cum Lege Ecclesiastica, quâ Irregularitas inducta est, non ligetur, ejus incurrendæ incapax est: imò si quam Irregularitatem ante obtentam Pontificalem Dignitatem contraxisset, ista ipsâ ad hanc Dignitatem evectione tolleretur, *arg. c. licèt 6. de Elect.* & *c. ubi periculum. 3. eod. in 6.* Majol. *de Irregul. l. 2. c. 4. pr.* Suar. *de Censur. D. 47. sect. 1. n. 4.* Fagnan. *in c. de cætero 11. h. tit. n. 22.* Zœs. *hic n. 5.* & *40.* Pirhing *n. 96.* Schambog. *n. 62.* Wiestner *n. 14.* Reiffenstuel *n. 91.*

89 2. *Pagani*, *Judæi*, & alij *Infideles* non baptizati; tum quia Legibus Ecclesiæ non ligantur; tum quia in ipsis defectus lenitatis Christianæ locum non habet, vel saltem non consideratur. Suar. *D. 40. de Censur. sect. 7. n. 1.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 1. n. 1.* Zœs. *n. 5.* Pirhing *n. 94.* Wiestner *n. 15.* Reiffenstuel *n. 93.*

90 3. *Inquisitores* Hæreticæ pravitatis, eorum *Commissarij*, & *Consultores*; nam hi speciali favore Fidei absque Irregularitatis incurrendæ periculo possunt convictos de Hæresi condemnare, declarare, quòd pœnas Legibus latas incurrerint, instare, etiam minitando, apud Judicem Sæcularem, ut Rei comburantur, ex concessione *Pauli IV.* & *S. Pij V.* ut observat Pegna *Direct. Inquis. p. 2. comment. 20.* Henriq. *l. 14. c. 12. n. 5. lit. D.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 3.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 1. n. 1.* Fagn. *in c. de cætero cit. n. 26.* Reiffenstuel *n. 92.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n. 346.*

91 4. *Judex* quicunque alius *Ecclesiasticus*, saltem si cùm Reum Curiæ sæculari tradit, apud Sæcularem Judicem efficaciter intercedat, ut citra mortis periculum circa eum sententiam moderetur; hac enim intercessione apposita, liberatur ab Irregularitate, ut cum communi docent Covar. *in Clem. si furiosus 2. p. 2. §. 5. n. 6.* Suar. *D. 47. sect. 1. n. 11.* Conink *D. 18. dub. 10. n. 91.* Avil. *D. 5. cit. sect. 2. dub. 2.* Bonacin. *D. 7. q. 4. p. 1. n. 3.* Palao *§. 1. cit. n. 1.* & meritò; nam Judex Ecclesiasticus ita tradendo reum non influit directè in pœnam sanguinis, sed solùm declarat delictum, & degradando privat Clericum privilegio Clericali, eúmque excludit à foro, & Jurisdictione sua: quo facto, per consequentiam tantùm Clericus subijcitur potestati Judicis Sæcularis, ut hic adversùs illum procedere secundùm Leges possit.

92 5. Advocatus Reum defendens, & testes pro eo deponentes: quod procedit, etiamsi Accusator, de calumnia ex horum depositionibus convictus, condemnetur ad pœnam talionis; nam hæc præter intentionem ipsorum sequitur. Zœs. *hic n. 59.* Pirhing *ibid. n. 112. ℣. quartò.* Imò ab eadem Irregularitate immunis est Advocatus Rei, etiamsi iste succumbat, & condemnetur ad pœnam mortis, vel mutilationis; quia ex ejus patrocinio non sequitur mors, imò citiùs secuta fuisset sine ejus defensione: ideóque neutiquam influit in pœnam illatam à Judice: nisi tamen Advocati culpâ, imperitiâ, vel negligentiâ reus condemnatus fuerit; tunc enim Irregularitatem incurrit, non ex defectu lenitatis, sed ex delicto injustitiæ commisso. Bonacin. *D. 7. q. 4. p. 3. n. 6. fin.* Palao *p. 14. §. 3. n. 6.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 10.* Zœs. *hic n. 58.* Honor. *n. 16.* Pirhing *n. 112. ℣. secundò*, Schambog. *n. 80.*

93 6. Denique nec Accusator, nec cæteri à *n. 83.* relati eam Irregularitatem incurrunt, nisi reipsa sequatur mors, aut mutilatio, ad quam per sententiam condemnatus est reus; quia Jura, dum Irregularitatem statuunt, considerârunt factum. Hinc si Judex tantùm jubeat delinquentem flagellari, vel aliter cædi, absque eo, quòd mors, aut abscissio membri consequatur, Irregularis non efficitur per *c. in Archiepiscopatu 4. raptor.* Pirh. *hic n. 99.* Magnif. P. Schmier *c. 6. cit. n. 343.* Monacell. *p. 2. tit. 13. form. 3. n. 35.* & hoc teste declaravit *S. Congr. in S. Severini 2. Jun. 1703.* Item nulla Irregularitas incurritur, si post sententiam mortis, aut mutilationis latam, ea pœna ob condonationem Principis, gratiam facientis, executioni non mandetur. Pirhing *l. cit.* Schmier *n. 344.*

94 Contrà pro Irregulari habendus est Judex, qui non quidem profert mortis, aut mutilationis sententiam, sed mandat, ut reo denegentur alimenta, vel detrudatur in carcerem, in quo verisimiliter intra paucos dies moriturus credebatur; quia reipsa sententiam, ex qua mors sequitur, dictâsse videtur. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 7.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 10.* Zœs. *hic n. 40.* Honor. *n. 5.* Schmier *n. 345.*

95 Item Irregularis fit Advocatus Accusatoris, qui injustè accusavit, ideóque reo absoluto, pœnâ talionis punitur, quia probatum fuit ipsum esse calumniatum. Suar. *D. 47. sect. 4. n. 6.* Pirhing *n. 112. ℣. tertiò.* Rationem dant; quia accusatorem moraliter constituit in periculo mortis, utpote qui non fuisset ausus accusare, si Advocatus causam ejus defendendam non suscepisset. *Excipiunt*, nisi Advocatus bona fide existimârit causam Accusatoris esse justam; quia Irregularitas, quæ oritur ex Accusatione injusta, non contrahitur ex defectu lenitatis, sed ex delicto Homicidij saltem indirectè voliti, ideóque si ob ignorantiam invincibilem excusetur quis à delicto, excusabitur etiam ab Irregularitate.

96 Dub. 7. qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis? R. requiritur, ut is, qui eam dicitur incurrisse, notabiliter, & non valde remotè, aut per accidens cooperetur. Gloss. *in c.* 11. *V. causam h. tit.* Pirhing *n.* 97.

Hinc Irregularis 1. non est Princeps, vel Dominus temporalis, sive Clericus, sive Laicus, condens Statuta, aut Leges, in quibus pœna mortis, aut mutilationis propter certa delicta statuitur, etiamsi inferiores Judices secundùm illas Leges judicent, & capitales pœnas infligant; quia talis impositio pœnarum per se non ordinatur ad Homicidium, sed ad bonam gubernationem Reip. ut vitentur crimina, & Lex generaliter solùm tales pœnas decernit, non in certam personam: ideóque non censetur mors, nisi per accidens, & valde remotè subsequi. Sylv. *l. Homicidium* 3. *q.* 7. *n.* 10. Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 1. *n.* 7. Fagnan. *in c. de cætero* 11. *h. tit. n.* 21. Gonzal. *in c.* 17. *eod. n.* 1. Zoes. *hic n.* 43. Pirhing *n.* 97. *not.* 5. Schambog. *n.* 66. Reiffenstuel *n.* 96.

97 2. Non fit Irregularis Professor, in Scholis docens Leges pœnales in genere, & theoricè, seu speculativè, ac velut in abstracto: nec Concionator, si publicè è Cathedra moneat Judices, ut servent Leges, & Remp. malis, ac noxijs hominibus purgent; quia nimis remotè ad cædem concurrunt. Secus est, siquis practicè, & in particulari de certa persona diceret, eam puniendam morte secundùm Leges; tunc enim moraliter censeretur concurrere ad cædem non sine scrupulo Irregularitatis. Suar. *l. cit. n.* 8. cum reliquis *suprà*.

98 3. Non fit Irregularis Clericus, vel Laicus Jurisperitus, qui consultus de aliquo reo, etiam in particulari, an licitè possit ob delictum à se commissum, condemnari ad mortem, solùm generatim respondeat, & explicet, quid Juris sit, & quid Leges de hac re statuant, nihil in particulari circa reum suadendo, vel præscribendo; quia talis non incitat, vel monet Judicem ad inferendam pœnam mortis, sed solùm aperit rei veritatem, quâ cognitâ, Judex per seipsum movetur ad infligendam pœnam. Molin. *tr.* 3. *de I. & I. D.* 74. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 4. *Assert.* 4. Zoes. *hic n.* 43. Pirhing *n.* 98. *coroll.* 3. Schambog. *n.* 68. Reiffenst. *n.* 100. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c.* 6. *n.* 348.

99 4. Non fit Irregularis Confessarius, si absolutionem Sacramentalem deneget Judici, non volenti reum condemnare ad mortem, quem ex officio deberet: neque etiam si cogat, sive obliget Reum pœnitentem ad confitendum in Judicio delictum dignum morte, quod Juridicè interrogatus fateri tenetur, vel ne à Sententia justa appellet; quia Confessarius talis per se, & directè tantùm intendit mederi animæ pœnitentis, & mors per accidens, & præter intentionem illius sequitur: nec verisimile est, quòd Ecclesia voluerit impedimentum Irregularitatis ponere, quò minùs Confessarius rite, & liberè officio suo fungi possit, cum detrimento salutis animarum, Suar. *n.* 8. *cit.* Laym. *l. cit.* ℣. *insuper*, Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 3. *n.* 8. & 9. Gonzal. *in c.* 11. *h. tit. n.* 10. Pirh. *coroll.* 4. Schambog. *n.* 69. Schmier *l. cit. n.* 350.

100 5. Non fiunt Irregulares Opifices, qui fecerunt gladium, quo carnifex reo caput abscindit, vel qui fabricârunt furcam, vel qui fecerunt restim, quâ ille suspenditur, aut scalam, quâ furca conscenditur: contrà verò Irregulares fiunt, qui laqueum afferunt, aut scalam applicant ad suspendendum furem, vel ligna apportant, quibus postea reus comburitur. Molin. *D.* 74. *cit. n.* 1. & 2. Laym. *c.* 7. *n.* 2. Pirh. *n.* 98. *coroll.* 1. Schamb. *n.* 66. Reiffenst. *n.* 109. Ratio est, quia hi posteriores sunt causa propinqua mortis; illi verò solùm remota.

101 6. Non est Irregularis, qui præter intentionem est in causa, ut jumentum, quo reus ad supplicium capitale trahitur, celeriùs ambulet illud pungendo, aut verberando, aut qui hortatur reum, ut in via procedat, & sic per accidens contingat mortem Rei accelerari; quia parum pro nihilo reputatur, & non est censendum, quòd mens Ecclesiæ sit in his casibus Irregularitatem inducere; hoc enim foret nimis durum, & minùs rationabile. Secus est, siquis hortetur reum, ut scalas ad furcam ascendat, vel manum porrigat, ut amputetur, vel adhortetur Ministrum Justitiæ, ut citò expediat executionem supplicij; talis enim Irregularis fieret, si ob id in causa reipsa esset, ut mors, vel mutilatio citiùs sequeretur. Laym. *n.* 2. *coroll.* 4. Pirhing *coroll.* 2. Schambog. *n.* 67. Reiffenstuel *n.* 110.

102 Dub. 8. an Irregularitatem incurrant Prælati Ecclesiastici, obtinentes Jurisdictionem temporalem, dum ad causas sanguinis constituunt Judices, cum clausula, ut cognitâ causâ, Justitiam administrent? Non incurri Irregularitatem per generalem causarum hujusmodi delegationem, convenit inter DD.

Difficultas moveri potest in casu, quo talis Prælatus particularem aliquam hujusmodi causam delegat constituto à se Judici, cum præcepto, ut jus pronuntiet. Videtur contrahi Irregularitas ex Regula, *Quod quis facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum*, quæ est 72. *in* 6.

103 Sed etsi consultius sit, si tales causas Prælati ejusmodi delegent generaliter,

ter, casu tamen, quo delegarent causam aliquam particularem dicto modo, ab Irregularitate excusantur, modò Delegato non determinatè de pœna mortis, aut mutilationis reo infligenda, sed generaliter de Justitia administranda mandatum dent. Abb. *in c. clericis 5. n. 12. Ne Cler. vel Monach.* Covar. *in clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 8.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 8. n. 2.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 1. n. 5. & seqq.* Avil. *p. 7. de Irregul. sect. 2. D. 5. dub. 4.* Conink *D. 18. n. 91.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 1. n. 3.* Barbos. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 13.* Fagn. *in c. de cætero 11. eod. n. 20.* Gonzal. *ibid. n. 10.* Zœs. *hic n. 41.* Honor. *n. 13.* Engl *n. 63.* Pirhing *n. 97.* Schambog. *n. 63.* Wiestner *n. 16.* Reiffenstuel *n. 95.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 341.* & patet ex *c. fin. Ne cleric. vel Monach. in 6.* *Ratio est*, quia ita delegans non cooperatur proximè, & immediatè morti.

104 Aliud foret, si Prælatus mandaret Judici à se delegato, ut sententiam sanguinis hoc, vel illo casu proferret; quia eo mandato directè cooperatur morti: sed quia non cooperatur ut Minister publicus, sed ut persona quædam particularis, cui cooperatio directa ad mortem interdicta est, ideo Irregularitas, quæ ex hoc mandato contrahitur, potius est ex delicto, quàm ex defectu lenitatis, ut notat Palao *l. cit.* Quodsi tamen ejusmodi Prælatus sententiam, jam antè à Judice Ordinario inferiore vel Delegato latam, solùm mitigaret, & moderaretur, ut v. g. reus, damnatus ad rotam, vel rogum, plectatur capite, vel alia mitiore pœna, probabiliter per hoc solum Irregularis non fieret; quia non est causa mortis, vel supplicij, sed potiùs, ut pœna minuatur, qui est actus non severitatis, sed misericordiæ. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 4.* Engl *hic n. 63.* Pirhing *n. 97.* Schambog. *n. 65.* Reiffenstuel *n. 98.*

105 Ad Regulam in Ratione dubitandi allatam dicendum, hunc casum esse exceptum à Regula. Adde, quòd delegantis voluntas non tendat ad homicidium, sed solùm ad exercendam Justitiam, & sic inde non nisi remotè, & per accidens subsequitur Homicidium, ut adeò, quod per Delegatum agitur, Deleganti nequeat imputari. Et hinc etiam Delegans non fit Irregularis, tametsi Delegatus ille aliquem condemnaret injustè; hoc enim ille Delegans non intendit, qui solam Justitiam administrari cupit; nisi fortè in culpa esset, aliquem imperitum delegando. Schambog. *n. 64.*

106 Dub. 9. an Irregularitatem incurrat Accusator accusans aliquem criminaliter, sed cum protestatione, coram Judice facta, quòd intendat non pœnam capitalem, & sanguinis, sed aliam mitiorem? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate cum Actore agente de crimine civiliter, qui, etsi deinde reus condemnetur ad pœnam capitalem, saltem si protestatus est coram Judice, se eam pœnam non intendere, Irregularitatem non incurrit *c. postulâsti 21. h. tit. & c. Prælatis 2. eod. in 6.* Sed magna est inter hunc, & Accusatorem disparitas: quia agens civiliter, & protestationem interponens, ostendit se proprium duntaxat interesse prosequi; cons. ex ea actione mors, vel mutilatio per accidens tantùm sequi censetur: at quando agitur criminaliter, non est in arbitrio Accusatoris petere, imò nec Judicis infligere quamcunque pœnam, sed eam, quam Leges tulerunt, vel delicti gravitas exigit, ferre debet; cons. adversùs istam protestans ponit protestationem contrariam facto.

Hinc dicendum, non obstante hac 107
protestatione, Irregularitatem ab Accusatore contrahi. Ita Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 1.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 2. n. 10.* Avilla *p. 7. D. 5. sect. 2. dub. 10.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 6.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 2. n. 4.* Zœs. *hic n. 27.* Pirhing *n. 101.* Schambog. *n. 731* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 76.* Ut tamen ex hoc capite accusans, vel denuntians in Irregularitatem incidat, opus est, ut accusatio, vel denuntiatio fiat coram Judice Sæculari, & hæc sit causa per se mortis, vel mutilationis.

Et hinc non incurrit Irregularitatem. 108
1. Qui agit criminaliter coram Judice Ecclesiastico; nam eo casu, etiamsi de pœna sanguinis non protestetur, & crimen sit valde enorme, ita, ut ob id Clericus accusatus pœnâ realis Degradationis puniendus sit, nihilominus tamen accusator Irregularitatem nullam incurrit, quia accusavit in foro, in quo pœna sanguinis non irrogatur, neque accusando censetur magis concurrere ad mortem accusati, quàm ipse Judex Ecclesiasticus eum degradando, & tradendo Curiæ Sæculari. Suar. *sect. 2. cit. n. 18.* Barbos. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 10.* Passerin. *ibid. n. 4.* Zœs. *hic n. 46.* Pirh. *n. 110.* Wiestner *n. 20.* Reiffenstuel *n. 84.*

2. Similiter ab Irregularitate immu- 109
nis est, qui accusat etiam coram Judice Sæculari de crimine non capitali, seu quod pœnam mortis, aut mutilationis non meretur, esto, Judex excedens limites Justitiæ condemnet accusatum ad mortem, vel aliam pœnam sanguinis, cùm malitia Judicis non debeat nocere Accusatori, qui eam rem non potuit prævidere. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 2.* Navar. *c. 27. n. 214.* Suar. *sect. 3. n. 18.* Laym. *c. 7. n. 6. ℣. tertiò dixi.* Palao *p. 14. §. 2. n. 1.* Passerin. *l. cit. n. 5.* Zœs.

n. 46. Pirhing *n. 110.* Wieſtner *n. 21.* cum alijs. Idem eſt, ſi reus accuſatus de levi crimine, & propterea conjectus in carcerem, poſtea alijs criminibus cumulatis, morte multetur; quia tantùm remotam cauſam dedit prior accuſans. Zœſ. *n. 46. cit. fin.*

110 Dub. 10. an ſemper Irregularitatem effugiat, qui civiliter agit de crimine, quod aliàs mortem, vel mutilationis pœnam meretur? R. diſtinguendo: Vel enim agit in cauſa propria, aut Eccleſiæ ſuæ, aut patriæ, parentum, liberorum, fratrum, & aliorum ſibi conjunctorum, ita, ut injuria, & damnum, his illatum, in ipſum Actorem cenſeatur redundare; vel contrà agit in cauſa perſonarum extranearum.

111 *Si primum*, Irregularitatem effugit, modò proteſtetur, ſe pœnam ſanguinis non intendere, ſed ſatisfactionem. Covar. *in Clem. ſi furioſus p. 2. §. 5. n. 1. ℣. undecimò*, Navar. *Man. c. 27. n. 228.* Avil. *p. 7. D. 5. ſect. 2. dub. 9.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 5. ℣. ſunt tamen*, Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 2. n. 2. & 6.* Fagnan. *in c. de cætero 11. n. 18.* Gonzal. *ibid. n. 10.* Vivian. *in c. 21. in Ration.* Wagnereck *ibid. not. 1. & 3.* Barboſ. *in c. 2. eod. in 6. n. 1.* Paſſerin. *ibid. n. 2.* Honor. *hic n. 17.* Pirhing *n. 102.* Wieſtner *n. 18.* Reiffenſtuel *n. 78.* Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c. 6. n. 359. &c.*

112 *Proceditque hoc 1.* etiamſi non ſolum veriſimiliter, ſed moraliter certum ſit, Judicem pœnam mortis, vel mutilationis reo illaturum, modò tamen Actor non inducat Judicem ad iniquam ſententiam ferendam, quod fieret, ſi proponeret quidem verum delictum, ſed quia erat occultum, & probari non poterat, induceret falſos teſtes, & per eos convinceret reum; nam tali caſu non eſſet extra culpam, & ſic ſecuta rei morte, aut mutilatione, incurreret Irregularitatem ex delicto: idque ſumitur ex *c. Prælatis 2. h. tit. in 6.* ibi *Juſtitia exigente*, nempe, ut non ſolùm actor petat rem juſtam, ſed etiam per juſtas, & legitimas probationes. Suar. *ſect. 2. cit. n. 8.* Pirhing *n. 105. not. 4.*

113 *Procedit 2.* ut poſſit Clericus cum dicta proteſtatione civiliter agere, etiamſi aliud remedium adſit ad recuperandum damnum; quia textus *c. Prælatis cit.* generaliter loquitur, & non ſolùm concedit ipſi poteſtatem agendi propter ſatisfactionem damni illati, ſed etiam, ne in futurum tale damnum inferatur, ut patet ex illis verbis, *Et provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur*: id quod moraliter præcaveri non poterat, niſi per Judicem, vel Superiorem. Suar. *n. 7.* Zœſ. *n. 50.* Engl *n. 62.* Pirhing *not. 5.* Schambog. *n. 75.*

Procedit 3. ut hujuſmodi Actor Clericus Irregularis etiam non fiat ob mortem reo per Judicem illatam, etiamſi ipſemet reum capiat, detineat, Judici tradat ad puniendum, vel eidem indicet, ubi lateat, ut capi poſſit, ſi id faciat ad reſarciendum damnum illatum, ut colligitur ex *c. tua nos 19. §. ad ultimum h. tit.* & notant Covar. *§. 5. cit. n. 3. fin.* Laym. *c. 7. n. 5.* Vivian. *in c. 19. & §. cit. pr.* Gonzal. *ibid. n. 1.* Barboſ. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 4.* Zœſ. *n. 52.* Pirhing *n. 106. not. 7.* Schambog. *n. 75.* Reiffenſtuel *n. 79.* Ratio eſt, quia cùm accuſatio hoc caſu ſit licita ad reſarciendum damnum, conſ. etiam licita erunt media, quæ ad hunc finem tendunt. 114

Si ſecundum contingat, & civiliter agat aliquis in cauſa perſonarum extranearum, altera diſtinctio eſt adhibenda, & videndum, an qui apud Judicem Sæcularem pro perſona extranea ita agit, vel delictum denuntiat, perſequatur injuriam, & damnum huic jam illatum; an verò agat de injuria huic inferenda, vel de crimine in futurum pendente. *Si prius*, Irregularis efficitur, qui ita agit, vel denuntiat, pœnâ mortis vel mutilationis ſecutâ, quamvis proteſtetur, ſe criminalem vindictam non intendere, ut cum communi notat Felin. *in c. poſtulaſti 21. h. tit.* Navar. *Man. c. 27. n. 213.* Covar. *§. 5. cit. n. 4.* Suar. *ſect. 2. n. 17.* Palao *§. 2. n. 7.* Pirh. *n. 109.* Schambog. *n. 77.* & colligitur per Argumentum à ſenſu contrario ex *c. Prælatis 2. h. tit. in 6.* ubi favor vitandi Irregularitatem conceditur ijs duntaxat, qui *de Laicis* NB. *ſuis malefactoribus querelam apud Judicem Sæcularem deponentes, petunt emendam ſibi fieri.* igitur eo favore non gaudent, qui querelam deponunt pro alienis, & pro iſtorum ſatisfactione. 115

Si poſterius, & damnum imminens alia ratione impediri non poteſt, quàm per denuntiationem, vel accuſationem factam coram Judice, ſine Irregularitatis metu etiam Clericus poteſt non tantùm ad proprium, ſed etiam ad alienum malum, ſive damnum Reip. aut etiam privatæ perſonæ extraneæ imminens, cavendum, vel avertendum denuntiare, vel accuſare, ut docet Covar. *§. 5. cit. n. 4. not. 11.* Molin. *tr. 3. de Juſt. D. 8. n. 9.* Suar. *ſect. 2. n. 11.* Laym. *c. 7. n. 6. pr.* Palao *§. 2. n. 8.* Barboſ. *in c. 21. h. tit. n. 5.* & *in c. 2. eod. in 6. n. 4.* Paſſerin. *ibid. n. 8.* Zœſ. *hic n. 55.* Pirhing *n. 109.* Schamb. *n. 78.* Reiffenſtuel *n. 86.* Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c. 6. n. 363.* idque ſumitur ex *c. accuſaſti 8.* ibi, *Niſi pro pace hoc feceris &c.* Ratio eſt, quia SS. Canones non imponunt Irregularitatis notam propter opus, ad quod aliquis ex lege naturali, vel præcepto Divino Charitatis, vel alterius Virtutis obligatur: cujuſmodi opus 116

Cha-

Charitatis est accusare, vel denuntiare malefactorem, si ita necessarium sit ad defendendam Remp. vel alium innocentem, aut avertendum grave istorum damnum. Et hinc tali casu nec requiritur, ut præcedat protestatio; quia hæc solùm necessaria est, quando sine illa incurreretur Irregularitas, atqui nullo Jure statutum est, quòd ad evitandam Irregularitatem hoc casu necessaria sit protestatio; nam opus hoc absolutè, & secundùm se ab Irregularitate exemptum est. ergo &c.

117 Dub. 11. qualis debeat fieri protestatio, ut agens civiliter ex delicto in causa propria, vel conjunctorum non incurrat Irregularitatem? R. debet esse protestatio expressa; nec enim sufficit tacita, ut patet ex *c. Prælatis 2. h. tit. in 6.* ibi, *protestando expresse*, & notat Gloss. *ibid. V. eod.* Diaz *pract. crim. c. 102. n. 2.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 7.* Wagnereck *in c. 21. not. 1.* Pirhing *n. 104.* Schamb. *n. 73.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 366.* Sufficit autem, si interponatur ante prolationem sententiæ. Pirhing *l. cit. n. 2.* Schambog. *n. 73.* Wiestner *n. 19.* Reiffenstuel *n. 83.* Eò usque si omittatur, accusator, etsi interiùs habeat voluntatem, ut non occidatur reus, erit Irregularis; quia Canones externam protestationem requirunt, & voluntas, mente retenta, nihil exteriùs operari potest; adeóque nec excusare ab Irregularitate actum externum directè contrarium interno: idque procedit etiam in foro conscientiæ. Pirhing *n. 104. not. 3. fin.*

118 *Controversia* moveri potest, an sufficiat protestatio ficta, sive expressa quidem verbis, sed cum interno desiderio supplicij sanguinis? Negant sufficere Sylv. *V. Homicidium 2. q. 8.* Navar. *Man. c. 27. n. 226.* Majol. *l. 5. de Irregul. c. 48. §. 6. n. 4.* Tolet. *l. 1. Summ. c. 82. n. 5.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 10.* Zœs. *hic n. 49.* ex ratione, quòd talis protestatio mendax, nec ea sit, quam requirunt SS. Canones; cons. ad Irregularitatis evitationem non possit sufficere.

119 Sed dicendum, tali protestatione Irregularitatem excludi. Ita Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 2. v. fextò*, Henriq. *l. 14. c. 11. circa fin.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 2. n. 3.* Avil. *p. 7. D. 5. sect. 2. dub. 9. concl. 3.* Bonac. *D. 7. q. 4. p. 2. n. 11.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. fin.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 2. n. 2.* Barbos. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 9.* Passerin. *ibid. n. 18.* Pirhing *hic n. 104. not. 3.* Wiestner *n. 22.* Reiffenst. *n. 81.* Magnif. P. Schmier *c. 6. cit. n. 367.* Ratio est, quia Ecclesia tantùm secundùm externa judicat; indéque apud Judicem, qui interna non potest perspicere, protestatio ficta eadem vi pollet, quâ protestatio vera, igitur sicut ista ab Irregularitate liberat, ita etiam illa.

Conf. quia Irregularitas communiter, & extra casus Jure expressos non imponitur actui; sive intentioni merè internæ, atqui si in casu præsentis controversiæ incurreretur, intentionem merè internam plecteret; nam actus externus, cùm fictionem, ut dictum est, advertere Judex non possit, ipsum potiùs à pœna sanguinis inferenda avertit, quàm allicit. cons. protestans ita non potest dici cooperari ad pœnam sanguinis. 120

Dub. 12. utrum Irregularitatem incurrat Laicus aspirans ad Clericatum, & in foro Sæculari deponens contra reum? R. distinguendo: nam si id faciat omnino voluntariè, pro Irregulari habendus est, non minùs ac Clericus. Ita Clar. §. *fin. q. 24. n. 8.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 5. n. 5. fin.* Navar. *Man. c. 27. n. 212.* Henriq. *l. 14. c. 12. n. 9.* Molin. *tr. 3. de I. & I. D. 74. n. 16.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 3. fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 5.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 3. n. 4.* Pirhing *hic n. 111.* Schambog. *n. 79.* Reiffenstuel *n. 105.* éstque recepta DD. sententia. *Ratio est*, quia testis deponendo de crimine movet Judicem ad ferendam Sententiam mortis, adeóque est causa moraliter influens in Homicidium: imò nemo est, qui ita cooperetur in Judicio sanguinis, quàm testis, per quem elicitur veritas criminis, & super hujus attestatione firmatur Sententia Judicis. Neque ab Irregularitate excusatur ob factam protestationem; non enim idcirco desinit testimonio suo influere in sententiam mortis, quæ ex allegatis, & probatis per testes fertur. *Laym. Pal. Pirh. Schamb. l. citt.* 121

Si verò testis, Judicis præcepto compulsus deponat, benignior, & verior est Sententia, ab eo Irregularitatem non incurri; etsi ejus depositione mortis, aut mutilationis promoveatur Sententia, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 21. n. 20.* Et in hoc differt testis Laicus à Clerico; nam Clericus à nullo Judice cogi potest ad testificandum in causa sanguinis, cùm cogi nequeat ad sibi illicitum, & graviter damnosum. Intellige, ut deponat contra reum; pro isto enim deponere Clericus, etiam non coactus, potest, nec propterea ullam pœnam incurrit, cùm hoc illi nullo sit Jure prohibitum. Pirhing *n. 111. fin.* 122

Quodsi civiliter agatur de crimine ab eo, qui sine Irregularitatis timore querelam movere potest, Irregularitatem non incurret testis in ea causa deponens, etiam non coactus, licèt per accidens sequatur condemnatio ad pœnam mortis, vel mutilationis, ut alijs *citt.* notat Palao §. 3. *cit. n. 4.* & rationem dat, quia eo ipso, quòd in eo casu concessum actori sit, ut possit querelam, protestatione facta, sine Irregularitatis metu proponere, censetur 123

ei

ei etiam concessa potestas producendi testes, cùm depositio istorum sit necessaria, ut in causa obtineat. atqui testes, si Irregularitatem deberent timere, detinerentur à testificando; igitur conveniens erat, testes sic productos ab Irregularitate liberari.

124 Dub. 13. an Irregularitatem incurrant Spectatores suppliciorum? Affirmant DD. aliqui, saltem si Clerici sint: quod desumunt ex *c. sententiam 9. ne cler. vel Monach.* quo textu sanguinis judicio interesse prohibentur.

Sed communis Sententia DD. est, non incurrere, modò assistant sine ulla cooperatione, nec sua præsentia authoritatem præstent executioni supplicij. Ita nominatim tenent Gloss. *fin. in c. cit.* Abb. *ibid. n. 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 214.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 4. n. 10.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 4. n. 2.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 10.* Zœs. *hìc n. 57. & 61.* Pirhing *n. 113.* Schambog. *n. 82.* Wiestner *n. 25.* Reiffenstuel *n. 112.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 372.*

125 Idque verum est non tantùm de Clericis, & Religiosis, qui reo, morte afficiendo, assistunt, modò caveant, ne aliquid faciant, vel loquantur, quo supplicium notabiliter accelerare, vel quovis modo juvare videantur: sed etiam de ijs, qui spectant ex curiositate. *Ratio est*, quia Irregularitas solùm statuitur ijs, qui ad sententiam, vel hujus executionem concurrunt; non ita concurrunt ij, qui supplicij spectatores sunt.

126 Textum in contrarium allegatum Gonzal. *ibid. n. 1.* interpretatur de præsentia authoritativa, & eorum, qui executioni sententiæ aliquo modo cooperantur. Vel si contendas, eum loqui de qualicunque præsentia, non abnuo, id Clericis esse prohibitum: transgressio tamen prohibitionis, secluso gravi scandalo, peccatum veniale non excedet, ut Suar. *sect. 4. fin.* Palao *n. 2. cit.* & alij *suprà* allegati docent: imò si Clericus supplicium spectet ex loco distante, aut è domo paulò remotiore, præsertim fenestris non apertis, & taliter, ut à populo notari nequeat, neque veniaiter peccabit. Addit Palao *l. cit.* præceptum istud alicubi consuetudine abrogatum videri.

127 Quæritur 3. quodnam sit Bellum justum, seu licitum, & quotuplex illud sit? R. est, quod geritur propulsandorum hostium causâ *can. justum 1. cauf. 23. q. 2.* Duplex illud est, Defensivum scilicet, & Offensivum. *Defensivum* est, quo vis, aut injuria vi repellitur; *Offensivum*, seu *Aggressivum*, quod publicâ Principis, vel alterius Supremi Magistratûs authoritate ad vindicandam illatam injuriam, rerum ablatarum recuperationem, aut damnorum compensationem, adeóque Reip. causâ suscipitur *can. noli 3. cauf. cit. q. 1.* & dictum est *Libr. 1. Tit. 34. à n. 1.* ubi plura de Belli utriusque licentia, conditionibus, causis, item quænam in Bello justè suscepto liceant &c.

128 Dub. 1. an in Bello justo pugnantes incurrant Irregularitatem? R. distinguendo inter Bellum defensivum, & Offensivum. Qui pugnant in *Bello justo Defensivo*, & necessariò suscepto ad patriæ, vel Ecclesiæ defensionem, nullam incurrunt Irregularitatem, ut colligitur ex *c. pervenit 2. de Immunit. Eccles.* & notant Suar. *D. 47. de Censur. sect. 6. n. 1.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 110. concl. 2.* Conink *D. 18. dub. 10. n. 96.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 2. in coroll.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. n. 5.* Gonzal. *in c. 24. h. tit. n. 2.* Zœs. *n. 62. hic*, Engl *n. 59.* Pirhing *n. 115.* Schambog. *n. 85.* Wiestner *n. 43.* Reiffenst. *n. 113. & 114.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. num. 418.* *Ratio est*, quia defensio Ecclesiæ, & patriæ non minùs, imò magis favorabilis est, quàm defensio vitæ propriæ, aut alterius personæ privatæ *l. utilitas 3. C. de Primipil.* igitur si Irregularitati obnoxia non est defensio vitæ propriæ, aut aliorum, eidem etiam obnoxia non erit defensio Ecclesiæ, & patriæ.

Proceditque hoc etiam in Clericis, 129
si ad hostem propulsandum non sufficiant Laici: secus, si isti sufficiant; tunc enim occidendo, vel mutilando contrahunt Irregularitatem, ut colligitur ex *c. petitio 24. h. tit.* & notant Laym. *l. cit.* Barbos. *in c. cit. n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Pirhing *hìc n. 115. & 116.* Schambog. *n. 85.* Wiestner *n. 44.* Schmier *n. 423. & 424.* Imò Engl *hìc n. 58.* universaliter, & indistinctè de cunctis, etiam Laicis, docere videtur, quòd omnes, qui in aliquo bello, quocunque tandem modo justo, etiam ad defendendam Ecclesiam, vel patriam suscepto, non necessariò, nec coactè, sed liberè pugnantes aliquem occidunt, vel mutilant, Irregulares evadant *arg. Clem. un. h. tit.* ubi illi duntaxat occidentes, vel mutilantes ab Irregularitate excusantur, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt; quod non verificatur in ijs, qui, dum alij milites sufficientes adsunt, ad Patriam, vel Ecclesiam defendendam, liberè, ac spontè, gratis, vel stipendio pugnant, aut nomen militiæ dant, sicque occidunt, vel mutilant. Idque confirmari potest à pari cum publicis Ministris Justitiæ, utpote qui, licèt pro bono patriæ publico conservando malefactores occidant, tamen Irregulares fiunt ex eo, quòd hujusmodi officium assumpserint liberè. P. Schmier *l. cit. n. 426.*

Plu-

130 Plures tamen DD. cum P. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 2. in Corollar.* distinguunt inter Laicos, & Clericos: & illos quidem, etsi liberè pugnent in bello defensivo justo pro Ecclesiæ, aut Patriæ defensione, ab Irregularitate excusant: non item Clericos, & Religiosos; quia hos absque necessitate propria manu pugnare non convenit. *Excipit* Vincentius Petra *tom. 2. comment. fol. 171. n. 6.* Equites Melitenses, & alios hujusmodi Milites Ecclesiasticos; nam hi possunt in Bello Defensivo principaliter se exercere, præsertim pro defensione patriæ ditionis, ut gloriosè fuit pluries factum Melitæ: & ratio est, quia primariò sunt constituti ad militiam, & sic quoad ipsos non procedit ratio prohibitiva, quæ est in Clericis. Secus est in bello offensivo; nam si in hoc aliquem Infidelium necaverint, etiam ipsi Irregulares fiunt, Petra *l. cit. n. 22.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 34.*

131 Dub. 2. utrum Irregulares fiant, qui pugnant in bello justo offensivo? R. si proprijs manibus occidant, vel mutilant, Irregulares fiunt; secus, Irregularitatem nullam incurrunt *can. aliquantos 1. dist. 51.* & *c. petitio 24. h. tit.* Abb. *ibid. n. 1.* Sylv. *V. Homicidium 3. q. 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 215.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 6. n. 6.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 8. n. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 5. n. 4.* Barbos. *in c. petitio cit. n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 5.* Zœs. *hic n. 62.* Engl *n. 58.* Pirhing *n. 117.* Schambog. *n. 86.* Wiestner *n. 45.* Reiffenstuel *n. 125.* estque teste Palao *l. cit.* omnium sententia. Oritur Irregularitas hæc ex defectu perfectæ lenitatis, à qua Justitia causæ non excusat, si cædes actu secuta sit. Et extenditur, etiamsi ita pugnantes in Bello justo offensivo, ex pòst facto in periculo vitæ constituti, occiderint, vel mutilaverint; quia *Clem. un. h. tit.* tantùm illos excipit, qui mortem evitare non valentes, occidunt. tales autem potuissent evitare non dando nomen militiæ: unde liberè censentur se periculo Homicidij exposuisse, atque ideo perfecta lenitate carere. Engl *n. 58. cit.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 416.*

132 Addidi, *non fieri Irregulares, si proprijs manibus non occidant, aut mutilent.* Et hoc verum est, quamvis alij occidant, aut mutilent. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 3. n. 2.* Molin. *tr. 2. D. 110. conc. 2.* Suar. *sect. 6. n. 4.* Laym. *c. 8. n. 2.* Palao *§. 5. n. 2.* Pirhing *n. 117.* Reiffenstuel *n. 118.* & constat ex *c. præsentium 3. de Cleric. percuss.* & *c. petitio cit.* ubi præcipitur solùm, ut abstineat ab Altaris ministerio is, qui in publico conflictu aliquem occidit, vel de hoc conscientiam habet. *Neque obstat*, quòd in casu istius textûs fuerit bellum defensivum; nam quamvis tale fuerit initio, quia hostes infideles cœperunt invadere Castrum Christianorum, tamen postea transijt in bellum offensivum ex parte Christianorum, quòd hi exeuntes è Castro hostes infideles aggressi, & persecuti sint.

133 *Minùs obstat*, quòd quando plures simul concurrunt ad occidendum in bello injusto, ut *infrà à n. 174.* dicetur, omnes fiant Irregulares; quia censentur omnes esse una causa moralis. Nam 1. ut aliqui respondent apud Avil. *p. 7. D. 6. sect. 3. n. 2. Resp. ad 1.* pugnantes in bello justo ideo non fiunt Irregulares, qui licèt sint una velut causa moralis, dant tamen operam rei licitæ, quod non est in ijs, qui pugnant in bello injusto. 2. Ita pugnantes in bello justo non censentur, nisi remotè, & per accidens cooperari ad cædes ab alijs factas, ideóque cum simul culpam nullam committant, id eis ad Irregularitatem non imputatur. 3. Specialis causa fuit, cur Jus Canonicum Irregulares pronuntiare noluerit pugnantes in bello justo; quia aliàs nimis multi fierent inhabiles ad Ordines, & sic retraherentur à bellis justis.

134 Dub. 3. quid dicendum de Clerico pugnante in bello justo offensivo? R. neque iste fit Irregularis, nisi propria manu occiderit, vel mutilaverit, ut ex communi docet Abb. *in c. petitio 25. h. tit.* & *in c. fin. de Cleric. percuss.* Innoc. *ibid. pr.* Palao *p. 14. §. 5. n. 2.* Pirh. *hic n. 116. coroll. 2.* Reiffenstuel *ibid. n. 117.* & clarè deducitur ex *c. petitio cit. Procedítque* hoc, etsi ejusmodi Clericus in tali bello aliquem vulneraverit, etiam cum sanguinis effusione, sed citra cædem, aut mutilationem hominis; quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis, at in Jure solùm expressa est Irregularitas ob cædem, & mutilationem, non verò ob vulnerationem hominis. ergo &c.

135 *Neque obstat*, quòd pugna propria manu in bello offensivo interdicta sit Clericis *can. Clerici 5. caus. 23. q. 8. c. ex multa 9. de Vot.* & *c. multa 1. Ne Cleric. vel Monach.* quia ex hoc tantùm sequitur, quòd ita pugnantes Clerici peccent, nisi gravis necessitas ad id cogat, non verò, quòd Irregulares fiant. *Non obstat 2.* textus *c. quod in dubijs 5. de pœnis*, ubi de Sacerdotibus gubernantibus navim ad pugnam, seu exercentibus conflictum, vel alios ad pugnam excitantibus affirmatur, grave peccatum eos committere, & esse deponendos; quia prædictus textus, ut ait *ibidem* Glossa, loquitur solùm de bello injusto, & ibi non Irregularitas, sed Suspensio, vel Depositio, non ipso Jure, sed post sententiam incurrenda fertur. *Non obstat denique 3. c. sicut 6. §. fin. h. tit.* nam etiam *hoc cap.* loquitur de bello injusto,

sto , in quo Clerici Irregulares fiunt , etiamsi solùm consilium præstent , vel armati assistant , si exinde ab alijs plures , vel etiam unus tantùm sint occisi , aut mutilati , ut colligitur per argumentum à sensu contrario *can. quantum 48. & seqq. dist. 50.* Innoc. *in c. petitio 24.* Abb. *ibid. fin.* Pirhing *coroll. 2. fin.*

136 *Excipitur* à doctrina ista casus , quando Clericus militiæ nomen dedit , & armatus in bello servivit , stipendium accepit , & expeditionibus militaribus se associavit ; talis enim indiget dispensatione ab Irregularitate incursa , licèt moraliter certus sit , se neminem mutilâsse , læsisse , aut occidisse , ut decrevit *S. Congr. Conc. in Iprensi 13. Jan. 1703.* & ipso Jure amittit Beneficium , etiamsi sit Jurispatronatûs , ex Decreto ejusdem *S. Congr. in Firman. 13. Jan. 1618.* Si accusetur , vel inquiratur in ipsum de Homicidio extra bellum justum commisso , & fuit absolutus , interest , an fuerit absolutus tantùm , quia contra ipsum nihil probari potuit , an verò quia repertus est innocens. *Si primum* , & nihilominus de delicto fama remaneat , non debet promoveri ; quia remanet infamia facti. *S. Congr. Concil. in Novarien. 1. Oct. 1661.* *Si secundum* , absolutione non indiget , prout decrevit eadem *Congr. 8. Jul. 1684.* Monacell. *p. 2. tit. 13. form. 3. n. 37.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 37.*

137 Dub. 4. quinam in bello injusto incurrant Irregularitatem ? ℟. in hoc incurrunt Irregularitatem omnes , qui in eo militantibus cooperantur , vel qualecunque auxilium ferunt sive arma præbendo , sive ipsos adhortando ad pugnam , vel sarcinas militum custodiendo , vel alio quovis modo adjuvando , etiamsi ipsi proprijs manibus neminem occidant , aut mutilent , secuta unius etiam ex hostibus , qui tali bello impugnantur , cæde , vel mutilatione. Abb. *in c. sicut 6. n. 10.* Sylv. *V. Homicidium 3. n. 8. q. 6. dict. 1.* Navar. *Man. c. 27. n. 218. & 224.* Covar. *in clem. si furiosus p. 2. §. 3. n. 2. fin.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 5. n. 1.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 3. dub. 2. concl. 1.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 8. n. 2. concl. 3.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 5. n. 1. fin.* Barbos. *in c. 24. h. tit. n. 36.* Vinc. Petra *tom. 2. fol. 172. n. 13. & 18.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 36.* Zœs. *hic n. 65.* Engl *n. 57.* Pirhing *n. 116. coroll. 2.* Schambog. *n. 83.* Wiestner *n. 46.* Reiffenstuel *n. 115.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 411.*

138 Sumitur ex *can. siquis 4. dist. 51. c. sicut 6. §. fin. h. tit.* & *c. quod in dubijs 5.* junct. Gloss. *V. incitant. de Pœn.* Ratio est , quia quando plures communi consilio , aut auxilio concurrunt ad injustum Homicidium , vel aliud Delictum , censentur veluti una causa moralis : quæ tamen Irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis , sed ex Homicidio injusto contrahitur. *Excipiuntur* illi , qui in bello injusto assistunt solùm ad pacem componendam , vel ad milites in spiritualibus adjuvandos. Fagn. *in c. petitio 24. h. tit. n. 13.* Pirhing *n. 16. cit.* Schambog. *n. 118.* Reiffenstuel *n. 116.*

Addidi , *secuta unius etiam ex hostibus cæde , vel mutilatione* ; nam si nulla in tali bello fiat occisio hominis , vel mutilatio , certum est , Laicos saltem non contrahere Irregularitatem ; quia ad hanc intentio occidendi , vel mutilandi , sine actu externo non sufficit , ut dictum est *n. 12. suprà.* 139

Majus dubium est de Clericis propter duplicem textum. 1. *can. Clerici 5. caus. 23. q. 8.* ubi dicitur , Clerici , qui in quacunque seditione (aliàs factione) arma volentes sumpserint , reperti , amissio Ordinis sui gradu , in Monasterium pœnitentiæ tradantur. 2. *can. sententiam 9. Ne Cleric. vel Monach.* ubi prohibetur , ne Clericus sit Dux etiam in bello justo. 140

Sed dicendum , etiam Clericos , in bello injusto assistentes , Irregulares non esse , nisi saltem per alios Homicidium , vel mutilatio fiat. Zœs. *hic n. 66.* Pirhing *n. 114. ℣. de Clericis* , Schambog. *n. 84.* Sumitur ex *can. siquis cit.* ubi sermo est non solùm de Clericis , sed de omnibus militantibus sive in bello justo , sive injusto , & statuitur illos Irregulares esse , si (ut *Loaysa* apud Suar. *D. 47. de Censur. sect. 5. n. 6. in fin.* legit) *sæva præcepta sint executi* , adeoque si secutum sit Homicidium , vel mutilatio hominis. 141

Neque obstant textus in contrarium allegati. *Ad 1.* pœna ibi imposita non est propriè dicta Irregularitas , sed suspensio , non ipso jure lata , sed à Judice imponenda , ut colligitur ex verbo *Tradantur* , qui per sententiam suspendere debet Clericum seditiosum ab executione Ordinis , ob grave scandalum datum , dum arma sumpsit in publica seditione , etsi nullum Homicidium sit secutum. *Ad 2.* inde non magis sequitur , Clericum militantem in bello irregularem esse , sive illud justum sit , sive injustum : imò ibi de Irregularitate ob transgressionem illius Legis nulla fit mentio , sed simplex ponitur prohibitio. 142

Dub. 5. an Irregularitatem contrahant , qui in bello justo offensivo ad fortiter pugnandum animant milites ? Affirmant nonnulli ob *c. sicut 6. §. fin. h. tit.* ubi pro Irregulari habetur , qui consilio est cooperatus ad cædem. 143

Sed tenenda est sententia negativa , quam etiam defendunt Abb. *in c. fin. de cler. percuss. n. 1.* Covar. *in clem. si furiosus p. 2. §. 3. n. 2.* Suar. *D. 47. de Censur. sect.*

sect. 6. n. 8. Molin. *tr. 2. de Just. D. 110. concl. 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 8. n. 2. concl. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 14. §. 5. n. 2.* Vivian. *c. petitio 24. pr.* Fagnan. *ibid. n. 2.* Barbos. *n. 2.* Gonzal. *n. 4.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 35.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2334.* Zœs. *hic n. 63.* Honor. *n. 14.* Engl *n. 60.* Pirhing *n. 118. coroll. 2.* König *n. 30.* Schambog. *n. 89.* Wiestner *n. 47.* & communiter cæteri.

144 *Proceditque* hoc non tantùm de Duce ita exhortante suos milites, sed etiam si Clericus istud faciat: nec refert, sive talis exhortatio fiat antè, vel in ipso actuali conflictu, ut *l. cit.* cum alijs ex recepta sententia notat *Suarez*, modò non incitet ad hunc, vel illum in particulari occidendum. *Ratio est*, quia ita exhortans non provocat directè ad cædes, sed ad fortiter pugnandum, quod licitum, & justum est; adeóque non nisi remotè, & per accidens concurrit ad Homicidium. Accedit, quia ex nullo Juris textu constat, Irregularitatem tali casu incurri.

Ad textum in contrarium allegatum patet, ibi sermonem duntaxat esse de bello injusto.

§. III.

De Homicidio Voluntario Injusto.

SUMMARIUM.

145. *Multiplex Homicidij Voluntarij injusti species.*
146. *Pœna illius Jure Civili est capitalis.*
147. *Jure Canonico Excommunicatio in Laico, Depositio in Clerico.*
148. *Inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda.*
149. *Et Irregularitas.*
150. &c. *Quis Irregularitatem istam incurrat?*
154. *Quando illam incurrat mandans Homicidium?*
155. *Consulens?*
156. *Consentiens?*
157. *An illam incurrat ratum habens Homicidium nomine ipsius factum?*
158. &c. *Vel illud non impediens?*
161. &c. *Corollaria.*
164. &c. *In quibus casibus ratione mandati mandans incurrat Irregularitatem?*
170. &c. *An Consulentem ab Irregularitate excuset, si revocavit consilium?*
174. &c. *Quid de cooperantibus ad cædem injustam?*
181. &c. *Quid Juris, quando dubitatur, an vulnus lethale fuerit?*
185. &c. *An Irregularis fiat, qui debilitat membrum, & reddit inutile?*
187. &c. *Vel qui tale membrum abscindit?*
189. &c. *Aut notabiliter alterum deformat vulnerando?*
191. &c. *An Irregularitas mutilationis sit distincta ab Irregularitate Homicidij?*
193. &c. *Quæ sit pœna Homicidij præmeditati?*
200. &c. *Facti per insidias?*
202. &c. *Proditorii?*
204. &c. *Assassinij?*

145 Dictum est *suprà n. 6.* Homicidium Voluntarium injustum aliud esse Simplex, aliud Deliberatum, seu Præmeditatum: quod ut *n. seq.* diversimode fieri potest, scilicet per insidias, proditionem, Assassinium &c. de horum pœnis hic agendum est.

146 Quæritur 1. quæ sit pœna Homicidij voluntarij injusti simplicis? R. Jure Divino pronuntiatur in reos illius pœna mortis. *Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Matth. 26. v. 52. Apoc. 13. v. 10.* Quod Jus imitatæ Leges in Homicidas capitis pœnam sanxerunt, cum discrimine tamen; nam nobiliorum vitæ voluerunt parci, & eis loco pœnæ capitis decreverunt Deportationem in Insulam, prout constat ex *l. ejusdem 3. §. Leges 5. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Verùm hoc discrimen successu temporis sublatum, & Homicidæ indistinctè, & sine respectu personarum ultimo supplicio coërceri cœperunt §. *item 5. Inst. de Publ. Judic.* & *l. quoniam 6. C. ad Leg. Jul. de vi publ.* quas Constitutiones confirmavit Carolus V. *Const. crim. art. 137. pr.* ubi omnes Homicidæ pœnâ mortis indistinctè puniuntur. Porro pœna hæc mortis, si Homicidium factum in rixa sit, inferri passim gladio solet. Clar. *V. Homicidium n. 18.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 267.* Vallens. *hic n. 8.* Engl *n. 24.* Pirhing *n. 6.* König *n. 27.* Schambog. *n. 8.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 17.*

147 Jure Ecclesiastico 1. Homicida, si Laicus sit, excommunicatur per sententiam *can. itaque 20. caus. 24. q. 3.* si Clericus, ab Ordine, & Officio est deponendus *can. Presbyter 12. dist. 81. & c. cum non ab homine 10. de Judic.* & juxta *can. si Episcopus 7. dist. 50. c. tuæ 6. de Pœn. & c. sicut 6. §. fin. h. tit.* in arctum Monasterium detrudendus: cujus tamen loco hodie successit condemnatio ad carceres, vel triremes, ut notat Farin. *prax. crim. q. 119. n. 49.* Vallens. *hic n. 8.* Honor. *n. 9.* Engl *n. 23.* Pirhing *n. 7.* König *n. 29.* Schambog.

bog. *n. 8. & seqq.* Reiffenſtuel *n. 21.* niſi crimen ſit iteratum, & Homicida Clericus incorrigibilis; tunc enim degradatus, tradendus eſt Curiæ Sæculari *c. cùm non ab homine cit.*

148 2. Inhabilis ſit ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Trid. *ſeſſ. 14. c. 7. de R form.* antè obtentis autem per ſententiam eſt privandus. Diaz *pract. Can. c. 98. n. 2. & V. ipſo Jure lit. A.* Clar. §. *Homicidium n. 21.* Covar. *Clem. ſi furioſus p. 2. §. 3. n. 6. fin.* Suar. *D. 44. de Cenſur ſect 4. n. 33.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10 n. 39.* Farin. *q. 119. cit. n. 64.* Vallenſ. *hic n. 8.* Zœſ. *n. 91.* Honor. *n. 10. & 11.* Pirhing *n. 10.* Engl *n. 23.* Wieſtner *n. 52.* Reiffenſtuel *n. 23. & 24.* Ratio eſt, quia nullum crimen infert privationem Beneficii ipſo Jure, niſi id in Jure exprimatur. Imò nec collatio novi Beneficii, Homicidæ Clerico facta, eſt ipſo Jure irrita, ſed ſolùm prohibita, ut patet ex Trid. *l. cit.* ibi, *Nec illi aliqua Eccleſiaſtica Beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat.* Suar. *l. cit. n. 34.*

149 3. Contrahit Irregularitatem, ut quantumvis Homicidium ſit occultum, etiam poſt peractam pœnitentiam Ordines ſuſcipere, & in ſuſceptis miniſtrare ſine Diſpenſatione nequeat *can. minor. 4. & ſeqq. diſt. 50. c. inquiſitionis 21.* & *ibi* Gloſſ. *V. ſi Homicidium de Accuſat. c. ſicut 6. h. tit.* & *ibi* Gloſſ. *V. conſilium h. tit.* & aliis pluribus textibus, notántque Engl *n. 23.* Pirhing *n. 10. fin.* Schambog. *n. 11.* König *n. 29.* Wieſtner *n. 53.* Reiffenſtuel *n. 20. & 22.*

150 Dub. 1. quis Irregularitatem iſtam incurrat? R. incurrit eam 1. qui per actum graviter peccaminoſum occidit, etſi Homicidium nec præmeditatum, nec alio modo qualificatum ſit; ſufficit enim mortaliter peccâſſe occidendo. Neque refert, an qui occiditur, editus jam in lucem ſit, vel non; quia etiam, qui procurat abortum fœtûs animati, Irregularitatem incurrit *c. ſi aliquis 5.* & *c. ſicut 20. h. tit.*

151 2. Qui dat cauſam propinquam efficacem mortis, licèt ea poſt longum tempus ſequatur, ut ſi quis præbeat venenum, quod poſt multos menſes primùm operatur, & interimit; quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur *c. fin. de injur.* & *l. qui occidit 30. §. in hac 3.* & *ibi* Gottofred. *Lit. F. ff. ad Leg. Aquil.* & *nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis præbeat*, ut monet Ulpianus *l. nihil 15. ff. ad Leg. corn. de Sicar.* Pirh. *hic n. 12.* Debet autem cauſa iſta eſſe propinqua; nam qui cauſam dat ſolùm remotam homicidio, non fit Irregularis. Zœſ. *hic n. 7.*

152 3. Qui lethaliter alterum percuſſit, aut vulneravit, licèt ab alijs fuerit omnino interemptus; quia jam ſufficientem mortis cauſam dedit. Zœſ. *hic n. 10.* Pirhing *n. 17.* Schambog. *n. 12.* Reiffenſtuel *n. 50.* Idémque eſt, ſi non conſtet, ſed dubium ſit, an ex ictu priùs percutientis, an verò ex poſteriore percuſſione mors ſit ſecuta; quia tutius eſt abſtinere ab Officio Sacerdotali, quàm temere celebrare, Pirh. *l. cit.* Imò Irregularitatem non effugit etiam ille, qui percuſſit aliquem non lethaliter, ſi appareat, quòd ob percuſſionem illam non potuerit fugere, ideoque poſtea occiſus eſt ab alio; quia cauſam aliquam, vel ſaltem occaſionem dedit homicidio poſtea ſecuto. Abb. *in c. ſignificâſti 18. h. tit. n. 10. & 11.* Pirhing *n. 17. cit. not. 2.* Quod etiam dicendum, etiamſi non conſtet, an vulnus lethale, vel non lethale fuerit, ſi illud infligens animum occidendi habuit, & vulneratus ex aliorum poſteriore percuſſione exſpiravit; nam tali caſu Irregularis cenſebitur etiam primus percuſſor, propter voluntatem occidendi, effectu reipſa ſecuto. Abb. *in c. ſignificâſti cit. n. 1. & 6.* Pirh. *n. 17. cit. not. 1.* Reiffenſtuel *n. 54.* & colligitur ex *c. cit.* ibi, *Et ſi percuſſor voluntatem non habeat occidendi.* igitur à ſenſu contrario, ſi voluntatem occidendi habuit, qui percuſſit primò, erſi non lethaliter, quando percuſſus ex aliorum ictibus deinde mortuus eſt, Irregularis cenſebitur. Porro intentio occidendi præſumitur ex qualitate armorum, quibus Homicidium fuit illatum, ſicut etiam, an vulnus fuerit lethale, vel non. Clar. §. *Homicidium n. 5.* Pirhing *n. 18.*

153 4. Qui voluntariè mutilat, aut truncat membrum alienum; nam mutilatio in Jure æquiparatur homicidio, & in quibus caſibus Irregularitas contrahitur ex Homicidio, ijſdem ex mutilatione inducitur. Gloſſ. *in Clem. ſi furioſus h. tit. V. mutilat.* Covar. *ibid. p. 3. pr. n. 8.* Barboſ. *n. 27.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 1. n. 3.* Pirhing *hic n. 121.* Wieſtner *n. 15.* Reiffenſtuel *n. 56.* & ſumitur ex *can. fin. diſt. 55. c. clericis 5. ne Cler. vel Monach. c. in Archiepiſcopatu 4. de Raptor. c. fin. h. tit. in 6.* & *Clem. ſi furioſus cit.* Dixi, *qui mutilat, vel truncat membrum alienum*; nam ſola illa mutilatio, ſi fiat in alieno corpore, Irregularitatem inducit, quæ eſt truncatio membri, membro ſumpto pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia diſtinctam, ut notat Palao *l. cit. n. 4.* & explicatum eſt *ſuprà n. 17.* Ratio eſt, quia dum membrum aliquod abſciſſum non eſt, corpus humanum non eſt mutilatum, aut truncum, & abſolutè, & ſimpliciter integrum, ac perfectum; aliàs cujuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, nec ſolùm digiti, ſed articuli etiam ejuſdem abſciſſio Irregularitatem induceret, & truncum corpus humanum

manum dicendum esset: quod nemo admittit. Minus quid sufficit ad Irregularitatem ex mutilatione corporis proprij; nam contrahitur etiam abscissione partis membri, e.g. digiti, vel articuli ex digito. Engl *hìc n. 53.* Pirhing *n. 124.* Schambog. *n. 97.* Reiffenstuel *n. 59.* & dictum est *Libr. 1. Tit. 20. n. 3.*

154 Dub. 2. utrum ad hoc, ut quis Irregularitatem incurrat ratione Homicidij, vel mutilationis, requiratur, ut per seipsum occidat, mutilet, vel abortum procuret? R. negativè: sed sufficit, si etiam id fiat per alium. Et hinc 1. eam contrahit *Mandans*, si ex mandato intimato homicidium, abortus, aut mutilatio sit secuta *can. siquis viduam 8. dist. 50. c. fin. h. tit. in 6.* & notant Navar. *Man. c. 27. n. 233.* Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 39.* Suar. *D. 44. de Censur. sect. 3. n. 6.* Avil. *D. 6. sect. 2. dub. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 2. n. 2.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5.* & *in c. 17. eod. num. 2.* Zœs. *hìc n. 11.* Pirhing *n. 20.* König *n. 11.* Schambog. *n. 12.* Wiestner *n. 56.* Reiffenst. *n. 27.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 376.* Ratio est, quia homicidium principaliter adscribitur mandanti, ut perinde, quod per alium facit, per seipsum censeatur fecisse, juxta *Reg. 72. in 6.* Neque excusatur, etsi ante cædem patratam mandatum revocârit, si revocatio mandatario non innotuit; adhuc enim iste nomine mandantis agit, & sic mandans manet causa principalis cædis. Innoc. *in c. ad audientiam 12. h. tit.* Navar. *c. 27. n. 233.* Suar. *sect. 3. cit. n. 7.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 2. n. 2.* Dian. *p. 2. tr. 2. Miscell. res. 17.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 9.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5. fin.* Wiestner *hìc n. 57.* Reiffenstuel *n. 28.* Schmier *n. 381.*

155 2. *Consulens*, & persuadens homicidium, abortum, mutilationem si istud ex vi talis consilii reipsa sequatur *can. siquis viduam cit.* ibi, *Præcepto, aut consilio, can. perniciosè 23.* ibi, *per quorum consilium, dist. 1. de Pœnit. c. sicut 6. §. qui verò*, & §. *fin.* ibi, *Qui consilium dederunt*, & *c. fin. de Cler. pugn.* Ratio est, quia etiam ipse est vera causa moralis Homicidii &c. *can. perniciosè*, & *c. fin. citt.* ubi dicuntur Homicidæ, & Homicidia fieri consilio. Dixi autem, si reipsa ex vi talis consilij sequatur Homicidium; nam si is, cui consilium datum est, sine illo delictum aliàs commisisset, consulens Irregularitatem non incurrit. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 2. n. 1.* Suar. *sect. 3. cit. n. 10.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 2. dub. 3. concl. 3.* & *4.* Bonacin. *D. 7. q. 4. p. 8. n. 19.* & *seqq.* Palao §. *2. cit. n. 3.* Pirhing *hìc n. 31.* Schmier *n. 391.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2301.* & alii passim. *Excipitur*, nisi consulendo auxerit, vel exacuerit voluntatem, & animum illius, ut tanto promptiùs, vel citiùs, aut etiam crudeliùs aliquem occideret: tunc enim etiam consulens Irregularis fit; quia verè influit in homicidium confirmando, & augendo voluntatem occisoris, prout sumitur ex *c. sicut cit. §. quia verò*, & notant Barbos. *ibid. n. 33.* Zœs. *hìc n. 17.* Pirhing *n. 31.* Schambog. *n. 19.* Correa *n. 2302.* qui tamen *n. seq.* addit, contrariam sententiam non carere probabilitate.

3. *Consentiens* in homicidium, abortum, mutilationem ab altero factam. 156 Debet tamen hic consensus non esse qualiscunque, sed requiritur, ut efficaciter influat v.g. occidenti cooperando, ei assistendo, robur, & animum addendo, ejus occidere volentis propositum approbando, vel ab eo occisum, aut mutilatum, ne se defendant, impediendo, ut colligitur ex *c. sicut cit. §. illi etiam, c. significâsti 18. h. tit.* ibi, *Si - - - ipsius studio, consilio, vel mandato processerint.* Suar. *sect. 3. cit. n. 21.* Farin. *prax. crim. q. 131. à n. 67.* Barbos. *in c. sicut §. illi cit. n. 11. & 14.* Schambog. *hic num. 15.* König *n. 11.* Wiestner *n. 60.* Secus est, si purè, & sine ulla cooperatione consentiat in Homicidium, quod nullo modo fit nomine ipsius consentientis; nam talis non fit Irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiamsi consensum verbis exprimat. Suar. *n. 21. cit.* Pirhing *hìc n. 27.* Ratio est, quia talis consensus solùm est mentale homicidium, & licèt verbis, vel alio signo externo sit expressum, non tamen efficaciter influit in cædem alterius, ideóque propter illum pœnæ Homicidii non incurruntur, nisi Lex specialiter, & expressè id declararet, quod hoc casu factum non est.

4. Ut volunt Sylv. *V. Homicidium* 157 *1. q. 7. n. 11.* Felin. *in c. sicut cit. n. 12.* Navar. *Man. c. 27. n. 233.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 33. membr. 4. n. 3.* Honor. *hic n. 3.* & quidam alii, *Ratum* habens homicidium, suo nomine, sive in sui gratiam factum, ex ratione; quia ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato *Reg. 10. in 6.* etiam in Delictis, ut patet in percussione Clerici, quam suo nomine factam ratam habens incurrit Excommunicationem Canonis *c. cùm quis 23. de Sent. Excomm. in 6.* Sed meliùs negant Gloss. *in can. siquis viduam 8. V. aut consilio dist. 50.* Host. *Summ. n. 4. §. quid ergo h. tit.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 1. n. 4.* Henriq. *l. 14. c. 16. n. 2.* Suar. *D. 44. sect. 3. n. 24.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 2. dub. 6.* Conink *D. 18. dub. 8. fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 6.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 2. n. 7.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 5.* & *in c. 17. n. 2.* Barbos. *in c. fin. eod. in 6. n. 10.* Passerin. *ibid. n. 8.* Zœs. *hìc. n. 22.* Pirhing *n. 28.* Schambog. *n. 15.* Wiestner *n. 62.* Reiffenstuel *n. 48.* Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis *c. is*,

qui 18. pr. de Sent. Excomm. in 6. atqui nullo Juris textu ratihabitioni cædis Irregularitas imposita legitur, ergo &c. *Conf.* quia Irregularitas ista non contrahitur, nisi per concursum ad cædem, vel mutilationem liberè factam. Atqui ratihabitio Homicidii hoc ipso, quia est cæde posterior, ad eam nequit concurrere. ergo &c. *Ad principium*, pro sententia contraria allatum, dico, ratihabitionem æquiparari mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam Irregularitatis; quia hæc, ut dictum est, non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. Ad id, quod additur de ratihabitione percussionis Clerici, respondeo, Excommunicationem ad ratihabentem extendi ob clarum textum *c. cùm quis cit.* nullus autem ejusmodi textus extat de ratihabente Homicidium &c. suo nomine factum, quòd is Irregularitatem incurrat. ergo dicendum non incurrere, cùm versemur in materia pœnali, & odiosa, in qua Argumentum à pari non valet.

158 5. *Non impediens* Homicidium &c. cùm id absque gravi suo damno, & periculo posset, & ad hoc ex Justitia teneretur, ut sunt Magistratus, & eorum Officiales, ac Milites, Domini respectu servorum &c. nam hos Irregularitatem incurrere facilè DD. omnes concedunt; quia moraliter occidere, & occidenti cooperari censentur, & propterea obligantur etiam ad restitutionem.

An verò etiam ille Irregularitatem incurrat, qui solùm ex Charitate tenebatur impedire Homicidium &c. & omisit impedire, cùm potuisset, dubium movere potest duplex textus, ubi generaliter videtur decerni, illum Irregularem esse, qui non impedit Homicidium, cùm posset, & deberet. 1. *c. sicut 6.* §. *illi etiam b. tit.* ubi Homicidis accensetur etiam ille, qui hominem à morte non liberat, cùm posset. 2. *c. quantæ 47. de Sent. Excomm.* ubi percutientium fautoribus annumerantur etiam illi, qui Clerici percussionem, cùm possent, non impediebant.

159 *Sed dicendum*, si ex Charitate solùm quis impedire tenebatur, & non impedijt, eum pro Irregulari non habendum. Ita Sylv. *V. Homicidium 3. q. 5.* Navar. *Man. c. 27. n. 231.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 76. n. 8.* & *D. 33. membr. 5.* Suar. *D. 45. de Censur. sect. 4. n. 3.* Filliucc. *tr. 20. c. 4. n. 127.* Bonac. *de Irregul. D. 7. q. 4. p. 8. n. 37.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 7.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15.* §. *7. n. 1.* Barbos. *in c. 6. b. tit. n. 18. & 19.* Gonzal. *in c. 3. eod. n. 7.* Zœs. *hic n. 23.* Pirhing *n. 42. & 43.* Schambog. *n. 23.* Wiest. *n. 66.* Reiffenstuel *n. 42. & seqq.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. c. 6. n. 402.* *Ratio est*, quia Irregularitatem ab hoc incurri, nullo Jure cautum est. Accedit, quia Homicidium est peccatum contra Justitiam; conf. qui istam non violat, nec occidere, nec ad occisionem moraliter cooperari censetur per *can. fin. caus. 23. q. 3.* ibi, *Qui tantùm adfuerunt* (homicidio) *extra noxam sunt.*

Neque obstat, quòd Gloss. *fin. ibid.* 160 id exponat de illis, qui occiso subvenire non poterant; nam distinguendum est inter eos, qui extra noxam sunt apud DEUM, & qui extra noxam sunt apud Judicem humanum. Ut non impediens Homicidium sit extra noxam apud DEUM, necesse est, ut sine gravi suo damno, & periculo non potuerit subvenire: ut verò sit extra noxam apud Judicem humanum, & Irregularitatem non incurrat, sufficit, quòd ex Justitia non fuerit obligatus Homicidium impedire. Suar. *sect. 4. cit. n. 4.* Quin etiam Jure Civili non impediens, cùm posset, non tenetur de Homicidio, ut docet Bartol. *in l. 1.* §. *sed in eo n. 2. ff. de S. C. Silan.*

Ex quo inferunt nonnulli 1. Irregu- 161 larem fieri eum, qui mandat alicui, ut alium non defendat à cæde, ad quod ipso mandatarius non obligatur ex Justitia; quia mandans injuriam facit occiso, & contra Justitiam peccat, ac positivè concurrit ad mortem illius, quamvis mandatarius tantùm peccet contra Charitatem, & ideo Irregularis non fiat. *Contrarium* tamen probabiliùs tenent Avil. *p. 7. D. 6. sect. 2. dub. 7.* ¶. *ex dictis sequitur 1.* Zœs. *hic n. 24.* Schamb. *ibid. n. 26.* nempe, quòd siquis, volenti ex Charitate alium defendere, persuaserit, ne defendat, & alter indefensus moriatur, non fiat Irregularis; quia talis consulens non peccat contra Justitiam, sed solùm contra Charitatem: nisi tamen per vim, fraudem, aliámque injuriam retrahat alterum à defensione; tunc enim ageret contra Justitiam respectu occisi, & fieret irregularis. *Ratio est*, quia licèt volens defendere ad id teneatur solùm ex Charitate, tamen proximus habet jus, ne defensio ista ab alio per injuriam impediatur, prout idem docetur de Eleemosyna.

Infertur 2. Si Medicus ratione sti- 162 pendij, quod accipit à Civitate, teneatur curare ægrotos, & aliquem culpabiliter omittat curare, quem potuisset, isque moriatur, ipsum fieri Irregularem: secus est, si nullum stipendium accipiat. Avil. *l. cit.* §. *sequitur 4.* Gonzal. *in c. 11. b. tit. n. 7.* Pirh. *hic n. 44.* Schamb. *n. 27.*

Infertur 3. Non fieri Irregularem, 163 qui scit Homicidium occultè tractari, & non revelat, nisi ex Justitia teneatur revelare. Avil. §. *sequitur 2.* Pirhing *l. cit.* Schambog, *n. 28.*

Ad Argumenta *n. 158.* allata facilis 163 est responsio. *Ad 1.* ibi sermo est de non impedientibus non simpliciter, sed cum consilio, & auxilio homicidis præstito

cæ-

can. facientis 3. dist. 86. vel dici potest cum P. Pirhing *n. 42.* ibi Homicidium accipi latè, & prout Homicida dicitur omnis ille, qui contra Charitatem proximi non conservat vitam alterius. *Ad 2.* est casus specialis, in quo non impediens delinquentium fautoribus accensetur: ex quo tamen casu ad nostrum duci nequit Argumentum, cùm versemur in materia pœnali, in qua opus est adesse textum expressum.

164 Dub. 3. in quibus casibus ratione mandati mandans incurrat Irregularitatem? R. in omnibus illis casibus, in quibus mandatum est causa moralis cædis, vel mutilationis. Et hinc ratione mandati à se dati Irregularis fit.

1. qui mandavit tantùm aliquem verberari, si mandatarius excedens fines mandati occidat, prout decernitur *c. fin. h. tit. in 6* quia talis mandando in culpa fuit, & operam dedit rei illicitæ: ideóque ipsi omnia imputantur, quæ possunt sequi ex re illicita; quia cogitare potuit, ac debuit, ex tali verberatione sequi posse mortem, vel mutilationem. ubi autem culpa præcessit, regulariter quis tenetur de casu, si culpa sit ordinata ad casum. Gloss. *in c. fin. cit. V. culpa*, Ancharan. *ibid. not. 2.* Fagnan. *in c. ad audientiam 12. eod. n. 27.* Gonzal. *in c. 11. n. 5.* & *in c. 17. n. 2.* Vivian. *in c. fin. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Passerin. *n. 5.* Zœs. *hic n. 11.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 21.* Schambog. *n. 12.* Reiffenstuel *n. 30.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 378.* *Procedit hoc*, si verberatio sit illicita; nam si licita est, ut si Pater, Dominus, vel Magister mandat verberari filium, servum, aut discipulum, & mandatarius excedat fines mandati, & occidat, vel mutilet, mandans non fit irregularis; quia cùm tunc cesset culpa, etiam pœna cessat. Gloss. *V. culpa cit.* Anchar. *ibid. not. 3.* Franc. *n. 4.* Barbos. *n. 4.* Passerin. *n. 2.* Honor. *n. 18.* Pirhing. *n. 21. ¥. procedit.*

165 2. Mandans Irregularis efficitur, etsi non dederit mandatum expressum, sed tacitum duntaxat, etiam præmissa protestatione de non occidendo, vel mutilando, ut si Pater, aut Dominus, injuriâ affectus à Titio, dicat filio, vel servo, *Non occidas illum, non tamen redeas domum, donec aliquid novi audiam à te circa Titium.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 1. n. 3.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 2. dub. 2. concl. 1.* Gonzal. *in c. 17. h. tit. n. 2.* Barbos. *in c. fin. eod. in 6. n. 5.* Zœs. *hic n. 18.* Pirhing *n. 22.* Schambog. *n. 12.*

166 3. Irregularis fit mandans occidi alium, etiam tunc, si ipse mandatarius occidatur, vel mutiletur; quia licèt præter intentionem ejus, & voluntatem directam accidat mors mandatarij, cogitare tamen poterat, ac debebat, illam accidere posse *c. fin. h. tit. in 6.* Sylv. *V. Homicidium 1. q. 7. dict. 7.* Suar. *D. 44. de Censur. sect. 3. n. 18. & 19.* Avil. *sect. 2. cit. dub 5. concl. 4* Gonzal. *in c. 11. n. 5* Barbos *in c. fin. cit. n. 6.* Passerin. *ibid n. 3.* Zœs. *n. 14.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 22. ¥. extenditur 3.* Schambog. *n. 13.* Reiffenstuel *n. 29.*

Excipitur 1. si homicidium non sit secutum; quia regulariter nulla Irregularitas, vel alia pœna ordinaria incurritur propter homicidium, nisi illud fuerit perfectum, & consummatum, vel aliud sit Jure expressum. Avil. *sect. 2. cit. dub. 3. pr.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 7.* Zœs. *hic n. 11.* Pirhing. *n. 23.* Reiffenstuel *n. 31.*

Excipitur 2. si mandatarius etiam 167 sine mandato fuisset occisurus, nisi mandato suo mandans fuerit causa, ut mandatarius citiùs occideret; quia hoc casu mandans, licèt habuerit voluntatem influendi in homicidium, vel occidendi, defacto tamen non influxit. Avil. *dub. 3. cit. concl. 6.* Barbos. *l. cit. n. 8.* Pirhing *n. 23. limit. 2.* Schambogen *n. 14.*

Excipitur 3. si mandans revocavit 168 mandatum, sive expressè, sive tacitè, illum, quem mandavit occidere, in pristinam amicitiam restituendo, affinitatem cum illo contrahendo &c. modò revocatio hæc fuerit intimata mandatario, vel ad ejus notitiam aliunde pervenerit; quia si tunc occidat mandatarius, non occidit ut commotus voluntate mandantis, sed ex propria sua voluntate, & malitia, adeóque mandans non ampliùs est causa moralis talis homicidii, cùm cesset ejus voluntas, & cons. etiam effectus illius. Navar. *Man. c. 27. n. 237.* Suar. *D. 44. sect. 3. n. 7.* Avil. *sect. 2. dub. 4. concl. 1. & 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 2. n. 2.* Gonzal. *in c. 17. h. tit. n. 2.* Barbos. *in c. fin. eod. in 6. n. 9.* Passerin. *ibid. n. 7.* Pirhing *n. 23. limit. 3.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 382.*

Quodsi tamen constet mandanti, 169 ipsum mandatarium, non obstante revocatione mandati, nihilominus ex pertinacia occisurum, tenetur non solùm ex Charitate, sed etiam ex Justitia impedire effectum hujus mandati, quoad commodè potest; alioquin fieret Irregularis. Suar. *n. 8.* Zœs. *n. 12.* Pirhing *l. cit. fin.* Schambog. *n. 14.* Ratio est, quia dans tale mandatum hoc ipso injustitiam alteri fecit. Ergo ex Justitia tenetur impedire damna, quæ ex tali injuria sequi possent. Igitur si scit inde imminere aliter, periculum mortis, ex justitia tenetur id impedire, prout commodè poterit, v. g. admonendo alterum saltem in communi, quòd vitæ ejus insidiæ parentur, vel aliquid simile, Suar. *l. cit.*

Dub. 4. an sicut mandantem revo- 170 catio mandati, ita & consulentem revo-

catio

catio consilii ab Irregularitatis incursu liberet? ℣. Non liberare, etiamsi revocatio consilii ei, cui hoc datum est, intimata sit, sed adhuc Irregularem fieri consulentem, si mors fuerit secuta. Suar. *D. 44. sect. 3. n. 11.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 5. concl. 2.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2310* Zœs *hic n. 19.* Pirhing *n. 32.* Schambog. *n. 20. & 21.* König *n. 11.* Wiestner *n. 32.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 387. &c.* Ratio est, quia etiam post retractatum consilium consulens est causa moralis cædis subsequentis, si rationibus, à consulente suggestis, occisor ad cædem inferendam est motus. Hinc disparitas est inter consilium, & mandatum; nam is, cui datur consilium, agit postea sua voluntate, & nomine, quæ voluntas per consilium inducitur, & non sufficienter revocatur, retractato consilio: mandatarius autem agit tantùm voluntate, & nomine mandantis; & ideo per solam revocationem sufficienter tollit suum influxum.

171 *Difficultas* est, an qui omni ex parte possibilem adhibuit diligentiam, ne ex consilio suo, quod retractavit, sequeretur Homicidium, excusetur ab Irregularitate? Negant aliqui ex ratione; quia consilium se habet, sicut venenum alicui propinans. Is autem, qui venenum propinavit, quamvis postea pœnitentiâ ductus, fecerit, quantum potuit ad impediendam mortem, si tamen mors ex veneno sequatur, Irregularis efficitur. Ergo etiam ille, qui consilium dedit, quantumvis omnem possibilem diligentiam adhibuerit, ne ex consilio sequatur mors.

172 Sed affirmativa sententia, teste Suar. *sect. 3. cit. n. 13.* communis, & magis consentanea rationi est. *Ratio est*, quia consilium non est causa merè naturalis, & physicâ necessitate influens in mortem, ut venenum, sed moralis duntaxat, quæ per rationem auferri, & per liberam voluntatem impediri potest. Ita autem ablata, & impedita creditur, quando consiliarius fecit, quod moraliter potuit, & debuit ad tollendam illam, & impediendum ejus effectum; nam hoc facto, effectus jam non ampliùs imputari consiliario potest.

173 Ad Argumentum contrarium, paritas cum veneno tunc procederet, quando consiliarius retractavit consilium, & non potuit intimare ei, cui consilium dedit; nam iste, non obstante hac retractatione, & conatu, quo illam per litteras, vel nuntium intimare voluit, si tamen litteræ istæ, vel nuntius ad eum, cui consilium datum est, non pervenerunt, & hic consilio motus occidit, Irregularis est; quia causam mortis, quamvis voluerit removere, non tamen removit, quippe cùm consilium hoc casu se habeat, acsi nullo modo revocatum fuisset.

Dub. 5. utrum Irregularitatem, & alias pœnas ordinarias Homicidii incurrant omnes, qui ad cædem alterius cooperantur? 174

Certum est 1. si ex proposito ad occidendum aliquem concurrerint, omnes ordinariâ homicidii pœnâ puniri, licèt unus duntaxat occiderit, ut rectè notant Gonzal. *in c. 18. h. tit. n. 4.* Stryck. *Us. Modern. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de Sicar. §. 7.* Engl *hic n. 30.* König *n. 10.* Schambog. *n. 22.* Reiffenstuel *n. 35.* Correa *Idea Consil. D. 9. n. 2435.* & decisum est *Const. crim. Carol. V. art. 148.* unus enim alterum jussit, ut cædem perficiat, si ipse perficere non possit. Igitur, licèt singuli pro causa physica haberi nequeant, tamen causa moralis existunt.

Certum similiter est 2. omnes, qui ita communi consilio concurrunt, fieri Irregulares *c. sicut 6. § fin. h. tit. c. quod in dubiis 5. de Pœnis.* 175 Estque perinde, sive directè cooperentur, v. g. percutiendo, & infligendo vulnus; sive indirectè detinendo hominem, ne fugiat, vel comitando occisorem, eique assistendo, suâque præsentiâ tuendo, eúmque animando &c. quia favet occisori, sciens eum intendere mortem alterius, licèt ipse homicidium directè non intendat. Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 2. n. 2. ℣. quatenus verò*, Pirhing *hic n. 33.*

Difficultas est, quando non ex con- 176
dicto, seu in rixa, subitò exorta inter plures, unus occisus est. Ubi satis convenit inter DD. casu, quo de vero occisore constat, vel ille investigari potest, hunc solum pœnâ Ordinariâ affici, reliquos verò pro diversitate circumstantiarum arbitrariè coërcendos, nisi & ipsi vulnera lethalia occiso intulerint; tunc enim omnes pœna ordinaria manet. Quodsi verò de eo, qui vulnus lethale intulerit, planè non constat, neque per tormenta, aut alias probationes id detegi potest, tali casu propter incertitudinem nullus capite, sed omnes extraordinariâ pœnâ plectentur; quia omnes aliquo modo rei sunt vel propter auxilium præstitum, vel quòd mortem non impedierint. Clar. §. *Homicidium n. 38.* Covar. *§. 2. cit. n. 5.* Gonzal. *n. 4.* Stryck. *§. 7. prope fin.* Engl *n. 30.* König *n. 10. fin.* Reiffenstuel *n. 39.* & patet ex *Const. crim. art. 148. cit.* Idem dicendum, quando nemo per se vulnus lethale occiso intulit, sed vulneratus ex omnibus vulneribus conjunctim sumptis propter nimiam sanguinis effusionem mortuus est. Stryck. *l. cit.*

Quoad pœnam Irregularitatis DD. 177
inter se dissident. Distinguunt nonnulli, & siquidem de authore patratæ cædis non constet, fatentur, pro Irregularibus habendos omnes *ex can. fin.* junct. Gloss. *cauf. 23. q. 8.* & *c. significásti 18. ℣. quodsi h. tit.* quia tali casu pro homicidis haben-

bentur omnes *l. item Mela 11. §. sed si plures 2. ff. ad Leg. Aquil.* Si verò de occisore constet, putant istum solum pro Irregulari habendum, non verè cæteros, licèt percusserint & ipsi, sed non lethaliter, quod colligunt ex *l. & §. citt.* ubi iste solus pro homicida habetur, & *c. significâsti cit.* ubi Presbyter ab Irregularitate immunis pronuntiatur, si constet ab ipso inflictum vulnus non fuisse lethale.

178 Sed neutrum Argumentum sufficienter probat intentum. Non sumptum ex *l. & §. citt.* nam dispar est ratio inter Jus Civile, & Canonicum. Illud punit Homicidium: & hinc cùm istud ponatur tantùm ab uno commissum, mirum non est, quòd unus tantùm puniatur ut Homicida. Contrà Jus Canonicum Irregularitatis pœnâ afficit non tantùm homicidas, sed etiam ad homicidium cooperantes. Sed neque ductum ex *c. significâsti*; quia Presbyter, de quo ibi sermo est, Parochianis maleficum occidentibus non est cooperatus, cùm vulnus non lethale, & sine animo occidendi seperatim inflixerit, & in cædem, postea à Parochianis patratam moraliter non influxerit, quippe quam illi patrârunt, Presbytero isto nec mandante, nec persuadente.

179 Hinc dicendum, tali casu pro Irregularibus habendos etiam cæteros. Ita verissimilis docent Navar. *Man. c. 27. n. 124. v. decimo* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 2. n. 4. cas. 4.* Suar. *D. 45. de Censur. sect. 3. n. 9.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 4.* Conink *D. 18. dub. 8. n. 70.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 6. n. 4.* Barbos. *in c. 18. h. tit. n. 9.* Correa *ad Consil. D. 9. n. 2436.* Zœs. *hic n. 26.* Honor. *n. 5.* Pirhing *n. 34. 40. & 41.* Schambog. *n. 22.* Wiestner *n. 64.* & sumitur ex *can. fin. cit.* ubi à Canonica pœna absolvuntur soli illi, qui occisum *nec impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt.* Atqui in casu dato omnes occisori favorem, & auxilium præstant, & sua aggressione occisum impediunt, ne se contra occisorem defendat, ac proinde cooperantur, ut faciliùs sequatur cædes. ergo &c.

180 Aliud est, si constaret homicidium factum esse ab uno ex quatuor hominibus, qui erant in domo, ex quo projecto lapide præteriens occisus est, & ignoretur, à quo illorum projectus fuerit: tunc enim in foro externo nullus Irregularis censebitur; quia nullus in particulari censebitur deliquisse, nisi probetur, & melius est unum nocentem dimittere, quàm tres innocentes condemnare: ideóque unusquisque relinquendus est conscientiæ suæ. Suar. *sect. 3. cit. n. 11.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 3.* Pirh. *n. 41. extens. 3. fin.* Schamb. *n. 22.*

181 Dub. 6. quid Juris, si vulneratus per aliquod tempus vixerit, & ideò dubitetur, an vulnus inflictum fuerit lethale, an potiùs ex imperitiâ Medicorum, inordinatâ vitâ, vel alio morbo superveniente vulneratus decesserit? R. Judici hoc casu incumbere, ut maturè vel per se, vel per Delegatum adhibitis peritis Medicis, & Chirurgis, saltem duobus, si haberi possint, vulnus inspiciat, qui Medici, & Chirurgi (nisi sub initium officii sui hoc fecerint) juramentum præstare debent, quòd opinionem suam edicere sincerè velint: ex quorum deinde Medicorum, & Chirurgorum depositione, consideratis aliis quoque circumstantiis Judex sententiam suam formabit. *Const. crim. Carol. V. art. 149.* Clar. §. *Homicidium n. 43.* Struck *Us. mod. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de sicar. §. 2.*

182 Si vulnus ex assertione Medicorum, & Chirurgorum, vel aliunde constet lethale esse, vulnerans de occiso tenetur, pœnisque ordinariis, nisi justam vulnerationis causam habuerit, subjicitur, non attento, utrum vulneratus brevi, vel longo post vulnerationem intervallo mortuus sit, nec habitâ ratione malæ curæ, aut regiminis vulnerati, aliarúmque circumstantiarum *c. significâsti 18. h. tit.* Socin. *vol. 2. conf. 178.* Gaill. *l. 2. obs. 111. n. 9.* König *hic, n. 17.* Reiffenst. *ibid. n. 50.*

183 Si liquidò constet, vulnus non fuisse lethale, & vulneratum non ex vulnere, sed ex imperitia, aut incuria Medici, vel ex propria culpa, & negligentia, vel ex alio accidente extrinseco periisse vulnerans ab homicidio, ac pœnis Homicidii absolvendus erit. Socin. *consil. 178. cit. col. 2.* Zœs. *hic n. 8.* König *n. 17.* Reiffenstuel *n. 51.* Idem dicendum, si consideratis omnibus, dubium sit, an vulnus lethale fuerit, vel non; quia ubi de vita hominis agitur, probationes dubiæ ad mortem inferendam non sufficiunt *l. fin. C. de Probat.* & melius est in dubio nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare *l. absentem 5. pr. ff. de pœn.* Gaill. *l. cit. n. 11.* Utroque tamen casu condemnabitur vulnerans ad pœnam extraordinariam, ut cum eodem Gaill. *l. cit.* notat Struck. *l. cit. §. 6. Excipitur*, nisi præsumptio in contrarium militet: talis foret, si vulneratus de malo processit in pejus, & intra breve tempus mortuus est; tunc enim præsumitur ex vulnere obiisse. Gaill. *l. cit.* Secus est, si mortuus sit ex intervallo. Quantum autem intervallum hoc esse debeat, DD. dissident. Clar. §. *Homicidium n. 44.* Carpzov. *p. 1. q. 26. per totam.* Engl *hic n. 31.* König *n. 17. fin. ibid.* putat sufficere, si vulneratus ambulavit per triduum, vel decumbens in lecto superstes fuit per dies 40. quam opinionem teste König *l. cit.* sequitur communis usus.

184 Quoad *Irregularitatem* interest, an mors secuta sit occasione vulneris, an ve-

rò à causa prorsus extrinseca. *Si* occasione vulneris secuta mors est, quamvis non immediatè ex vulnere, ut quia febris, aut inflammatio supervenit, quam imperiti Medici curare non potuerunt, vulnerans erit Irregularis; danti enim operam rei illicitæ imputantur, quæ sequuntur *c. de cætero 11.* & *c. seq. h. tit.* Si verò mors contigerit à causa prorsus extrinseca, si vulnus fuit levissimum, & nullo modo periculosum, Medicus verò, vel ipse æger nocivum medicamentum adhibuit, his, & similibus casibus vulnerans nullam incurret Irregularitatem *c. ad audientiam 12. h. tit. fin.* Engl *hic n. 54.*

185 Dub. 7. an qui membrum debilitat, i. e. lædendo, vel vulnerando aridum, & inutile reddit ad operandum, citra mutilationem tamen, & abscissionem, Irregularis efficiatur? R. negativè; quia aliud est propriè loquendo mutilare, vel detruncare, sive abscindere membrum, aliud debilitare, sive aridum, & inutile reddere ad operandum, ita tamen, ut vivum maneat, nec abscindatur. Cùm ergo SS. Canones Irregularitatis pœnam solùm imponant homicidio, & mutilationi, sub ijs non comprehenditur sola debilitatio, neque ad istam pœna hæc debet extendi, cùm regulare principium sit, Irregularitatem non incurri, nisi in casibus Jure expressis: quod confirmatur ex *can. sicut 47. caus. 1. q. 1.* ubi dicitur, quòd verum sit membrum, quamvis sine sanguine, & inefficax, & mortuum sit, scilicet quoad operationem. Navar. *Man. c. 27. n. 206. & 219.* Suar. *D. 47. sect. 2. n. 5. & 11.* Conink *D. 18. dub. 8. concl. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 1. n. 5.* Passerin. *in c. fin. in 6. n. 3.* Correa *Idea Consil. D. 8. n. 2295.* Zœs. *hic n. 83.* Honor. *n. 58.* Engl *n. 51.* Pirhing *n. 122.* König *n. 35. fin.* Schambog. *n. 93.* Reiffenstuel *n. 58.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 476.*

186 *Neque obstat*, quòd paria sint non esse, & inutile esse: nam paria sunt quoad operationem; quia quod inutile est, perindè non operatur, acsi non esset: non autem quoad effectum Irregularitatis; quia non est Jure expressum, quòd propterea hæc incurratur. Accedit, quia membrum aridum valet saltem ad decorem, sive non deformat, etsi operari non possit, sicut tamen deformat membrum omnino abscissum. Navar. *n. 206.* Suar. *n. 5.* Correa *n. 2296.* Pirhing *n. 122.* Schambog. *n. 94.* cum aliis. *Ex quo infertur*, quòd Judex, qui torquendo reum debilitat, & inutile reddit membrum, non fiat Irregularis Pirhing *n. 122. fin.* Schambog. *n. 94.*

187 Dub. 8. an qui abscindit membrum aridum, & inutile, seu impeditum ad officium suum exercendum, fiat Irregularis? R. distinguendo: Vel enim est omnino mortuum, nec anima rationali amplius informatum, vel adhuc eâ est informatum.

Si primum, ille, qui detruncat tale membrum, non est Irregularis; quia est quasi non membrum: is tamen, qui tale membrum ita debilitavit, Irregularis efficitur; quia substantialiter mutilat corpus humanum, cùm tale membrum non amplius sit membrum: & in hoc sensu verum est, quòd paria sint non esse, & inutile esse. Zœs. *n. 82.* Pirhing *n. 123.* Schambog. *n. 95.* Correa *n. 2297.*

Si secundum, fit Irregularis; quia re- 188
vera mutilat corpus humanum abscindendo vivum ejus membrum, & partem organicam principalem. *Neque refert*, quòd sit membrum inutile ad exercitium sui muneris; quia hoc est per accidens, & eo non obstante, talis abscissio est gravis deformatio, quæ sufficit, suppositâ alicujus membri, seu partis principalis truncatione. Navar. *c. 27. n. 219.* Suar. *D. 44. sect. 2. n. 11.* Zœs. Pirhing, Schambog. *l. citt.*

Dub. 9. an Irregularis fiat, qui ali- 189
quem notabiliter deformat, v. g. faciem vulnerando, & relicta deformi cicatrice, ita, ut ad Ordines promoveri non possit? R. si talis deformatio facta sit citra mutilationem, ita deformans Irregularis non efficitur. Suar. *sect. 2. cit. n. 12.* Pirhing *l. cit.* Schambog. *n. 96.* Ratio est, quia præter homicidium, & mutilationem nulla alia Irregularitas, quæ ex læsione, seu vulneratione corporis incurratur, est Jure expressa. *Neque refert*, quòd sic deformatus Irregularis fiat; nam non semper, qui alterum Irregularem facit, ideo etiam ipse Irregularis fit, sed eo solùm casu, quando id Jure expressum est, ut si aliquem deformat per cædem, vel mutilationem. *Suar. Pirhing, Schambog. l. citt.*

Ex quo sequitur, fieri posse, ut quis 190
interdum faciat alterum Irregularem v. g. percutiendo, aut vulnerando, licèt ipse non fiat Irregularis; quia potest alterum inhabilem reddere ad Altaris ministerium sine mutilatione; & vice versa contingere potest, ut Irregularis fiat mutilans, non verò mutilatus, ut siquis per injuriam, & invitus ab alio fuit castratus. Et hinc duplex distinguenda est mutilatio, una activa, altera passiva: ratione mutilationis activæ Irregularitatem incurrit illam inferens, si truncaverit, vel abscinderit membrum, ut dictum est *n. 153.* ratione passivæ, qui eam passus est, Irregularis tunc solùm redditur, quando per eam factus est inhabilis ad congruum exercitium Ordinis, præsertim verò ad celebrationem Missæ, juxta dicta *Libr. 1. Tit. 20. n. 2. & seqq.*

Dub. 10. an Irregularitas mutilatio- 191
nis sit distincta ab Irregularitate Homicidii? R. affirmativè; quamvis enim conjungan-

tur

propter similitudinem culpæ, revera tamen distinguuntur, sicut perfectum, & imperfectum. Suar. *D. 44. sect. 2. n. 3.* Plurimum autem refert, has Irregularitates æquiparari quidem, sed tamen distingui; ex hoc enim, quòd æquiparentur inter se invicem, sequitur, quòd quidquid in Jure statutum est de Irregularitate mutilationis, si rigorem contineat, extendi debeat ad Homicidium, non propter argumentum à simili, vel à minori ad majus, quocunque modo, sed propter Argumentum à parte ad totum; quia in homicidio mutilatio continetur formaliter, vel eminenter, tanquam pars in toto. Suar. *l. cit. n. 4.* Pirhing *n. 121. b. tit.*

192 Contrà quia distinctæ Irregularitates sunt, sequitur, non omnia, quæ in Jure statuta sunt circa Irregularitatem Homicidii voluntarij, etiam extendi ad mutilationem voluntariam. Exemplum est; nam dispensatio in Irregularitate ex Homicidio voluntario est reservata Summo Pontifici, ut notavit *S. Congr. Concil. ad sess. 24. Trid. c. 6. de reform.* apud Suar. *n. 4. cit.* quæ tamen reservatio non debet extendi ad dispensationem Irregularitatis ex Mutilatione voluntaria occulta, cùm ex vi memorati Decreti Trid. & ut *infrà n. 256.* dicetur, concedatur Episcopo. Similiter ex eadem ratione, & quia minorem culpam committit, qui mutilat, quàm qui occidit, si quæ disposita sunt de mutilatione, favorem contineant, non debent extendi de mutilatione ad Homicidium; quia si pœna minuatur in delicto minore, non sequitur illam etiam diminui in majori, vel totali. Pirhing *l. cit.*

193 Quæritur 2. quæ sit pœna Homicidij præmeditati? R. hujus, sicut atrocius crimen, ita gravior etiam pœna est, quàm Homicidij simplicis, seu illius, quod in rixa tantùm, aut impetu passionis commissum est. In foro Sæculari hujus reo, si mas sit, rotæ pœna, si fœmina, culeus dictari solet, vel etiam, quando istud delicti qualitas petit, ante executionem delinquens forcipibus candentibus prehenditur, prout habet *Const. crim. Carol. V. art. 137.* & notat Stryck. *Us. mod. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de Sicar. §. 1.*

194 In foro Ecclesiastico præter alias pœnas inducit Irregularitatem, quæ difficillimæ relaxationis est. An verò reus Homicidii præmeditati etiam privetur Asylo, seu Immunitate locali Ecclesiastica, ancipitis quæstionis apud DD. est. Et quidem de Jure Civili certum est, istum Immunitate hac non gaudere, prout patet ex *Novell. 17. c. 7. pr.* ubi *Templorum cautela non nocentibus, sed læsis à Lege data* asseritur. Sed quia resolutio propositæ dubitationis non ex Legum institutis, sed SS. Canonum Regulis petenda est *arg. can. certum est 3. dist. 10. can. bene 7. can. duo sunt 10. &c. dist. 96. c. Ecclesia 10. de Const.* & fatentur Orthodoxi DD. omnes, hinc dubii istius difficultas in eo consistit, an hujusmodi Homicidii præmeditati Rei ab Asylo Ecclesiastico excludantur etiam de Jure Canonico.

Affirmant Clar. §. *fin. q. 30. n. 12.* 195 Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 15.* Fachin. *l. 9. contr. c. 93. v. ego existimo*, Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 23. n. 3.* ducti textu *c. siquis 1. h. tit.* ubi præceptum Legis veteris, datum *Exod. 21. v. 14.* per Christi mortem extinctum, Gregorius IX. illud in Decretales transferendo, resuscitavit, & constituit, ut *Siquis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari evellatur, ut moriatur*: quæ verba aliqui interpretantur ita, ut particula *Et* habeat sensum Disjunctivum, & textus ab Asylo excludat quemcunque Homicidam, qui occiderit vel *per industriam*, conf. Homicidii præmeditati reus est, vel *per insidias*, i. e. proditoriè, accipiendo Homicidium proditorium saltem in sensu largo.

Negativa Sententia se fundat in Ju- 196 re Canonum Gregorio IX. antiquiorum, quibus cujuscunque cædis patratæ reo, si ad Ecclesiam, vel Monasterium se recipiat, Asylum datur, modò non sit Latro publicus, aut voluntaria hominis interfectione, vel mutilatione Ecclesiam, aut Cœmeterium contaminârit *c. inter alia 6.* & *c. fin. de Immunit.* quibus casibus recentiori Jure à Gregorio XIV. *Const. cùm aliàs editâ 9. Cal. Jan. 1591.* additum est Homicidium Proditorium, assassinium, & crimen læsæ Majestatis in personam Principis; conf. cæteri omnes juxta hanc sententiam Asylo gaudent.

Ad *c. siquis* in contrarium allegatum 197 respondent hujus Sententiæ negativæ Patroni, mentem Pontificis admodum incertam esse, neque constare, quâ intentione eum textum Decretalibus inseruerit. Nam 1. Interpretes Gregorio coævi, aut proximi considerantes, quòd mortis naturalis pœna per Canones non infligatur, intelligi volunt textum illum non de morte naturali, sed spirituali peccati, vel Civili per privationem Beneficii, si delinquens Clericus, aut Excommunicationem, si Laicus sit. 2. alii, cum *Innocentio*, & *Antonio de Butrio* concedunt quidem eo textu decerni privationem Asyli, sed tantùm in Latrones, qui viatores occidunt in Stratis publicis, ut hoc modo evitetur correctio Jurium, per quæ cæteris Homicidis præstatur defensio. 3. alii cum Archidiac. *in c. siquis cit. V. & si fortè*, Host. *pr. ibid.* Ancharan. *n. 2.* Felin. *pr.* Joan. Andr. *n. 2.* Fagn. *n. 4.* Farin. *l. 1. conf. 76. n. 18.* Vincent. de Franch. *decis. 713.* Sperell. *decis. 23. n. 18.*

volunt eò textu excludi solùm Homicidam verè, ac propriè proditorium.

198 Ex his interpretationibus plerique tertiam approbant; nam 1. eidem consentit *Glossa interlinearis*, quæ maximæ authoritatis est, & verba *per insidias* declarans ait, *sicut legitur de Joab, occidente Abner & Amasam*, Amicitiæ specie deceptos. 2. textus Hebræus, in quo legitur, *siquis proximum suum occiderit in astutia.* 3. versio Græca 70. Interppr. quæ legit, *Si aliquis aggressus fuerit proximum, ut occidat in dolo.* 4. versio Vatabli, quæ habet, *Si aliquis volens, & calidè*, in quibus omnibus simulatio amicitiæ, vel dissimulatio inimicitiæ intervenire innuitur. Verùm hæc Controversia modò finita est per Constitutionem novissimam Sanctissimi D. N. Benedicti XIII. in Libro 3. tit. 49. à me relatam, per quam modò Homicidium præmeditatum, etiam non Proditorium ab Asylo excluditur.

199 Porro quale Homicidium censeri debeat *Præmeditatum*, sumitur ex deliberatione, & proposito occidendi, ex intervallo necem præcedente, ut dictum est *n. 6.* An verò hujusmodi animus, & propositum ex intervallo ita necem præcesserit, Menoch. *de arbitr. cas. 361. n. 1.* & alij passim decernendum relinquunt arbitrio Judicis, qui id conjiciet ex facti qualitate, & circumstantijs alijs, prout sunt. 1. si nulla ira, vel rixa, nec justus aliquis animi dolor, & similis passio alia præcessit. 2. si homicida fuit inimicus capitalis occisi. 3. si occidit ex insidijs, proditorie, sive sub specie amicitiæ. 4. si post necis inferendæ jactationem, vel comminationem. 5. si prævio tractatu, vel consultatione de ea inferenda. 6. si congregavit socios, arma, & alia ad aggressionem necessaria comparavit. 7. si præter morem armis se accinxit, cædisve locum frequentavit. 8. si ad fugam, tutúmque receptum omnia præparavit &c.

200 Dub. 1. quid dicendum de Homicidio perpetrato ex Insidijs? R. istud Deliberato Homicidio superaddit qualitatem dolosæ machinationis in necem hominis; ex insidiis enim occidere ille dicitur, qui Latronis more secus viam, vel in alio loco absconditus, inimicum prætereuntem exspectat, & nihil tale metuentem improvisò adoritur, strictóque ferro, vel sclopo explosò interficit: quo modo Clodium in Milonis necem, machinatum ostendere conatus est Cicero *Orat. pro Milone.*

201 Est Homicidium hoc gravius longè delictum, quàm si aperta vi sit illatum: & hinc graviori vindicta coërceri semper consuevit, usque adeò, ut alicubi conatus quoque, si ad actum proximum processisset, capite puniretur; alibi per locorum Statuta pœnâ Sicariorum ordinariâ is, qui ex hujusmodi insidiis inflixit vulnus lethale, puniri solet, etsi postea vulneratus præter spem ex eodem convaluerit. Ant. Matth. *in l. 48. ff. tit. de Sicar. n. 4.* Wiestner *hic n. 99.* Jure Canonico circa privationem Asyli hactenus fuit Controversia inter DD. Aliqui ex his volebant per insidias occidentem privari Asylo Ecclesiastico; communior negabat, quia putabat, ad effectum Privationis Asyli non sufficere, quòd Homicidium patratum sit quomodocunque per insidias, sed insuper requiri, ut accesserit species amicitiæ cum occiso. Nunc post Const. novissimam cit. tenenda est prima Sententia.

Dub. 2. quid Jure Canonico sit statutum de Homicidio proditorio? R. 202 In hoc quoad privationem Asyli plerique hactenus volebant distingui debere, utrum Homicidium sit proditorium in sensu *largo*, & *improprio*, in quo sensu proditorie occidisse dicitur etiam ille, qui clandestina circumventione, vel occulta machinatione quacunque insidiatur vitæ proximi, etiam inimici, eúmque nihil mali prævidentem, adeóque ad sui defensionem hic, & nunc impotentem aggreditur, & necat: an verò in sensu *stricto*, & *proprio*, in quo sensu proditorie occidisse ille duntaxat dicitur, qui non præcisè, per insidias, & dolum, sed sub specie amicitiæ, incautum, nihilque tale præcaventem occidit, ut olim Joab occidit Abner Principem militiæ Israël, exhibendo ipsi officiosum amplexum, & Amasam Principem exercitûs Juda eum exosculando.

In primo sensu Homicidium proditorium communior hactenus sententia voluit non excludere Asylo Ecclesiastico; quia ab Homicidio per insidias, quod putabant Asylo gaudere, non distinguitur; excludi verò acceptum *in sensu altero*, & *posteriore*, de quo vide Tit. *49. cit. n. 224. & seqq.* &c, ubi integrum DD. Catalogum, sententiam hanc defendentium posui, & confirmavi assertionem authoritate Clementis VIII. qui ad casum Panormitanum, cum quatuor illorum, qui Nobilem quendam suum inimicum per insidias ex fenestris tormenti bellici brevioris ictu occiderant, & ad Ecclesiam confugerant, peteretur extraditio, Brevi Apostolico die 6. Febr. 1597. desuper edito disertè declaravit, omnes istos Ecclesiastica Immunitate gaudere, & frui debere, licèt duos illorum ex rationabilibus causis, animum suum moventibus, voluerit Curiæ Sæculari tradi. Nunc dicendum, etiam in priori sensu acceptum Homicidium Proditorium excludere ab Asylo, non quia Proditorium, sed quia præmeditatum est, quod Constitutio novissima cit. Asyli Jure privavit. 203

Dub. 3. quæ sit pœna Assassinii? R. 204 Jure Civili, & Ordinatione criminali Caroli

roli V. in Assassinos nulla pœna specialis constituta extat, ex usu tamen Tribunalium hujus criminis Rei non simplici mortis pœnâ afficiuntur. Nam 1. alicubi alligati caudæ equi rapiuntur ad locum supplicii, & prævia ustulatione plectuntur capite. 2. alibi subjiciuntur rotæ, vel huic in altum erectæ imponuntur, vel implectuntur punitorum membra. 3. in quibusdam locis laqueo præfocantur, & cadavera eorum in frusta dissecantur. 4. in nonnullis quoad punitionem æquiparantur Latronibus publicis, quòd istorum instar ad hominis interemptionem lucri cupiditate sint inducti. Placha *l. 1. de Delict. c. 19. n. 5.* Clar. §. *Assassinium n. 3.* Carpzov. *pract. crim. q. 18. à n. 13. & 37.* Wiestner *hic n. 154.*

205 Jure Ecclesiastico in Assassinos diversæ sunt latæ pœnæ. Et 1. *Excommunicatio* probabiliùs latæ Sententiæ, non tamen reservata. Joan. Andr. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 5.* Farin. *prax. crim. q. 123. n. 11.* Vivian. *in c. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Passerin. *n. 2. & 8.* Honor. *hic n. 21.* Pirhing *n. 24. & n. 26. not. 7.* Wiestner *n. 151.* 2. *Depositio* à Dignitate, honore, ordine, officio, & Beneficio, quæ etiam ipsa ipso facto incurritur, non tamen ante Sententiam Declaratoriam. Clar. §. *fin. q. 36. n. 30. & 31.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 10. ℣. texto.* Farin. *l. cit. n. 13. & 17.* Barbos. *l. cit.* Passerin. *l. cit. & n. 9.* Reiffenstuel *n. 62. hic* cum reliquis *suprà.* 3. *Infamia*, quæ declarationem criminis Assassinii sequitur. Barbos. *l. cit. n. 13.* Pignatell. *tom. 9. consult. 43. n. 4.* Wiestner *n. 151.* 4. *Irregularitas*; nam hæc in omnes eos est constituta, qui Homicidii, vel mutilationis injustæ rei sunt, juxta dicta *n. 149. & seqq.* 5. *Privatio Immunitatis* Ecclesiasticæ localis, seu Asyli, juxta dicta *Libr. 3. Tit. 49. n. 186. & 241. cum seqq.* 6. *Amissio privilegii* Clericalis: quæ tamen ut incucatur, opus est, ut præcesserit actualis, & realis degradatio, per quam Assassinij reus tradatur Curiæ Sæculari. Pirhing *n. 26. cit. | not. 4.* 7. *Diffidatio* perpetua à toto Populo Christiano, ita, ut saltem post sententiam declaratoriam criminis Assassini, instar ejus, qui perduellionis reus est, à quolibet privato impune offendi, & occidi valeant, eorúmque bona à consanguineis proximioribus, aut fisco occupari. Sylv. *V. Assassinus n. 3.* Farin. *l. cit. n. 8. & duob. seqq.* Barbos. *n. 1.* Passerin. *n. 11.* Honor. *n. 21.* Pirhing *n. 24.* Wiestner *n. 151.* Reiffenstuel *n. 62.*

Porro circa crimen hoc Assassinij, & 206 pœnas illi statutas tria ista notari debent. 1. ad probationem istius criminis sufficiunt argumenta probabilia, ut constat ex *c. pro humani 1. h. tit. in 6. fin.* & quidem non tantùm ad pœnam extraordinariam, sed etiam ad ordinariam, & capitalem imponendam. Farin. *q. 123. cit. n. 46.* Barbos. *in c. pro humani cit. n. 20.* Passerin. *ibid. n. 12.* Pirhing *n. 26. not. 6.* 2. Pœnæ ejusdem, saltem quæ de Jure Canonico statutæ sunt, locum habent, etiamsi mors, sive cædes non sit secuta; quia tale mandatum quo præsertim infidelis ad occidendum Christianum pecuniâ conducitur, atrocissimum reputatur, & cedit in infamiam nominis Christiani. Barbos. *n. 8.* Passerin. *n. 5.* Pirhing *n. 25. not. 3.* 3. eædem pœnæ Canonicæ porriguntur *in c. cit.* etiam ad eos, qui Assassinum, sive eum, quem ad necem Christiano inferendam pretio conductum sciunt, receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint, & ea receptatione, defensione, occultatione verè causa fuerint necis per illum illatæ. Farin. *à | n. 29.* Barbos. Passerin. *l. citt.* Pignatell. *n. 16.* Pirhing *n. 25. not. 3.* Wiestner *n. 153.* Neque refert, an constitutus ad occidendum sit fidelis, an infidelis; quamvis enim in textu *c. pro humani cit.* tantùm fiat sermo de Infidelibus, ex communi tamen usu, & sensu Constitutio ejus etiam ad Fideles extenditur. Wiestner *hic | n. 149.* Plura videri possunt *Libr. 3. Tit. 49. n. 241. & seqq.*

§. IV.

De Homicidio Casuali.

SUMMARIUM.

207. &c. *Utrum Irregularitatem incurrat occidens, quando hic vacat omni omnino culpâ?*
210. &c. *Quomodo puniatur Homicidium casuale culposum, secutum ex actione aliàs licita?*
216. &c. *An Irregularitatem incurrat dans operam rei illicitæ, sed nullâ debitâ diligentiâ omisiâ ad Homicidium præcavendum?*
221. &c. *Qualis culpa præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex Homicidio casuali?*
228. &c. *An Irregularitatem incurrat, qui aliquem occidit in ebrietate?*
233. &c. *An qui correptus irâ occidit, propterea puniri possit?*
237. &c. *An pœnâ ordinariâ Homicidij puniendus sit, qui volens occidere unum, per errorem occidit alterum?*
240. &c. *An pro Irregulari habendus sit, qui dubitat, an ex Homicidio Irregularitatem incurrerit?*

HOmicidium Casuale, & Involuntarium, quod *n. 4.* descripsi, dupliciter potest contingere, videlicet 1. ut vacet omni culpâ occidentis. 2. ùt intervenerit aliqua istius culpa, eò quòd ab eo non sit adhibita debita diligentia ad Homicidium cavendum.

207 Quæritur 1. utrum Irregularitatem contrahat occidens, quando hic vacat omni omnino culpâ? R. negativè: sed ita occidens ab omni omnino pœnâ immunis est *l. si putator 31. fin. ff. ad Leg. Aquil. l. frater 1.* & *l. eum qui 5. C. ad leg. Corn. de Sicar. Const. crim. Carol. V. art. 146. v.* ein andere Gleichnus / Bartol. *in l. perspiciendum 11. §. delinquunt ff. de pœn. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 126. n. 56.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 38.* Layman. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 4. n. 1.* Vivian. *in c. 9. h. tit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Zœs. *hic n. 67.* König *n. 34.* Wiestner *n. 67.* Reiffenstuel *n. 176.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 428.*

208 Et hinc 1. ex Homicidio, & mutilatione Irregularitatem non incurrunt infantes, furiosi, amentes, dormientes. *clem. un. h. t.* ibi, *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit.* Vivian. *in Clem. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1. & seqq.* Zœs. *n. 73.* Honor. *n. 12.* Pirhing *n. 70. &c.* König *n. 7.* Schambog. *n. 30. & 46.* Magnif. P. Schmier *l. cit.* *Proceditque hoc*, etiamsi in hujusmodi furorem culpâ suâ inciderit. Barbos. *l. cit. n. 3.* Quod intellige, quamdiu durat furor; nam si occidat, dum lucida intervalla habet, Irregularitas manet. Barbos. *l. cit.*

209 2. Irregularis non est, qui actioni piæ, honestæ, aut saltem licitæ dat operam, si ex hac præter omnem exspectationem, & opinionem mors, aut mutilatio sequitur, ut dum quis cautè levat ægrotum, aut ei Medicinam ex Medici præscripto porrigit, iste ex hoc moriatur; si dum loco, & tempore debito pilâ, conis, jaculatione, aut alio honesto ludo se recreat, alium repentè accurrentem trajiciat; si dum campanarum compulsatione populum ad rem Divinam convocat, tintinnabulo casu decidente aliquis opprimatur *c. lator 9. c. dilectus 13. c. ex litteris 15. c. significâsti 16. c. exhibita 22. c. Joannes 23. c. fin. h. tit.* & notant Barbos. *in c. 14. h. tit. n. 1.* & *in c. 23. eod. n. 1. & seqq.* Gobat *Quinar. tr. 5. c. 20. n. 16. & 17.* Zœs. *n. 67.* Honor. *n. 29.* Pirhing *n. 46.* Schambog. *n. 32. & 47.* Wiestner *n. 69.* Schmier *n. 429.* Ratio est, quia Irregularitas ex Homicidio, quod à privato commissum est, pœnæ rationem habet. Pœna autem supponit culpam, quæ tali casu non adest.

Quæritur 2. utrum qui operam dat, 210
rei aliàs licitæ, sed quia non adhibet diligentiam ad præcavendum homicidium, vel mutilationem alterius, Homicidium sequitur, ratione talis Homicidii casualis immunis à pœna sit? R. negativè; sed Jure Civili quidem conveniri potest ex Lege Aquilia de damno injuriâ dato liberis, conjugi, socijs, & omnibus, quorum interest, hominem talem occisum non esse; de qua actione agemus *infrà Tit. 36. de Injuriis, & damno dato.* Insuper pœnâ extraordinariâ juxta facti, & personarum qualitatem punitur *l. lege 4. §. cùm quidam 1. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. l. frater 1.* & *l. eum qui 5. C. eod.* & non obscurè insinuatur in *Const. crim. Carol. V. art. 146. §.* Des Thäther keiner.

Porro quænam in quovis casu pœ- 211
na sit infligenda, considerari debent locorum Statuta, & consuetudines; quæ diversæ admodum in isto sunt, & diversas etiam pro culpæ qualitate pœnas statuunt; nam aliquando, licèt rariùs, pœna Homicidii casualis, & culposi & fustigatio cum relegatione, aut relegatio simplex perpetua, vel ad aliquot annos; aliquando carcer; aliquando mulcta pecuniaria; aliquan-

do, in Bavaria nostra saltem, peregrinatio ad celebrem locum Sacrum cum obligatione inde ferendi testimonium peractæ Confessionis Sacramentalis &c. Haun. *tom. 6. de J. & ?. tr. 6. n. 278.* Wiestner *hic n. 76.*

212 Nunquam autem propter Homicidium culposum infligitur pœna Ordinaria *Legis Corneliæ de Sicariis*, seu ultimum supplicium, adeò ut ne quidem culpa lata locum eidem faciat *l. in lege 7. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* *Neque obstat*, quòd culpa lata æquiparetur dolo: hoc enim procedit in contractibus *l. quòd Nerva 32. ff. Depositi*; non tamen in Delictis: nam in his ad pœnam ordinariam infligendam non sufficit culpa lata, sed propositum, & directa voluntas occidendi &c. requiritur, ut habetur *l. in lege cit. Constit. crim. art. 150.* Unde non dolo, sed culpâ, & absque animo occidendi Homicidium factum præsumitur (nisi aliunde de animo occidendi appareat) siquis armis, ad occidendum ordinariè non usitatis, in altero mortem causârit, veluti si alter alterum, lapide, baculo, cantharo, calceo, sive pede in rixa percusserit, & exinde secuta sit mors, prout pluribus declarat Farin. *q. 126. n. 127. & seqq.* & sequitur Engl *hic n. 27.*

213 Jure Ecclesiastico ex Homicidio culposo contrahitur Irregularitas, ut notant Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 2. n. 9. v. quartus*, & §. *4. n. 5.* Suar. *D. 45. de Censur. sect. 5. n. 1.* Fagnan. *in c. ad audientiam 12. b. tit. n. 1.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *ibid. n. 1. & in c. 7. eod. n. 1.* Wagnereck *in c. 8. in Exeges.* Vallens. *hic n. 7.* Pirhing *n. 46. & 55.* Engl *n. 48.* Wiestner *n. 77.* Reiffenstuel *n. 181.* & sumitur 1. ex *c. continebatur 8. b. t.* ubi Irregularis pronuntiatur Clericus, quòd falcem non removerit à tergo, in quod alius ex more regionis insiliens, lethaliter est vulneratus. 2. ex *c. Presbyterum 7. eod.* ubi pro Irregulari habetur Presbyter, qui quemdam puerum disciplinæ intuitu percussit in capite, ex qua percussione dein iste post paucos dies expiravit. 3. ex *c. fin. eod. in 6.* ubi is, qui mandat aliquem verberari, licèt expressè præcipiat, ne occidatur, Irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, occidat, ex ratione; quia, ut textus addit, mandando *in culpa fuit, & hoc evenire posse debuit cogitare.* *Ratio* autem, quare pœnâ affici homicidium tale possit, est, quia aliquo modo est voluntarium, & licèt opus secundum se, & ex objecto suo sit licitum, tamen non licitè fit propter annexum periculum homicidii, quod non fuit debitâ diligentiâ vitatum.

214 Hinc Irregularitatem incurrit, qui tectum reficiens projicit tegulam, per quam viator præteriens occiditur, nisi ante voce præmonuerit, vel signum de more posuerit; quia aliàs non censetur adhibuisse diligentiam debitam in opere periculoso ad alterius mortem cavendam. *Secus* verò dicendum, si signum posuit, vel clamando præmonuit prætereuntes, ut sibi caverent; tunc enim non fit Irregularis, si ex projectione tegulæ aliquis sit occisus. Farin. *q. 126. n. 22. & 23.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 8.* Barbos. *in c. fin. n. 2. eod.* Pirhing *hic n. 54.*

Quare Regula est, Irregularitatem 215
nullam incurrere, qui dat operam rei licitæ, & sufficienter præcavet periculum, ne ex tali actu mors alterius, vel mutilatio consequatur. Et propterea reprobandus est quorundam scrupulus, qui vulnerato, vel ægro subvenire recusant illum levando, ne si fortassis inter eorum manus exspiret, ipsi accelerâsse mortem, & propterea Irregularitatem incurrisse censeantur; nam casu, quo adhibuerint cautelam debitam, neque ex delicto (quod in tali casu nullum est) neque ex defectu lenitatis (quia hæc solùm incurritur ex homicidio, vel mutilatione facta authoritate publica) Irregularis efficitur: Nec est verisimile, quòd Pontifices voluerint, per Irregularitatem tollere Charitatem; imò si ex defectu lenitatis Irregularitas oritur, sanè ex ejus contrario, scilicet ipsa lenitate actûs misericordiæ, & Charitatis Christianæ oriri non potest.

Quæritur 3. utrum Irregularitatem 216
incurrat ille, qui dans operam rei illicitæ occidit, sed nullâ debitâ diligentiâ omissâ ad Homicidium prævendum? Affirmant S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 8.* Innoc. *in c. tua nos 19. h. tit.* Sylv. *V. Homicidium 2. pr.* Navar. *Man. c. 27. n. 220. & seqq.* Fagnan. *in c. ad audientiam 12. h. tit. n. 19.* Honor. *hic n. 30.* & alii præsertim VV. Canonistæ. Moventur 1. *arg. c. dilectus 13.* & *c. ex litteris 15. h. tit.* ubi occidentes ab Irregularitate absolvuntur, ex ratione, quòd operam dederint rei licitæ, & adhibuerint diligentiam debitam in Homicidio præcavendo. Igitur Irregulares essent, si operam dedissent rei illicitæ, etsi adhibuisset diligentiam debitam. 2. *c. tua nos 19. h. tit.* & *c. sententiam 9. ne Cler. vel Monach.* ubi Clerici, in Sacris constituti, & Monachi Irregulares fiunt, quando ipsis Medicinam, vel Chirurgiam exercentibus, etiam omni adhibitâ diligentiâ, mors sequitur, quòd ejusmodi actûs exercitium ipsis illicitum sit extra casum necessitatis. 3. Irregularitas faciliùs contrahitur Homicidio, quod ex illicito, quàm quod ex licito opere secutum est *c. dilectus*, *c. ex litteris*, & *c. Joannes 23. h. tit.* atqui hoc verum non esset, si ex illicito opere secutum eam non induceret, quando debita diligentia adhibetur. ergo &c.

Sed meliùs adhibetur distinctio, quâ 217
utuntur Castro *de Leg. Pœn. l. 2. c. 19.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 4. n. 10.*

Sot,

Sot. l. 5. de Just. q. 1. art. 9. Cordub. l. 1. qq. 26. Henriq. l. 14. c. 15. n. 3. Sanch. l. 9. de Matr. D. 32. n. 5. Suar. D. 45. sect. 5. n. 9. Avil. p. 7. sect. 1. dub. 1. Molin. tr. 3. D. 77. n. 5. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 1. & 3. Palao tr. 29. D. 6. p. 15. §. 4. n. 4. Fagnan. in c. ad audientiam 12. h. tit. n. 61. Barbos. in c. 9. eod. n. 3. Wagnereck in c. 13. V. nec dedit not. 2. Monacell. p. 2. tit. 13. form. 3. n. 34. Matthæuc. Offic. Eccl. c. 35. n. 39. Zoes. hic n. 69. Engl. n. 50. Pirhing n. 65. & seqq. Schambog. n. 41. Wiestner n. 80. Reiffenstuel n. 195. Magnif. P. Schmier de Potest. Ordin. c. 6. n. 439. & seqq. Vel enim opus, aut actio illicita, ex qua Homicidium, vel mutilatio sequitur, est ex se periculosa, mortisque, vel mutilationis facilè inductiva, & propterea graviter prohibita, vel non.

218 *Si primum*, uti sunt exercitium Chirurgiæ, artis Balliſtariæ, Torneamentorum reſpectu alicujus imperiti, contrahitur Irregularitas, ſi ex tali opere, vel actione ſequatur mors, vel mutilatio, etiamſi ad hanc præcavendam omnis diligentia ſit adhibita; quia tale homicidium aliquo modo eſt voluntarium exercenti, ſcilicet in cauſa: conſ. qui hanc voluit, ex Juris interpretatione, aut præſumptione ipſum homicidium voluiſſe cenſetur. *Excipitur*, ſiquis in caſu neceſſitatis extremæ, & in defectu peritiorum ex miſericordia adhibuit medicamentum, quod putavit expedire; tunc enim ab Irregularitate excuſat Chriſtiana Charitas. Avil. *dub. 10. concl. 3.* Palao *n. 8.* Engl *n. 50.*

219 *Si ſecundum*, Irregularitas non contrahitur extra caſus in Jure ſpecialiter expreſſos. Et hinc Irregularis non eſt Clericus, qui venationi inſiſtens occidit hominem, putans eſſe feram; aut equo vadens ad fornicandum, vel furandum, ſi iſte rupto freno, ungulis conculcaverit prætergredientem, modò ipſe Clericus neſciverit eſſe ferocem, & ad eum continendum omnem adhibuerit diligentiam: item Irregularis non eſt adulter, ſi ſequatur inopinata cædes adulteræ; aut Religioſus, contra Prælati ſui prohibitionem conis ludens, ſi globus, è manu ejus fortuitò excuſſus, hominem improviſò occurrentem proſternat &c. Ratio eſt, quia cùm opus, cui vacant, quamvis illicitum ſit, tamen nec viam paret ad homicidium, nec ratione iſtius periculoſum ſit, ipſum ejusmodi Homicidium nec directè, nec indirectè voluntarium ullo modo, & propterea ad culpam imputari ipſis non poteſt.

220 Neque aliud evincunt Argumenta oppoſita. *Ad 1. N. Conſ.* nam Argumentum à ſenſu contrario nullam, vel exiguam vim habet in pœnalibus: quod maximè verum eſt in Irregularitatibus; quia iſtæ non contrahuntur, niſi in caſibus Jure expreſſis. *Neque dicas*, pœnam iſtam ſufficienter expreſſam eſſe illis Juribus, quibus ſtatuitur, quòd Irregularitatem incurrant omnes Homicidæ, & tantùm excipiuntur, qui rei licitæ dant operam; dicendum enim, quòd generalitas iſta ſit limitanda ad ſenſum *Clem. un. h. tit.* ubi non obſcurè excipiuntur Homicidia omnino involuntaria, cujusmodi ſæpe ſunt, quæ ſequuntur ex opere illicito. *Ad 2.* caſus ille eſt ſpecialis ob periculum mortis, prout patet ex dictis *n. 218.* *Ad 3.* adhuc faciliùs Irregularitas contrahitur exercitio operis illiciti, quàm liciti; quia licito operam dans præſumitur ad Homicidium cavendum adhibuiſſe diligentiam debitam, quod non præſumitur in eo, qui actionem illicitam exercet: & idcirco iſte probare debet, ſe diligentiam ſufficientem adhibuiſſe, quod onus non incumbit illi, qui operam dedit rei licitæ.

221 Quæritur 4. qualis culpa ſive negligentia præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex homicidio caſuali? *Certum eſt 1.* ſi Homicidium ortum ſit ex opere illicito, de ſe periculoſo, iſtud exercentem Irregularem fieri absque ulla alia culpa; quia ſat magnam commiſit culpam, quòd videns, ex opere ſuo poſſe probabiliter ſequi homicidium, aut mutilationem, illud tamen exercuerit. Patet ex *n. 218.* *Certum eſt 2.* ad incurrendam Irregularitatem etiam ab eo, qui operam dedit rei licitæ, ſi ex ea ſecutum eſt Homicidium, ſufficere culpam latam, ſaltem pro foro externo; quia tunc Homicidium ſatis voluntarium eſt in cauſa, quando ſcilicet omittitur illa diligentia in cavendo Homicidio, quam homines mediocriter prudentes adhibere ſolent. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 1.* Zoes. *hic n. 68.* Pirhing *n. 62.* Wiestner *n. 82.* Reiffenſtuel *n. 181.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 433.*

222 An verò culpa lata omnino requiratur, vel contra ſufficiat culpa levis, aut leviſſima ad incurrendam Irregularitatem ob Homicidium ſecutum ex opere licito, dubiæ quæſtionis eſt apud DD. Nam 1. aliqui apud Suar. *D. 45. de Cenſur. ſect. 5. n. 4.* ſatis communiter putant ſufficere culpam levem: quod videtur colligi ex *c. continebatur 8. h. tit.* nam culpa, vel negligentia, quæ in caſu *c. cit.* intervenit, videtur non niſi levis fuiſſe.

223 2. Alii cum Abb. *in c. 7. de Pœnit. & remiſſ. n. 3.* Covar. *in Clem. ſi furioſus p. 2. §. 4. n. 9.* Roſell. *V. Homicidium 3. n. 11.* Tabien. *V. Irregularitas 2. n. 4.* & aliis apud Suar. *l. cit. n. 5.* volunt ſufficere aliquando etiam culpam leviſſimam, tum ſcilicet, quando talis culpa eſt in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in cavendo periculo Homicidii, pro-

proveniente ex propria, & positiva actione; secus, si ea culpa sit in omittendo, seu non impediendo Homicidium: & ad probandum primum assertionis suæ membrum allegant *c. Presbyterum 7.* & *c. ad audientiam 12. h. tit.* Verùm nec ex istis, nec ex aliis Juribus clarè constat, ibi esse sermonem de culpa leviſſima, sed potiùs de levi: quod probari potest ex *c. lator 9. eod.* ubi Pontifex declarat, non esse Irregularem eum Clericum, cujus cum alio luctantis cultello, ad latus appenso, alter vulneratus, & mortuus est; nam ille Clericus non potuit excusari à culpa leviſſima, quia ad luctandum cum altero debuisset cultellum deponere, utpote cùm res per se spectata periculo non caruerit, ut rectè advertit Suar. *l. cit. n. 6.*

224 3. Denique alii existimant, neque levem culpam sufficere, sed requiri latam. Ita Avil. *p. 7. de censur. D. 6. sect. 1. dub. 11. fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 3.* & alii: & innuere videtur *c. quæsitum 7. de Pœn. & remiss.* ubi Papa consultus de Sacerdotibus Græcis, qui filios in lecto oppresserunt, respondet, *si ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi, ab Officio Altaris* ipsos *debere perpetuò abstinere:* ubi Gloss. *V. negligentibus* ait, quòd *dissoluta*, seu studiosa *negligentia prope dolum est*, adeóque culpa lata. Et juxta istud *cap.* explicandus est textus *can. consuluisti 20. caus. 2. q. 5.* ibi, *Ne negligentiâ quâlibet proveniente, suffocentur, vel opprimantur:* nam quod ibi in confuso dixit Pontifex, id distinctè expressit *in c. quæsitum.*

225 Cæterùm quidquid sit de præsumptione fori externi, in foro conscientiæ non incurritur hæc Irregularitas ob solam culpam Juridicam, sed necesse est, ut interveniat culpa Theologica, cùm sit pœna Spiritualis, adeóque supponat verum peccatum. Covar. *l. cit. n. 9. ℣. ex his,* Molin. *tr. 3. D. 77. n. 6.* Suar. *sect. 5. cit. n. 7.* Pirhing *hic n. 63. Neque obstat,* quòd Irregularitas ex homicidio, publica authoritate facto, incurri sine peccato possit; nam aliud est in Homicidio facto à privato; hoc enim, ut Irregularitatem inducat, debet esse aliquo modo voluntarium, saltem indirectè, & in causa, quod non fit, quando omnis culpa Theologica abest.

226 Porro an ad Irregularitatem pro foro conscientiæ inducendam sufficiat culpa Theologica venialis, an verò requiratur mortalis, controvertunt DD. Gloss. *in c. significâsti 16. V. sciviſſet,* Armill. *V. Irregularitas n. 14.* Covar. *in clem. si furiosus p. 2. §. 4. n. 9.* & alii quidam existimant, ex sola veniali hanc posse Irregularitatem incurri. Sed rectiùs requiritur, ut omissio diligentiæ debitæ fuerit mortaliter peccaminosa. Ita Sot. *l. 5. de Just. q. 1. art. 9.* Navar. *Man. c. 27. n. 251.* Henriq. *l. 14. c. 15. n. 7.* Suar. *sect. 5. n. 8.* Bonac. *D. 7. q. 4. p. 7. fin.* Palao *p. 15. §. 4. n. 1.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 1. & seqq.* Wagnereck *in c. 13. V. non dedit not. 6.* Pirhing *hic n. 63.* Wiestner *n. 82.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n. 434. & 435.*

Sumitur 1. ex *c. quæsitum 7. de Pœn.* 227
& remiss. ubi Pater Irregularis declaratur, si filii, cum ipso dormientis, suffocatio accidit, *eo procurante, vel studiosè negligente:* quæ faciens utique graviter peccat. 2. *c. exhibita 22. h. tit.* ubi ab Irregularitate absolvitur, qui *ex obitu* occisi *læsam* (videlicet graviter, ut communiter intelligunt DD.) *non habuit conscientiam.* 3. *c. dilectus, c. ex litteris,* & *c. significâsti citt.* ubi ab Irregularitate immunes pronuntiantur personæ, quæ à peccato levi immunes non erant, ut cum aliis existimat Engl *hic n. 48.* 4. *ratione;* quia Irregularitas cùm sit pœna graviſſima, non videtur esse proportionata culpæ veniali.

Quæritur 5. an Irregularitatem in- 228
currat, qui aliquem occidit in ebrietate? Affirmant Zabarell. *in Clem. un. h. tit.* Sylv. *V. Homicidium q. 4. n. 5.* ex ratione; quia se inebrians graviter peccat, & in ebrietate occidens aliquando ordinariâ Homicidarum pœnâ, vel saltem extraordinariâ plectendus est. *l. omne delictum 6. §. qui se vulneravit 7. ℣. per vinum ff. de re militar.* igitur nec ab Irregularitate immunis erit.

Sed respondendum est distinguen- 229
do: Vel enim occidens Theologicè fuit ebrius, ita, ut privaretur rationis usu; vel solùm crapulosus, ut intemperantiore potu factus sit tantummodo animosior. *Si hoc secundum*, sicut non liberatur à pœna ordinariâ Juris Civilis, ita nec ab Irregularitate; quia ebrietas talis improbitatem consilii non adimit, nec animum dolosum suffocat. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 3. n. 533.* Zoes. *hic n. 74.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 204.*

Si primum, altera distinctio est ad- 230
hibenda, & videndum, an ebrietas acciderit præter omnem culpam, quòd v. g. vinum multò, quàm æstimabatur, fuerit generosius; an verò acciderit ex culpa ipsius ebrii, studiosè se inebriantis. *Si priùs*, ita ebrius occidens alterum nec Irregularitatem, nec aliam propterea pœnam incurrit. Layman. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 2.* Barbos. *in Clem. un. h. tit. n. 10.* Engl *hic n. 28.* Pirhing *n. 74.* Reiffenstuel *n. 205. & 208.* quia ut August. *l. 1. retract. c. 9.* ait, *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est.* Ponitur autem in hoc casu nullam adesse culpam, vel peccatum. ergo sicut secundùm dicta *n. 207.* ab Irregularitate immunis est infans, furiosus, dormiens, si occidat, ita etiam in hoc casu ebrius.

231 *Si posterius*, applicanda est distinctio tertia, an ita se inebrians prævideri probabile Homicidii, vel mutilationis, à se in ebrietate, committendæ, periculum, quòd noverit in temulentia se arma corripere & obvios invadere solitum; vel contrà nullum tale periculum prævideri, aut potuerit prævidere. *Si prævidit*, & tamen se inebriavit, pro Irregulari habendus est. Imò etiam in foro Sæculari pœnæ subjacet, non quidem ordinariæ homicidii, sed extraordinariæ, nisi animo occidendi se inebriaverit, prout ex *l. omne delictum 6. §. qui se vulneravit 7. ℣. vinum ff. de re militar.* desumunt Clar. §. *fin. q. 60. n. 12.* Tiraquell. *de Pœn temperand. caſ. 6. n. 11.* Covar. *in Clem. cit. p. 3. pr. n. 4.* Menoch. *de arbitr. caſ. 326. n. 3.* Leſſ. *l. 4. de I. & I. c. 3. n. 16.* Engl *hic n. 29.* Pirhing *n. 74.* Wieſtner *ibid. n. 72. Ratio eſt*, quia ordinariâ Legis Corneliæ, ſive mortis naturalis pœnâ ſolummodo plectitur Homicidium, quod ex propoſito, & dolo malo eſt perpetratum *l. lege Cornelia 1. pr. §. præterea 1. & §. Divus 3. l. in lege 7. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* atqui dolo non occidit, qui id facit in ejusmodi ebrietate *l. perſpiciendum 11. §. delinquitur 2. ff. de Pœnis. Neque obſtat*, quòd ita inebriando commiserit culpam latam, quæ aliàs æquiparatur dolo; quia, ut jam nuper dixi, æquiparatio hæc locum duntaxat habet in contractibus, non verò in homicidio, & aliis delictis, pœnam corporalem, & infamiam irrogantibus.

232 Si verò ita se ſpontè inebrians non prævidit, nec potuit prævidere periculum Homicidii in ebrietate ſua committendi, ab Irregularitate immunis eſt, ut rectè advertunt Navar. *Man. c. 27. à n. 230.* Covar. *p. 3. pr. cit. n. 3.* Azor *p. 1. l. 7. c. 33. q. 7.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 2.* Fagnan. *in c. ad audientiam 12. n. 26.* Barboſ. *in Clem. un. b. tit. n. 10.* Zœſ. *hic n. 74.* Engl. *n. 28.* Pirhing *n. 74.* Wieſtner *n. 71.* Reiffenſtuel *n. 205. & 2. ſeqq.* & alii TT. ac Canoniſtæ. Idem, ſpectato Jure naturali tantùm, immunis eſt etiam ab aliis Homicidii pœnis. Caſtro *l. 2. de Leg. pœnal. c. 14. concl. 1.* Molin. *l. 3. de I. & I. D. 38. n. 8.* Leſſ. *l. 4. de I. & I. c. 3. n. 27.* Laym. *n. 2. cit. concl. 3.* Engl, Wieſtner *l. citt.* & eò confert *can. inebriaverunt 9. cauſ. 15. q. 1.* ubi S. Auguſtinus de Loth in ebrietate inceſtum committente, *Culpandus eſt quidem*, inquit, *non tamen, quantùm ille inceſtus, ſed quantùm illa meretur ebrietas. Ratio eſt*, quia hoc caſu, licèt aliqua culpa intervenerit in ebrietate, nulla tamen intervenit quoad cædem, hoc ipſo, quia illa inopinatò accidit. Dixi autem, *ſpectato Jure naturali*; nam plurium Provinciarum Statuto, vel conſuetudine ebrii, quantumvis aliàs impunes ſint, ob eventum Homicidii in foro externo extraordinariâ pœnâ plectuntur, juxta §. *qui ſe vulneravit cit. ℣. per vinum*, & *l. aut facta 16. §. eventum 8. ff. de Pœn.* Bartol. *in §. cit.* Laym. *l. cit. fin.* Wieſtner *n. 75.* cum aliis.

233 Quæritur 6. an is, qui irâ correptus homicidium committit, propterea puniri poſſit? Sunt, qui homicidium, in calore iracundiæ commiſſum, ab omni, aut ſaltem ab ordinaria pœna eximant; quia juxta Philomonem inſanimus omnes, cùm iraſcimur: eſtque Sapientum conſenſus, quòd ira ſit brevis furor, & temporaria inſania. Accedit *l. perſpiciendum 11. §. delinquitur 2. ff. de Pœn.* ubi diſtinguitur delictum, quod ſit ex propoſito, ut in publicis Latronibus, ab eo, quod ſit ex impetu, e. g. iræ.

234 Sed dicendum, propter iram, quantumvis vehementem, regulariter Homicidam à pœna ordinaria Homicidij non liberari: oſtenditur 1. ex *l. aut facta 16. §. cauſa 2. ff. de Pœn.* ubi dicitur puniri eum, qui per iram extraneum pulſat. 2. ex *l. ſi non convitii 5. C. de injur.* ubi tradunt DD. actionem injuriarum adversùs eum dari, qui in rixam inconſulto calore prolapſus, homicidii convitium objecit. 3. ex *Conſt. crim. Carol. V. art. 157.* ubi decernitur pœna gladii in eum, qui in ira homicidium fecit, & aliâ causâ legitimâ non excuſatur. 4. ex *Ratione*; quia aliàs punitioni rarò locus eſſet, cùm ira ad omnia ferè Homicidia incitet.

235 *Excipitur*, ſi ira ſit adeò vehemens, ut etiam rationis uſum, dum illa durat, pervertat; tunc enim ita iratus ſimilis eſt furioſo, qui pœnæ ob Homicidium, à ſe commiſſum, non eſt obnoxius. Sed quamvis hoc procedat in foro interno conſcientiæ, in foro tamen externo rarò Exceptioni iſti eſt locus; quia tam vehemens ira non præſumitur, niſi probetur. Illud exploratum eſt, quòd quando juſta, & gravis cauſa iratum ad iram commovit, & is flagrante illo calore, homicidium patraverit, ut ſi pater, aut maritus filiam, uxorem, aut adulterum in adulterio deprehenſos occiderit, non ordinariâ, ſed arbitrariâ, & aliâ mitiore pœnâ ſit coërcendus; quia difficillimum eſt juſtum dolorem temperare. Carpzov. *pract. crim. p. 3. q. 147. n. 55. & ſeqq.*

236 *Ad Argumentum oppoſitum* iratus inſanire, & ira brevis inſania, ac furor dicitur, non per proprietatem, quaſi in totum cognitionem, & rationem voluntarii auferat, cùm vix unquam tanta ſit, & præſumi poſſit, ut judicium rationis penitus extinguat; ſed per quandam Analogiam, quatenus iræ impetus quodammodo minuit voluntarium, & conſultationem, atque electionem prævenit.

Quæ-

237 Quæritur 7. an pœnâ ordinariâ Homicidii puniendus sit, qui volens ex proposito occidere Titium per ignorantiam, sive errorem occidit Cajum? Putant aliqui, istum non puniendum pœnâ mortis, vel corporali, sed teneri ex Lege Aquilia, & afficiendum pœnâ arbitrariâ, propter homicidium non voluntariè, sed casu commissum.

238 Sed dicendum, etiam hoc casu locum esse pœnæ ordinariæ Homicidii; esto enim homicidium hoc casuale sit respectu personæ occisæ, verè tamen ita occidens Homicidium intendit, & intentio effectum habuit: & licèt, si sciviſſet esse Cajum, non occidisset, tamen non ignoravit esse hominem, quem ignoravit esse hominem, quem occidit; cons. non habuit ignorantiam, quæ tollat voluntarium respectu homicidii in genere: neque enim requiritur ad crimen homicidii, ejúsque pœnam ordinariam incurrendam, ut quis in specie noverit personam, quam occidit. Ita Bartol. *in l. perspiciendum 11. §. delinquitur 2. n. 7. ff de pœn.* Covar. *in c. alma p. 1. §. 10. n. 4.* Gonzal. *in c. 11. h. tit. n. 12.* Zœs. *hic n. 16.* Pirh *ibid. n. 19.*

Idem eadem ex ratione dicendum 239 de casu, quo aliquis sagittam projicit animo vulnerandi Mævium, & casu ibi aderat Sempronius, qui occisus est. Cons. utroque in casu ita occidens etiam Irregularis efficitur, & quidem ex Homicidio voluntario, Suar. *D. 45. de Censur. sect. 6. n. 18.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 5. n. 4.* Secus esset, siquis projecisset sagittam animo occidendi feram, & debitam diligentiam adhibuisset, ne hominem occideret; quia eo casu occisio hominis voluntaria ipsi non est, etiam indirectè. Covar. *in clem. si furiosus p. 2. c. 4. n. 10.* Suar. *sect. 6. n. 14.* Palao *n. 4. fin.*

240 Quæritur 8. an pro Irregulari haberi, & se gerere debeat, qui dubitat, an ex Homicidio incurrerit Irregularitatem? Satis certum videtur, non habendum pro Irregulari eum, qui dubitat de Jure v. g. an actui, quem exercuit, Irregularitas sit imposita. Suar. *D. 40. de Censur. sect. 5. n. 4.* Sanch. *l. 1. mor. c. 10. n. 42.* Gonzal. *in c. 12. n. 2.* Wagnereck *ibid. not. 1.* Pirh. *hic n. 59. v. altera pars*, Schamb. *n. 35.* Wiestner *n. 83.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n. 444.* Ratio est, quia Irregularitas inducenda non est, nisi in casibus Jure expressis, ut sæpe dictum est. Atqui in Jure expressum dici non potest, de quo, an Jus aliquod, vel Canon existat, dubitatur. ergo &c.

241 *Difficultas* est in dubio facti, e. g. cùm dubitatur, an quis perpetrârit Homicidium; Videtur, quòd ita dubitans similiter pro Irregulari non sit habendus, ex ratione; quia juxta *Reg. 125. ff.* & *Reg. 11. in 6.* Rei favorabiliores sunt, quàm Actores: & hinc in dubio delicto, si istud actor non probet, reus est absolvendus, etsi nihil præstiterit *c. fin. §. sanè de Jurejur. Conf.* quia juxta *Reg. 65. in 6.* in dubio melior est conditio possidentis. Sed quisque in dubio, an pœnam, vel obligationem incurrerit, est in possessione libertatis suæ. ergo &c.

Sed distinguendum est, an dubitetur 242 de corpore delicti, utrum scilicet homicidium, mutilatio, aut fœtus animati abortus sit factus, an verò, postquam de corpore delicti constat, dubium duntaxat sit, num suâ dubitantis culpâ contigerit. *Si primum*, Argumenta, pro Ratione dubitandi allata, rectè probant, eo casu Irregularitatem non incurri; quia non extat speciale Jus, quòd tali casu Irregularitatem inducat, & *c. ad audientiam 12.* ac *c. significâsti 18. h. tit.* expressè agunt de casibus, ubi constat Homicidium patratum esse Sanch. *c. 10. cit. n. 49.* Bonacin. *de Censur. q. 1. p. 4. n. 4.* Dian. *p. 11. tr. 6. resol. 24.* Barbos. *in c. 12 cit. n. 2. & 3.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Mendo *de Jur. Acad. l. 3. n. 321.* Gibalin. *de Irregul. c. 4. q. 1. n. 17.* Moya *select. qq. tr. 5. q. 6. à n. 3.* Wiestner *hic n. 84.*

Si secundum, ita dubitans Irregularis 243 censendus est. Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. pr. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 2. c. 19. q. 10. fin. & q. 11.* Suar. *D. 40. de Censur. sect. 5. n. 12. & sect. 6. n. 10. & 11.* Sayr. *Clav. Reg. l. 1. c. 13. n. 23.* Sanch. *c. 10. cit. n. 42.* Wagnereck *in c. 12. cit. not. 1.* Schambog. *hic n. 34.* & clarè dicitur est *c. ad audientiam*, & *c. significâsti citt.* Ratio est, quia in dubio tutior pars est eligenda: quæ ratio licèt universalis sit, & videatur probare etiam de prima parte distinctionis, ad eam tamen extendenda non est, cùm hìc versemur in materia pœnali, in qua Legislator moveri potuit ad aliquid prohibendum, vel speciali pœna afficiendum ex ratione, quæ etiam pro aliis casibus militat, in quibus tamen non voluit propterea esse eandem constitutionem Juris.

Procedítque resolutio hæc non tan- 244 tùm in Homicidio injusto, sed etiam in justo, quod sit in bello offensivo, si constet aliquem, vel aliquos interfectos fuisse in pugna, cui interfuit, qui dubitat, an sua manu aliquis occisus sit; nam hic, si pro parte affirmativa verisimiles conjecturæ adsint, in tali dubio tutiorem tenere viam, & ab Ordinibus usque ad Dispensationem abstinere debet *c. petitio 24. h. tit.* Secus est, si leve solummodo dubium sit; tunc enim videtur melior esse conditio possidentis jus accipiendi Ordines. Engl *hic n. 58.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6 n. 417.*

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

§. V.

De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio, vel Mutilatione, & de Compensatione damnorum inde secutorum.

SUMMARIUM.

245 &c. *In Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio quocunque, potest dispensare Pontifex.*

249. *Episcopus solùm in ea, quæ oritur ex Homicidio casuali occulto.*

250. *Non verò in ea, quæ oritur ex Homicidio Voluntario sive justo, sive injusto.*

251. &c. *Exceptiones.*

255. &c. *An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex mutilatione voluntaria, si hæc occulta sit?*

259. &c. *Quando censeatur Homicidium, aut Mutilatio occulta esse?*

261. &c. *Quando crimen istud dici possit deductum esse ad forum contentiosum?*

264. &c. *An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex Delicto, deducto ad forum contentiosum, Judicio per sententiam finito?*

266. &c. *Quam potestatem dispensandi in hujusmodi Irregularitate habeant Prælati Regulares, & alij privilegiati?*

269. &c. *An, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur compensare damnum per homicidium, aut vulnerationem illatum?*

273. &c. *Quid requiratur, ut ille ad hoc teneatur?*

245 QUæritur 1. an dispensari in Irregularitate hac possit? Videtur non posse, saltem si orta sit ex Homicidio injusto; quia videtur inducta Jure Divino, veteri quidem *l. 2. Reg. c. 7. v. 5.* ibi, *Non ædificabis mihi templum; quia vir sanguinum es*; novo autem *1. Timoth. 3. v. 3.* ibi, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum - - - non percussorem.*

246 Sed revera ex istis textibus non evincitur, quòd in Irregularitate ex Homicidio, etiam injusto, non dispensare possit saltem Pontifex. Non *primus* Legis Veteris; quia prohibitio illa inter Leges cæremoniales est referenda, quæ morte Christi exspirârunt: non *secundus* S. Pauli; quia ad summum probat, quòd Irregularitas Bigamiæ, & Homicidii ortum habeat ex præcepto Apostolico, & sit ex illis, de quibus idem Apostolus *1. Corinth. 11. v. 34.* ait, *Cætera, cùm venero, disponam.*

247 *Neque obstat*, quòd Irregularitas ista dicatur indispensabilis; quia talis dicitur, non quasi omnino in illa dispensari nequeat, sed quòd consueverit in ea dispensari rarò, & perquam difficulter, ac ferè tantùm cum Religiosis, & qui Mendicantium Ordinem ingredi volunt, ut cum aliis notant Abb. *in c. 6. h. tit. n. 12.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. §. 3. n. 5.* Pirhing *hic n. 125.* Schambog. *n. 98.* Reiffenst. *n. 216.*

248 Hinc dicendum, in Irregularitate hac dispensare posse saltem Summum Pont. qui supra omne Jus Ecclesiasticum est. Abb. *l. cit.* Sylv. *V. homicidium 3. q. 8. dict. 2.* Covar. *n 3. cit.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 3. n. 1.* Engl *hic n. 64.* Pirhing *n. 125.* Schambog. *n. 98.* Reiffenst. *n. 215.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 451.*

Quæritur 2. an dispensare in hac Irregularitate orta ex homicidio possit etiam Episcopus? R. distinguendo inter Irregularitatem ortam ex Homicidio voluntario, & inter eam, quæ orta est ex Casuali. In Irregularitate, quæ oritur ex *Homicidio casuali* quocunque occulto, quantumvis illud ex opere illicito secutum, & in eo præcavendo debita diligentia omissa sit, dispensare potest Episcopus. Navar. *Man. c. 27. n. 219.* Henriq. *l. 14. c. 10. n. 2.* Gutier. *qq. Can. l. 1. c. 65. n. 13.* Mirand. *Man. Præl. tom. 2. q. 8. art. 3. concl. 2. & 3.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 2. assert. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 39. n. 48.* Zœs. *hic n. 85.* Pirhing *n. 127.* König *n. 33.* Et hinc dispensare potest Episcopus 1. cum eo, qui mulierem prægnantem incautè percussit, & sic abortui causam dedit. 2. cum eo, qui tegulam ex tecto incautè dejecit, ex cujus ictu præteriens aliquid est occisus. 3. cum eo, qui mandavit alterum citra mortem percuti, si mandatarius omnino occidit &c. *Ratio est*, quia Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* Homicidium casuale non excipit.

249 *Contrà* in Irregularitate, quæ orta est ex *Homicidio voluntario*, potestate ordinaria dispensare Episcopus nequit, sive deinde justum illud sit, & induxerit Irregularitatem ex defectu lenitatis, sive injustum, & Irregularitatem causaverit ex delicto. Navar. *Man. c. 27. n. 217.* & *l. 5. conf. 39. h. tit.* Covar. *in Clem. si furiosus p. 2. pr. & §. 1. n. 2.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 6. fin.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 5. dub. 1. concl. 1. & dub. 3. concl. 1. & 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. assert. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 3. n. 1.* Vinc. Petra *tom. 2. comment. fol. 173. n. 17.* Honor. *hic n. 23.* Zœs. *n. 84.* Pirhing *n. 125. & 129.* Reiffenstuel *n. 219.*

n. 219 & 220. quia Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* Homicidium voluntarium expresè excipit.

251 *Et procedit hoc*, quamvis Homicidium tale occultum adhuc sit, & necdum ad forum contentiosum deductum. *Excipitur* 1. casus urgentis necessitatis ad vitandam infamiam, vel scandalum, aut aliud grave peccatum, & si non sit facilis recursus ad Papam; nam tunc dispensare cum Irregulari, qui occultum commisit homicidium, pro foro conscientiæ potest Episcopus, ut in Ordinibus etiam Sacris ministrare, & celebrare possit, quamdiu culpa, & defectus occultus manet, & donec Dispensatio à Papa impetretur. Avil. *l. cit. dub. 3. concl.* 1. *fin.* Laym. *c.* 12. *assert. 6.* Pirhing *n. 125. fin.* Schambog. *n. 98.*

252 *Excipitur* 2. casus, quo in defensione sui invasus ab injusto aggressore non observavit moderamen inculpatæ tutelæ; nam quamdiu Homicidium tale occultum est, dispensare in Irregularitate inde orta pro eodem conscientiæ foro potest Episcopus. Navar. *Man. c. 27. n. 239.* Molin. *tr. 3. de I. & I. D. 79. n. 8.* Avil. *l. cit. dub. 5. concl.* 1. Laym. *c.* 12. *n.* 2. *concl. 3.* Pirhing *hic n. 128.* Zœs. *n. 85.* Schambog. *n. 102.* Wiestner *n. 166.* Reiffenstuel *n. 221.* Ratio est, quia in *cit. Decret. Concil.* quoad potestatem dispensandi in Irregularitatibus, provenientibus ex delicto occulto, solùm excipitur homicidium directè, & simpliciter voluntarium, & illicitum, homicidium verò, defensionis causâ factum, sed cum excessu inculpatæ tutelæ, est quidem illicitum ratione hujus excessûs, non tamen est simpliciter involuntarium; quia non sponte, sed coactè fit ob necessariam sui defensionem, in qua solùm quoad modum peccatur. *Neque obstat*, quòd Trid. *sess. 14. c. 7. de reform.* dicatur, in homicidio casuali commisso, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, dispensationem committendam esse Ordinario loci, aut ex causa Metropolitano, vel Episcopo vinciori: quo videtur significari, commissionem non esse factam, sed faciendam à Papa. Nam ibi sermo est de Homicidio casuali, aut necessario publico, non autem de occulto, ut patet ex verbis subjunctis; *qui non nisi, causâ cognitâ, & probatis precibus, & narratis, nec aliter dispensare possit.* Pirhing *n. 128.*

253 *Excipitur* 3. quandocunque homicidium occultum est, & non ex proposito, ac directè, sed indirectè solùm, & in causa intentum, ut siquis in rixa subitò contingente irâ succensus, occidat authorem rixæ, ne ab illo occideretur. Navar. *Man. c. 27. n. 240. & l. 5. cons. 27. h. tit.* Suar. *D. 44. sect. 1. n. 4.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 5. dub. 5. concl.* 3. Laym. *c.* 12. *cit. assert. 4.* Antonell. *de Regim. Eccl. Episc. l. 2. c. 8. n.* 12. Pirhing *hic n. 127.* König *n. 33.* Wiestner *n. 166.* Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c. 6. n. 466.* Ratio est, quia licèt hujusmodi homicidium non sit merè casuale, non tamen est simpliciter, & perfectè voluntarium, cùm non fiat ex proposito directo, & formali, sed solùm est voluntarium secundùm quid indirectè, & in sua causa, & veluti mixtum ex voluntario, & casuali, secundùm doctrinam S. Thom. *2. 2. q. 64. art. 8.* ideóque probabile est, quòd à *Trid.* sub exceptione homicidij voluntarij non fuerit comprehensum; & cons. quòd Episcopus in Irregularitate, quæ ex hujusmodi Homicidio casuali mixto, & occulto exorta est, dispensare possit.

254 Dixi, *Quando hujusmodi Homicidium casuale mixtum occultum est*; nam quando publicum est, & notorium, vel ad forum contentiosum deductum, in Irregularitate, exinde orta, saltem ad Ordines SS. & Beneficium Curatum obtinendum dispensare nequit; quia Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* solùm tribuit Episcopo potestatem dispensandi in Irregularitatibus, ortis ex delicto occulto. Addidi *saltem ad Ordines SS. & Beneficium curatum obtinendum*; nam ad Ordines Minores, & Beneficium Simplex etiam post *Trid.* dispensandi potestatem adhuc habet Episcopus cum eo, qui ex Homicidio casuali mixto, sive indirectè voluntario Irregularitatem incurrit, quamvis Homicidium illud notorium, & publicum sit, ut bene notat Pirhing *l. cit.* & rationem dat; quia ex Jure antiquo id poterat Episcopus, ut quoad Ordines minores constat ex *c. ad audientiam 12. h. tit.* & quoad Beneficium *c. fin. in fin. de Cleric. pugn.* Concilium autem non abstulit Episcopis, quod poterant Jure antiquo quoad Homicidium indirectè voluntarium. Imò idem Pirhing *l. cit.* addit, posse Episcopum cum hujusmodi Homicida quantumvis publico dispensare etiam ad Beneficium Curatum jam obtentum retinendum.

255 Quæritur 3. an Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex mutilatione voluntaria, si hæc occulta sit? Negant Medin. *in Summ. l. 1. c. 11. §. 12.* Henriq. *l. 14. c. 9. n. 3.* Sanch. *l. 1. mor. c. 10. n. 49.* Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p. 1. c. 8. n. 89.* ob paritatem cum Homicidio, cui mutilatio quoad Irregularitatem æquiparatur *can. siquis abscidit 4. dist. 55.* ubi mutilans *Homicida* vocatur.

256 Sed meliùs affirmativam defendunt Navar. *Man. c. 27. n. 240.* Suar. *D. 44. de Censur. sect. 4. n. 35.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 11. à n. 3.* Avil. *p. 7. D. 6. sect. 5. dub. 4.* Bonac. *D. 7. q. 4. p. ult. circ. fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 1. assert. 2.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 15. §. 3. n. 3.* Barbos. *in Trid. sess. 24. c. 6. de reform. n. 36.* Dian. *p. 4.*

tr. 2. ref. 71. Antonell. *de reg. Eccl. Cath. l. 2. c. 8. n. 11.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 35. n. 45.* Engl *hic n. 64.* Pirhing *n. 126.* Schambog. *n. 99.* Wieſtner *n. 167.* Reiffenſtuel *n. 226.* éſtque ita deciſum à *S. Congr.* ut *citt.* DD. teſtantur.

257 *Ratio eſt*, quia S. Synodus Trid. *ſeſſ. 24.* & *c. 6. citt.* tantùm excipit Irregularitatem ortam ex Homicidio voluntario. igitur cùm exceptio firmet Regulam in caſibus non exceptis, dicendum, in Irregularitate, quæ orta eſt ex mutilatione, ſi hæc occulta ſit, Epiſcopum diſpenſare poſſe, præſertim cùm iſta ſit delictum multo minùs Homicidio. *Conf.* poteſtas diſpenſandi *c. 6. citt.* conceſſa Epiſcopis eſt beneficium Principis, & quidem inſertum Juri communi; & indulta eſt non tam perſonæ, quàm Dignitati, igitur latè interpretanda, & exceptio ibi facta ad caſus non expreſſos extendi non debet.

258 Ad Argumentum contrarium dico, Homicidium, & mutilationem æquiparari quidem quoad Irregularitatem contrahendam, non tamen quoad gravitatem culpæ, & diſpenſationem.

259 Quæritur 4. quando Homicidium caſuale, mutilatio, aut aliud delictum adhuc cenſeatur eſſe occultum, ut in Irregularitate, per illud incurſa, diſpenſare Epiſcopus poſſit? Diverſæ ſunt DD. ſententiæ. Communis illud delictum ad effectum diſpenſationis pro occulto habetur, quod neque eſt evidens, neque ſive ex natura ſua, ſive ex accidenti probari poteſt. Ita Zabarell. *in c. 7. de cohabit. Cler. & mulier. n. 18.* Abb. *ibid. n. 7.* Boich. *n. 5.* Riccius *prax. deciſ. 523.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 11. n. 46.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 13. n. 27.* Fagnan. *in c. 7. cit. n. 126.* Corrad. *prax. Diſpenſ. Apoſt. l. 7. c. 7. n. 13.* Wieſtner *hic n. 168.*

260 *Ex quo ſequitur* 1. non obſtare, quòd pro Diſpenſatione ſupplicans Epiſcopo, de crimine inducente Irregularitatem ſuſpectus, vel diffamatus ſit; quia ſuſpicio ad probationem non ſufficit. 2. etiam non obeſt quòd illud crimen commiſſum ſit coram uno tantùm, vel coram pluribus quidem, ſed qui à teſtimonio dicendo Jure, aut facto impediuntur; nam adhuc verum eſt, quòd tale crimen probari nequeat. 3. imò nec obeſt, quòd ab aliquibus ſciatur, & probari inſuper poſſit, ſi excuſari, vel tergiverſando celari poſſit; quia nondum notorium eſt, ad quod requiritur, ut nulla excuſatione, vel tergiverſatione celari poſſit. Videantur dicta *Tit. 1. àn. 1.*

261 Quæritur 5. quando crimen Irregularitatem inducens cenſeatur ad forum contentioſum deductum, ut per hoc Epiſcopo tollatur poteſtas diſpenſandi in Irregularitate? R. duo requiruntur. *Unum* eſt, ut ſuper eo conteſtata ſit lis. Boſſius *de Jubil. privil. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. n. 36.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 39. n. 29.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 7. n. 11.* Gavant. *Man. Prælat. V. abſolutio 12.* Dian. *p. 4. tr. 2. n. 93.* Wieſtner *hic n. 170.* Reiffenſtuel *n. 232.* Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c. 6. n. 474.* *Ratio eſt*, quia forum contentioſum dicitur ex eo, quòd in ipſo, ſive in Judicio contendatur. atqui non contenditur in foro, ſive Judicio, antequam inter partes contradictio detur, quod per litis conteſtationem contingit.

262 *Alterum eſt*, ut crimen, ita deductum in Judicium, & forum contentioſum, in eodem cum effectu probari potuerit. Arauxo *de Stat. Eccl. tr. 3. caſ. 6. n. 27.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 34. n. 57.* Barboſ. *Alleg. cit. n. 33.* Gobat. *Theol. Exper. tr. 7. n. 379.* Paul. Leon. *prax. S. Pœnit. p. 2. c. 1. n. 64.* Wieſtner *hic n. 171.*

263 Ex quo ſequitur, diſpenſationem Epiſcopalem ſuper Irregularitate non impediri ſola accuſatione, denuntiatione, aut citatione criminoſi; imò nec litis conteſtatione, ſi Judicium per ſententiam Rei abſolutoriam finitum eſt; vel etiam ſine ſententia, quòd accuſator Delicti probationem non fuerit proſecutus. Barboſ. *l. cit. n. 39.* Palao *n. 12.* Wieſtner *n. 171.* Schmier *n. 475.*

264 Quæritur 6. an Epiſcopus diſpenſare in Irregularitate poſſit, quæ orta eſt ex delicto, deducto ad forum contentioſum, poſtquam Judicium finitum eſt per ſententiam condemnatoriam Rei, & executionem illius? Affirmant Avil. *p. 7. D. 10. dub. 7.* Hurtad. *diffic. 20. n. 68.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 21.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 9. n. 5.* Dian. *p. 4. tr. 2. ref. 97.* ex ratione, quòd reo punito, jam obtentus ſit finis, ob quem à S. Synodo Trid. negata Epiſcopis eſt poteſtas diſpenſandi in Irregularitate, ne ſcilicet minueretur authoritas Curiæ de eo cognoſcentis, & reus per abſolutionem ſubtraheretur à pœnâ, Reip. ob ſcandalum offenſæ præſtandâ.

265 Sed tenenda eſt negativa Sententia, quam etiam defendunt Gutier. *l. 1. can. qq. c. 3. n. 10.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 11. n. 50.* Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. alleg. 39. n. 35.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 7. n. 13.* Dalvin. *de Poteſt. Epiſc. c. 21. fin.* Wieſtner *hic n. 172.* éſtque declaratum *à Sacr. Congr.* ut teſtantur DD. *citt.* Ratio eſt, quia Trid. *ſeſſ. 24.* & *c. 6. citt.* Epiſcopo poteſtatem ſuſtulit diſpenſandi in Irregularitate orta ex crimine notorio. tale autem eſt, & manet crimen, etiam poſt ſententiam condemnatoriam, & hujus executionem; imò per hoc evadit notorium notorietate Juris. ergo &c.

Ex quo patet ad Argumentum adverſæ Sententiæ; dicendum enim, rationem

nem denegatæ facultatis non fuisse unicam ibi relatam.

266 Quæritur 7. quam potestatem dispensandi respectu suorum subditorum habeant Prælati regulares? R. in Societate JESU, & alijs Ordinibus Mendicantibus Prælati istorum Ordinum in foro conscientiæ dispensare possunt cum subditis suis Regularibus in omnibus Irregularitatibus, ortis ex delicto occulto, etiam Homicidij, Mutilationis, & enormis sanguinis effusionis, ut constat ex *Compend. Privil. Societ. JESU V. Dispensatio* §. 5. & 6. Hæc facultas, ut §. 6. *cit. fin.* annotatur, communicatur omnibus Superioribus, & alijs Confessarijs, quibus ipsi eam commiserint, præterquam in Irregularitate ex Bigamia, & alijs tribus casibus in §. 5. contentis, nempe Homicidio, Mutilatione, enormi sanguinis effusione, qui Præposito Generali reservantur. In alijs Ordinibus Religiosis attendenda in hoc sunt specialia ipsorum Statuta, & Privilegia.

267 Cæterùm Privilegia hujusmodi dispensatoria juxta terminos concessionis intelligenda, & explicanda sunt. Quibus concessum est privilegium dispensandi in omni Irregularitate, exceptâ Bigamiâ, & Homicidio voluntario, vi illius dispensare possunt in omni Irregularitate, proveniente ex Homicidio indirectè, & imperfectè voluntario, & in eo, quod factum est ob defensionem cum excessu moderaminis. Item in Irregularitate ob defectum perfectæ lenitatis, quale est Homicidium justum, commissum à Judice, & quam incurrit accusator, testis, & similes concurrentes ad illud, & similes in bello justo. Avil. *p. 7. D. 6. sect. 5. dub. 1. & 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 4. assert. 7.* Pirhing *hic n. 130.* Schambog. *ibid. n. 105. Ratio est*, quia homicidium justum propriè, & in rigore loquendo non est homicidium, sed hominis occisio, quæ non est crimen; & homicidij voluntarij nomine in illa exceptione, quæ semper fieri solet in hujusmodi Privilegijs, intelligitur homicidium injustum.

268 Aliud est, si per privilegium specificè & expressè concedatur facultas dispensandi in homicidio casuali; tunc enim vi illius non potest dispensari in Irregularitate ex defectu lenitatis, ut cum Avil. *l. cit. concl. 3.* monet Pirhing *n. 130. cit.* & rationem dat, quia homicidium justum est directè voluntarium, non item casuale. Præterea monet Laym. *l. cit.* si facultatibus dispensandi in Irregularitatibus tantùm concessa sit Regularibus pro foro conscientiæ, eâ ipsos non debere facilè uti, si factum sit notorium; quia talem dispensationem Episcopi in foro externo non tenentur admittere.

269 Quæritur 8. an, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur illis, quibus per homicidium, aut vulnus damnum intulit, compensationem pecuniariam facere? R. 1. debet reficere expensas in Medicos, & Chirurgos, seu generaliter in curationem vulneris factas *c. si rixati 1. de Injur. l. quâ actione 7. pr. ff. ad Leg. Aquil. l. fin. ff. de his, qui effuderint &c.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 1. pr.* Engl *hic n. 37.* Sumptus tamen funeris non veniunt in restitutionem, nisi occasione necis illatæ v. g. extra Patriam majores fieri oportuerit. Petr. Navar. *l. 4. c. 1. n. 73.* Azor *p. 3. l. 5. c. 3. q. 5.* Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 83. n. 1. ℣. Navarrus*, Laym. *c. 6. cit. n. 2. assert. 3.*

270 2. Si vulneratus ejus conditionis sit, ut quotidiano labore victum, aut lucrum quærat, quo lucro jam propter vulnus caret, etiam eo nomine compensatio facienda est *c. si rixati cit. & l. fin. ff. de his, qui effuderint &c.* Laym. *l. cit. n. 1.* Engl *n. 37.* Deducendæ tamen sunt expensæ, quas vulneratus lucrum quærendo feciset, v. g. si pingendo tabulam debuisset emere colores, & alia materialia; quia non est lucrum, nisi deductis expensis. Engl *l. cit.* Non verò deduci debet æstimatio laboris intermissi, ut bene Sot. *l. 4. de Just. q. 6. art. 3. circa 3. argum.* Covar. *var. l. 2. c. 10. n. 7.* Petr. Navar. *c. 1. cit. n. 68.* Less. *l. 2. de Just. c. 9. dub. 19.* Laym. *n. 1. cit. ℣. sed dubitant*, Engl *n. 37.* contra Major. *in 4. dist. 15. q. 19.* Rebell. *p. 1. l. 3. q. 13.* Molin. *tr. 3. D. 87. concl. 1. Ratio est* tum, quia alioquin parum, vel nihil restituendum foret, cùm lucrum plerumque labori commensuratum sit; tum quia operarius libenter laborem ejusmodi subit pro necessario victu, aut pro lucro.

271 3. In fœmina compensatio etiam facienda cicatricis, aut deformitatis, ex vulneratione, aut mutilatione, sed tantùm tunc, quando propterea difficiliùs nubit; tali enim casu verè patitur damnum pretio æstimabile. Secluso hoc damno, ante sententiam Judicis pro cicatricis deformitate, aut membri etiam, vel ipsius vitæ jactura nulla compensatio est facienda, ut contra Sot. *l. 4. de Just. q. 6. art. 3.* Sylv. *V. Restitutio 3. q. 2.* Azor *c. 3. cit. q. 4.* docet Gloss. *in c. 1. de injur.* Navar. *Man. c. 15. n. 22.* Gomez *tom. 3. resolut. c. 6. dub. 23. & 25.* Vasq. *de Restit. c. 2. §. 3. dub. 6.* Laym. *c. 6. cit. n. 2. assert. 2. Ratio est*, quia vita hominis liberi, membrorúmque integritas, & incolumitas alterius generis, altiorisque ordinis sunt, quàm ut in commutationem pro pecunia venire, & quasi venalia fieri possint. Similiter etiam non tenetur Homicida ex justitia, ante sententiam, ut pro anima occisi Sacrificia, preces, eleemosynas DEO offerat. Laym. *l. cit. ℣. deinde*; quia nemo tenetur resarcire damnum ex bonis diversi generis, & ordinis, si in eodem non possit. Dixi *ex Justitia*,

stitia, intellige, commutativa, & ante sententiam; quia nemo negat, quin Judex in foro externo secundùm Justitiam vindicativam decernere homicidæ possit mulctam pecuniariam, applicandam offenso, vel ejus hæredibus. Item in foro interno pœnitentiali rectè faciet Confessarius, si eundem Homicidam pro majori satisfactione obliget ad preces, sacrificia, & alia opera pia, pro anima occisi præstanda. Laym. *l. cit.* Engl *n. 40. & 41.*

272 4. Homicida tenetur damnum resarcire illis, qui ex tali Homicidio per se, & directè læduntur, h. e. illis, quibus defunctus ad alimenta, vel rem aliam præstandam ex Justitia obligatus fuit, quâ nunc propter mortem ejus carere debent, prout sunt liberi, parentes, uxor; item ex probabili sententia Creditores, si propterea debito suo privati fuerint. Laym. *n. 3. assert. 4. & n. 4. assert. 6.* Engl *n. 38.* quia occisus arctiore obligatione Justitiæ tenebatur erga Creditores, quàm erga Parentes, uxorem, & filios, quippe quibus alimenta, & hæreditas non præstatur, nisi deducto ære alieno. Familiaribus verò, & Clientibus defuncti ab Homicida non videtur ex Justitiæ lege resarciendum damnum, quod ipsdem per accidens ex tali homicidio provenit; cùm enim defunctus ex Justitia ipsis nihil debuerit, non fuit aliquod jus ipsis ablatum, sed omnis injuria tendebat in occisum. Sot. *l. 4. de Just. q. 6. art. 3. circa. 3. Arg.* Molin. *tr. 3. D. 83. n. 6.* Laym. *n. 3. assert. 5.* Porro pro quanto tempore debeat fieri æstimatio alimentorum in casu, quo ista compensanda sunt Liberis, Parentibus, Uxori, nisi in thesi certò determinari non potest; forsan enim occisus, dum vixisset, naturaliter, vel alio casu brevi fuisset mortuus: ideo in qualibet Hypothesi, consideratis circumstantijs personarum, ætatis, valetudinis, loci, & temporis Judex vel transactionem inter partes procurabit, vel per sententiam, quod sibi æquum videbitur, jubebit restitui. Less. *l. 2. de Just. c. 9. dub. 20.* Engl *n. 38.*

273 Quæritur 9. quid requiratur, ut homicida ad restitutionem damni illati teneatur? R. 1. requiritur, ut quibus restitutio ob Homicidium facienda est, revera læsi sint; nam si læsio propterea nulla secuta est, nulla etiam est obligatio restitutionis. Et hinc si Liberi, aut Uxor ex bonis occisi pinguem hæreditatem acceperint, utique ipsis nihil est restituendum, cùm ex occisione potiùs lucrum, quàm damnum sentiant. Engl *n. 39.* 2. ut percussus percussori omnem restitutionem non sponte condonârit; tunc enim hæredes nihil exigere possunt. Laym. *n. 3. assert. 4. fin.* Imò ex plurimorum locorum consuetudine, si homicida fuerit affectus supplicio ultimo, nihil ampliùs ab ejus hæredibus petitur, quasi damnum vitæ pœnâ talionis factis compensatum fuisse censeatur. Ubi tamen nulla est talis consuetudo, de puncto Juris ex communiori sententia id non obtinet: quia vindicta publica non tollit civilem persecutionem ad damna, & interesse privatorum *l. qui nomine 25. ff. ad Leg. Corn. de falsi.* Covar. *2. var. c. 10. n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 119. n. 39.* Engl *n. 39. hic*, König *ibid. n. 28.* 3. ut homicida occidendo peccaverit contra Justitiam. Laym. *n. 5.* Ex quibus,

274 *Sequitur* 1. non teneri ad restitutionem ullam eum, qui ab altero injustè invasus est, etsi istum occiderit, si tamen observavit moderamen inculpatæ tutelæ: secus, si istud excessit; tunc enim ad restitutionem modò hactenus recensito tenebitur; probabiliter tamen non ad totum damnum, sed juxta proportionem injusti excessûs, ut putant Sylv. *V. restitutio 3. q. 2.* Sot. *l. 4. q. 6. art. 3. ad 3.* Less. *l. 2. c. 9. dub. 21. n. 135.* Contrariam tamen sententiam, quòd integrum damnum hoc casu restituendum sit, in rigore veram existimat Laym. *n. 5. coroll. 2.* ex ratione, quia talis excedendo moderamen, peccat mortaliter. is autem, qui damnum injustè infert culpa mortali, ad integram compensationem tenetur. ergo & ille tenebitur, nisi tamen Judex restitutionem damni condonet, quòd potest facere partim in pœnam injusti aggressoris, partim in satisfactionem injuriæ, quam vulnerans, vel occidens prior acceperat.

275 *Sequitur* 2. similiter non tenetur ad reparationem damni vulnerato, vel ejus hæredibus, qui cum isto ludo periculoso, v. g. hastiludio, congressus est, si ludi leges servaverit, & vulneratio, vel occisio sine dolo, seu formali intentione occidendi secuta sit, propter pactum remissionis, quod implicitè inter ludentes intercedere censetur. Molin. *tr. 3. D. 37. n. 4.* Laym. *coroll. 1.* Quoad pœnam in foro externo distinguendum est, an talis ludus publica authoritate permissus sit, an verò prohibitus. *Si primum*, ait occidenti nulla pœna decerni debet; *Si secundum*, pœnâ arbitraria affici poterit. Laym. *l. cit.*

276 *Sequitur* 3. pariter ad reparationem damni non obligari, qui provocatus ad pugnam accessit, & provocantem vulneravit, vel occidit, licèt graviter per hoc peccaverit; quia provocans, quantum in se erat, per provocationem intelligitur ipsi dedisse potestatem inferendi damnum, quatenus potuerit. Azor *p. 3. l. 5. c. 3. q. 7.* Less. *dub. 21. concl. 1.* Laym. *coroll. 3.* Engl *n. 43.* etsi aliter Molin. *D. 82.* Imò si duo ex condicto in Duellum descenderunt, & unus, quicunque ex illis duobus sit, alteri vulnus, aut mortem inferat, ab obligatione damni reparandi vulnerato, vel ejus hære-

hæredibus ex sententia communi DD. absolvitur; quia respectu damni ex vulneratione, & morte consecuti alter alterum injuriâ non afficit; hæc enim non fit volenti, & consentienti. Molin. *D. 82. cit.* Less. *dub. 21. concl. 1. cit. fin.* Laym. *coroll. 1.*

Cæterùm si Homicidium non sit dolo, sed culpâ commissum, qualis tunc culpa ad restitutionem obliget, & an casu, quo occisor, antequam in Judicium fuerit vocatus, est mortuus, hæres ejusdem ad compensationem illius teneatur, dicetur *infrà Tit. 36. de Injur. & damn. dat.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1. Quid sint Torneamenta?
2. Quot modis fieri possint?
3. 4. 5. An, & qua ratione sint prohibita?
6. An licita sint Clericis?
7. Pœna Torneamentorum in casu prohibito.
8. Ea celebrantes, si in illis occumbant, privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ, non tamen S. Viatico.
9. Quinam immunes sint ab ista pœnâ?
10. Sub eadem pœna prohibita est agitatio Taurorum.
11. Nisi caveatur sufficienter, ne cædes contingat.

HOmicidii, de quo hactenus, causæ, & occasiones frequentiores sunt Torneamenta, Duella, & Ars Sagittariorum, seu Ballistariorum: hinc ista voluit Ecclesia prohibere, ut Homicidia evitarentur.

1 Quæritur 1. quid sint *Torneamenta*, & quot modis fieri possint? R. *Torneamenta*, Germanicè Thurnier / sunt Nundinæ, sive Hastiludia, & solennes pugnæ equestres, in quibus milites, sive, ut superioribus Sæculis in Germania frequens erat, Nobilitas equestris ex condicto convenire, & ad ostentationem virium, peritiæ tractandi arma, & audaciæ suæ congredi solent per textum *c. Felicis 1. h. tit.* & notant Host. *hic n. 1. in Summ.* Vivian. *in c. 1. cit. pr.* Gonzal. *ibid. n. 5.* Vallens. *hic n. 1.* Zœs. *n. 1.* Honor. *n. 1.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 1.* Schambog. *n. 2.* Wiest. *n. 2.* Reiffenst. *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 97.*

2 Fieri autem Torneamenta duplici modo possunt. 1. temerè, adhibendo hastas, habentes acutas sibi præfixas cuspides, aliáque arma expedita ad infligenda vulnera. 2. adhibitâ cautelâ, utendo v. g. hastis sine cuspide, aut aliis armis hebetatis.

3 Quæritur 2. an, & qua ratione Torneamenta prohibita sint? R. distinguendo inter Jus antiquum, & novum; nam veteri Pandectarum Jure etiam primus ex duobus *n. præc.* relatis congrediendi modis videtur fuisse permissus *l. qua actione 7. §. fiquis 4. ff. ad Leg. Aquil.* & *l. solent 2. §. S. C. tum ff. de Aleatorib.* Antiquo autem Jure Canonico etiam alter congrediendi modus per *Clem. V. in Concil. Vienn. Constit.* incipit *Passiones* sub Excommunicatione Papæ reservata erat vetitus, propter immodicos sumptus, qui tunc meliùs in subsidium Terræ Sanctæ, Bello Sacro fervente, fuissent impensi.

4 Novo Jure tam Civili, quàm Canonico solùm prohibentur Torneamenta primo modo exercita, ut patet ex *l. un. C. de Gladiator.* & *c. felicis 1.* ac *c. fin. h. tit.* Ratio additur *c. felicis cit.* quia inde *mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt:* unde etiam *ibidem* nuncupantur *Detestabiles nundinæ, vel feriæ.* Neque obstat, quòd *Clemens V.* ut dictum est *n. præc.* Torneamenta prohibuerit generaliter, adeóque etiam ea, quæ secundo modo, & sine vitæ periculo committuntur; nam prohibitio illa dein ad instantiam Regis Franciæ, & Navarræ, nec non Principum Germaniæ à *Joann. XXII. Extrav. un. h. tit.* est revocata, ex ea causa, ut plures haberentur exercitati milites, qui mitti possent pro subsidio Terræ Sanctæ contra Barbaros, contra quos tunc adhuc Bellum Sacrum fervebat. Azor *p. 3 l. 2. c. 15. not. 1.* Vivian. *in Extrav. cit. pr.* Wagnereck *ibid. in Summ.* Gonzal. *in c. fin. cit. n. 6.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 2.* Vallens. *hic n. 3.* Zœs. *n. 2.* Engl *n. 2.* König *n. 3.* Schambog. *n. 6.* Reiffenstuel *n. 8.*

5 *Dicendum* igitur, Torneamenta, si cum debita moderatione, atque ita instituantur, ut non sit periculum cædis, aut gravis vulneris, nisi casu, & per accidens secuturi, defacto etiam de Jure Canonico licita esse. Ita Abb. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Navar. *Man. c. 15. n. 9.* Stephan. Costa *tr. de Ludo art. 1. §. 2. n. 31.* Azor *p. 3. l. 2. c. 15. not. 1.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 2.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 6.* Wagnereck *in Extrav. cit. in Exeges.* Vallens. *hic n. 3.* Zœs. *n. 2.* König *n. 3.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 8.* & patet ex praxi Aularum, ubi hujusmodi Torneamenta, & innoxij

Ludi Equestres in Principum inauguratione, nativitate, nuptiis &c. frequenter, & nemine improbante adhibentur.

6 Quod tamen intelligendum de Laicis tantùm; nam Clericis etiam hoc secundo modo accepta Torneamenta prohibita sunt sub pœna Anathematis in Concil. Herbipol. *can. 4.* sub Honorio IV. & Salisburgensi sub Martino V. ut refert Gonzal. *l. cit. n. 6. & 11.* tametsi enim in hujusmodi Torneamentis nullum immineat profligandæ vitæ periculum, tamen vel ipsa species bellicæ exercitationis, à pace abhorrens, dedecet Clericos.

7 Quæritur 3. sub qua pœna vetita sint Torneamenta primo modo accepta? R. siquis in hujusmodi Torneamentis occubuit, occidens plectendus est instar Homicidæ voluntarii, & occisus, si Laicus sit, privatur sepulturâ Ecclesiasticâ *c. felicis 1.* & *c. fin. h. tit.* Host. *Summ. h. tit. n. 3.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 1.* Engl *hic n. 2.* Pirhing *n. 2. not. 2.* König *n. 2.* Schambog. *n. 2.* Reiffenstuel *n. 6.*

8 *Proceditque* hoc, etsi pœnitens decesserit; in hoc enim casu S. Viaticum quidem ei non denegatur, non tamen Sepultura Ecclesiastica conceditur *can. siquis 6. caus. 26. q. 6.* Gloss. *in c. 1. V. negetur h. tit.* Host. *in Summ. hic n. 3.* Vivian. *in cit. §. & vulnerato*, Barbos. *ibid. n. 7.* Gonzal. *ibid. n. 1.* & *in c. fin. n. 3.* Vallens. *n. 2.* Zœs. *n. 1.* Honor. *n. 2.* Schambog. *n. 2.* Et sic conceditur ei, quod majus est, scilicet Corpus Christi, & quod minus est, nempe Sepultura Ecclesiastica prohibetur, ex causa, ut potiùs consulatur vivis, quàm defunctis, nempe ut vivi deterreantur à talibus, cùm viderint decedentes ex hujusmodi Torneamentis sepeliri extra locum Sacrum. Gonzal, *l. cit, n. 8.*

9 Ab hac pœna immunes sunt 1. Clerici; nam si occisus sit Clericus, in hujusmodi Torneamentis pugnans, pro eo quidem fieri prohibentur Oblationes, & Orationes publicæ; si tamen decesserit pœnitens, quia est persona DEO dicata, sepulturâ Ecclesiasticâ non privatur. *can. quicunque Clericus 4. caus. 23. q. 8.* Host. *hic in Summ. n. 4.* 2. etiam Laici, qui non animo ludendi, sed ad recipienda credita ad locum, Torneamentis exercendis destinatum devenerint; licèt enim ibi casu fortuito, qui prævideri non potuit, obierint, corpora tamen eorum dispensatione, scilicet illa generali, qua conceditur sepultura in Cœmeterijs omnibus Christianorum corporibus, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debent, ut habet *c. fin. h. tit.* & notant *ibidem* Vivian. *§. secus si*, Barbos. *n. 2.* Wagnereck *not. 2.* Vallens. *n. 2.* Zœs. *n. 1.* Honor. *n. 2.* Schambog. *n. 2. & 3.* Reiffenstuel *n. 6.* 3. qui curiositatis etiam, & spectandi gratiâ tantùm accesserunt; quia cùm privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ sit pœna, debet restringi ad proprios terminos. Abb. *in c. fin. cit. not. 1.* Host. *in summ. hic n. 4.* Sylv. *V. Torneamentum §. privatur*, Pirhing *n. 3.*

10 Eadem ratione, qua Torneamenta, & ob causam periculi animæ, & corporis, ut constat ex *Const. S. Pij V. editâ 1567.* & aliorum Pont. prohibentur etiam agitationes taurorum, & ferarum bestiarum, ne homines cum ijs periculosè in pugnam descendant: additúrque pœna Excommunicationis contra Dominos permittentes tales agitationes, & ibidem decedentes Ecclesiasticâ sepulturâ privantur, prout notant Azor *p. 3. l. 2. c. 15. not. 2.* Gutier. *can. qq. l. 1. c. 7.* Quarant. *in Summ. Bullar. V. Torneamentum*, Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 7.* Wagnereck *not. 1.* Vallens. *n. 4.* Engl. *n. 3.* Jure Civili, qui pro mercede cum bestiis in arena dimicant, vel aliquod præmium pugnæ cum bestiis initæ accipiunt, infames efficiuntur *l. hunc titulum 1. §. removet 6. §. & qui operas ff. de Postulando* Engl *n. 4.*

11 Si tamen sufficienter caveatur, ne cædes contingat, Taurorum agitatio permitti potest: & sic permittitur in Hispania, pro qua idcirco quoad Laicos prædictæ pœnæ, & Censuræ revocatæ fuerunt per Gregorium XIII. duabus adhibitis conditionibus, scilicet, ut agitationes Taurorum diebus festis non fiant, & ut per eos, ad quos spectabit, provideatur, ne exinde alicujus mors, quantum fieri poterit, sequi possit. Barbos. *in c. 1. cit. n. 4.* Porro hanc Constitutionem confirmavit Clemens VIII. simúlque sustulit pœnam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & alias positas à S. Pio V. reducendo illas ad terminos Juris communis, in quo privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, contra taliter decedentes sancita, non invenitur. Barbos. *l. cit. n. 7.*

TITU-

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

IN hoc Titulo, ut sæpe aliàs vidimus, Nigrum amplius Rubro est; nam etsi Rubrica solùm meminerit de Clericis pugnantibus in Duello, in decursu tamen ad omnes Duellantes fit extensio.

§. I.

De Duelli Natura, Varietate, & prohibitione.

SUMMARIUM.

1. Definitio Duelli.
2. Ejus divisio in Publicum, & Privatum.
3. Causæ, ob quas iniri Duella solent.
4. &c. Casus, in quibus licitè iniri Duella non possunt.
7. &c. Casus, in quibus possunt iniri licitè.
12. &c. An licitè iniri Duellum possit, si illud oblatum sit ab accusatore, vel detractore injusto, qui aliter ab injuria cessare non vult, nisi Duellum invitatus admittat?
15. &c. Quid si non acceptans propterea non modicum bonoris jacturam facturus esset?
21. &c. Quo Jure prohibita Duella sint?
25. &c. Quomodo se gerere debeat, & possit provocatus?
28. Utrum illicita sint, Duella etiam non fatalia?
29. &c. Aut ficta sine animo offendendi?
32. &c. An in casibus, in quibus Duellum est licitum, licitum quoque sit apponere conditionem, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat?

1 QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Duellum*? R. *Duellum*, sic dictum, quasi duorum sit bellum, dupliciter potest accipi. 1. *latè* pro certamine inter duas partes quocunque. 2. *strictè* pro certamine singulari duorum: in quo sensu accipitur in præsenti Rubrica, & Græco nomine *Monomachia* dicitur *can. Monomachiam 22. caus. 2. q. 5.* Definiri potest, quòd sit *singularis pugna duorum, inter se susceptа ex condicto.* Host. *Sum. hic n. 1.* Sylv. *V. Duellum n. 1.* Azor *p. 3. l. 2. c. 5. not. 2.* Engl *hic n. 1.* Pirh. *n. 1.* König *n. 2.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 102.*

2 Duellum ita descriptum aliud est Publicum, aliud Privatum. *Publicum* est, quòd initur certâ formâ, seu solennitate in congressu observata; *Privatum*, in quo talis forma, & solennitas non observatur. Dessel. *Exotem. hic n. 2.* König *ibid. n. 3.* Wiest. *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 103.* Porro Forma, seu Solennitas Duelli publici, seu solennis in eo præcipuè consistit, quòd habeatur loci securitas, quem propterea *Campum Francum* appellant; quòd Litteræ provocatoriæ, seu denuntiationis Chartulæ (vulgò Cartel) Adversario mittantur; & denique quòd adhibeantur testes, quos *Patrinos*, & *Secundantes* vocant: proinde illud Duellum, in quo forma ista, & solennitas non observatur, Duellum privatum erit.

3 Causæ, ob quas Duella, seu Pugnæ singulares iniri solent, communiter asseruntur sex. 1. Diremptio belli, sive ejus resolutio in Duellum: quo modo per singularem pugnam cum Goliat Philistæo congressus est David *1. Reg. 7. v. 40.* & tres Horatii cum totidem Curiatijs apud Livium *Hist. Rom. Decad. 1. Libr. 1.* 2. defensio vitæ aut fortunarum, ut quando alicui mors, ædium propriarum incendium &c. intentatur, nisi pugna singulari congrediatur cum eo, qui hæc intentat. 3. ostentatio virium, audaciæ, & peritiæ militaris ad gloriam captandam, aut præbendam spectantibus voluptatem. 4. vindicatio, & reparatio injuriæ illatæ, sicut fit, cùm quis ulturus injuriam sibi per verba contumeliosa &c. illatam, alterum provocat. 5. veritatis, innocentiæ, aut Justitiæ manifestatio, vel objecti criminis purgatio. 6. denique defensio proprii honoris amittendi, aut evitatio ignominiæ, vel infamiæ aliàs incurrendæ, si Duellum non acceptetur.

Quæritur 2. an, & ex qua causa 4
Duellum licitè iniri possit? *Certum est 1.* non posse acceptari, & offerri Duellum ad ostentationem virium, & peritiæ militaris. Sylv. *V. Duellum q. 1.* Azor *p. 3. l. 2. c. 5. q. 2.* Sayr. *clav. Reg. l. 7. c. 13. n. 13.* Valent. *2. 2. D. 3. q. 17. p. 1. caus. 5. & 6.* Suar. *D. 13. de Bello sect. ult. n. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 12.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 5.* Becan. *de Fid. c. 26. q. 1. n. 1.* Vallens. *hic n. 4.* Engl *n. 1. fin.* Pirhing *n. 1.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 6.* Reiffenst. *n. 36.* & patet *arg. c. felicis 1. de Torneam.* Ratio clara est, quia uti-

que rectæ rationi graviter repugnat, ad finem tam vanum tam atrox, & periculosum remedium adhibere.

5 2. Similiter non licet suscipere Duellum ad vindicandam injuriam illatam; tum quia ob eventûs incertitudinem non est medium proportionatum ad obtinendum finem intentum; tum verò præcipuè, quòd vindictam sumere non liceat authoritate privata, sed ad id Judicis officium sit constitutum *l. nullus 14. C. de Judæis.* Azor. *q. 2. cit.* Becan. *q. 2. n. 1.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 3.* Palao *n. 7.* Vallens. *n. 4. cit.* Pirhing *n. 1. fin.* Wiestn. *n. 7.* Reiffenstuel *n. 37.*

6 3. Non minùs próhibita sunt Duella suscepta ad manifestationem veritatis, innocentiæ, aut Justitiæ. S. Thom. 2, 2. *q. 95. art. 8. ad 3.* Sylv. *V. Duellum q. 1. n. 2.* Azor. *p. 3. l. 2. c. 5. q. 1. & q. 5.* Sanch. *l. 2. moral. c. 39. n. 3.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. pr. & n. 1. ỳ. altera causa.* Palao *p. 7. cit. n. 6.* Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* Fagn. *in c. fin. eod. n. 2. & seqq.* Gonzal. *ibid. n. 11.* Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 33. & seqq.* Vallens. *n. 4. cit.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* Schambog. *n. 2.* Reiffenstuel *n. 38.* Wiest. *n. 8.* & patet ex *can. Monomachiam 32. caus. 2. q. 5. c. sententiam 9. fin. Ne Cler. vel Monach. c. cùm suscepti 1.* & *c. seq. de Purgat. vulg.* Ratio est, quia Duellum non solùm superstitiosum, & periculosum, sed etiam fallax, & omnino insufficiens medium est ad veritatem, innocentiam, & causæ Justitiam demonstrandam, cùm DEUS assertori veritatis, innocenti, & justam causam foventi non promiserit victoriam; & propterea plerumque fortioribus debiliores, innocentibus nocentes &c. prævaleant.

7 *Contrà 1.* licitum est acceptare Duellum, imò etiam ad illud inducere, & provocare, inito pacto inter utramque factionem, ut causa, per prælium decidenda, paucis utrimque pugnaturis, aut duobus decidenda committatur, & ejus partis sit victoria, cujus milites vicerint. Azor. *q. 3.* Sanch. *n. 16.* Laym. *n. 3. ỳ. tertius.* Mendo. *l. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. §. 4. ỳ. rursus.* Pignatell. *n. 48.* Vallens. *n. 6.* Zœs. *n. 6.* Engl *n. 10.* Pirhing *n. 2.* Schambog. *n. 3.* König *n. 6.* Wiest. *n. 3.* Reiffenstuel *n. 39.* consultius enim est aliquorum duntaxat, quàm omnium militum vitas in periculum occisionis præcipitare. Debent tamen in hujusmodi oblatione, & acceptatione duo hæc observari. 1. ut qui illud offert, vel acceptat, moveat bellum justum; nam bellum injustum, etiam singulare, prohibitum est. 2. ut victoria, aliàs fatis certa, per hujusmodi duellum oblatum, vel acceptatum non reddatur dubia; nam si dubia redderetur, etiam bellum justum gerenti duellum non esset permissum offerre, vel acceptare, quòd illicitum etiam Principi sit Remp. sine causa in majus discrimen adducere. Wiest. *n. 3. cit.*

8 2. Licitum est militibus acceptare Duellum, seu singulare certamen, sibi oblatum ab hostibus, ut unus contra unum, duo contra duos, decem contra decem &c. inter se utrinque pugnent, si periculum est, ne Duello non acceptato, exercitus bonam existimationem amittat apud hostes, & isti animosiores reddantur, existimantes id certamen recusari ex timiditate; plurimum enim amolitio utriusque periculi ad victoriam obtinendam conducit. Ubi autem finis permissus est, ibi etiam permissa sunt media unicè necessaria, vel admodum utilia ad consecutionem finis, nisi ista aliunde repugnent alicui virtuti, vel Legi. Navar. *Man. c. 15. n. 28.* Azor. *p. 3. l. 2. c. 5. q. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 14.* Mendo *ỳ. rursus cit.* Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 47.* & alij apud istos. Duo tamen etiam hoc casu sunt observanda. 1. Ut tale certamen à militibus non ineatur authoritate privata, sed publicâ supremorum Ducum utriusq; exercitus; quia cædes hominis, ad quam per ejusmodi Duellum devenitur, nunquam licet authoritate privata facta, nisi in defensionem vitæ, & fortunarum. 2. ut hujusmodi Duellum acceptetur non solùm ob curiositatem, aut vanam fortitudinis ostentationem; quod ob ejusmodi finem acceptatum intrinsecè malum est secundùm dicta *n. 4.* sed principaliter acceptari debet gratiâ conservandæ bonæ existimationis exercitûs apud hostes. Sanch. Pignat. *l. citt.* Manet autem licita acceptatio, ob finem existimationis istius conservandæ facta, etsi hostis Duellum obtulisset causâ solius spectaculi, vel ostentationis, ut monet idem Sanch. *l. cit.*

9 3. Licita est acceptatio, & oblatio Duelli ad defensionem vitæ, & fortunarum, si alia ratio hæc defendendi non appareat. Valent. 2. 2. *D. 3. q. 17. p. 1. ỳ. talis autem*, Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 8.* Less. *l. 2. de Just. c. 9. n. 49.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 9.* Mastr. *D. 11. n. 113.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 652.* Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 36.* Vallens. *hic n. 6.* Zœs. *n. 6.* Engl *n. 10.* König *n. 7.* Wiestner *n. 5.* Reiffenst. *n. 19. & duob. seqq.* *Ratio est*, quia hoc casu acceptatio, & oblatio duelli est potiùs prælatio minoris mali, quàm invitatio ad malum, cùm per eam mortis periculum non eligatur absolutè, sed periculum alterius mali gravissimi certum commutetur in dubium, & incertum. Ut tamen Duellum hoc casu liceat, necesse est, ut conferatur cum eo, qui hæc mala intentat; nam cum alio iniri duellum etiam ad propriæ vitæ conservationem illicitum est, ut contra Petr. Navar. *l. 2. de restit. c. 3. in*

3. in 2. p. dub. 13. n. 295. Tolet. *in Summ. l. 5. c. 6. n. 31.* Sanch. *l. cit. n. 8.* probabiliùs docent D. Antonin. *3. p. tit. 4. c. ult. §. ult.* Tabien. *V. Duellum q. 3. n. 4.* Sylv. *V. eod. n. 3.* Palao *tr. 7. cit. n. 10.* Pignatell. *n. 41.* Wieſtner *n. 5.* Ratio eſt, quia eſſet via ad occiſionem innocentis, quem directè occidere nullo modo eſt licitum. *Neque dicas*, quòd aggreſſor medio illo tertio innocente te impetat; nam ille tertius te non impetit, ſed tu illum impetis, & aggrederis: atque nequis cum illo pugnare in Duello, ut damnum evites.

10 4. Licitè acceptat, interveniente authoritate Judicis, Duellum ille, qui per calumniam ab alio coram hoc accuſatus, certò, vel probabiliſſimè prævidet ſe condemnandum ad mortem, vel membri mutilationem, niſi oblatum ſibi Duellum acceptet, modò ſimul etiam videat, quòd aliter ab iniquo accuſatore ſe liberare nequeat. Azor *p. 3. l. 2. c. 5. q. 3.* Sayr. *Clav. Reg. l. 7. c. 13. n. 15.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 652.* Pirhing *hic n. 2. ℣. ſecundò*, Schambog. *ibid. n. 3.* *Ratio eſt*, quia tali caſu innocens ſe, vitámque ſuam tantùm defendit ab injuria illata, quod Jure naturæ licitum eſt. Idem eadem ex ratione dicendum, quando ab iniquo Judice innocens condemnatur, ut vel in duello pugnet, vel mortem ſubeat; quia tunc poteſt per incertum duelli periculum certam alioquin mortem, à Judice intentatam effugere, etiam cum detrimento tertii, cum quo pugnaturus eſt: imò tali caſu non fit propriè Duellum, ſed defenſio, & depulſio injuriæ. Sayr. *n. 15. cit.* Sanch. *n. 4.* Laym. *n. 1.* Pignat. *n. 51.* Pirh. *l. cit.* Duæ tamen, ut bene advertit Laym. *l. cit.* utroque hoc caſu obſervandæ conditiones ſunt. 1. ut Duellum ineatur non causâ veritatis, vel innocentiæ certo ſigno demonſtrandæ; nam hoc intrinſecè malum eſt ſecundùm dicta *n. 6.* niſi fiat ex ſpeciali DEI inſtinctu: ſed ſolùm intentione ſe defendendi, & ut acceptans mortem certam periculoſo Duello evadat. 2. ut is, contra quem Duello certandum eſt, nocens ſit, & iniqui Judicis tanquam Miniſter, vel Satelles, ut proinde locum habeat Jus naturale defenſionis, tanquam contra aggreſſorem; nam ſi alter innocens ſit, non apparet, quo Jure Duello congredi cum illo liceat: & hinc caſu, quo duo in criminis falſam ſuſpicionem venerunt apud Judicem, & hic optionem ijsdem dat, ut vel mortem ſubeant, vel Duello congrediantur, non poſſunt confligere, cùm per ſe, atque intrinſecè malum ſit ad innocentis occiſionem congredi.

11 5. Si duo Rei, à Principe, aut Judice condemnati ad mortem ſint, & eis ab iſto offeratur conditio, ut unus alterum occidat, ea lege, ut qui vicerit, & alterum prævenerit, vitæ obtineat veniam, illicitè quidem agit Princeps, aut Judex Duellum hujusmodi offerendo, quòd hujusmodi oblatio ſpeciem quandam crudelitatis habeat: ipſi tamen Rei talem facultatem, à Principe, vel Magiſtratu ſibi factam, licitè acceptare poſſunt, & exequi, modò non ex odio, ſed zelo Juſtitiæ publicæ, & propriæ vitæ ſervandæ causâ id faciant. Azor *p. 3. l. 2. c. 5. q. 7.* Layman. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 1. dub. 2.* Pignat. *tom. 9. conſult. 88. n. 52.* Pirhing *hic n. 2. ℣. tertiò*, Schambog *ibid. n. 3.* *Ratio eſt*, quia cùm uterque fit reus mortis, unus conſtituitur in alterum Miniſter Juſtitiæ, ut ſententiam mortis in eum exequatur: adeoque occidit authoritate publica.

12 Quæritur 3. an licitè acceptari poſſit Duellum, ſi illud oblatum ſit ab accuſatore, vel detractore injuſto, qui promittit, ſe ceſſaturum ab iniqua accuſatione, & detractione, ſi invitatus Duellum admittat, ſecus, ſi reſpuat? Affirmat Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 13.* allegatis alijs. *Rationem dat*, quia Duellum tali caſu ſibi oblatum acceptans neque offerenti facit injuriam illum occidendo, cùm ipſe ſe tali periculo expoſuerit; neque aliunde malè facit ſuſcipiendo duellum oblatum, & procurando occiſionem ejus, qui obtulit, cùm in defenſionem propriam, & ad evitandam injuriam iſtud faciat. *Confirmat*: quia ſi Titius injuſtè aggrederetur Cajum infamare in platea publica de gravi crimine, neque aliâ viâ vellet deſiſtere, niſi duellum admitteret, vel offerret, poſſit Cajus illud admittere, vel offerre, ut honorem ſuum defenderet, & à calumnia ſe liberaret. Igitur à fortiori poterit, cùm apud Judicem ipſum infamare contendit, cùm hæc infamatio ſit magis publica, & expoſita periculo majoris damni.

13 Sed dicendum cum Pignatell. *tom. 9. conſult. 88. n. 43.* & aliis, non eſſe licitum in hoc caſu acceptare, vel offerre Duellum. *Ratio eſt 1.* quia pluribus modis occurri poteſt, quibus impediatur accuſatio, vel detractio, quæ prævidetur futura, e. g. per minas juſtæ punitionis, præſertim ſi fiant ab eo, qui poteſt punire, aut detegendo malignitatem criminatoris etiam Judici, vel enervando fidem ipſius, ut nimirum audientes ei non credant, aut aliquo alio modo. 2. ſi impediri non potuit, ne fieret accuſatio, vel detractio, à Judice præparatum habetur præſens remedium, nempe Actio injuriarum; item remedium retorſionis, quo diluitur omnis macula, ex verbis injurioſis illata: quod remedium continet debitam defenſionem conceſſam à Jure naturali *l. ut vim 3. ff. de J. & J.* habétque locum etiam, quando læſio fit in abſentia, modò adhibeatur, quamprimum commodè poteſt; nam

tunc censetur in continenti fieri. 3. accedit, quia occidere invasorem vitæ ideo permissum est, quia is, dum invadit personam, ejúsque vitam, infert damnum irreparabile. Tale damnum non infert accusatio, & detractio, ac quælibet alia injuria verbalis; quia damnum hoc reparari potest aut media satisfactione, aut restitutione famæ, aut defensione apud Judicem.

14 *Ex quo patet* ad Rationem Sententiæ oppositæ; dicendum enim, locum hoc casu non esse defensioni per occisionem, quòd huic locus non sit, nisi quando damnum, ad quod impediendum defensio hujusmodi adhibetur, aliâ viâ reparari non potest. *Ad Conf.* ex iisdem fundamentis etiam negatur *Ant.* Neque contrarium probat, quòd fama, & vita pari passu ambulent; quia in hoc casu non ambulant pari passu, cùm à similitudine discedere rationis diversitas suadeat, quòd alia ratio pugnet pro defensione vitæ, quæ non pugnat pro defensione famæ per occisionem.

15 *Dubium est*, utrum non saltem Vir Nobilis, aut miles provocatus ad Duellum, illud acceptare possit, quando videt, se casu, quo istud respueret, non modicam honoris jacturam facturum esse? Videtur hoc casu acceptari licitè. 1. quia videtur esse justa defensio, pro qua cùm liceat occidere injustum invasorem vitæ, & fortunarum, etiam licebit occidere injustum aggressorem famæ, cùm ista vitæ æquiparetur. 2. Vir nobilis, aut militaris non tenetur injustum aggressorem vitæ, aut fortunarum fugere, etiamsi ita fugiendo vitam salvare posset, si ita fugiendo incurreret existimationem ignaviæ, & timiditatis. Igitur etiam Duellum acceptare poterit, si id recusando pateretur jacturam honoris, & famæ. 3. juxta Statuta Ordinis Equestris S. Jacobi is, qui compertus est, non acceptâsse Duellum post provocationem, tanquam ignavus, & indignus ad eum Ordinem non admittitur, ut liquet ex Interrogatorio Informationum ejusdem Ordinis *n. 8.* & refert Mendo *l. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. §. 2. ℣. secundum.* atqui non est credibile, quòd Reges Hispaniæ, qui aliàs Decretorum Conciliarium, & Pontificiorum sunt observantissimi, approbaturi, & laturi fuissent talia Statuta, si acceptatio Duelli ex tali causa foret illicita. ergo &c.

16 Sed dicendum, acceptationem Duelli etiam hoc casu illicitam. Ita Cajetan. 2. 2. *q. 95. art. 8. circ. solution. ad 3. cas. 3.* Sot. *l. 3. de Just. q. 1. art. 8.* Valent. 2. 2. *D. 3. q. 17. p. 1. cauf. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 9.* Suar. *D. 13. de Bello sect. fin. n. 5.* Molin. *tr. 3. de Just. D. 17. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 9. n. 84.* Conink *D. 32. dub. 2. n. 8.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2. concl. 2.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 8.* Mendo *Jur. Acad. l. 3. q. 29. Append. de Duell. §. 4. ℣. censeo.* Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 28. & 54. cum seqq.* Engl *hic n. 11.* König *n. 7.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 10.* Reiffenstuel *n. 22. & seqq.* & teste P. Wiestner *l. cit.* plerique alicujus nominis, & notæ DD. quibus cum tempore accessit authoritas Apostolica Alexandri VII. qui inter Propositiones à se damnatas Decreto *edito 24. Sept. 1665. n. 2.* refert hanc, *Vir equestris, ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

17 *Ratio est*, quia acceptatio Duelli ad veri honoris defensionem nec necessarium medium est, nec idoneum. *Necessarium non est;* quia aliter quis consulere honori suo cum laude potest, si profiteatur, se, licèt in reverentiam Legis Divinæ, & Ecclesiasticæ Duellum non acceptet, nihilominus obviaturum provocanti, si ipsum aggrederetur: quod à multis Illustribus, & Militaribus viris cum gloria factum *ex Hurtado* refert Mendo §. 2. *cit. ℣. Id non semel.* *Idoneum* non est; quia Duellum acceptans apud verè cordatos, ac sapientes viros potiùs existimationem suam amittit, imò ex Decreto Trid. *sess. 25. c. 19. de reform.* perpetuæ infamiæ notam contrahit. Certè fortis non est ille, qui imprudenter, & sine causa in quævis pericula sese conjicit; sic enim etiam furiosi homines laudem fortitudinis plerúmque reportarent: sed ille fortis est, qui suppositâ periculi adeundi justâ causâ, ex prudentiæ præscripto periculum non declinat, malens vita, si res ferat, quàm honestatis amore cædere. In Duello autem, privata authoritate suscepto est summa iniquitas, adeóque nulla laus fortitudinis esse potest, sed barbara tantùm atrocitas, & immanitas. ergo &c.

Excipit P. Reiffenstuel *hic n. 31.* 18 casum, quando ex oblatione, vel non acceptatione Duelli oblati, non provocans, aut non acceptans duellum pateretur gravissimum damnum, eò quòd ab aliis despectus, & abjectus adeò haberetur, ut nullus cum eo ampliùs militaret, nec aliquis miles eidem, si Officialis est, ampliùs pareret, etsi offensus aliâ viâ satisfactionem pro injuria habere possit: item si sub privatione Officii ad Duellum acceptandum urgerent ipsi primarii belli Duces; nam hoc casu licèt gravissimè peccent Principes, & Belli Duces, qui dum possunt, similem praxim non tollunt, & multo magis, qui positivè concedunt, vel ut Duella fiant, urgent, ipsos tamen, qui ita compelluntur, & urgentur, in hujusmodi casu & culpâ, & pœnâ vacare docet, sive Duellum acceptent, sive offerant. *Rationem* dat, quia in tali casu, ut supponi-

tur,

tur, acceptatio, & oblatio Duelli est absolutè necessaria, sicque justa, & licita defensio famæ, & bonorum fortunæ, & æquivalenter etiam vitæ contra injustum aggressorem, puta injuria afficientem, cons. ad oblationem Duelli necessitantem, vel ad Duellum provocantem, adeóque verbis aggredientem &c. igitur sicut pro necessaria defensione vitæ, & bonorum fortunæ magni momenti licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ iniquum aggressorem occidere, ita etiam hoc casu licebit Duellum offerre, & acceptare.

Verùm ut ratio ista teste Less. *l. 2.* 19 *c. 9. n. 84.* sit speculativè probabilis, nondum tamen convincor, ut Exceptioni huic deferam; quia timor perdendi Officium honoratum, amittendi honorem, & existimationem generositatis &c. tanti esse non potest, ut propterea fieri possit aliquid, quod intrinsecè malum est, prout intrinsecè malum est occidere alterum privata authoritate extra casum justæ, & necessariæ defensionis. Atqui non video, quomodo in tali casu oblatio, vel acceptio Duelli habeat rationem defensionis necessariæ. 1. quia qui Duellum offert, non nititur me spoliare meo honore, sed si istius amissio consequatur, per accidens solùm consequitur. igitur non apparet, quomodo Duellum offerens sit injustus aggressor. Ubi autem aggressio non est, ibi nec est defensio. 2. defendere seipsum cum moderamine inculpatæ tutelæ ille duntaxat dicitur, quem alter in vitum aggreditur, nec potest ullo modo vitare certamen, sed tenetur vel minori, vel cum gravi dedecore fugere, aut invasorem occidere. atqui acceptans duellum hoc casu potest vitare certamen, neque est dedecus hoc vitare, nisi (quod impium est dicere) reservare legem Christi haberetur pro dedecore. igitur non defensor, sed potiùs congressor est. 3. non est licitum subdito furari, fornicari &c. etiamsi minitetur eidem Princeps, quòd si non furetur &c. accessum ad aulam, vel honoratum officium &c. habiturus non sit. Igitur neque licebit Officiali Bellico acceptare duellum, quamvis ex non acceptatione secutura sit jactura officii militaris, nisi fortè tum, quando provocans ideo principaliter ad duellum provocat, ut cùm sciat provocatum esse bonum Christianum, & ideo non acceptaturum Duellum, hac viâ ipsum spoliet Officio suo militari; tunc enim idem dicendum videtur, quod *suprà n. 9.* dictum est de casu, quo acceptatio duelli necessaria est ad tuendam vitam, & bona fortunæ.

Argumenta *n. 15.* allata facilè dis- 20 solvi possunt. *Ad 1.* defensio non datur, ubi non datur offensio, & aggressio. hæc autem in casu dubii abest; nam provocando solùm, ut hactenus ostensum est, non censetur aggredi. *Ad 2.* negatur Suppositum *Cons.* quia acceptans Duellum potiùs infamiæ notam incurrit acceptando, eámque effugit recusando. *Ad 3.* Statuta Ordinis Equestris S. Jacobi ut Mendo *l. cit. Resp. 1.* notat, solùm inquiri præcipiunt, in causam, ex qua provocatus Duellum non acceptavit; nam si recusavit ex timiditate, meritò indignum Ordine suo reputant; non verò quando recusat in reverentiam Legis Divinæ, Ecclesiasticæ modo *suprà* descripto; nam ex ista causa recusantem Duellum Statuta prædicti Ordinis non excludunt.

Quæritur 4. quo Jure Duella pro- 21 hibita sint? R. prohibita sunt omni Jure: *Ecclesiastico* quidem, prout patet ex *toto h. tit.* & novissimè ex Decreto Trid. *sess. 25. c. 19. de Reform. Constit. Pij IV.* incipit *Ea quæ editâ Idib. Nov. 1560. Gregorii XIII.* incipit *Ad tollendam, publicatâ 24. Dec. 1582. Clem. VIII.* incipit *Illius vices 17. Sept. 1592.* ut videre est apud Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 19. & duob. seqq.* & Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 50. n. 120.* Deinde *Civili*, ut patet ex *l. un. C. de Gladiat.* cujus dispositio, etsi videatur loqui tantùm de congredientibus in ludo Gladiatorum, vel qui operas suas locabant, ut cum bestiis decertarent, tamen etiam duellantes comprehendi, post *Bartolum*, & alios Interpp. volunt Castillo *tr. de Duello proœm. n. 27.* Ferret. *tr. de Duell. n. 35.* Bocer. *de Duell. n. 2.* Brunnem. *in l. un. cit. n. 2.* Wiest. *hic n. 11.* Denique *Jure Divino, & naturali*; nam maximam iniquitatem Duella hujusmodi privata continent, ob multiplicem injustitiam, quæ in eorum oblatione, & acceptatione committitur.

Et provocans quidem contra Justi- 22 tiam peccat tripliciter. 1. Injuriam infert DEO, dum vitam tam propriam, quàm alienam, cujus dominium unicè apud DEUM est, manifesto mortis temporalis, & æternæ periculo subjicit, & audet sævire in rem, dominio solius DEI subjectam. 2. Infert injuriam provocato; nam etsi iste non sit dominus vitæ suæ, habet tamen jus custodiæ, de quo jure provocans vult provocatum dejicere, dum se ad occidendum ipsum in duello accingit. 3. Infert injuriam Reip. dum sibi in propria causa assumit personam Judicis, & contra violatorem honoris, aut famæ, non adito Judice competente, nec discussis causæ meritis, privata authoritate pœnam gladii decernit, quam decernere solus Magistratus potest; ad hoc enim gladium portat, ut Apostolus pronuntiavit.

Provocati Duellum sibi oblatum ac- 23 ceptantis minor quidem malitia, & culpa est, quòd non suo impetu in hoc barathrum ruat, sed quasi tractus ab alio, culpæ tamen, & injustitiæ non dissimilis reus est,

est. 1. in Deum, cujus bonis vastandis se accingit, invito Domino. 2. in Remp. cujus præcepta spernit, & potestatem negligit. 3. in provocantem, quem vitâ, si facultas suppetat, privare aggreditur. *Neque obstat*, quod provocans eo ipso, cùm alterum ad Duellum prolicit, videatur potestatem ei facere vitæ, si possit, adimendæ; nam cùm jus custodiæ, quam quisque homo circa vitam suam habet, inabdicabile sit, adhuc jus istud lædit, qui provocatus pugnat, & interimit.

24 Præterea tam provocans per Duelli oblationem, quàm provocatus per ejus acceptationem gravissimè peccat contra Charitatem proximo debitam; nam Duellum omnibus simul bonis evertit hominem. 1. bono vitæ, quam impetit. 2. bonis fortunæ, quorum dominium vitam pro fundamento habet. 3. bono famæ, cujus jus in defunctis quoque superstes est, & per Duellum impetitur; dum juxta Leges, & Canones infamem etiam occisum reddit. 4. denique bonis animæ, dum gravissimo peccato, & occisum insuper æterno adstringit supplicio.

25 Quæritur 5. quomodo se gerere debeat, & possit provocatus ad Duellum, ut simul honorem, & existimationem suam salvet, & in Leges Divinas, SS. Canones, aliásque Leges, Duellum vetantes non impingat? R. 1. potest dicere provocanti: *Acceptare Duellum, ad quod me provocas, & exire in locum ex condicto ad bellandum inter duos, non est hominis Christiani, & obedientis Legi DEI, & Ecclesiæ; ego ita volo habere nomen viri fortis, ut simul nomen boni Christiani non amittam: hinc quamvis in reverentiam Ecclesiarum, & Divinarum Legum Duellum, à te mihi oblatum, non acceptem, paratus tamen sum, ubicunque me aggressurus fueris, & si etiam nunc velis, vim vi repellere, méque defendere.* Mendo *l. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. §. 2. ℣. rursus.* Similia habet Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 31.*

26 2. Potest ad Duellum provocatus ad sua negotia peragenda armatus incedere, quantum ad se defendendum contra vim à provocante inferendam necessarium est, acsi esset cum inimico pugnaturus, dummodo non accedat ad locum Duelli condictum, neque per loca, in quibus certò scit se obvium habiturum provocantem. Pignatell. *Consult. cit. n. 62.* Ratio est, quia non tenetur relinquere illas actiones, quas sine suo notabili damno præterire non valet, quamvis ex illis alius occasionem suæ ruinæ sit accepturus: & armare se hac occasione, non est peccatum, sed potiùs prudentia, dum scit non sine periculo se incedere, ut ita tueri se possit, quando provocans pugnare ipsum coëgerit.

27 3. Juxta aliquos potest provocatus exire in campum, in quo destinatum est Duellum; quia talis egressio est actio indifferens, & qui sic egreditur, solùm contendit, ut agnoscatur ipsum non esse ignavum; nec obesse videtur, quòd hoc modo sit causa invasionis, quæ à provocante fiet; quia hujus non est causa per se, sed per accidens tantum: unde sicut fœmina non peccat, si in publicum absque intentione prava exeat concinnè ornata quamvis credat, aliquem eam aspiciendo peccaturum, ita nec peccabit provocatus egrediendo ad locum Duelli. Sed tenenda est negativa, quam cum Pignatell. *l. cit.* defendit Mendo *Append. cit. §. 4. ℣. denique.* quia etsi egressus iste secundùm se sit actio indifferens, in his tamen circumstantiis, ubi conjunctus est cum periculo mutuarum cædium, indifferens esse cessat: & hujus periculi ipse egrediens est causa non per accidens tantùm, sed per se; quia semel designato campo, & indicto Duello, hic effectus habet moralem connexionem cum eo exitu: Hinc paritas non est cum fœminæ egressu, & ornatu, si hic, ut fieri debet, ponatur esse indifferens.

28 Quæritur 6. utrum illicita solùm sint Duella, quæ omnino fatalia sunt, & ea conditione, atque intentione inita, ut non desistatur, donec alter prostratus jaceat; an verò etiam, quæ ineuntur ea lege, inter duellantes, & Patrinos posita, ut quamprimum alteruter vulneratus fuerit, aut certus ictuum, atque congressuum numerus factus, dirimatur certamen? R. etiam hoc secundo modo initum Duellum esse illicitum, prout patet ex *Bulla Clementis VIII.* incipit *Illius vices*, §. 5. ubi Censuræ & pœnæ omnes, quæ in Duellantes à Jure latæ sunt, etiam ad hæc duella extenduntur. König *hic n. 12.*

29 *Majus dubium* est de alio genere Duelli ficti, quando amici duellantium rem ita disponunt, ut illi animum non habeant sese vulnerandi, aut lædendi, sed ut legibus Duelli fiat satis, ad pugnam loco, & tempore destinato exeant, gladios evaginent, illisque leviter rixentur, donec amici spectatores accedant, eósque dirimant? Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 92.* citatis pro se Dian. *p. 3. tr. 6. miscell. 2. ref. 1. & p. 7. tr. 11. miscell. 2. ref. 44. n. 8.* Trullench. *in Decal. tom. 2. l. 5. c. 2. dub. 13. n. 22.* contendit, istos, quamvis in foro externo præsumantur verum Duellum committere, in foro interno tamen Excommunicationem, in Duellantes latam effugere: quæ sententia, si vera esset, valde favorabilis foret militibus, eorúmque Officialibus, & Ducibus, dum ab aliis ad Duellum provocantur, & comparitionem negare non possunt sine periculo, ne pro ignavis habeantur, & sic pa-

ritio-

ritionem apud milites sibi subjectos cum exi-
30 stimatione perdant.

Verùm hæc Sententia non videtur satis convenire cum textu *Bullæ Clementinæ cit.* ubi pœnæ, Decreta, & Constitutiones, contra Duellantes latæ, extenduntur etiam ad Duella non fatalia. *Respondere* quidem ad hoc *Pignatellus* posset, hoc textu tantùm comprehendi illos, qui animo offendendi, vel saltem sine pacto, aut intentione mutua de non lædendo invicem insinuatâ congrediuntur, conf. incerti sunt, an non unus ex determinatis ictibus lethalis futurus sit: non verò comprehendi illos, qui de intentione, invicem insinuata, præcisè honorem defendere, indéque aliquos ictus simulare, nullo modo autem invicem lædere volunt.

31 An autem responsio ista satisfaciat intentioni Pontificis, dubitat P. Reiffenstuel *hic n. 16.* Interim verò etiam tale Duellum illicitum esse cum Peregrino *de Duell. q. 24.* docet Mendo *l. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. §. 4. ¥. datur etiam:* idque ex duplici ratione. 1. quia sic duellantes intendunt, ut omnes sibi suadeant, se commisisse verum Duellum; nam si scirent, fuisse fictum, nihil prodesset ad conservandum honorem, quin potiùs obesset. Igitur intendunt præbere scandalum scientibus, duellum patratum fuisse contra Leges Divinas, Ecclesiasticas, & Civiles, indéque exemplum pravum ad Leges hujusmodi proterendos exhibent. 2. finis adæquatus Legum Ecclesiasticarum, duella prohibentium, non est tantùm impedire cædes, sed etiam tollere usum detestabilem Duellorum: & finis iste non obtineretur, si licerent hujusmodi Duella ficta, quæ respectu omnium (si amicos rei conscios excipias) habent speciem veri Duelli. Ergo etiam hæc per Leges Ecclesiasticas sunt prohibita. Neque dici potest, has Leges non obligare in conscientia; nam Leges humanæ in conscientia obligant, quando noscitur, Legislatorem illas protulisse animo obligandi: hic verò ex fine colligitur.

Quæritur 7. an in casibus, in quibus 32
Duellum est licitum, licitum quoque sit conditionem apponere, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat? Videtur esse contra Charitatem succumbenti non succurrere, utpote qui in extremo vitæ periculo est, nisi eidem succurratur.

Sed distinguendum est cum P. 33
Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 17.* nam casu, quo bellum commune resolvitur in duellum, ex pacto, ut illa pars habeatur victrix, cujus miles, aut milites in Duello vicerunt, secundùm dicta *n. 7.* neutrius factionis militi succumbenti tenentur circumstantes succurrere, imò tenentur non succurrere, etiam conditione illa non expressa; semper enim tacitè includitur in eo pacto. *Proceditque hoc*, ut vult Sanch. *l. cit.* etiamsi succumberet miles pugnans pro parte, habente causam bellandi justam; quia bonum commune, quod in omnibus præferendum est, postulat fidem servari hostibus, maximè in rebus ad bellum attinentibus.

At si Duellum sit privatum, ad de- 34
fensionem vitæ, vel rerum innocentis à personis privatis susceptum, interest, an nocens succumbat, an verò innocens. *Si prior*, & cùm succumbere se advertit, adhuc à vexatione injusta non vult desistere, tenentur circumstantes illi succumbenti opem non ferre; nam ex parte illius Duellum est injustum, & illi succurrere esset cooperari peccato alterius. *Si posterior*, circumstantes tenentur illi succurrere, non obstante ea conditione adjecta, ut nullus ex circumstantibus opem succumbenti ferat; quia ex parte innocentis duellum est justum, conf. illicita est conditio, quâ contra Jus naturale obteritur innocens. Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 49.*

§. II.

De Pœnis Duelli illiciti.

SUMMARIUM.

34. *Pœnæ Duellantium Jure Civili.*
35. *Pœnæ eorundem Jure Canonico antiquo.*
36. *Et Jure novo Trid.*
37. *Has confirmavit, & extendit Pius IV.*
38. *Gregorius XIII.*
39. *Et Clemens VIII.*
40. *Quid circa Pœnas istas possit Episcopus, & alii privilegiati?*
41. *An incurrantur à Duellantibus in Germania?*
42. &c. *Requisita, ut pœnæ hæ incurrantur.*
47. &c. *Quando Princeps, qui locum ad Duellum concedit, excusetur ab Excommunicatione?*
49. *Quid requiratur, ut pœnas istas incurrant Spectatores, & comitantes ad Duellum?*
50. &c. *Quando ab iis excusetur consulens Duellum?*
53. &c. *Utrum eædem pœnæ sint latæ Sententiæ, an ferendæ?*
55. &c. *An requiratur Sententia Judicis, ut morienti in Duello denegetur Sepultura Ecclesiastica?*
59. &c. *An eâ privetur occumbens ex Duello, quando decessit pœnitens?*

34 QUæritur 1. quæ sint pœnæ illicitè Duellantium? R. Jure Civili, si alteruter Duellantium ceciderit, ratione Pœnæ Criminalistæ communiter distinguunt inter provocantem, & provocatum; nam si provocans occiderit provocatum, puniendus est pœnâ ordinariâ Legis Corneliæ, nempe gladii. At si provocatus interfecerit provocantem, mitiùs, & extra ordinem puniri solet, ex ratione, quòd ignoscendum sit ei, qui provocatus se ulcisci voluit *l. qui cùm major 14. §. si libertus 6. ff. de Bon. libert.* & provocatis semper Jura faveant, cùm difficillimum sit injuriato dolorem temperare *l. Gracchus 4. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Clar. §. *fin. q. 60. n. 18.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 15.* König *hic n. 21.*

35 Jure Canonico communi antiquo in Clericum, si Duellum ineat, duplex statuta pœna est. 1. jubetur deponi *c. porro 1. h. tit.* vel ut communiter tenetum istum Interpretes intelligunt, ab Officio, & Beneficio perpetuò suspendi, quamvis si mors, aut mutilatio secura non sit, eo Jure quoad hoc dispensare possit Episcopus. Suar. *D. 31. de Censur. sect. 4. n. 48.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 18.* Wagnereck *in c. 1. cit. not. 1.* Pignatell. *tom. 9. consult. 88. n. 70.* Zœs. *hic n. 4.* Honor. *n. 3.* Pirhing *n. 5.* Schambog. *n. 4.* 2. si in eo Clericus, per se, vel per alium pugnans, aliquem mutilet, vel occidat, contrahit Irregularitatem *can. siquis viduam 8. dist. 50. c. fin. h. tit.* & *c. fin. de Homicid. in 6.* Host. *Summ. hic n. 2.* & *3.* Fagn. *in c. fin. h. tit. n. 1.* Vivian. *ibid. in Ktion.* Barbos. *n. 1.* Wagnereck *ibid. in Exeg.* Vallens. *hic n. 3.* Zœs. *n. 3.* Honor. *n. 3.* König *n. 16.* Schambog. *n. 4.*

36 Novissimo Jure Trid. *sess. 25. c. 19. de Reform.* ampliores constitutæ sunt pœnæ. Nam 1. Domini temporales, qui duellantibus locum in terris suis concedunt, incurrunt Excommunicationem latæ sententiæ, & si locum ejusmodi, Castrum, aut Civitatem, in quo Duellum fieri permiserint, obtineant ab Ecclesia, privantur ejus Jurisdictione, & dominio; si verò in feudum illud obtineant ab alio domino directo, istud ad hunc revertitur. 2. Pugnantes in Duello, & eorum Patrini incurrunt pœnam Excommunicationis, proscriptionis bonorum suorum omnium, ac perpetuæ infamiæ, & si in duello adversarium suum occiderint, ut Homicidæ, juxta SS. Canones, puniri debent; si verò in ipso conflictu decesserint, privantur Ecclesiasticâ sepulturâ. 3. illi denique, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, Excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo adstringuntur.

37 Eandem Concilii Constitutionem sequentes Pontifices per suas Bullas non solùm approbârunt, sed etiam ampliârunt. Ita enim *Pius IV.* in *Bulla* incipit *Ea quæ* addit alias pœnas, contra Clericos quidem privationis Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, contra omnes autem pœnas criminis læsæ Majestatis, carceris, inhabilitatis ad testamentum faciendum, & alias similes, quas extendit etiam ad eos, qui chartas provocatorias subscribunt, affigunt, publicant, vel quomodolibet ad Duellum concurrunt. Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 19.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 10.* Pignatell. *tom. 9. cons. 88. n. 72.* Engl *hic n. 3.* König *n. 18.* Reiffenstuel *n. 5.*

38 *Gregorius XIII.* in *Bulla* incipit *Ad tollendam* extendit Decretum *Trid.* etiam ad Duella privata, statuitque, ut omnes, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco convento Duellum commiserint, etiamsi nulli Patrini, aut Socii ad id vocati fuerint, nec

nec loci ſecuritas habita, nec provocatoriæ Litteræ præceſſerint, eadem Excommunicatione, & pœnis in *Trid.* contentis ſigentur: quibus etiam voluit ſubjacere Dominos locorum, hæc privata Duella permittentes, & omnes mandantes, inſtigantes, auxilium, vel conſilium dantes, equum, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, item ex propoſito ſpectatores, aut ſocios ſe præbentes, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit, quo minùs illa committatur.

39 Denique *Clemens VIII.* in *Bulla* incipit *Illius vices* confirmat, declarat, & extendit ſuprà dictas Conſtitutiones, ut locum habeant ubique terrarum, etiam circa miſites, ex privata inimicitia inter ſe duellantes, eorumque Duces talia Duella permittentes: ipſas autem Civitates, Oppida, Caſtra, vel loca, in quorum territoriis id facinus, ſcientibus, & non contradicentibus Dominis, Magiſtratibus &c. commiſſum eſt, Interdicto Eccleſiaſtico ſupponit: cujus, uti & Excommunicationis propterea incurſæ abſolutionem reſervat Sedi Apoſtolicæ. Sanch. *c. 39. cit. n. 21.* Correa *Idea Conſil. D. 5. n. 1029.* Engl *hic n. 5.* König *ibid. n. 18.*

40 Poteſt tamen Epiſcopus ab Excommunicatione iſta abſolvere, ſi occulta eſt, virtute *Trid.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 19.* Correa *l. cit.* & alii apud iſtos. Item virtute Bullæ cruciatæ poterit Confeſſarius electus ab hac Excommunicatione abſolvere ſemel in vita, & ſemel in morte; quia, excluſa Hæreſi, omnes aliæ Cenſuræ conceduntur: neque eſt veriſimile Pontificem voluiſſe ſuprà dictum privilegium limitare. Palao *n. 19. cit. fin.* Similiter ab Excommunicatione iſta, ſicut ab aliis caſibus, & Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex Declaratione Clementis VIII. Pont. ut ex *Comitolo*, & *Reginaldo* refert Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 4. ℣. ſed & hoc*, per privilegia ſua extra Italiam abſolvere poſſunt Confeſſarii Ordinum Mendicantium.

41 Imò idem Laym. *n. 4. cit. ℣. poſtea fin.* ſeu ob ignorantiam, ſeu quia Conſtitutiones iſtæ ſecundùm ſenſum hactenus relatum promulgatæ, & in uſum deductæ non ſunt, exiſtimat, Germanos, aliósque Septentrionales populos iisdem Conſtitutionibus non ligari; quod concedi fortè poteſt quoad pœnas temporales, puta proſcriptionis, privationis Jurisdictionis, & infamiæ, & fortè etiam quoad reſervationem Excommunicationis, maximè ubi mors non fuerit ſecuta; nam quoad pœnas Spirituales, puta Excommunicationis, privationis Sepulturæ, Beneficiorum, item inhabilitatis ad illa &c. dictas Conſtitutiones etiam in Germania receptas eſſe, non eſt, qui dubitet, niſi quòd nonnunquam aliqui ob ignorantiam excuſentur à Cenſura in foro interno. König *hic n. 19.* Reiffenſtuel *ibid. n. 41. & 42.*

42 Quæritur 2. quid requiratur, ut pœnæ relatæ incurrantur à provocantibus, & acceptantibus Duellum? R. 1. requiritur, ut pugna inter provocantem, & provocatum actu ipſo conferatur; nam ſi ſolùm ſe provocaverint, aut etiam tempore, & loco conſtituto comparuerint, pugna autem non congrediantur, pœnas iſtas non contrahunt, ut contra Filliuc. *tr. 29. c. 8. n. 170. & 176.* Peregrin. *de Duell. q. 4. n. 5. & 7. item q. 41. n. 2. & 4.* Floron. *de Duell. c. 1. §. 1. n. 3. & c. 3. §. 1. n. 14.* Pignatell. *tom. 9. conſult. 88. a n. 94.* probabiliter docent Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 28.* Scortia *in Bull. Pont. Epit. 155. theor. 392.* Hurtad. *2. 2. D. 170. ſect. 21. §. 190.* Fagund. *in Decal. l. 5. c. 8. n. 29.* Diana *p. 2. tr. 16. miſcell. 2. reſ. 53. alias 55. & p. 3. tr. 6. miſcell. 2. reſol. 1. n. 8. & p. 5. tr. 14. miſc. 2. reſ. 102.* Barboſ. *in c. 1. b. tit. n. 4.* Wagnereck *ibid. not. 2.* Engl *hic n. 7. fin.* Pirhing *n. 5. not. 2. fin.* König *n. 13.* Wieſtner *n. 15.* Ratio eſt, quia in Decreto *Trid.* & *Conſtit. citt.* pœnæ illæ ſolùm feruntur in provocantem, & provocatum, *qui pugnam, vel Monomachiam commiſerint.* ergo &c. Aliter ſe res habet cum Patrinis, eorúmque Sociis; hos enim Pontifex Excommunicationi ſubjecit, etſi pugna, quam promovere conati ſunt, non ſit ſecuta. Sanch. *c. 39. cit. n. 31.* Theſaur. *de Pœn. Eccl. V. Duellum c. 4. n. 1. pr.* Mendo *l. 3. Jur. Acad. q. 29. n. 311.* Wieſtner *hic n. 16.*

43 2. Ut Duellum fiat ex condicto, i. e. ex pacto, & conventione, ut patet ex *Conſtit. Gregor. XIII. cit.* ibi *in loco convento.* Hinc pœnæ duellantium non contrahuntur ab illis, qui in loco aliquo ad pugnam minùs apto, v. g. in Eccleſia, in Principis, aut Magnatis reſidentia, vel etiam in domo privata, aut ejus hypocauſto contendere, & rixari incipiunt, & unus alterum ſine, vel cum determinatione loci, v. g. plateæ, vel prati provocat, dicendo: *Veni foras*; vel *exeamus, & pugnemus gladio*; aut *egredere mecum in plateam, vel in pratum &c.* modò durante calore iracundiæ, aut vindictæ nullo morali intervallo mediante, ſtatim ad locum pugnæ progrediantur, & dimicent. Sanch. *c. 39. n. 28.* Pignatell. *conſ. 88. n. 87.* König *hic n. 10.* Reiffenſtuel *ibid. n. 11.* *Ratio eſt*, quia ſi provocatio, & pugna in uno continuo ex ſubito iræ calore procedunt, non ſunt duæ, ſed una moraliter actio, nec videtur eſſe pugna ex condicto; conſ. nec Duellum propriè dictum, ſed potiùs rixa.

41 3. Ut pugna sit inita statuto loco, & tempore, prout iterum patet ex *Const. cit.* ibi *Statuto tempore, & in loco convento:* quod utrúmque, ut cum aliis notat P. Reiffenstuel *hic n. 9.* adeò necessarium est, ut si solus condicatur locus, & non tempus, vel tempus, & non locus, Duellum propriè dictum non sit, ac propterea nec pœnis, contra Duellantes statutis, subjectum. Atque hinc à pœnis istis liberi sunt, qui ex impatientia injuriæ sibi illatæ, aut ad occursum suum, cùm antea jam essent inimici, se invicem provocant, & statim congrediuntur. Sanch. *c. 39. n. 28.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 18.* Pignatell. *consult. 88. citt. n. 88.* Vallens. *hic n. 5.* Engl *n. 7.* König *n. 10.* Wiest. *n. 14.* Reiffenst. *n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 102.* Idem dicendum, quando quis armis destitutus, cum altero contendens, adit domum ad capiendum ensem, ac rediens cum Adversario suo confligit, eúmque occidit; quia neutro casu fit pugna ex condicto, statuto loco, & tempore. igitur non Duellum propriè dictum, sed rixa est. Aliud esset, siquis injuriam inferenti, aut inermi inimico diceret: *Assume arma, & hoc loco te exspecto;* vel *Exeamus ad talem, vel talem locum, & ibi congrediamur;* nam hi incurrerent duellantium pœnas, utpote pugnam ineuntes ex prævia conventione, & statuto loco, ac tempore.

42 4. Ut pugna conferatur tali armorum genere, ac confligendi modo, ut duellantibus probabile periculum mortis nullum immineat. Qua de causa, si mulieres inter se verbis, aut evulsione capillorum altercentur, aut viri pugnis, virgâ, vel levi baculo congrediantur, duellum non erit, nec Duellantium incurrentur pœnæ, etsi aliquando mors per accidens subsequatur. Fill. *tr. 15. c. 5. q. 5. n. 107.* Dian. *p. 3. tr. 6. Miscell. 2. resol. 1. & p. 7. tr. 11. misc. 2. resol. 44. n. 8.* Pignat. *consult. 88. cit. n. 92.* Engl *hic n. 7.* König *n. 12.* Reiffenstuel *n. 12. & 13.* Ratio est, quia Duellum sub tam gravibus pœnis prohibetur, ob grave periculum mortis, mutilationis, aut vulneris, indéque subsequentis ruinæ animarum, ut colligitur ex *c. felicis 1. de Torneam.* & Trid. *sess. 25. c. 19. de reform.*

43 5. Ut Duellantes spontè inter se pugnent; nam si ob necessitatem, quam alteruter evitare non potuit, cum aggressore coactus congreditur ad vitam propriam defendendam, congreditur licitè, & sine peccato, cons. pœnæ locus non est. Idem dicendum de omnibus casibus, quibus licitum est acceptare, vel offerre Duellum: quos retuli à *n. 7.*

44 Quæritur 3. quando Princeps, qui locum ad Duellum concedit, excusetur ab Excommunicatione, propter hoc à *Trid.* & *Const. Pont. citt.* statuta? ℟. duplex maximè affertur casus. 1. quando locum ad Duellum dat solùm Infidelibus; quia *Trid.* expressè dicit, *Inter Christianos.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 29.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 20.* Correa *Idea Consil. n. 1032.* Ob eandem rationem nonnulli, quorum sententiam Correa *l. cit.* probabilem esse judicat, putant, eandem Excommunicationem etiam non incursurum Principem, qui concedit in terris suis locum Christiano ad Duellum cum Infideli; quia *Trid.* exprimit *inter Christianos*; tale autem Duellum non est inter Christianos, cùm unus duellantium sit Infidelis. igitur cum Lex ista pœnalis sit, ad hunc casum extendi non debet. Sed contrarium docent *Sanch.* & *Palao l. citt.*

45 2. Excusatur Princeps à suprà dicta Excommunicatione, & pœnis, quando justam habet causam permittendi Duellum; quia cùm ista permissio licita sit, non cadit sub pœnam. Posse autem aliquando adesse causam, quæ permissionem istam honestet, non videtur posse dubitari, cùm sæpe occurrat occasio permittendi aliqua minora mala, ut evitentur majora. Sanchez *n. 30.* Palao *n. 20. cit.*

46 Quæritur 4. quid requiratur, ut prædictas duellantium pœnas incurrant Spectatores, & comitantes ad Duellum? ℟. necesse esse, ut id faciant ex proposito, sive data opera, & Duellum quasi approbent, prout patet ex *Const. Greg. XIII. cit.* Hinc has pœnas non incurrunt 1. qui casu solùm veniunt ad locum pugnæ, ibique etiam curiosi exspectantes manent; quia Pontifex laudatus in *Const.* sua addidit *Ex proposito Spectatores:* quales isti non sunt. 2. qui ex ædium suarum fenestris, aut januis, præsertim ex quo observari à duellantibus non facilè possunt, congredientes spectant; quia sunt quasi non præsentes. 3. qui duellantes solùm comitantur animo pugnæ, vel congressûs impediendi; quia talis comitatus laudabilis est, & fortè ex obligatione suscipiendus. igitur non debet affici pœna, sed præmio. Sanch. *c. 39. n. 31.* Palao *n. 20. cit.* Mendo *q. 29. cit. n. 312.* Pignat. *consult. 88. n. 150. & 2. seqq.* Zœs. *hic n. 5.* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 46.*

47 *Dubium* est de consulentibus Duellum, quando isti excusentur ab istis pœnis? ℟. consulens ab his pœnis excusatur 1. si ante Duellum, vel saltem ante provocationem ad istud efficaciter revocavit consilium, faciendo, quantum potuit, ne provocatio sequeretur; nam hoc casu, si adhuc Duellum sequatur, non ex consilio, sed ex prava voluntate duellantis sequitur, ut probabiliter docet Bonacin. *tr. de Excomm. D. 2. q. 6. p. 1. n. 35.* Peregr. *de Duell. q. 29.* Dian. *p. 6. tr. 6. misc.*

miſc. l. reſ. 21. n. 4. Pignat. *tom. 9. conſult. 88. n. 98.* & *99.* probabiliùs tamen non excuſari putat Correa *Ideâ Conſil. Diſp. 9. n. 2478.* cum aliis.

51 2. ſi is, cui conſilium datum eſt, ante dationem conſilii jam aliunde erat determinatus ad duellandum; quia conſulens non ligatur Cenſurâ, niſi verè influat in effectum prohibitum ſub Cenſura, ut cum *Navar. Avil.* & *Bonacin.* ſupponit Pignatell. *l. cit. n. 100.* contrarium tamen cum aliis ſentiente Correa *n. 2477.* quando autem quis jam antè fuit determinatus ad duellandum, conſilium non influit, ergo &c. *Excipitur*, ſi conſulens conſilio ſuo confirmaret voluntatem illius, & faceret, ut liberiùs, & libentiùs provocaret, & iniret Duellum; tunc enim conſilium jam haberet influxum ſuum, conſ. conſulens Cenſuram incurreret, Pignatell. *l. cit.* cum *Vaſquez* & *Bonacina.*

52 3. ſi conſulens, quia non poteſt conſilio ſuo, vel authoritate impedire aliunde jam determinatum ad duellum usque ad mortem, ut illud intermittat, eidem conſulat, ut pugnet tantùm usque ad primum ſanguinem; quia hoc eſt minus malum conſulere. atqui non peccat, qui conſulit minus malum parato majus committere, ut docent Sanch. *l. 7. mor. D. 11. n. 15.* Vaſq. *opuſc. de Scandal. q. 1. dub. 1. n. 9.* & SS. PP. authoritate, ac rationibus firmat, Pignat. *n. 107.*

53 Quæritur 5. utrùm pœnæ, per *Trid.* & *Conſt. Pontif. citt.* in Duellantes, horum Patrinos &c. ſtatutæ, ſint latæ, an ferendæ ſolùm ſententiæ? R. eſſe latæ ſententiæ, cum diſcrimine tamen; nam Excommunicatio, Interdictum, Irregularitas, & probabiliter etiam Inhabilitas ad obtinenda Beneficia incurruntur absque ulla ſententia, etiam declaratoriâ criminis; quia hujusmodi pœnarum privativarum, cùm nullo Jure quæſito privent, ea natura eſt, ut ſtatim ligent animam, quando ſunt latæ ſententiæ.

54 De privatione Beneficiorum antè obtentorum autem, amiſſione Jurisdictionis, & dominii loci ad duellandum conceſſi, confiſcationis bonorum, & aliis hujusmodi, jure jam quæſito privantibus, dicendum, ad eas incurrendas opus eſſe Sententiâ declaratoriâ criminis; quia pœna, privans jure jam quæſito, eſt ſatis gravis, & exequi illam in ſe ipſo eſt valde acerbum, ac proinde excipienda eſt à regula pœnarum privativarum, quæ ante ſententiam declaratoriam incurruntur. Videantur Azor. *p. 3. l. 2. c. 7. not. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 32.* Palao *tr. 6. D. 5. p. 7. n. 21.* Pignat. *tom. 9. conſult. 88. n. 117.* & *ſeqq.* Correa *Ideâ Conſil. D. 9. n. 2480.* & *ſeqq.* & dicenda *infrà Tit. 37. de Pœnis.*

55 *Dubium eſt*, an ut morienti in Duello denegetur Sepultura Eccleſiaſtica, ſententia Judicis requiratur? *Certum eſt*, non requiri Sententiam condemnatoriam; quia eſt latæ Sententiæ pœna. Ita Peregrin. *de Duell. q. 7. n. 4.* Pignatell. *tom. 9. conſult. 88. n. 84.* Wieſtner *hic n. 18.* & ſumitur ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 19. de Reform.* ubi utitur verbo *Careat*, quod latam Sententiam denotat, per tradita à Tiraquell. *in l. ſi unquam 8. C. de revoc. Donat. V. revertatur n. 161. Conf. ex Conſtit. Clem. VIII. ſæpius cit.* ubi Pontifex, *ſepulturâ* Eccleſiaſtica, inquit, *privatos eſſe volumus.*

56 *Difficultas* eſt, an requiratur ſaltem Sententia declaratoria. Putat eam requiri Baunius *Theol. mor. D. 3. tom. 2. q. 19.* ex ratione, quia pœnæ, quæ privant hominem Jure acquiſito, non ſolent incurri ante Sententiam Declaratoriam, ut dictum eſt, *n. 54.* Fideles autem per Baptiſmum acquiſiverunt Jus ad Eccleſiaſticam Sepulturam, igitur, ut hac priventur, Sententiâ Judicis Declaratoriâ opus eſt.

57 Sed dicendum, ſi notorium ſit, talem in Duello deceſſiſſe, contra Concilii Trid. Decretum, & Conſtitutiones Apoſtolicas *citt.* commiſſo, ipſum nullatenus in loco Sacro ſepeliendum, etiamſi Sententia criminis Declaratoria nulla præceſſerit. Ita Peregrin. *de Duell. q. 7. n. 3.* Dian. *p. 3. tr. 11. miſc. 11. 2. reſ. 44.* Pignat. *tom. 9. conſult. 88. n. 162.* & hoc teſte obſervat Eccleſiæ uſus.

58 Si verò notorium non eſſet, Parochus rem deferre ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium debet, qui capta ſummaria informatione, ſententiam ferat. Ut tamen ſententiam privationis hic ferat, Duellum plenè probari debet, prout requiritur ad privandum fidelem communibus Eccleſiæ ſuffragiis, quæ in ipſa Sepultura includuntur: quæ probatio, ſi adhibitis diligentiis haberi nequeat, poterit permitti Sepultura in loco ſacro, ſecreto tamen, & ſine pompa funebri. Pignat. *l. cit.*

59 Quæritur 6. an adhuc Sepulturâ Eccleſiaſticâ privetur occumbens in Duello, etiamſi conſtiterit, quòd deceſſerit pœnitens? Negat Portel *Reſponſ. mor. p. 3. caſ. 10. n. 2.* & *4.* quia *Tridentinum* Sacra humo ſolùm privat cadaver duellantis, ſi iſte in conflictu deceſſerit. Atqui non ita in conflictu, ſed poſt conflictum jam finitum decedit, qui accepto lethali vulnere decedit pœnitens, & præſertim acceptis Sacramentis Eccleſiæ, ergo &c. *Conf.* explicari debet ad ſenſum Juris antiqui Canonici, hoc Jure autem Eccleſia Sepultura Eccleſiaſtica ſolùm privat eos, qui decedunt in notorio peccato mortali ſine Pœnitentiæ ſignis, ergo &c.

60 Sed dicendum, Sepulturam Eccleſiaſticam denegari etiam iis, qui occumbunt

ex Duello, editis pœnitentiæ signis. Ita Joan. Sanch. *select. D. 36. n. 9.* Dian. *p. 4. tr. 4. ref. 192.* Lezan. *tom. 2. V. Duellum n. 14.* Gonz. *in c. fin. h. tit. n. 10.* Pignat. *tom. 9. consult. 88. n. 166.* König *hic n. 20.* Wiest. *n. 19.* Reiffenst. *n. 43.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 112. & 113.* & clarè patet ex *Rituali Romano*, edito jussu *Pauli V. Tit. de Exequiis*, cujus verba sunt, *Negatur Sepultura Ecclesiastica morientibus in Duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ.* *Ratio est*, quia *Trid.* & *Const. Clem.* non distinguit inter eos, qui cum pœnitentiæ signis decedunt, & qui sine illis, sed omnes, in Duello occumbentes, generaliter Sepultura Ecclesiasticâ privat. *Conf.* à paritate cum ijs, qui obeunt in Torneamentis, & in ludo agitationis Taurorum, quibus Sacræ Sepulturæ honos denegatur, etiamsi pœnitentes obierint, ut de prioribus patet ex *Tit. præc. n. 7. & 8.* de posterioribus constitutum est à *S. Pio V. Const.* incipit *De salute edit. Cal. Nov. 1567.*

61 Facienda tamen videtur duplex Exceptio. 1. si ex vulnere, in Duello accepto, post aliquot primùm dies decessisset pœnitens, & absolutus à peccatis, ac Censuris suis; nam talem à Sepultura Ecclesiastica non excludendum, contra Thom. Hurtad. *var. tom. 2. tr. ult. ref. 5. §. 6. n. 196.* Bordon. *tom. 3. ref. 51. n. 111. & 112.* Lavor. *var. tit. 2. c. 12. n. 16.* Santarell. *de Sepult. tr. 2. concl. 8. n. 12.* Bichium *Prompt. Confess. p. 2. c. 18. c. 9.* Pignat. *l. cit. n. 164.* docent Dian. *p. 11. tr. 6. misc. 6. ref. 26.* Baffæus *V. Sepultura n. 5.* Caraffa *de Duell. tr. 2. sect. 2. q. 19. n. 9.* Baucius *in Misc. tom. 1. q. 438. pet. 8.* Mancin. *pract. de infirm. in ordin. ad Sepultur. n. 34.* Trullench. *de Jur. Paroch. c. 9. dub. 7. n. 7.* Lezan. *V. Duellum n. 14.* & plures alii. Patet ex *Trid.* & *Constit. Clement. VIII. citt.* ubi pœna solùm fertur in eum, qui in ipso conflictu, & non post istum decessit, igitur ad eum, qui ex vulnere ibi accepto post unum, vel alterum diem à conflictu decedit pœnitens, pœna ista extendi non debet.

Excipitur 2. si consuetudo in contrarium vigeat: & ita teste Sanch. *D. 36. cit. n. 5.* quem citat, & sequitur P. Engl *hic n. 9. fin.* in quibusdam locis consuetudo est, ut præsertim in Duellis privatis, & datis pœnitentiæ signis decedentibus Sepultura Ecclesiastica non denegetur. 62

Ad Argumentum *n. 59.* allatum dico, pœnitentiam non impedire, quo minùs in conflictu moraliter decessisse censeatur, qui non multo post conflictum decessit: imò si contrarium verum esset, rarò omnino locus huic pœnæ foret, cùm plerúmque vulnerati aliquamdiu post congressum supervivant. *Ad Conf.* id verum est, ubi contrarium non satis clarè ex ipso Jure desumitur.

TITULUS XV.

De Sagittarijs.

SUMMARIUM.

1. *Quinam hic veniant nomine Sagittariorum, vel Ballistariorum?*
2. *Utrum artis istius exercitium prohibitum sit Christianis?*
3. *Quæ sint pœnæ utentium arte ista in casu prohibito?*

1 QUæritur 1. quinam hic veniant nomine Sagittariorum, vel Ballistariorum? R. hoc nomine in hac Rubrica veniunt ij, qui sagittas, præsertim veneno illitas ex arcubus, saxa ex ballistis, vel catapultis, aut prout hodie solet, glandes, globos plumbeos, pilas ferreas, vel lapideas ex tormentis, & machinis bellicis ejaculando, arcium, vel urbium obsessarum mœnia, turrésque aut hostium agmina prosternunt in acie. Gonz. *in c. un. h. tit. n. 3.* Vallens. *hic n. 1.* Engl *n. 1.* Reiffenstuel *n. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n. 116.*

2 Quæritur 2. utrum artis istius exercitium sit Christianis prohibitum? R. si Christianus ea arte uti velit pro hostibus Christiani nominis contra fideles, & Catholicos præsertim, prohibitum est, prout patet ex *c. un. h. tit.* Si pro Christianis contra Christianos, & bellum sit justum, permissum est; quia in bello justo non interest ad justitiam, an apertè quis pugnet, an verò ex insidiis, prout hac arte fieri existimat Sylv. *V. Ars q. 6.* modò qui hujusmodi armis utuntur, iisdem vim ferendi, & certitudinem non concilient incantationibus, aut aliis Diabolicis artibus; nam hoc *c. un. cit.* præcipuè cavetur, ut monet Delrio *Disquis. Magic. l. 3. c. 1. q. 4. sect. 4.* Barbos. *in c. un. cit. n. 2.* Honor. *hic n. 1.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 2.*

Quæritur 3. quæ sit pœna utentium 3
arte Sagittariorum, vel Ballistariorum in casu prohibito? R. est Excommunicatio: quæ, si bellum inter Christianos, & Christianos geratur, etsi ferendæ solùm Sententiæ. Si autem bellum sit inter infideles, & Christianos, tunc Christiani, qui Infidelibus deserviunt, Excommunicationem reservatam, aliásque pœnas incurrunt, de quibus *supra Tit. 6. de Judæis n. 45.*

TITU-

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

POst Homicidium, quo læditur corpus, & vita proximi, examinatur crimen Luxuriæ, quâ ejusdem proximi vel thorus, vel pudicitia violatur. Species istius sunt Fornicatio, Concubinatus, Stuprum, Adulterium, Incestus, Sacrilegium, Raptus, & vitium contra Naturam. De Raptu, agetur *Tit. seq.* de cæteris hìc.

§. I.

De Fornicatione Simplici, & Concubinatu.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Fornicationis triplex acceptio.*
4. *Est illicita Jure Divino.*
5. &c. *Et naturali.*
8. *Concubinatûs diversa acceptio.*
9. *Differentia à Simplici Fornicatione.*
10. *Non minùs, quàm ista, imò magis prohibita est.*
11. *Pœna Simplicis Fornicationis.*
12. &c. *Et Concubinatûs.*

1 QUæritur 1. quid sit *Fornicatio*, & *Concubinatus*? 2. *Fornicatio* sic dicta à *Fornicibus*, sub quibus Scorta, sive Meretrices habitare, & prostare quondam Romæ solebant, teste Isidoro *libr. 10. de Origin.* tripliciter potest accipi. 1. *latè*, quo sensu significat quemcunque concubitum extra Matrimonium *can. lex illâ 2. §. cùm ergo. v. fornicatio autem caus. 36. q. 1.* Farin. *prax. crim. q. 137. n. 6.*

2 2. *Strictè* pro concubitu, sive coitu soluti cum soluta: quo nomine hìc veniunt, qui liberi sunt ab omni vinculo non solùm conjugii, sed etiam cognationis, affinitatis, voti saltem solennis, & alterius Impedimenti Matrimonialis, ita, ut sic peccantes sine prævià dispensatione conjugium validè inter se inire possent. Sylv. *V. Luxuria q. 1.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 4. princ.* Farin. *l. cit. n. 6. & 7.* Pirhing *hìc n. 74.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 55.* Et in hoc sensu etiam Stuprum complectitur.

3 3. *Strictissimè*, & prout etiam à Stupro distinguitur, pro eo solùm concubitu, qui fit à soluto cum soluta jam defiorata, ut colligitur ex §. *cùm ergo cit.* ibi, *Fornicatio autem - - - specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.* Haun. *tom. 6. de 7. & 7. tr. 2. n. 198.* König *hìc n. 31.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 54.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 23.* Et hoc sensu accepta, si absque consuetudine fiat, dicitur *Fornicatio simplex*; si verò sit consueta cum aliqua, *Concubinatus.* Azor *c. 4. cit. not. 2.*

4 Quæritur 2. quo Jure prohibita sit Fornicatio Simplex? Fuerunt aliqui, qui putabant non esse illicitam. Sed contra unanimem omnium TT. sententiam teste Clar. §. *Fornicatio n. 1.* quæ fundatur in ipso Jure Divino, explicato per S. Apostolum Paulum *1. Corinth. 6. v. 9. & 18. 1. Thessal. 4. v. 3. Galat. 5. v. 19.* & ab ipso Servatore Christo *Matth. 15. v. 19.* ubi inter opera, turpitudine, seu malitia mortali hominem coinquinantia, etiam fornicationem refert: ut proinde Concilium Viennense, relatum *Clem. ad nostrum 3. v. septimò de Hæretic.* meritò tanquam erroneam, & Hæreticam damnaverit propositionem, dicentium, quòd *actus carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non sit, maximè cùm tentatur exercens.*

Dubitârunt aliqui, an malitia Fornicationis Simplicis descendat solùm ex Jure positivo Divino, an verò etiam ex Naturali: quibus patrocinium præstitêre Caramuel *tom. 1. Fund. Theol. Fund. 12. n. 541.* & Franc. Verde *in Apolog. pro ipso contra Borgiam q. 2. & 4.* Nituntur 1. textu *Oseæ 1. v. 2.* ibi, *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* ubi videtur DEUS præcepisse Prophetæ procreationem filiorum extra Matrimonium, & consi. istam, seu Fornicationem, non esse intrinsecè, & Jure naturali malam; nam in hoc DEUS dispensare non potest. *2. l. si uxor 13. §. sed & 2. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. l. quæ in concubinatu 1.* & *l. in concubinatu 3. cum duabus seqq. ff. de Concubin.* ubi fornicatio videtur esse permissa. non autem est credibile, quòd harum legum authores Jus Naturæ ignoraverint. 3. quia non apparet ulla ratio, quæ persuadeat, Fornicationem simplicem ex se, & intrinsecè malam, atque idcirco, secluså Lege Divina positiva, prohibitam esse. 4. qui eadem passionis, ac voluptatis vehementia est in coitu viri cum sua uxore, quæ est in coitu soluti cum soluta. igitur vel uterque, vel neuter, Jure naturali præcisè spectato, illicitus est. 5. si esset aliqua ratio, quare fornicatio simplex esset Jure naturali prohibita, esset periculum ma-

5

malæ educationis prolis : atqui ne proles malè educetur, singulari parentum providentiâ caveri potest. ergo &c.

6 Sed his non obstantibus, est certa cæterorum DD. Orthodoxorum sententia cum S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. Corp. quòd Fornicatio simplex sit Jure naturali illicita, ut adeo *Innocentius XI.* Decreto edito 2. *Mart.* 1679. inter alias scandalosas, & in praxi pernicioſas Propositiones meritò retulerit hanc prædictorum duorum DD. sententiam, expositam his verbis : *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur.* Ostenditur 1. ex textibus S. Pauli, & Christi Domini *suprà* relatis, ubi fornicatio, & omnis immunditia carnalis non primùm vetatur, sed tanquam actus ob turpitudinem, & inhonestatem suam maximopere vitandus proponitur; conf. supponitur jam aliunde vetitus : quod colligitur ex *Matth. 15. v. 19.* & *1. Corinth. 6. v. 9.* ubi annumeratur, & comparatur Idolorum servituti, veneficio, furto, homicidio &c. quæ ex omnium sententia ex se inhonesta, & intrinsecè mala sunt. 2. si fornicatio, & alii actus carnales, extra Matrimonium exerciti, non essent intrinsecè mali, sed tantùm Lege DEI positiva prohibiti, Gentiles, quibus Lex DEI positiva promulgata non est, his indulgendo non peccâssent. peccarunt autem secundùm Apostolum *Rom. 1. v. 18. & seqq.* ubi illos, qui DEUM, quem *per ea, quæ facta sunt*, cognoverant, *non sicut DEUM glorificaverint, traditos* esse ait *in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt* creaturæ rationali, *& replerentur omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ &c.* 3. conjugium à DEO, ut est Author naturæ, in Paradiso institutum, & intentum est ad rectam educationem prolis inde susceptæ. atqui huic fini adversatur fornicatio ; nam plerúmque ex hac susceptæ proles non educantur bene. ergo &c. 4. intrinsecè malus est actus, qui præcipuas duas hominis potentias, Intellectum, & Voluntatem, per se hebetat, impedit, & inordinatas reddit in actibus suis. hoc autem facit fornicatio, & quicunque coitus viri cum fœmina, alio, quàm qui à Naturæ Conditore DEO ad humani generis conservationem, & multiplicationem ordinatus est, modo factus, cùm per se ex eo oriatur *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium DEI, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri :* quas octo Luxuriæ filias cum S. Gregorio *Moral. c. 31.* relatis verbis recensèt Doctor Angelicus 2. 2. *q. 153. art. 5. pr.* & quomodo ex actibus luxuriosis oriantur *l. cit. in Corp.* pulchrè declarat.

7 Neque contrarium probant Argumenta allata pro Sententia negante. *Ad 1.* Oseas jussus est accipere *mulierem fornicationum*, h. e. ut *Cornelius à Lapide* cùm aliis *Interpp.* ibidem annotat, fornicationibus deditam, non in concubinam, sed in veram uxorem, ut ex textu patet : & ex ea genuit *filios fornicationum*, h. e. conceptos quidem ex justo Matrimonio, sed qui secuturi erant exemplum Matris, & proclives similiter futuri ad libidinem. *Ad 2.* Legibus illis fornicatio non fuit approbata, sed tolerata tantùm ad vitanda graviora carnis flagitia, ut hodie alicubi Lupanaria : vel si contendas, etiam approbatam fuisse, dicendum, eas Leges, utpote peccatum foventes, fuisse abrogatas à SS. Canonibus *can. fornicari 10. dist. 88. can. nubendi 20. fin. caus. 27. q. 1. can. nemo 4. can. meretrices 11. & seqq. caus. 32. q. 4. & Clem. ad nostrum 3. ℣. septimò de Hæret.* Imò etiam Juribus plerarúmque Gentium, honestatis laude florentium, quibus fornicatio à Magistratu Sæculari punitur pœnâ arbitrariâ, eáque pro Statutis loci diversa. *Ad 3.* malitia fornicationis intrinseca patet ex probationibus, pro resolutione quæstionis allatis. *Ad 4.* negatur paritas; nam conjunctio mariti cum uxore legitima fit ex intentione naturæ, non autem soluti cum soluta. Ne verò ex priore ob vehementiam passionis oriantur effectus perversi, quos *n. præc.* ex fornicatione oriri diximus, imprimis Christus Dominus apud fideles sufficienter cavit, dum Matrimonium elevavit ad rationem Sacramenti, quo confertur gratia ad portanda onera conjugii : in cæteris Author naturæ providit auxilia naturalia, quorum vi intra fines Matrimonij se contineant conjugati. *Ad 5.* ratio, quare illicita sit fornicatio, est periculum malæ educationis prolis inde susceptæ generale, quod manet, etsi in uno, vel altero casu singulari parentum providentia eveniat contrarium.

8 Quæritur 3. quotupliciter sumatur Concubinatus, & quo Jure prohibitus sit ? ℟. Concubinatus aliter sumitur Jure Civili, aliter Jure Canonico. Jure Civili Concubinarius dicitur, qui mulierem solutam domi suæ loco uxoris detinet, & cum ea consuetudinem habet. Diaz. *pract. crim. can. 79. V. concubinarii n. 1.* Mascard. *de Probat. l. 1. concl. 341. n. 16. & 21.* Farin. *prax. crim. q. 138. n. 9. & 10.* Azor *p. 3. l. 3. c. 5. not. 4.* Engl *hic n. 21.* Schambog. *n. 29.* Reiffenstuel *n. 61.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 24.* Canonico Jure autem omnis ille Concubinarius appellatur, qui cum muliere aliqua soluta carnale commercium habere consuevit, sive illam in sua, sive in aliena domo retineat. Farin. *l. cit. n. 12.*

Pu-

Pirhing *hic n. 76.* Wieſtner *n. 13. ibid. cum citt.*

9 Differt ergo Concubinatus à Simplici Fornicatione; quia per unicum concubitum fornicarium fit, & denominatur quis Fornicator; ad Concubinarium verò conſuetudo, & actus ſæpius frequentatus requiritur. Diaz *n. 1. cit. v. conſuetudinem*, Farin. *n. 9.* Pirhing *n. 76.* Schambog. *n. 29.* Si mulier, cum qua hujusmodi conſuetudo habetur, ſit conjugata, ſanguine, vel affinitate juncta, ſacrata DEO, aut ſi hoc non ſit, ſi vir conjugii, aut Voti ſolennis vinculo adſtrictus ſit, carnale commercium, inter eos initum, Fornicationi, & Concubinatui ſuperaddit malitiam Adulterii, Inceſtûs, Sacrilegii, aut alterius criminis. Azor *c. 5. cit. not. 2.* Wieſtner *n. 13.*

10 De licentia Concubinatûs dubitandi rationem dat *can. is qui 4. &c. diſt. 34.* ubi Chriſtianis uxor, aut concubina permittitur. *Sed dicendum*, eum non minùs, imò magis, quàm fornicationem eſſe prohibitum, & quidem Lege non ſolùm Eccleſiaſtica *can. nemo 4. cauſ. 32. q. 4.* ſed etiam Divino, ac Naturali, per rationes, & textus allatos contra fornicationem ſimplicem; quia Concubinatus, quòd duret longiori tempore, eſt delictum longè gravius fornicatione. Pirhing *n. 76. cit. fin.* Ad textus in contrarium allegatos dico, ibi Concubinæ nomine venire mulierem non omnino ſolutam, ſed deſponſatam per verba de præſenti, cum minori tamen ſolennitate: quo ſenſu etiam Agar dicitur Concubina Abrahæ, licèt eſſet ejusdem uxor legitima.

11 Quæritur 4. quæ pœna conſtituta ſit Fornicationis, & Concubinatûs delicto? R. de Jure Civili Fornicationi ſimplici, & Concubinatui nulla conſtituta eſt pœna, ut patet ex *l. ſi uxor 13. §. ſed & 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* & *l. quæ in concubinatu 1. ff. de Concubin.* Jure Canonico Clericus fornicarius, præſertim ſi in SS. Ordinibus conſtitutus, & Sacerdos ſit, punitur pœnâ arbitrariâ, & pro locorum, ac circumſtantiarum varietate mitiùs, vel ſeveriùs. & tales ordinariè ſolent eſſe incarceratio, mulcta pecuniaria, ſuſpenſio ab Officio, & ſi crimen notorium, aut valde ſcandaloſum, & Clericus incorrigibilis ſit, depoſitio, ac Beneficiorum privatio. Menoch. *de arbitrar. caſ. 289. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 137. n. 16. 21. & 24.* Engl *hic n. 19.* König *ibid. n. 32.*

12 Similiter arbitrariâ pœnâ in foro Eccleſiaſtico juxta Menoch. *l. cit.* animadverti poteſt in Laicos. Imò hunc animadvertendi in Fornicarios modum cum tempore aſſumpſit etiam forum Sæculare; nam ut advertunt Engl *hic n. 19.* König *n. 32.* Reiffenſtuel *n. 57.* Magnif. P. Schmier *R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I. p. 3. de Delict. c. 2. n. 26.* & ego *ſuprà n. 7. ad 2.* inſinuavi, defacto apud omnes bonos, præſertim Germaniæ Magiſtratus ſimplex Fornicatio arbitrariè juxta loci conſuetudinem punitur. Et ita in Fornicarios animadvertere jubentur Judices, & Magiſtratus de Jure noſtro Bavarico Landts- und Policey Ordnung *Libr. 5. Tit. 9. art. 19.*

Acriùs, quàm Fornicatio Simplex, punitur Concubinatus: & meritò, cùm utique perſeverantia in crimine ſit circumſtantia aggravans, & tanto ſint graviora crimina, quanto diutiùs durant, ſicut dicitur *c. fin. de conſuet.* ac diuturnitas temporis peccatum non minuat, ſed augmentet *c. cùm haberet 5. de eo, qui duxit &c.* Engl *n. 22.* König *n. 32.* Reiffenſtuel *n. 62.* Schmier *n. 26. cit.* Nec tolerari ejusmodi cohabitatio etiam inter Sponſos de futuro debet, cùm inter illos præſentius ſit peccati periculum: ad quod tollendum de Jure noſtro Bavarico *l. cit. art. 16.* ſalubriter conſtitutum eſt, ne Magiſtratus hujusmodi inter Sponſos cohabitationem ante publicam Nuptiarum Benedictionem tolerent, ſed eos vel ad actualem Matrimonij contractum urgeant, vel illos interea à ſe invicem ſeparent, nec aliter in ſuis Territoriis patiantur ſubſiſtere. 13

In Concubinarios Clericos quomodo priſco, & moderno Jure Eccleſiæ procedi ſoleat, dictum eſt *Libr. 3. Tit. 2. à n. 7.* Quoad Laicos *S. Synodus Trid.* ut huic tanto malo opportunis remediis provideret, *ſeſſ. 24. c. 8. de reform.* ſtatuit, hujusmodi Concubinarios tam ſolutos, quàm uxoratos, cujuscunque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter moniti ea de re fuerint, & concubinas non ejecerint, séque ab earum conſuetudine ſejunxerit, excommunicandos eſſe, nec abſolvendos, donec reipſa admonitioni factæ paruerint: ſi verò in Concubinatu per annum, Cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeverè pro qualitate criminis procedendum. Circa ipſas quoque concubinas, & mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ ſint, Concilium *l. cit.* conſtituit, ut ab Ordinariis locorum ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra Oppidum, vel Diœceſin, ſi id eisdem Ordinariis videbitur, invocato etiam, ſi opus fuerit brachio Sæculari, ejiciantur, aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus. Et huic Conſtitutioni Concilii, & prohibitioni Concubinatûs etiam in foro Sæculari parendum eſt; quia Leges Civiles in materia peccati à SS. Canonibus correctionem accipiunt Engl *hic n. 23.* König *n. 32.* Schmier *n. 26. & 27.* 14

15 Ad dotationem, vel Matrimonium ob fornicationem simplicem, sine qualitate Stupri commissam, fornicator non tenetur: debet tamen alere prolem, quam fœmina ex eo concepit *c. cùm haberet 5. fin. & ibi* DD. *de eo, qui duxit &c.* Nec audiri solet, tametsi neget se esse patrem; nam si confessus, vel convictus fuerit de copula, hoc ipso præsumetur pater, nisi aliud monstrare possit. Engl *hic n. 20.* Quodsi constet, aut fornicator probet, plures cum eadem muliere commercium habuisse, recurritur ad circumstantias, cui nimirum ex iis, qui cum illa deliquerunt, vel tempus partûs, & physiognomia prolis magis respondeat: imò aliquando favore prolis, ne ob defectum alimentorum intereat, juramento mulieris standum, Engl *n. 20.* Plura *infrà n. 26. & seqq.*

§. II.

De Stupro.

SUMMARIUM.

16. *Stupri definitio.*
17. *Et requisita, ut tale dicatur.*
18. *Factum vi, fraude, vel metu continet malitiam Injustitiæ.*
19. *Factum volenti à Simplici fornicatione non differt specie.*
20. &c. *Pœna Stupri Jure Civili.*
25. &c. *Pœna ejusdem jure Canonico.*
28. &c. *Sufficit, si Stuprator corruptam ducat, vel dotet.*
30. &c. *Quando alternatio hæc locum habeat?*
33. &c. *Penes quem sit electio?*
35. &c. *Quibus casibus ad nihil teneatur Stuprator?*
38. &c. *Ad quid teneatur, si puella ad Stuprum inducta est suasionibus, blanditiis &c.*
40. *Aut metu?*
41. &c. *An stuprator aliquid teneatur restituere patri puellæ?*
45. *Quæ sit obligatio ipsius in conscientia ante sententiam?*
46. *Quando per sententiam condemnatus ad dotandum, teneatur eam dotare?*
47. *Modi, quibus ab obligatione hac liberare se potest.*
48. *An ita liberatus, etiam sit immunis à pœna?*
49. *Quid sit Judex in causa Stupri?*
50. &c. *Quomodo istud probandum & à quo?*
55. &c. *A quo ali debeat proles, ex Stupro vel alio concubitu illegitimo procreata?*

16 QUæritur 1. quid sit *Stuprum?* ℟. *Stuprum* potest dupliciter accipi. 1. *latè*, quo modo acceptum est illicitus concubitus cum Virgine, aut Vidua honestè vivente §. *item lex 4. Inst. de Publ. Judic. l. inter 6. §. lex stuprum 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* imò etiam cum puero *l. stuprum 34. §. adulterium 1. ff. eod. 2. propriè*, & prout accipitur in præsenti Rubrica, est illicita Virginis defloratio, non præcedente pactione conjugali. Farin. *prax. crim. q. 147. n. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. pr.* Vallens. *hic §. 2. n. 1.* Engl *n. 10.* Schambog. *n. 12.* König *n. 22.* Reiffenstuel *n. 44.* cum S. Thom. *2. 2. q. 154. art. 6.* & habetur *can. Lex illa 2. §. cùm ergo. ℣. Stuprum autem. caus. 36. q. 1.*

17 *Ex quo sequitur*, ad hoc, ut fœminæ corruptio Stuprum dicatur, duo debere concurrere. *Unum* est animus, & propositum fœminam honestam contaminandi: & hinc Stupri condemnari non potest, qui virginem, veste meretricali indutam, defloravit *arg. l. item apud 15. §. si quis virgines 15. ff. de injur.* Bajard. *ad Clarum §. Stuprum n. 4.* König *hic n. 27. Alterum*, ut delictum sit consummatum; conatus enim, licèt ad actum proximum devenerit, arbitrariâ, non ordinariâ pœnâ coërcendus est, sicut in aliis delictis. Bursat. *vol. 1. cons. 49. n. 31.* Boër. *decis. 316. n. 3.* König *l. cit.*

Quæritur 2. quotupliciter fieri Stu- 18
prum possit, & an Simplici Fornicationi superaddat specialem malitiam? ℟. fieri potest dupliciter nempe vi, fraude, vel etiam metu injustè incusso, aut sine istis. *Si primum* contingat, Fornicationi simplici superaddit malitiam injustitiæ: & ideò circumstantia hæc in Tribunali conscientiæ necessariò aperienda est, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 14. n. 9.* Laym. *c. 13. cit. n. 3.* Illsung *Theol. pract. tr. 4. D. 1. n. 60.* Pirhing *hic n. 37.* Schambog. *n. 13.* Wiestner *n. 16.* Reiffenstuel *n. 46.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 30.*

Idem cum *Sylv. Azor*, *Toleto* aliqui dicunt de secundo casu, quando Stuprum infertur Virgini volenti, & in sui violationem spontè, ac liberè consentienti: & videtur probari à pari cum raptu Virginis, qui Injustitiæ peccatum continet, etiamsi puella consentiat in sui raptum.

Sed meliùs negant Sot. *in 4. dist. 18.* 19
q. 2. art. 4. Less. *l. 2. de J. & J. c. 10. n. 2. & 6.* Thom. Sanch. *D. 14. cit. n. 5.* Joan. Sanch. *select. D. 29. n. 7.* Conink *de Sacr. D. 7. dub. 4. n. 19.* Vasq. *de Restit. c. 3.*

c. 3, §. 1. dub. 1. n. 6. Laym. *l. cit. n. 1.* Barbos. *in c. 1, n. 12. v. altera ſententia h. tit.* Zœſ. *hic n. 14.* Pirhing *n. 37.* Schambog. *n. 13.* Wieſtner *n. 17.* Reiffenſtuel *n. 46.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 29.*

Ratio eſt; quia tali caſu nulla injuria infertur ipſi Virgini, nulla ejus proli, nulla parentibus. *Non Virgini;* quia volenti, & conſentienti non fit injuria *l. injuria 1. §. usque adeò 5. ff. de injur. Reg. nemo 145.* & *Reg. ſcienti 27. in 6.* *Non proli;* quia nondum nata jus nullum habet, & ſi haberet, pariter violaretur per fornicationem ſimplicem, cùm idem in hac ſit malæ educationis periculum. *Non denique Parentibus* talis Virginis; quia hi non magis jus habent in corpus filiæ incorruptæ, quàm corruptæ.

Ad Rationem dubitandi nego paritatem. Diſparitas eſt; quia per Raptum puellæ etiam volentis violatur jus patriæ poteſtatis, non verò per defloration ejusdem, cùm quoad uſum corporis ſui parentibus non ſubdatur.

20 Quæritur 3. quæ ſit pœna Stupri de Jure Civili? R. cum diſtinctione: Vel enim illud commiſſum eſt ſine vi, vel hac adhibita. *Si primum,* & Stuprator ſit honeſtæ conditionis, pœna Stupri eſt publicatio dimidiæ partis bonorum; ſi vilioris, eſt corporis coërcitio, ſeu verberatio cum relegatione §. *item Lex 4. v. pœnam Inſt. de Pub. Judic.* Clar. §. *Stuprum n. 3. fin.* Farin. *prax. crim. q. 147. n. 6.* Wagnereck *in c. 2. h. tit. in Exeg.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 697.* Vallenſ. *hic §. 2. n. 2.* Pirhing *n. 38.* König *n. 29.* Wieſtner *n. 19.* Reiffenſtuel *n. 47.* Verùm hæc pœna, ut notat Manz. *ad §. item Lex. cit. n. 15.* hodie non practicatur, ſed magis pœna Juris Canonici, quæ eſt, ut ſtuprator vel dotet puellam, cum qua Stuprum commiſit, vel eam uxorem ducat, prout dicetur mox *n. 25.* Quod tamen limitat Harppr. *ad §. cit. n. 91.* ſi contra Stupratorem Civilis actio inſtituatur; ſecus, ſi agatur criminaliter, ut ſi pater, vel conſanguinei puellam ſtupratam in Matrimonium Stupratori dare nolint, ſed ad vindictam agere velint ob ſtuprum illatum; tunc enim, ſicut & in aliis caſibus ſimilibus pœnæ Civilis infligi poſſunt.

21 *Si ſecundum* fiat, & Stuprum commiſſum ſit, vi adhibitâ, iterum diſtingui debet; nam ſi *imperfectum* ſit Stuprum, eò quòd Virgo, aut Vidua honeſta, cui vis illata eſt, è manibus Stupratoris, antequam flagitium perfeciſſet, ſe eripuerit, vel erepta ſit, in hujusmodi Stupratorem decreta eſt pœna deportationis, aut fuſtigationis, ut habetur *l. ſollicitatores 1. §. fin. in fin. ff. de Extraord. crimin.* nunc verò juxta *Conſt. crim. Carol. V. art. 119.* extraordinaria. Si verò *perfectum* flagitium ſit, in Stupratorem decreta eſt pœna capitis, ſive mortis. Gloſſ. *in c. pervenit 2. V. plectendus h. tit.* Abb. *ibid. n. 5.* Clar. §. *Stuprum n. 3. fin.* Farin. *q. 147. n. 22.* Wagnereck *in Exeg. c. 2. cit.* Haun. *n. 697.* Pirhing *n. 38.* Wieſtner *n. 19.* & conſtat ex *l. ſollicitatores*, & *Conſt. crim. l. citt.* præſertim ſi valde honeſtæ, & pudicæ fœminæ, vel puellæ nondum maturæ, aut etiam interveniente raptu corruptæ Stuprum illatum fuiſſet. Farin. *n. 26. & 46.* Gonzal. *in c. 2. n. 6.* Haun. *l. cit.* Zœſ. *n. 14.* Engl *n. 16.* König *n. 29.* Wieſtner *n. 19. cit.* Reiffenſtuel *n. 48.*

22 Imò aliqui cum Paul. de Caſtro *in l. Raptores n. 4. C. de Epiſc. & Cler.* pœnam mortis infligendam putant tantùm illi Stupro, quod junctum cum Raptu eſt. Alii etiam eum, qui ſtupravit Virginem immaturam, ſeu minorem duodecim annis, à ſupplicio mortis eximunt, & pœnam illius remittunt arbitrio Judicis, ut videre eſt apud Farin. *l. cit. n. 39.* Alij denique à pœna mortis exemptum volunt eum, qui vi meretricem compreſſit, ut notant König *hic n. 29.* Reiffenſtuel *ibid. n. 49.* Hæc *tertia* ſententia videtur habere aſſiſtentem ſibi *Conſtit. crim. art. 119. cit.* ubi ob ſtuprum violentum tunc pœna capitis dictatur, ſi ſtuprata fuerit ein unverleümbte Ehefrau / Wittib / oder Jungfrau. *Altera* ſententia ſufficiens fundamentum non habet, cùm certum ſit magis delinquere eum, qui immaturam, quàm qui maturam Virginem corrumpit; & ideo teſte Farin. *n. 37.* non dubitandum, quin acriùs puniri debeat. Æquè debile fundamentum habet *prima:* hinc communior contrarium tenet. Illud indubitatum, quòd vi ſtuprata, ſi hæc non conditionalis, ſed abſoluta ſit, nullam pœnam incurrat, cùm etiam ſit immunis à culpa *l. ſi uxor 73. §. ſiquis 7. ff.* & *l. fœdiſſimam 20. C. ad Leg. Jul. de Adult.* König *hic n. 29.* Reiffenſtuel *ibid. n. 50.*

23 De caſu, quo Stuprator, nulla vi adhibitâ, puellam blanditiis, perſuaſionibus, promiſſionibus, & muneribus, aliisque fraudibus, & fallaciis ad flagitium induxit, diſſident inter ſe DD. Bajard. *ad Clar. §. Stuprum n. 38.* Menoch. *de arbitr. caſ. 288. n. 10. fin.* & alii apud Farin. *q. 147. cit. n. 24.* putant, etiam huic pœnam capitis infligendam. Contrà alij cum Tuſch. *pract. V. Stuprum concl. 710. n. 3.* Farin. *l. cit. n. 30.* negant; quia aliàs ferè ſemper pœna capitis infligenda Stupratori foret, cùm ferè ſemper interveniant fallaces perſuaſiones, ac promiſſiones.

24 Porro quod, ſpectato Jure communi controverſum inter DD. eſt, id ſatis cla-

rè deciditur in Jure noſtro Bavarico Landts- und Policey-Ordnung *Libr. 5. Tit. 9. art. 19.* ubi circa Stupratores Virginum ſtatuitur, ut, ſi Virgo per inſidias, lenocinia, dona, promiſſiones, inebriationem, promiſſionem Matrimonii ſtuprata ſit, Stuprator ad aliorum exemplum irremiſſibiliter, & ponderatis omnibus circumſtantiis, conditione perſonæ violatæ, frequentiâ criminis, etiam pœnâ mortis puniatur. Si verò oppreſſa ſit vi, aut potu amatorio inducta, poſt notitiam de flagitio habitam, delinquens ſine mora incarceretur, & conſideratis iisdem circumſtantiis, ſecundùm eadem Statuta Bavarica, & Jus commune pœnâ mortis afficiatur. Is autem, qui ſub promiſſione Matrimonii etiam conſentientem in hujusmodi conditionem ſtupraverit, coërceatur ſecundùm conditionem perſonæ, & fœminæ vitium paſſæ ſatisfiat eo modo, quo Jure communi ſtatutum eſt.

25 Quæritur 4. quæ ſit pœna Stupri de Jure Canonico? R. referre, an Stuprator ſit Clericus, an verò Laicus. *Si Clericus eſt*, Jure veterum Canonum puniebatur Depoſitione ab Officio *can. lator 44. cauſ. 2. q. 7.* cum dotatione puellæ ſtupro violatæ *c. ſi ſeduxerit 1. h. tit.* Hodie autem præter Dotis præſtationem arbitrio Judicis aliquando pecuniariâ, aliquando incarcerationis, aliquando Suſpenſionis, vel Depoſitionis pœnâ plectitur. Menoch. *de arbitr. caſ. 88. n. 6.* Farin. *prax. crim. q. 147. n. 65.* Vallenſ. *hic* §. 2. *n.* 2. Engl *n. 15.* Pirhing *n. 43.* Wieſtner *n. 20.* Reiffenſtuel *n. 52.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 31.* Imò ſi vis acceſſerit, idem Clericus condemnari poteſt etiam ad carceres perpetuos, qui ſuccedunt pœnæ mortis in Laicos ſtatutæ. Reiffenſt. *n. 53.*

26 Quodſi autem delinquens Laicus ſit, tenetur corruptam ducere, vel ſi hanc pater dare renuerit, dotare *c. ſi ſeduxerit cit.* & *c. pervenit 2. h. tit.* niſi malit pœnam fuſtigationis, aut intruſionis in Monaſterium ſubire *c. pervenit cit.* Quæ etiam pœnæ ex communi interpretatione tum demum infliguntur, quando ob inopiam deflorator Dotem præſtare nequit, ut locum habeat, quod dicitur, *Qui non habet in ære, luat in cute.* Barboſ. *in c. pervenit cit. n. 1. & ſeqq.* Gonzal. *ibid. n. 6.* Engl *n. 11.* Neque hoc caſu, ſi venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur eam ampliùs dotare; quia per luitionem in corpore dicitur ſatisfactum, & ſic illa caſtigatio loco ſolutionis ſuccedit *arg. l. ſed ſi unius 17. §. ſi ante 6. ff. de Injur.* Barboſ. *l. cit. n. 4.*

27 Porro pœnæ iſtæ Canonicæ infligendæ ſunt in terris temporaliter ſubjectis Eccleſiæ Romanæ, imò etiam in terris Imperii in foro, ſeu Tribunali Eccleſiaſtico, licèt Stuprum ſit commiſſum à Laico; in terris verò Imperii, & in foro Sæculari obſervandæ ſunt pœnæ proditæ Jure Civili, ut notat Fagnan. *in c. pervenit cit. n. 6. & 7.* niſi etiam in hoc foro, ut *n. 20.* annotavi, abolitâ per conſuetudinem pœnâ Juris Civilis, obſervari, & infligi conſueverint pœnæ Juris Eccleſiaſtici.

Quæritur 5. an ſufficiat, ſi ſtuprator, 28
puellam à ſe corruptam, vel ducat, vel dotet? Videtur requiri utrumque, ob textum *c. ſi ſeduxerit 1. h. tit.* ubi ſtuprator ſeductam jubetur ſimul *dotare, & in uxorem habere* copulativè: quæ Conſtitutio cùm primùm per Gregorium IX. inſerta fuerit Corpori Juris Canonici, non poteſt dici fuiſſe reſtricta, & limitata per *c. pervenit 2. h. tit.* ubi videtur proponi ſolùm obligatio disjunctiva; nam textus hujus *cap.* cùm ſit S. Gregorii M. longè antea vim Juris Eccleſiaſtici habuit, quàm textus *c. ſi ſeduxerit cit.*

Sed dicendum, de Juris rigore 29
quidem Stupratorem obligari ad puellam, à ſe corruptam, dotandam ſimul, & ducendam, ſi pœnas Canonicas, in *c. pervenit. cit.* dictatas, velit effugere, ut notat Fagnan. *in c. pervenit cit. n. 2.* Conzal. *ibid. n. 8.* Wieſtner *hic n. 21.* & clarè ſumitur ex *c. ſi ſeduxerit cit.* De conſuetudine autem tantùm obligari ad alterutrum, ut ſcilicet eam ducat, vel ſi hoc renuit, Dotem illi conſtituat, juxta qualitatem ſuæ perſonæ, ſeu talem, qualem Virgines ejusdem cum ipſa conditionis accipere ſolent. Clar. §. *Stuprum n. 3.* Salycet. *in l. eum qui 18. C. ad Leg. Jul. de Adult. n. 3.* Gomez *in l. Tauri 80. n. 6.* Farin. *q. 147. n. 97.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 3.* Berlich. *p. 5. concl. 38. n. 20.* Fagnan. *in c. pervenit cit. n. 3.* Barboſ. *in c. 1. h. tit. n. 7.* Gonzal. *in c. 2. eod. n. 3. & 8.* Carpzov. *pract. crim. p. 2. q. 68. n. 13.* Engl *hic n. 11.* Pirhing *n. 41. & 42.* König *n. 30.* Schamb. *n. 18.* Wieſtner *n. 21.* & teſte Barboſ. *l. cit.* decidit Rota *in Taurin. Matrim. 15. Jan. 1590.*

Ad Rationem dubitandi dico *cap. ſi ſeduxerit cit.* diſpoſitionem hodie intelligendam disjunctivè juxta *l. ſæpe 53. ff. de V. S.*

Quæritur 6. quando alternatio hæc 30
locum non habeat? R. 1. quando puella in ſui violationem conſenſit ſpe Matrimonii, ſibi à Supratore promiſſi; tunc enim determinatè tenetur eam ducere, ſi promiſſio ſit ſeria. Secus, ſi ficta, & ſimulata; quia tunc in foro ſaltem conſcientiæ ſufficiet, ſi damnum, quod decepta patitur, eidem compenſetur conſtitutione, vel auctione Dotis, ut dictum eſt *Libr. 4. Tit. 1. n. 32.*

2. Quando is, qui puellam corrupit, 31
ducere eam non poteſt, quia impedimento

Ordi-

Ordinis Sacri, Ligaminis, vel alio dirimente prohibetur contrahere; tum enim ſtupratam determinatè tenetur dotare. Farin. *prax. crim. q. 147. n. 107. & 110.* Molin. *tr. 3. de J. & Juſt. D. 104. n. 9.* Pirhing *hic n. 42.* quia compenſare illi debet, quòd non ducat ipſam uxorem, prout obligatus fuiſſet, ſi Impedimentum non obſtitiſſet. Addunt communiter DD. in hoc eventu eum, qui cum vitiata non poteſt contrahere Matrimonium, inſuper puniendum pœnâ aliquâ aliâ levi, vel pecuniariâ, vel aliâ arbitrariâ ratione Delicti, ſi verò Clericus in Sacris conſtitutus ſit, etiam graviori. Molin. *l. cit.*

3. Si puella corrupta ex juſta aliqua
32 cauſa nubere Stupratori renuat, aut parentes illam eidem dare recuſent; nam tunc iterum ad dotandam eam determinatè obligatur, ut contra Boich. *in c. pervenit cit. n. 3.* defendunt Clar. §. *Stuprum n. 3.* Salycet. *in l. eum qui 18. C. ad Leg. Jul. de Adult. n. 3.* Gomez *in l. Tauri 80. n. 6.* Menoch. *de Arbitr. caſ. 288. n. 19. ỳ. Secundus eſt caſus in addit.* Molin. *D. 104. n. 9.* Farin. *n. 105.* Barboſ. *in c. 1. n. 11. b. tit.* Gonz. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n 42.* Wieſtner *n. 25. ibid.* ne ſi puella, aut parentes alieni ſint à conjugio, Stuprator à pœna immunis ſit.

Quæritur 7. penes quem ſit electio,
33 cùm alternatio aut ducendi, aut dotandi ſtupratam permittitur? R. eſt penes Stupratorem: ſed tunc ſolùm, quando in conjugium puella, & iſtius pater conſentire paratus eſt; non enim tenetur iſta corruptori nubere, etiamſi iſte Matrimonium in ſatisfactionem offerat, ſed poteſt petere augmentum Dotis, ut poſſit alteri æquè benè nubere. *Idque procedit* non ſolùm, ſi fraude inducta fuit ad ſtuprum, quia v. g. Stuprator finxit ſe eſſe nobilem, aut divitem, cùm non eſſet; tunc enim contra omnem æquitatem foret, fœminam nobilem obligare ad contrahendum cum eo Matrimonium, utpote cujus contractu non compenſaretur, ſed potiùs augeretur damnum ipſi illatum: ſed etiam ſi paris ſint conditionis; adhuc enim, recuſato Matrimonio Stupratoris, petere poteſt augmentum Dotis, ne privetur libertate nubendi, cui vult, quam ante ſtuprationem habuit. Pirhing *hic n. 46.* & apud hunc *Azor, Leſſius, Card. de Lugo.*

Porro etſi puella vitium paſſa, &
34 ejus pater in conjugium cum Stupratore conſentire parati ſint, per hoc tamen iſti neceſſitatem ad hoc contrahendum nullam imponunt: imò tunc primùm electio, an ducere illam, vel dotare velit, ut dictum eſt, locum acquirit, niſi defloratio facta fuerit cum promiſſione Matrimonii. Quod adeò verum eſt, ut neque tunc ducere defloratam injuſtus corruptor teneatur, quando damnum ei illatum pecunia, ſeu augmento dotis reſarcire non poteſt, ſi deflorata ſit longè inferioris conditionis, ita, ut illam ducere niſi cum longè majori ſuo damno nequeat; quia generatim loquendo in omnibus debitis, etiam quæ ex delicto deſcendunt, non tenetur debitor cum notabiliter majore ſuo damno reſtituere, ſive ſolvere creditori plus, quàm ſit valor ipſius debiti, ſive quando nequit ſolvere, ſeu raparare damnum, niſi cum longè majori ſuo damno, quàm ſit id, quod intulit alteri. Sufficiet ergo caſu hoc, ut ſi longè majus damnum ſtupratori ex Matrimonio, cum fœmina corrupta inito, ſequeretur, quàm ſit illud, quod ipſi per Stuprum illatum fuit, aliis mediis, quibus poterit, data opportunitate, illud compenſare procuret. Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 10. n. 13.* Card. de Lugo *tom. 1. de Juſt. D. 12. ſect. 1. n. 18.* Pirhing *n. 46. cit.*

Quæritur 8. quibus caſibus ad ni-
35 hil teneatur Stuprator? R. 1. ſi puella in ſui violationem, nulla interveniente vi, fraude, aut metu, ſponte ad id ſe offerendo conſenſit; quia *c. ſi ſeduxerit 1.* & *c. pervenit 2. h. tit.* ad ducendam, vel dotandam violatam ſtuprator obligatur tantùm, qui Virginem *ſeduxit*, vel *decepit.* non ita ſeducta, vel decepta eſt, quæ ſeipſam obtulit, ac liberè conſenſit. *Conf.* obligatio ducendi, vèl dotandi ſolùm inducta eſt in compenſationem injuriæ, per ſeductionem, vel deceptionem illatæ. atqui ea, quæ liberè in ſui violationem conſenſit, non poteſt dici paſſa injuriam; nam ea non fit ſcienti, & conſentienti *l. nemo 145. ff.* & *Reg. ſcienti 27. de R. J. in 6.* Molin. *tr. 3. de Juſt. D. 106. n. 1.* Leſſ. *l. 2. c. 10. n. 9.* Barboſ. *in c. 1. b. tit. n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Wagnereck *in Exeg. fin.* Haun. *tom. 1. de Juſt. tr. 2. n. 687.* Pirhing *hic n. 49.* Schambog. *n. 19.* Wieſtner *n. 23.* Idem dicendum, ſi fœmina, per vim, metum, aut fraudem ſtuprata remittat obligationem ſatisfaciendi ſtupratori. Vaſq. *de Reſtit. c. 3. §. 2. dub. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. c. 13. n. 2.* cum *citt. Proceditque hoc*, ſive deflorans ſit Clericus, ſive Laicus; poterat enim puella cedere jure petendæ Dotis. Pirhing *n. 53.* & locum habet in utroque foro, conſcientiæ, & externo, ita, ut neque à Judice tali caſu deflorator compelli poſſit ad corruptam dotandam, vel ſi Laicus ſit, ducendam; quia obligatio hæc, ut dictum eſt, innititur injuriæ. Pirhing *n. 49.* Schambog. *n. 19.*

2. Si mulier poſt corruptionem, ad-
36 quam vi, vel fraude inducta eſt, virum ejusdem conditionis invenit, perinde ac ſi eſſet virgo, nec ob eam cauſam aliud detrimentum paſſa eſt, quia ſtuprum occultum manſit, etiam viro, cui nupſit;

nam hoc casu deflorator Virginis, saltem ante sententiam, & in conscientia non tenetur ad ullam satisfactionem, vel compensationem ei faciendam. Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 3. n. 8.* Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 15.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 3. concl. 3.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 691.* Engl *hic n. 15.* Pirhing *ibid. n. 47.* Ratio est, quia pro injuria, prout contra distincta est â damno subsecuto nihil debet restitui, adeoque nec pro defloratione, sive violatione claustri, seu sigilli virginalis; quia illa est irreparabilis; nec si damnum est, potest pecunia æstimari, aut compensari, sicut nec compensari potest, si alicui sit manus abscissa, vel oculus erutus: aliud verò damnum pretio æstimabile, ut supponitur, fœminæ ex stupro secutum non est. *Neque obstat*, quòd puella injustè stuprata constituatur in periculo non inveniendi commodum Matrimonium, ac antea habere poterat, quòd cùm sit damnum pretio æstimabile, à stupratore compensari debet. *Contra* enim est 1. quia qui alterum constituit in periculo etiam vitæ amittendæ, aut facultatum, non obligatur ad restitutionem, nisi damnum reipsa sequatur; quia periculum damni non est damnum. ergo si aliunde cessat periculum, etiam obligatio damnum compensandi cessat; quia ablatum fuit totum damnum, ad quod solum tollendum tenebatur is, qui injustè alicui damnum, vel periculum damni intulit. Less. *l. cit. n. 16.* Pirhing *n. 47. cit.* *Excipitur*, nisi fœmina, antequam se periculo tali non inveniendi æquè commodas nuptias exposuerit, de illo compensando pacta fuerit. Pirhing *l. cit. in fin.*

37 3. Si mulier jam fuisset antea corrupta ab alio, aut aliàs inhonestæ vitæ, & profligatæ famæ; nam huic nec Matrimonium, nec Dos, præscindendo à speciali pacto, à Stupratore suo debetur, cùm nullum per ipsum passa sit damnum: Sufficiet ergo, si Stuprator arbitrio Judicis puniatur aliâ mitiori pœnâ. Clar. §. *Stuprum n. 3.* Fagnan. *in c. pervenit cit. n. 4.* Pirhing *hic n. 41.* Wiestn. *n. 22. ibid.* Aliud est, si quæ corrupta jam antè fuit ab alio, vulgò, & publicè habebatur pro virgine; huic enim is, qui carnaliter illam per vim, aut fraudem cognovit, si inde infamiam passa sit, ita, ut non possit tam commodè alteri nubere, sicut antea, satisfacere teneretur arbitrio prudentis viri. Navar. *Man. c. 16. n. 19.* Azor *p. 3. l. 5. c. 5. difficult. 11.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 2.* Pirhing *n. 48.* Similiter ad reparandum honorem, & damnum infamiæ injustè illatum resarciendum tenetur Stuprator, qui Virginem, postquam liberè in stuprum sine vi, fraude, vel metu consensit, ipse postea, divulgato flagitio, infamavit, Molin. *tr. 3. D. 104. n. 13. fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2. ℣. Excipe*, Pirhing *n. 48.* Paupertas puellæ defloratæ sola, si aliàs honestæ vitæ illa sit, ab obligatione eam ducendi, vel dotandi non absolvit eum, qui illam vi, fraude, vel metu compulsam corrupit. Wiestner *n. 22. hic* cum aliis passim.

Quæritur 9. an dotare, vel ducere Stuprator teneatur puellam, quam suasionibus, blanditiis, precibus, etiam importunis, aut assiduis, vel muneribus induxit ad consensum in Stuprum, sine alia tamen vi, fraude, vel minis? 38 R. negativè, si spectemus præcisè obligationem in conscientia, & ante sententiam Judicis. Ita ex probabiliore Sententia docet Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 14.* Molin. *tr. 3. D. 106. n. 1.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 1. n. 4. & 5.* Lugo *tom. 1. de Just. D. 12. sect. 1.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 687.* Pirhing *n. 50. hic*, Schambog. *n. 19. ibid.* contra *Navarrum*, & *Toletum*. Ratio est, quia preces, & dona vim non inferunt, nec cogunt, vel faciunt involuntarium, etiam mixtum, sicut metus, sed solùm blandè alliciunt; adeóque facilè repelli possunt, si fœmina seriò velit.

Excipi debet, nisi preces fuissent ad- 39 hibitæ à tali personâ, cui fœmina non facilè audet dissentire, uti sunt adhibitæ à Domino, Principe, vel Superiore; his enim inducta si consensisset in Stuprum, Stuprator eam teneretur ducere, vel dotare; quia ejusmodi preces causant metum reverentialem, & multùm minuunt libertatem consensûs, imò injuriam quandam continent, *Less. Lugo, Pirhing, Schambogen l. citt.* Idem dicendum, si fœmina præ verecundia non est ausa dissentire; tunc enim coacta consentire censenda est, nec stuprator excusabitur ab obligatione restituendi. Pirhing *l. cit.* & apud hunc *Molin. Vasq.* Imò ut idem Pirhing cum *allegatis* monet, etiam in casu *præc. n.* quando preces &c. nullum sibi habent admixtum metum, probabile est admodum, quòd Stuprator, qui puellam honestam istis induxit ad consensum in stuprum, dotare illam, aut ducere teneatur: quæ sententia, sicut miseris puellis est favorabilis, ita consulenda in praxi, prout etiam fatetur Vasq. *l. cit. n. 6.*

Quoad metum distingui debet, an 40 injustè incussus puellæ sit, an verò justè. *Si injustè*, & propterea puella consensit in Stuprum, injuriam continet, & propterea obligatio nascitur ad compensandum damnum illatum vel per contractum Matrimonij, vel per constitutionem, aut actionem Dotis. *Si justè*, ut si Stuprator comminatus est ei, quòd velit ipsam apud Patrem, vel Judicem accusare in casu, & causa in qua licitè, & justè facere istud

istud poterat, non tenetur ad restitutionem. Lugo *sect. 1. cit. n. 18.* Pirhing *n. 50. fin.*

41 Quæritur 10. an Stuprator teneatur aliquid restituere Patri puellæ, in potestate ejus constitutæ; quàm liberè consentientem stupravit, si Pater propterea augeat Dotem, ut possit filiam in æquè bono Matrimonio collocare? Affirmant D. Antonin. *p. 2. tit. 5. c. 6. §. 1.* Bern. Diaz. *pract. canon. c. 83. n. 6.* Cordub. *l. 1. q. 13. col. 4. §. ubi & isti, & seq.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 37. n. 24.* Valent. *2. 2. D. 9. q. 3. p. 3. §. an autem, & quando &c.* & alij apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 14. n. 11.* Fundantur 1. quia Stuprum filiæ redundat in injuriam Patris. 2. per illud læduntur facultates Patris, dum cogitur aut Dotem filiæ stupratæ augere, si velit illam locare in Matrimonio, aut innuptam perpetuò alere. 3. præjudicatur etiam potestati patriæ; nam Patris est custodire filiam, ejúsque integritatem usque ad nuptias. dum ergo stuprator integritatem filiæ aufert, patri præjudicat.

42 Sed probabilius est, Stupratorem hoc casu ad nihil teneri Patri. Ita Sot. *l. 4. de Just. q. 7. art. 1. ad 2. ỳ. an verò vice versa*, Petr. Navar. *l. 2. de Restit. c. 3. p. 4. dub. 2. n. 423. ỳ. mihi aliter videtur*, Molin. *tr. de Just. D. 106. n. 2.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 4.* Sanch. *D. 14. cit. n. 11.* Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 9.* Layman. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2. ỳ. neque obstat*, Barbos. *in c. 1. n. 2. h. tit.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 690.* Pirhing *hic n. 51.* Ratio est 1. quia filia est Virginitatis suæ domina, & nuptiarum jacturam pati volens potest, etiam renitente Patre. 2. si filia, defloratoni suæ consentiens, haberet pecunias proprias, quibus Patri posset satisfacere, non teneretur, cùm tamen sit causa principalis injuriæ, & damnorum, quæ ex defloratione ipsius sponte admissa sequuntur. igitur multò minùs tenebitur deflorator, qui est causa minùs principalis. 3. ipsa virgo potest invito Patre nubere, cui voluerit, ita ut nec ipsa, nec vir propterea aliquid teneantur restituere Patri pro injuria hoc modo ipsi illata.

43 Similiter ad nihil tenetur patri stuprator, saltem in conscientia, & ante sententiam Judicis, si fæmina, per vim, metum, aut fraudem stuprata, remittat ipsi obligationem satisfaciendi. Less. *l. 2. de Just. c. 10. n. 9. & 19.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2.* Card. de Lug. *tom. 1. de Just. D. 12. sect. 1. n. 9. & 10.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 690.* Pirhing *hic n. 52. Ratio est*, quia sicut filia ante damnum illatum potuit cedere jure suo sine injuria Patris, ita etiam post damnum acceptum potest cedere jure suo ad petendam ejus compensationem, etiam sine consensu patris, cùm debitum istud, quo stuprator vitiatæ obligatur, non sit immediatè pecuniarium, sed tantùm ad nuptias, vel dotem, cui debito ipsa renuntiare potest, cùm possit velle non nubere.

Neque contrarium probant Argu- 44
menta adversæ partis. *Ad 1.* ex injuria, secluso damno, non oritur obligatio satisfaciendi per pecuniam, vel aliud temporale ex natura rei, & in foro conscientiæ, sed solùm respondet ei pœna, quæ non debetur ante sententiam Judicis, & pro læso honore potest satisfieri petitione veniæ, vel simili honoris exhibitione. *Ad 2.* imprimis Pater non tenetur augere dotem filiæ, ut honesto Matrimonio locari possit, si ipsa volens stuprata est; & si spontè augeat, damnum volens patitur. Deinde damnum istud solùm indirectè sequitur, intercedente videlicet voluntate filiæ, quæ tanquam corporis sui, & nuptiarum domina, jus habet, ut absque injustitia id damnum indirectè inferat utendo jure suo, à quo non tenetur abstinere ex Justitiæ præcepto, ut id damnum caveat. *Ad 3.* jus illud custodiæ pater habet dependenter à voluntate filiæ, quæ tanquam domina potest liberè absque injustitia uti suo corpore.

Quæritur 11. utrum Stuprator, qui 45
juxta *c. si seduxerit 1. & c. pervenit 2. h. tit.* corruptam à se tenetur ducere, aut dotare, ad hoc obligetur in conscientia, & antè Sententiam condemnatoriam? R. ad neutrum teneri, modò damnum stupro illatum alio modo sufficienter reparet, ut corrupta æquè honestum Matrimonium inire, quàm ante corruptionem, possit. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 15.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 5. n. 14.* Less. *de Just. l. 2. c. 10. n. 11.* Pirhing *hic n. 44.* Wiestner *n. 27. & 28. ibid.*

Post Sententiam, quâ condemna- 46
tus est ad corruptam dotandam, statim obligatur ad præstandam Dotem, non exspectato tempore nuptiarum, ut ex *l. un. §. & si quidem 1. ỳ. sive maritum nolentes C. de Rapt. Virgin.* colligit. Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 586.* Et hinc si mulier sic corrupta sine nuptijs moriatur, ejus exigendæ jus ad istius prolem, vel alios hæredes transmittitur, ut cum Bajard. *ad clar. §. Stuprum n. 74. ỳ. sed ego vidi* notat Haun. *l. cit.* & sequitur P. Wiestner *n. 28.*

Potest tamen Stuprator, ne ad do- 47
tem præstandam condemnetur, duplici via eximi. 1. si cum puella defiorata transigat. Clar. *§. fin. q. 58. n. 14.* Haun. *l. cit. n. 597.* Wiestner *n. 28. cit.* éstque receptum quotidiana praxi. 2. si puella corrupta

aliud

aliud à Judice nihil exigat, nisi ut Stuprator eidem condemnetur ad certam pecuniam in prolis, ex Stupro procreatæ, alimenta impendendam. Haun. *n. 583.* Imò si Stuprator cum puella ante, vel post flagitium convenit de certo pretio, non potest ista plus petere, quàm de quo inter ipsos conventum est; quia residuum censetur remisisse ultro. Haun. *n. 591.* Wiestner *n. 24.*

48 Integrum tamen his casibus adhuc Judici erit, tam puellam consentientem, quàm stupratorem alijs modis plectere. Puellæ quidem ferè, sicut ob fornicationem simplicem, plecti solent, ut Haun. *n. 596.* observat. Stuprator verò puniri potest, & puniri passim consuevit pœnâ carceris, vel pecuniariâ, aliquando etiam, si circumstantiæ valde aggravantes accedant, ad fustigationem, & alias graviores pœnas proceditur Haun. *n. 595.*

49 Quæritur 12. quis sit Judex in causa Stupri, & quomodo hoc probandum? R. si Stuprum comissum est à Clerico, vel persona Ecclesiastica: de eo cognoscit Judex Ecclesiasticus. Si verò à Laico, est crimen mixti fori, ita, ut de eo cognoscere possit tam Judex Sæcularis, de quo per se clarum est, quàm etiam Ecclesiasticus prout deducitur ex *c. pervenit 2. h. tit.* ubi sermo est de Laico, qui Virginem decipiendo ad stuprum induxit, & Gregorius Papa Episcopo Sipontino præcipit, ut non solùm excommunicetur, sed etiam corporaliter castigetur, & in Monasterium detrudatur, si renuerit stupratam ducere in uxorem. Judex autem Sæcularis non potest excommunicare, nec in Monasterium detrudere. Igitur cognitio de Stupro etiam pertinet ad Judicem Ecclesiasticum: cons. est causa mixti fori. Pirhing *hic n. 60.* Schambog. *ibid. n. 20.* & alij passim.

50 Quoad probationem Stupri distinguendum est, an Stuprator fateatur, se rem habuisse cum fœmina, an verò neget. *Si primum*, duplex adversùs ipsum præsumptio militat pro fœmina: una, quòd Virgo fuerit; *altera*, quòd seducta à stupratore: cons. si stuprator alleget contrarium, dicendo illam non fuisse Virginem, quando illam carnaliter cognovit, vel non fuisse à se seductam, quod utrumque, vel alterutrum corrupta asserit, ipse istud probare debet; quia præsumptio stat pro puella, & propter delictum transfertur onus probandi in ipsum Stupratorem. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Clar. §. *Stuprum n. 4.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 2. & 4.* Engl *hic n. 14.* Honor. *n. 18.* Pirhing *n. 61.* Wiestner *n. 24.* Quod si intentionem suam non probet Stuprator, credetur puellæ asserenti se Virginem fuisse, & à Stupratore seductam, etiam sine juramento, nisi istud petatur, & eidem condemnabitur Stuprator ad illam vel ducendam, vel dotandam. Tusch. *V. Stuprum concl. 1237. n. 39.* Mascard. *de Prob. concl. 1237. n. 6.* & *concl. 1410. n. 2.* Pacian. *l. 2. de Probat. c. 2. n. 10.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 5.* Haun. *tom. 1. tr. 2. n. 687.* Pirhing *hic n. 62.*

Excipitur, si aliunde constet, quòd puella jam antea corporis sui copiam alij fecerit, vel si præsumptio contra stupratam promineat: qualem præbet, si die, noctúque alios ad se liberè admisisset, aut permisisset non permittenda. Bald. *in l. neque 10. n. 4. C. de Probat.* Mascard. *de Probat. concl. 985. n. 3.* König *hic n. 36.* Et admittuntur ad hujusmodi probationem faciendam etiam testes singulares, de diversis actibus inhonestis deponentes; quia hi actus ex diversis particularibus tendunt ad probationem generis. Farin. *prax. crim. q. 136. n. 74. & seqq.* Sufficit etiam, allegari, & probari, quòd ejusmodi puella jam ante fuerit malæ famæ, & pro virgine passim non habita; tunc enim eidem etiam juranti credendum non foret, cùm ejusmodi mulieres facilè contemnant juramentum. Farin. *q. 146. n. 139.* Pirhing *hic n. 62.* Engl *ibid. n. 14.* 51

Aliud dicendum in *casu secundo* distinctionis *n. 50.* allatæ, quando mulier asserit se corruptam, vel imprægnatam, à Titio, is verò negat se carnaliter ipsam cognovisse; tunc enim non est standum nudæ assertioni etiam juratæ mulieris, si alias probationes non afferat *arg. c. significasti 5. h. tit.* Pirhing *hic n. 63.* König *ibid. n. 25.* *Ratio est*, tum quia generatim loquendo onus probandi incumbit affirmanti, non neganti *l. ei incumbit 2. ff. de Probat.* tum quia uni soli testi non creditur *c. licèt 23. de testib.* præsertim si testis ille sit in causa propria; quia in hac nullus idoneus testis est *l. nullus 10. ff.* & *l. omnibus 10. C. de testib.* Imò cæteris paribus plus credendum est viro, quàm mulieri; nam testimonium mulieris varium, & mutabile est *c. forus 10. §. fin. de V. S.* 52

Quare Stuprum, à Titio sibi illatum, puella vitium passa alijs modis, & per probabiles conjecturas, atque indicia probare debet: quæ si non convincant, neque ad plenam probationem sufficiant, deferendum est Juramentum viro ad purgandam suam innocentiam, ejúsque Juramento standum est *arg. c. significâsti cit.* Si verò nihil omnino probavit puella, ne præsumptivè quidem, absolvendus est reus, etsi nihil omnino præstiterit *c. fin. §. sanè de Jurejur.* Et hanc esse praxin in pluribus Curijs Episcopalibus testatur Gobat *p. 2. Alphab. Matr. n. 188.* & cum eo Pirhing *hic n. 63. v. quæres.* 53

Cæte-

54 Cæterùm ſtuprum, ſicut & ſimplex fornicatio ijsdem ferme modis probari poteſt, quibus Adulterium: de quo *infrà n. 91. & ſeqq.* Sicut ergo ad hoc ſufficiunt probationes ex præſumptionibus vehementiſſimis, & moraliter connexis cum flagitio, ita etiam ſufficient ad probandum ſtuprum. Aliæ præſumptiones, quamvis vehementes, ad probandum plenè Stuprum, aut Fornicationem ſimplicem commiſſam in ordine ad pœnam ordinariam infligendam non ſufficiunt: quales ſunt, ſi Juvenis, & Puella per plana, & nemora, per vias, & invia vagari pluries conſpecti ſint, niſi præceſſerit monitio, aut alia indicia, vel adminicula concurrant *c. tertiò 13. de Præſumpt.* & *ibi* Abb. *n. 4.* Pirhing *n. 63. V. cæterùm.* Item non eſt ſufficiens probatio Stupri, aut Fornicationis, quando reperti ſæpe ſunt invicem ſoli in loco obſcuro: imò Gobat *in Theol. Juridico Moral. c. 32. ſect. 2. n. 21.* putat, non induci vehementem præſumptionem flagitij actu commiſſi, ſi deprehenſi ſunt ſimul jacuiſſe in eodem lecto, præſertim induti; quia ſæpè contingit, ut nihil omnino impudicum agant, vel non niſi oſcula, & turpes tactus exerceant ſine intentione ipſius copulæ.

55 Quæritur 13. à quo proles, ex Stupro, vel alio illegitimo concubitu procreata, ali debeat, an à patre, an verò à matre? R. ſi ſtuprator cum matre prolis tranſegerit ſuper alimentis ipſi præſtandis, conventione illorum ſtandum eſt *arg. Reg. contractus 85. in 6.* Si nulla compoſitio, vel tranſactio facta inter eoſdem ſit, diſſident inter ſe DD. Nam Gloſſ. *in c. fin. V. poſt triennium de converſ. infidel.* Covar. *p. 2. de Sponſal. c. 8. §. 6. n. 19.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 10. n. 42.* Antonell. *l. 2. de Temp. Legal. c. 58. n. 2.* ad hujuſmodi prolem alendam primo triennio obligant matrem, poſtea patrem: quod deſumunt ex *c. cùm haberet 5. de eo, qui duxit &c.* ubi ſtatuitur, filijs ſpurijs præſtanda neceſſaria ab utroque parente ſecundùm facultates, cujus ambiguitatem, quo tempore quisque parentum ſuccedere tali proli debeat, videtur tollere *l. nec filium 9. C. de Patr. poteſt.* ubi dicuntur alimenta trimo ſubminiſtranda à patre. igitur nondum trimo præſtari debebunt à matre.

56 Sed revera ex neutro textu allegato probatur aliquid. Non ex *c. cùm haberet*; quo ibidem Pontifex ſolùm corrigit Jus Civile *Auth. ex complexu C. de inteſt. nupt.* qua filijs Spurijs adimebantur alimenta paterna. Non ex *l. nec filium cit.* quia Lex iſta ſolùm loquitur de filio legitimo; ponitur enim ſub Titulo *De Patria poteſtate*, in qua filij Spurij non ſunt *l. cùm legitimæ 19.* & *l. lex naturæ 24. ff. de Stat. homin.*

57 Hinc dicendum, quòd mater primo triennio (nam antè triennium à lacte depelli non ſolebant infantes) ſolùm teneatur ad alimenta lactis, pater verò in reliquis. Ita Abb. *in c. ex litteris 2. n. 4. de converſ. infidel.* Lambertin. *de Jur. Patron. art. 6. q. 3. pr. n. 21.* Molin. *tr. 2. de Juſt. D. 168. n. 11.* & teſte Colero apud Berlich. *p. 5. concluſ. 38. n. 43.* à celeberrimis ICtis pronuntiatum eſt. Oſtenditur ex ipſis textibus in contrarium allegatis; nam à Jure Canonico quoad Jus alimentorum, à parentibus accipiendorum, illegitimi quodammodo coæquantur legitimis, atqui legitimis primo triennio mater tantùm tenetur ad præſtanda alimenta lactis, pater verò ad reliqua. ergo idem dicendum de illegitimis.

58 Duæ tamen Exceptiones hìc faciendæ ſunt. *Una* ex parte Matris; nam ſi hæc ob paupertatem, infirmitatem, nobilitatem lactandæ proli vel omnino, vel ob patriæ conſuetudinem ſine dedecore vacare non poſſet, conducenda patris expenſis foret nutrix. Surd. *tr. de Alment. tit. 1. q. 14. n. 8.* Joan. Garc. *de Expenſ. c. 13. n. 31.* Molin. *D. 168. cit. n. 12.* Barboſ. *Additam. in c. cùm haberet cit. n. 3.* Wieſtner *hic n. 33.* *Altera* ex parte patris; nam ſi hic ob paupertatem præſtare alimenta proli nequeat, ad ea obligabitur mater, & in hujus defectum avi, ut monet cum alijs Molin. *l. cit. n. 13.* König *hic n. 36.* Wieſtner *l. cit.*

59 Et ita ſe res habet, quando Stuprator fatetur ſtuprum à ſe commiſſum, & de alijs corrivalibus non conſtat. Secus eſt, quando ſtuprata ex indicijs, & probationibus de fornicatione, cum alio commiſſa, ſuſpecta eſt; tunc namque ei juramentum purgationis indicitur, ut ſe liberet à ſuſpicione fornicationis, certúmque infantis patrem indicet, antequam alimentorum onus ſtupratori imponatur, ut cum *Fontanell. Carpzov.* & *Mævio* notat König *hic n. 30. fin.*

60 Quodſi conſtet unum ex duobus prolis illegitimæ patrem eſſe, incertum autem, quis determinatè ex illis, videndum eſt, an cum utróque conſiſtere Matrimonium potuerit reſpectu Matris, an cum uno tantùm, non verò cum altero ob impedimentum dirimens. *Si hoc ſecundum*, alimenta proli debebuntur ab eo, cum quo Matrimonium potuit conſiſtere, & hic agnoſcendus pro patre; quia in dubio præſumendum eſt, quòd eſt honeſtius, & favorabilius proli. eſt autem favorabilius præſumi ſuſceptam ex eo, qui impedimento dirimente non laborat; ſic enim potius erit naturalis, quàm ſpuria. ergo &c.

61 *Si primum*, obligatio præſtandi alimenta proli inter utrumque dividi debet,

& uterque ad id concurrere, eo ferè modo, quo dividenda est res, quæ certò spectat ad duorum alterutrum, nescitur autem, ad quem illorum. Vasquez *in 1. 2. D. 66. n. 44. & 47.* quem sequitur P. Wiestner *hic n. 34. & 35.*

§. III.

De Adulterio.

SUMMARIUM.

62. *Adulterij Definitio.*
63. *Ejus malitia in quo consistat?*
64. *An purgetur per consensum alterius conjugis?*
65. 66. *Quotuplex sit Adulterium?*
67. 68. *An committatur cum uxore putativa, vel Sponsa alterius?*
69. 70. *Pœna adulterij Civilis.*
71. *Pœna criminalis Jure Ecclesiastico.*
72. &c. *Et Jure Imperiali.*
75. &c. *Causæ excusantes à Pœnis adulterij.*
80. *Quo tempore accusatio ejusdem cesset?*
81. *An conjux innocens agere contra alterum de adulterio possit?*
82. 83. *An uxor accusare adulterium mariti?*
84. 85. *Quis ordo observandus inter eos, qui possunt hoc accusare?*
86. *An illius accusare etiam possit minor 25. annis?*
87. 88. 89. *Quinam accusari de illo possint?*
90. *Quid sit Lenocinium, & quæ illius pœna?*
91. &c. *Quænam probatio requiratur, & sufficiat ad probandum Adulterium?*
95. 96. *Quis sit Judex competens in causa ejusdem?*
97. 98. *An qui criminaliter egit de adulterio, postea de illo agere possit civiliter, & viceversa?*

62 QUæritur 1. Quid sit *Adulterium*? R. *Adulterium* dupliciter potest accipi. 1. *latè*, in quo sensu est quæcunque conjunctio carnalis, non conjugalis *can. nemo 4. auct. 32. q. 4.* 2. *strictè*, & *propriè* & eatenus est violatio thori alieni. Sylv. *V. Adulterium n. 1.* Host. *in Summ. hic n. 1.* Vallens. §. *1. n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 36.* Vel, ut alij ex mente S. August. *de Bon. conjug. c. 4.* loquuntur, est violatio fidei, & thori conjugalis.

63 Hinc duplex est ejus malitia: *una* Luxuriæ; quia est concubitus viri cum fœmina extra conjugium: *altera* Injustitiæ; quia est violatio juris, quod conjuges ad se invicem habent, ut obligare se invicem possint ad non dividendam carnem suam cum alio. S. Thom. *2. 2. q. 154. art. 8.* Azor *p. 3. l. 3. c. 7. pr.* Pirh. *hic n. 1.* Schambogen *n. 2.* Illsung *Theol. pract. tr. 4. D. 1. n. 58.*

64 Neque malitia hæc purgatur, vel tollitur per consensum alterius conjugis, eò, quòd hic consentiat in adulterium conjugis adulteri; quia adhuc injuria infertur DEO authori naturæ, qui indissolubili vinculo utrumque conjugem adstrinxit sibi invicem: quamvis tali casu conjux consentiens in adulterium alterius non possit actionem, vel querelam instituere super injuria à conjuge sibi illata; quia scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus. *Reg. 27. in 6.* Hinc Innocentius XI. inter alias meritò vetuit hanc propositionem: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est Adulterium, adeóque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

Quæritur 2. quotuplex sit Adulterium? 65 R. Adulterium dividi potest in Simplex, sive Unilaterale & in Duplex, seu Bilaterale. *Simplex* est, quod vel à marito alieno cum soluta, vel ab uxore aliena cum soluto committitur. *Duplex*, seu *Duplicatum* dicitur, quòd à marito alieno cum uxore aliena perpetratur. Azor *p. 3. l. 3. c. 7. not. 2.* König *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 3. & 4.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 41.* Istud priore gravius est; quia per illud adulter non tantùm lædit fidem propriæ uxori debitam, sed etiam jus alterius mariti, & frequenter liberorum ejus, si ex tali adulterio filius nascatur, quem deinde veri Liberi, tanquam putativum fratrem, pro cohærede habere, & pater alimentare debet. Engl *hic n. 3.*

Utrumque tamen est verum, & 66 proprium Adulterium, ut patet ex *can. illæ 14. §. cùm ergo*, & *can. seq. caus. 32. q. 5. can. fin. caus. cit. q. 6. c. transmissæ 4. de eo, qui cognovit &c. Ratio est*, quia utroque modo violatur fides conjugalis. Neque *refert*, quòd Jure civili carnalis conjunctio viri conjugati cum soluta Adulterium esse non censeatur, & adulterij pœnis non puniatur; nam hoc Jure in Adulterio tantùm considerabatur feminis confusio, & ab hoc proveniens incertitudo prolis, quam conjunctio

ctio conjugati cum soluta non inducit. *Contrà* Jure Canonico consideratur violatio fidei conjugalis, atqui eadem castimonia debetur à viro, quæ ab uxore, & uterque conjux ad fidem mutuò promissam æqualiter obligatur *can. nemo 4. princ. caus. 32. q. 4.* Clar. §. *Adulterium n. 2.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Zœs. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. n. 2.* Vallens. *hic*, §. *1. n. 1.* Engl *n. 2.* Pirhing *n. 2. v. ubi tamen in fin.* König *n. 6.* Reiffenstuel *n. 18.* Wiestner *n. 37.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 43.*

67 Quæritur 3. an Adulterium committatur cum uxore alterius putativa, vel Sponsa? R. *Ad 1.* reipsa, & Theologicè loquendo concubitum cum uxore putativa alterius adulterium non esse, cùm nullum inter hujusmodi conjuges putatitios intercedat vinculum, quod adulterio violatur: de rigore tamen Legum pro tali habetur, prout patet ex *l. si uxor 13. §. planè 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi Ulpianus, *Plane* inquit, *sive justa uxor fuit, sive injusta, accusationem* (adulterii ab ea commissi) *instituere vir poterit; nam & Sextus Cæcilius ait: Hæc Lex ad omnia Matrimonia pertinet.* Ex quo textu Abb. *in c. plerumque de Donat. int. vir. & uxor.* arguit, mulierem, pro conjugata habitam, si dormierit cum alio viro, amittere Dotem in pœnam delicti sui, licèt aliàs probaretur nullitas Matrimonii. Consentit Gloss. *in c. plerumque cit. V. repetere:* ubi citat alios textus, & ponit hanc Regulam: quòd *crimina secundum intentionem judicentur.*

68 *Ad 2.* certum est Adulterium committi per violationem Sponsæ alterius *de præsenti*; quia nuptias non concubitus, sed consensus facit. Idem non pauci volunt committi, quando violatur alterius Sponsa de futuro, ob duplicem textum. 1. *l. si uxor 13. §. Divi 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi adulterii crimen etiam in Sponsa vindicandum asseritur. 2. *can. omne 10. §. item caus. 27. q. 2.* ibi, *Qui sponsam alterius in agro opprimit, morte moriatur; quia uxorem alterius violavit.* Verùm ego ad hoc dubium jam dixi *Libr. 4. Tit. 1. n. 88.* violationem Sponsæ alterius de futuro adjunctum quidem sibi habere peccatum Injustitiæ, non tamen esse propriè adulterium, ex Rationibus allatis. *Neque obstant*, textus allati in contrarium. *Ad 1.* ibi non deciditur, quòd corruptio Sponsæ alienæ sit adulterium, sed tantùm deciditur, quòd similem mereatur pœnam, cùm similem innocenti Sponso injuriam inferat. *Ad 2.* ibi sermo est de desponsata per verba de præsenti, ut patet ex *can. siquis 11.* & *can. seq. q. cit.* & notant Zœs. *hic n. 2.* Pirhing *ibid. n. 3. fin.*

69 Quæritur 4. quot modis agi ex adulterio possit? R. potest agi vel civiliter, vel criminaliter. Quando *civiliter* agitur, duplex Adulterii pœna est. *Prima* Divortium, seu separatio quoad thorum, & cohabitationem, ad quam agere conjux innocens potest. *c. tuæ 5. de Procurat. c. ex litteris 5. de Divort. & Novell. 117. c. 8.* imò si Adulterium notorium sit, ab Adultero conjux innocens divertere probabiliùs propria authoritate potest, ut colligitur ex *c. significâsti 4. fin. de Divort.* & dictum est *Libr. 4. Tit. 19. n. 110.* ad quem *Titulum* plura videri possunt, quæ alij sub *Rubrica* præsenti disputant. *Altera* pœna est amissio Dotis, & Donationis propter nuptias; nam hæc conjugi innocenti restitui debet cum omnibus, quæ nocenti attulit *c. plerumque 4. de Donat. int. vir & uxor. l. ex consensu 8. §. hæc nisi 4. & §. seq. C. de Repud. Novell. 11. c. 8. §. 2.* & dictum est *Libr. 4. cit. Tit. 20 n. 111.* & *seqq.* ubi plura de amissione Dotis, & Donationis propter nuptias ob Adulterium.

70 Præterea civilis obligatio etiam in foro conscientiæ incumbit adultero, si ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis sibi persuadeat, vel persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, ut restitutionem faciat marito adulteræ, qui patrem se credens, proli adulterinæ alimenta, vel dotem dedit: item Liberis legitimis adulteræ, qui propter successionem Spurij læsi sunt; quia adulter vera causa hujus læsionis est, cons. sicut quilibet alius, qui alterum contra Justitiam læsit in bonis, ad restitutionem meritò obligatur. Sed & ipsa mater adultera, tanquam simultanea causa dictæ læsionis, tenetur vel prolem adulterinam manifestare marito, aut alijs Liberis, vel aliam compensationem ijsdem facere de bonis proprijs: de quo plura *infrà Tit. 38.*

71 *Criminalis* pœna alia est Jure Ecclesiastico, alia Jure Civili prodita. Jure Ecclesiastico aliter puniuntur Adulteri Laici, aliter Clerici. Laicis olim infligebatur pœna Excommunicationis *c. intelleximus 6. h. tit.* & fœminæ adulteræ, si mariti eas nollent recipere, ad agendam pœnitentiam in Monasterium perpetuò detrudebantur *c. gaudemus 19. de convers. conjugat.* Hodie tamen Adulterorum Laicorum punitio passim relinquitur Curiæ Sæculari, ut notat P. Wiestner *hic n. 41.* Circa *Clericos* hoc Jure tria sunt constituta. 1. si adulterium in Judicio confessus, vel convictus de eo est Clericus, deponi ab Officio, & Beneficio, atque insuper in Monasterium ad agendam toto vitæ tempore pœnitentiam detrudi debet *can. siquis Clericus 10.* & *can. seq. dist. 81.* cui tamen detrusioni, cùm hodie exoleverit, sufficit potest pœna carceris, vel alia similis, & aliquan-

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

quando etiam pecuniaria. 2. si suspectus, vel diffamatus de crimine isto, nondum autem convictus sit, eidem indicenda est Purgatio Canonica, in qua si defecerit, ab Officio est suspendendus *c. significâsti 5. fin. h. tit.* Farin. *prax. crim. q. 141. n. 33.* Valens. *hic §. 1. n. 5.* Honor. *n. 17.* Pirhing *n. 20.* Schambog. *n. 10.* Wiestner *n. 41.* Reiffenstuel *n. 14.* 3. Eundem cum uxore, matre, filia, aut sorore in adulterio, vel stupro deprehensum, in continenti percutiens Excommunicationem Canonis non incurrit *c. si verò 3. de Sent. Excomm.* quia talis percussio, licèt peccaminosa sit, justi tamen doloris vehementiâ impellente potiùs, quàm suadente Diabolo facta præsumitur. Navar. *Man. c. 27. n. 84.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 7. n. 12.* Barbos. *in c. si verò cit. n. 6.* Wiestner *n. 41. cit.*

72 *Jure Imperiali* in Adulteros olim quidem per Legem Juliam statuta duntaxat fuit pœna deportationis, vel exilii *l. si quis 5. ff. de quæstion.* postea tamen in eosdem pœnam gladij sanxit Constantinus Imp. *l. quamvis 30. C. ad Leg. Jul. de Adult.* secutus in hoc Legem Divinam Veteris Testamenti per quam pœna Adulterii fuit mors. *Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22.* & *Dan. 13. v. 41.* & quidem lapidatio, ut constat ex *Joan. 8. v. 5.* Quam gladij pœnam deinde Justinianus Imp. in fœminis adulteris propter sexûs fragilitatem mitigavit, ut circa illas cessante, pœna mortis, verberatæ in Monasterium detrudantur, eásque marito intra biennium recipere liceat, biennio verò transacto, si maritus non recepit, toto vitæ tempore in Monasterio ad agendam pœnitentiam manere debeant, prout habetur *Auth. sed hodie C. ad Leg. cit.* Atque ad has Leges sese remisisse videtur Carolus V. *in Const. crim. art. 120.* dum ibi statuit, ut Adulteri secundùm Antecessorum suorum edicta, & Leges Imperiales puniantur. Stryck. *Us. Mod. Pandect. ad Leg. Jul. de adult. §. 2. fin.*

73 Hodiernis moribus pœna capitalis etiam pro duplici adulterio in plerisque Provinciis ab usu recessit, & loco ejus subrogata est relegatio, sive exilium, statio ante fores Ecclesiæ cum accensa face tribus diebus Dominicis, aut alia pœna arbitraria, etiam pecuniaria. Clar. §. *adulterium n. 8. fin.* Menoch. *de arbitr. cas. 419. n. 62. & seqq.* Farin. *prax. crim. q. 141. n. 74.* Harppr. *in §. item Lex Julia 4. n. 78. Inst. de Publ. Judic.* Vallens. *hic §. 1. n. 2.* Engl *n. 6. v. verùm*, Pirhing *n. 18.* Wiestn. *n. 42.* Hinc varia est pœna hæc pro varietate Provinciarum, Stryck. *§. 2. cit.* Jure nostro Bavarico Adulteri, si personæ vulgares sint, & Adulterium simplex duntaxat, per mensem incarcerantur in pane, & aqua, vel alio æquivalente levi victu, & insuper, si pinguioris fortunæ sint, 100. Libris, h. e. 113. fl. 26. kr. si tenuioris, dimidia parte plectuntur, applicanda pijs causis, & manifestatori. Qui verò solvendo non erit, finito carcere, per dies tres Dominicos continuos cum candela (non tamen denudatis brachiis, & sine virgis) ante templi fores illi standum erit. Si verò adulterium duplex sit, inter easdem viliores personas commissum, nulla pœna pecuniaria recipienda erit, sed prima vice deprehensi, post duram incarcerationem, tribus diebus Dominicis continuis ante templi fores cum candela ardente, & denudatis brachijs, cum virga in manibus ferro inclusis collocandi sunt. Si secunda vice deprehendantur, relegantur extra Bavariam in perpetuum. Si verò tertia, Judici in criminalibus traduntur, pro diversitate circumstantiarum puniendi, ut videre est Landts-und Policey-Ordnung *Libr. 5. Tit. 9. art. 1. & seqq.* ubi etiam, quomodo Pœnæ adulterij secundùm diversitatem conditionis, & statûs delinquentium mutandæ sint. In cæteris Provincijs peculiaria locorum Statuta, & consuetudines observandæ sunt. Si arbitraria sit alicubi hujus delicti pœna, curandum Judicibus, ne in puniendis adulteriis nimis remissi sint; aliàs, ut monent DD. gravis peccati se reos facient, cùm multoties ex tali facilitate maxima scandala, imò & cædes proveniant. Clar. §. *adulterium n. 7.* Farin. *q. 141. n. 66.* Engl *n. 6. verùm*, Reiffenstuel *n. 17.*

74 Graviùs verò puniendum est illud adulterium, quod sub specie Matrimonii committitur, & Polygamia dicitur, quando scilicet adhuc priore Matrimonio stante, & vivente conjuge, scienter simul, & voluntariè cum alia persona nuptiæ contrahuntur; cui sceleri, quia gravissimam Sacramento Matrimonii infert irreverentiam, pœnam capitalem videtur statuisse Carolus V. *in Const. crim. art. 121.* Sed hæc Constitutio ita interpretanda est, ut ad pœnam capitalem non sufficiat solummodo secundum Matrimonium contractum esse, sed requiritur, ut accesserit carnalis copula; habet enim ibidem Imperator tales Polygamos pro adulteris. Adulterium autem sine copula non committitur. Item quia Imperator tantùm statuit pœnam viro, vel fœminæ jam alio Matrimonio ligatis, ideò hæc pœna non erit extendenda ad personam solutam, licèt cum Polygamo Matrimonium ineat scienter, maximè si fuerit fœmina, in qua nec pœna ordinaria adulteri de Jure Civili locum habet, utpote quod eo Jure non in solutam, sed conjugatam tantùm committitur, ut dictum est *n. 66.* Engl *hic n. 7.*

75 Quæritur 5. quænam sint causæ excusantes à pœnis adulteri? R. plures sunt

sunt causæ, ob quas cessant pœnæ adulterii privatæ, sive Civiles, vel etiam publicæ, & criminales, ut videre est apud Gloss. *in c. 6. V. mutua compensatione h. tit.* Host. *ibid.* Farin. *prax. crim. q. 141. n. 95. & seqq.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. à n. 708.* Zœs. *hic à n. 9.* Pirhing *n. 34.* König *n. 10.* Reiffenstuel *n. 23. & 24.* & alios passim. Et 1. quidem pœna adulterii Civilis cessat, si etiam alter conjux commiserit adulterium; nam tunc neuter conjux agere ad Divortium, & Dotis, vel Donationis propter nuptias restitutionem potest, quòd eo casu compensetur crimen pro crimine, prout patet ex *c. intelleximus 6. & c. fin. h. tit. l. viro 36.* junct. Gloss. *ff. solut. Matr.* & dictum est *Libr. 4. Tit. 19. n. 107. & Tit. 20. n. 115.* Aliter se res habet quoad pœnas criminales; nam his adhuc locus est, etiamsi uterque conjux adulterii reus sit. Abb. *in c. 6. cit. n. 5.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 6. n. 5.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 8. n. 36.* Vivian. *in c. 6. cit. circ. med.* Barbos. *ibid. n. 5.* Wagnereck *not. 2.* Gonzal. *in c. fin. n. 1.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 707.* Ratio est, quia pœnæ criminales spectant satisfactionem Reip. quæ per secundum adulterium graviùs læditur, ut adeò neutrum manere impunitum debeat. Quare, non obstante exceptione similis adulterii à viro commissi per uxorem opposita, poterit adhuc vir accusare uxorem adulteram Proceditque hoc etiam in foro conscientiæ; quia idem servandum est in utroque foro, quando forum externum non nititur falsa præsumptione, Sanch. *l. cit. n. 48.* Pirhing *hic n. 33. fin.*

2. Si uxor violenter sit oppressa *l. si* 76 *uxor 13. §. siquis plane 7. & vim passam 39. pr. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* quia tunc cessat culpa, igitur etiam pœna cessare debet. Aliud est, si uxor non per vim absolutam, quæ omne voluntarium tollit, sed per gravem metum sit carnaliter cognita; nam tunc, quia coacta voluntas non excusat in maleficiis, hujusmodi metum passa uxor pœnam meretur, sed mitiorem, non verò ordinariam sed civilem, vel criminalem: & hinc nec dote, nec consortio mariti privari potest; quia metus excusat à dolo. *adulterium* autem (in ordine ad pœnam ordinariam) *fine dolo malo non committitur*, prout dicitur *l. si ex lege 43. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Sylv. *V. Adulterium n. 10.* Minùs excusatur à pœna adulterii conjux, quæ adulterium commisit propter necessitatem extremam famis, vel paupertatem; nam adhuc punienda est tanquam adultera, tam civiliter, quàm criminaliter quamvis fortasse hoc secundo modo aliquantùm mitius. Farin. *q. 142. n. 15.* Zœs. *hic n. 13.* Pirhing *n. 35.* Ratio est, quia Adulterium intrinsecè, & ita malum est, ut nulla voluntate, vel consensu humano, nec aliâ circumstantiâ, extrinsecùs accedente, purgari, vel tolli possit; debet enim quis potiùs omnia mala pati, & mori, quàm in adulterium, vel fornicationem consentire.

3. Excusat à pœna adulterii igno- 77
rantia saltem inculpabilis, qualem habet mulier, quæ ab alieno viro decepta, putans hunc esse suum maritum, ab eo carnaliter cognoscitur; item credens maritum suum esse mortuum, cum alio nuptias contrahit: quod etiam dicendum de Virgine, quæ nubit alieno viro, nesciens hunc esse jam uxoratum; neque enim in his casibus adulteræ dici poterunt, quamdiu inculpabiliter laborant hujusmodi ignorantiâ: illâ tamen sublatâ, adulteræ esse incipient, si hujusmodi perrexerint adhærere, & continuare flagitium *can. si virgo 5. caus. 34. q. 1.* Wesenbec. *ff. h. tit. n. 14.* Gonzal *in c. 3. h. tit. n. 9.* Zœs. *hic n. 9.* Pirhing *n. 9.* König *n. 10.* Reiffenstuel *n. 23.* Quin ab adulterii pœnis Azor *p. 3. l. 3. c. 8. not. 8.* Farin. *q. 141. n. 97.* Pirhing, König *l. citt.* excusatum volunt etiam illum, qui ignorat mulierem, quam cognoscit, esse nuptam viro; quia, ut ex *l. si ex lege 43. ff. h. tit.* dictum est *n. præc.* Adulterium sine dolo malo non committitur. Ignorantia autem excusat à dolo. Alii tamen cum *Diaz*, *Deciano*, & aliis hoc casu exceptionem nullam agnoscunt; quòd talis à principio dederit operam rei illicitæ.

4. Accusari Adulterii nequit in fo- 78
ro externo, nec pro adultero haberi, qui adulterium animo meditatus, solutam polluit, quam conjugatam; putavit utut enim cogitatione ita adulterium committatur, revera tamen non committitur, quòd in delictis forum externum veritatem, non verò opinionem spectet: nec quis propter opinionem, vel cogitationem, sed propter factum, & delictum ipsum punitur. König *hic n. 11.* Reiffenst. *ibid. n. 24.* Contrarium tamen cum Diaz *pract. crim. can. c. 85. V. Adulteri n. 5. ¶. quando autem Clericus*, defendit Farin. *q. 141. n. 102.* ubi putat hoc casu intrare pœnam adulterii, ex ratione ad finem *n. præc.* datâ.

5. A pœna ordinaria Adulterii exi- 79
mitur ille, qui ex parte sua conatus est thorum alienum conspurcare, atque ad actum propinquum defacto pervenit, si reipsa commixtio secuta non fuit, ob duplicem rationem, unam generalem; quia consuetudine, per totum Mundum approbata, teste Clar. *§. fin. q. 92. n. 1.* conatus, quamvis actui proximus, regulariter non punitur: alteram specialem; quia hoc casu cessat confusio sanguinis, & incertitudo prolis, quæ causæ pœnæ ordinariæ statuendæ locum dedisse videntur. Quare hu-

jusmodi conatus compesci fustigatione, carcere, vel aliâ pœnâ arbitrariâ poterit. Farin. *q. cit. n. 103.* Carpzov. *pract. crim. p. 2. q. 16. n. 2.* König *hic n. 11. fin.* Reiffenst. *n. 24.*

80 6. Cessat accusatio adulterii, si tempus ipsi præfixum sit elapsum. Zœs. *hic n. 9.* Pirhing *n. 34.* Haun. *l. cit. n. 710.* Porro Maritus jure speciali mariti accusare potest uxorem adulterii intra 60. dies utiles, computandos à tempore soluti Matrimonii per divortium *l. non solùm 3.* & *ibi* Gloss. *V. ex dissolutione*, & *l. Jure 6. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Zœs. *hic n. 3.* Pirhing *ibid. n. 8.* Idem tempus 60. dierum concessum est Patri adulteræ, quod tamen ipsi non currit, dum maritus accusat: si verò uterque tam maritus, quàm pater differat accusare, utrique hoc tempus currit *l. si maritus 4. pr. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Gonzal. Zœs. Pirh. l. cit.* Post dies 60. elapsos admittuntur ad accusandum etiam extranei (& inter hos quoque maritus, & pater, si privilegium 60. dierum neglexerint, sed jure extranei) intra quatuor menses utiles *l. si maritus cit. §. extraneis 1.* & *l. miles 11. §. Sexaginta 6. ff. eod.* Porro accusatio hujus criminis, uti & reliquorum Legis Juliæ, puta stupri, lenocinii &c. illud speciale habet, quòd quantumvis reliqua crimina regulariter tantùm spatio 20. annorum extinguantur *l. querela 12. C. ad Leg. Corn. de falsi.* Adulterium tamen, & similia præscribantur quinquennio, ita, ut eo lapso, nullum ampliùs accusandi jus sit: numeratúrque quinquennium istud à tempore commissi criminis, & est continuum *l. adulter 5. C. ad Leg. Jul. de Adult.*

Porro quibus aliis modis præter mutuam compensationem cesset pœna Civilis Divortii, & amittendæ Dotis, vel Donationis, propter nuptias, dictum est *Libr. 4. Tit. 19 à n. 103.* & *Tit. 20. n. 114. cum duob. seqq.*

81 Quæritur 6. an conjux innocens adulterium conjugis accusare, aut agere ex causa adulterii adversùs eundem possit? *Certum est 1.* utrumque conjugem adversùs nocentem posse civiliter ad Divortium, & lucrum Dotis, vel propter nuptias Donationis. Ita omnes. Neque hìc distinguendum est, an maritus accesserit ad solutam, vel aliam conjugatam. Farin. *prax. crim. q. 141. n. 104.* *Certum est 2.* actionem injuriarum ex adulterio non solùm marito innocenti contra uxorem adulteram, sed etiam uxori innocenti contra maritum nocentem competere; quia ex viri adulterio injuriam & ipsa patitur. Bald. *in l. 1. C. ad Leg. Jul. de Adult. n. 3.* Brunnem. *ibid. n. 2.* Farin. *l. cit. n. 106.* Pirhing *hic n. 6. ℣. ex quo infertur*, Wiestn. *ibid. n. 48.* *Certum est 3.* à marito innocente ad pœnam adulterij Legalem accusari uxorem posse *l. ex lege 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Imò huic ante omnes alios, ipsum etiam Patrem, & cognatos uxoris adulteræ accusatio competit *l. cit. §. si simul 8.* quòd justus dolor eum præ aliis impellat.

An verò etiam uxor ad pœnam 82
Legalem de adulterio accusare Maritum possit, dubium moveri potest: quod tamen distinctione dissolvitur inter Jus Civile, & Canonicum. Nam *jure Civili* uxor accusare maritum suum adulterum non permittitur *l. publico 1. C. ad Leg. Jul. de Adult.* & *ibi* Gloss. *V. violato*, Host. *Summ. hic n. 1.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 6. n. 5.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 8. n 33.* Farin. *q. 141. cit. n. 104.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 106.* Pirhing *hic n. 6.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 28.* tum quòd marito, tanquam capiti suo, majorem reverentiam debeat uxor; tum verò, quòd adulterium in uxore ob sobolis incertitudinem, quam inducit, & falsi partûs suppositionem multò graviùs jure reputetur, quàm in marito. Tiraquell. *connub. l. 1. Gloss. 1. p. 1. n. 44.* Imò si uxorem maritus criminaliter accuset de Adulterio, ipsa eidem similis criminis exceptionem nequit opponere, quòd adulterium ipsius adulterio mariti par esse non videatur, ob rationes allatas, quibus accedit, quòd injuria, quàm ipsa adulterando infert marito suo, sit longè gravior, quàm ea, quam ipsi infert maritus; ipsa enim adulterando inquinat thorum mariti sui, iste autem, sive accedat, ad solutam, sive ad conjugatam aliam, non inquinat suum ipsius thorum, adeóque nec uxoris suæ, sed thorum viri illius, cum cujus uxore rem habet. Sot. *in 4. dist. 37. q. un. art. 3.* Covar. *n. 5. cit.* Sanch. *n. 34.* Pirhing *n. 6. ℣. ex quo infertur.*

At Jure Canonum ad mariti adulter. 83
accusationem etiam uxor admittitur *can. fin. caus. 32. q. 5.* Durand. *Specul. de Adult. n. 5.* Farin. *q. 141. n. 105.* Pirhing *hic n. 7.* Reiffenstuel *ibid. n. 29.* quia hoc Jure adulterium æquè in utroque conjuge damnatum est *can. fin. cit.* & *can. siquis uxorem 4. caus. cit. q. 1.* ubi Gloss. *V. ad imparia* ait, eos in adulterio deprehensos *ad imparia non judicari quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem.* Quam SS. Canonum constitutionem imitatus est Carolus V. *Const. crim. art. 120.* ubi uxori accusationem mariti adulteri disertè permittit. Wesenbec. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. n. 12.* Brunnem. *in l. 1. cit. n. 4.* Pirhing *n. 7. cit. fin.* Wiestner *n. 51.* Reiffenstuel *n. 29.*

Quæritur 7. quis ordo observandus 84
inter eos, qui Adulterium accusare possunt, & volunt? ℣. Ante omnes alios, etiam patrem adulteræ, ut *n. 82.* dictum est, admitti-

mittitur ad accusandum adulterium uxoris suæ maritus : idque procedit, etiamsi pater prævenerit in accusando adulteram, modò maritus non fuerit negligens in accusatione instituenda, ut *l. ex lege 2. §. si simul 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* additur ; vel *nisi pater maritum infamem arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quàm ex animo accusare ;* tunc enim pater præferetur marito ; aliàs *postponetur*, ut habet textus *l. nisi 3.* & notat *ibidem* Gloss. *V. infamem*, Vivian. *in c. 4. v. & in accusando h. tit.* Barbos. *ibid. n. 1.* Gonzal. *n. 3.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 105.* Zœs. *hic n. 3.* Pirhing *n. 4.* Reiffenstuel *n. 25.*

85 Post maritum cessantem, aut nolentem agere admittitur ad accusandum adulterium Pater mulieris *l. ex lege cit. §. si simul 8.* & *l. seq. ff. eod.* Post patrem verò reliqui cognati, scilicet frater, patruus, avunculus adulteræ, & alii, quos verus dolor ad accusandum impellit *l. quamvis 30. C. eod.* Cessantibus propinquis admittuntur denique extranei *l. si maritus 4. §. extraneis 1. ff. eod.* quia adulterium inter Delicta publica connumeratur *l. non omnia 1. ff. de Publ. Judic.* & *§. item Lex Julia 4. Inst. eod.* de delicto autem publico quilibet de populo ad accusandum admittitur, modò mas sit, & major 25. annis *l. palàm 43. §. senatus 10. ff. de rit. nupt.* Wesenbec. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. n. 10.* Harppr. *§. item Lex Julia cit. n. 38.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 3. & 4.* Zœs. *hic n. 3.* Pirhing *n. 5.* Reiffenstuel *n. 26. & 27.*

86 Minor 25. annis adulterii accusare non potest ; quia non videtur idoneus accusator, qui nondum est robustæ ætatis : suum tamen Matrimonium si velit vindicare, admitti debet *l. si maritus 15. §. lex Julia 6. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* cum authoritate tamen Curatoris *l. clarum 4. C. de author. præstand.* Gloss. *in l. & §. cit. V. audietur*, Gonzal. *l. cit. n. 4.* Pirhing *n. 5. prop. fin.* Non obstat autem volenti vindicare proprium Matrimonium, quòd sit adhuc filiusfam. nam etiam iste accusare uxorem potest de adulterio, perinde acsi sui juris esset, etiam invito patre *l. inter 6. §. filiusfamilias 2. ff. ad Leg. de Adult.* Pirh. *n. 5. fin.*

87 Quæritur 8. quinam adulterii accusari possint ? R. accusari possunt tam adulter, quàm adultera, modò per dolum adulterium sit commissum, i. e. modò sciverit eam, cum qua scortatus est, alterius uxorem esse ; nam, ut ex *l. ex lege 43. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* dictum est *n. 77.* adulterium sine dolo malo non committitur. Host. *Summ hic n. 4.* Pirhing *n. 9.* König *n. 10.*

88 *Proceditque hoc* 1. etiamsi talis mulier sit publica meretrix ; nam si conjugata sit, accusari, & puniri potest, tanquam rea adulterij *l. si uxor 13. §. sed & in ea 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi ad litteram dicitur, *sed & in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit.* Gloss. *ibid. V. vulgaris.* Azor *p. 3. l. 3. c. 8. not. 8.* Farin. *q. 141. n. 84.* Pirhing *n. 9. cit. Extens.* 1. ne, quæ publica adultera est, minùs puniatur, quàm mulier, quæ occultè solùm adulteratur. *Neque obstat*, quòd *l. si ea 22. C. h. tit.* dicatur, cum meretrice adultera crimen cessare ; nam ibi adulterium accipitur pro Stupro, juxta Gloss. *ibid. V. adulterij.* Conjugatus tamen, accedens ad talem adulteram conjugatam, non potest accusari, ac puniri, tanquam reus adulterij ; quia non videtur violâsse thorum alienum, ubi nullus est thori pudor, & respectus, sed promiscua, & vulgaris, marito connivente, turpitudo. Farin. *l. cit. n. 85.* ubi ait, hodie ita servari in praxi. Quamvis Clar. *§. adulterium n. 3.* dicat, quòd etiam quoad mulierem meretricem cesset pœna, adeóque etiam accusatio criminalis adulterij.

89 *Procedit* 2. ut accusari possit non tantùm, qui mœchantur, sed etiam qui quavis ratione quæstum ex adulterio faciunt : quales sunt, qui lenocinium exercent, sive prostituunt uxores suas *l. mariti 29. §. qui quæstum 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* qui domum scientes præbent, ut adulterium in ea fiat *l. qui domum 8. ff. eod.* item qui prohibitas, & illicitas nuptias contrahunt, ut qui pupillam suam uxorem duxit *l. qui pupillam 7. ff. eod.* Host. *Summ. hic n. 4.* Pirhing *l. cit. extens. 2.*

90 Est Lenocinium delictum publicum, & committitur prostituendo virgines, uxores, liberos, vel alias fœminas, aut earum prostitutionem permittendo. Pœna ejus, si liberi à parentibus, aut uxores à maritis prostituantur, probabiliter est pœna gladii *arg. l. ex lege 2. §. lenocij 2. ff. ad Leg. Jul. cit.* Si personæ aliæ, est arbitraria pro qualitate, & circumstantiis delicti modò major, modò minor, veluti præcisio aurium, fustigatio, pœna exilii &c. *Constit. crim. Carol. V. art. 123.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 369. & seqq.* ubi plura de Lenocinio videri possunt.

91 Quæritur 9. quænam probatio requiratur & sufficiat, ut quis condemnari, tanquam reus adulterij, possit ? *Ratio dubitandi* est, quia ut criminaliter condemnari aliquis possit, aliàs requiritur, ut is crimen in Judicio confessus, vel de eo per probationes legitimas, & luce meridiana clariores convictus sit. Atqui de adulterio, cùm plerumque in locis secretis,

tis, & arbitris, qui de eo teſtificari poſſent, remotis, perpetretur, talis probatio haberi non poteſt, niſi caſu, quo conſtat maritum ultra annum fuiſſe abſentem, vel impotentem ad coitum. ergo his duobus caſibus demptis, nulla videtur eſſe probatio ſufficiens.

92 Sed dicendum, ad probationem adulterij ſufficere, ſi in ejus probationem afferantur violentæ, & vehementiſſimè urgentes præſumptiones, ſeu tales, quæ ex indiciis, ſive actibus, & circumſtantiis delicto proximis, & cum eo ordinariè conjunctis ſunt ortæ. Sumitur ex *c. maritis 4. h. tit.* ibi, *Maritis etiam ex ſuſpicione uxores accuſare permiſſum eſt*, intelligе, non qualicunque, ſed hactenus deſcripta. *Ratio eſt*, quia habita tali præſumptione, jam habetur certitudo moralis perpetrati criminis, & qualis, ſpectata ejus qualitate, moraliter haberi poteſt; conſ. nullum morale periculum eſt, ne innocens condemnetur: quod tamen foret, ſi præſumptio minor ſufficeret. Sylv. *V. Adulterium n. 9.* Borojus *in Rubr. de Judic. n. 20. fin.* Menoch. *l. 1. de præſumpt. q. 58. n. 3.* Maſcard. *de Probat. concl. 57. n. 6.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 12. n. 40. & 41.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 117.* Pirhing *hic n. 13.* Wieſtner *n. 52.* Reiffenſtuel *n. 30.*

93 In ſpecie præſumptiones hujusmodi ſunt. 1. ſi *ſolus cum ſola, nudus cum nuda, in eodem lecto jacere* viſus ſit, *multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis*, ut habetur *c. litteris 12. de Præſumpt.* Abb. *ibid. n. 3.* Navar. *ad Rubr. de Judic. n. 10.* Menoch. *l. 5. præſumpt. 41. n. 11. & ſeqq.* Sanch. *D. 12. cit. n. 45.* Pirhing *n. 13.* Wieſtner *n. 53.* Reiffenſtuel *n. 32.* 2. ſi accuſati de adulterio, ut crimini derogarent fidem, obtenderunt conſanguinitatem, & nihilominus, conjuge mortuo, inierunt inter ſe Matrimonium *l. ſiqui 34. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Durand. *Specul. tit. de Præſumpt. §. 2. n. 4.* Menoch. *l. cit. n. 7.* Pirhing *n. 13.* Wieſtner *n. 53.* Reiffenſtuel *n. 33.* 3. ſi is, qui de crimine adulterii ſuſpectus eſt, propterea à marito ter in ſcriptis, & teſtibus præſentibus monitus eſt, ut à colloquio, & converſatione cum uxore ſua abſtineat, & nihilominus, hac denuntiatione inſuper habita, in loco ſuſpecto, & ad adulterium idoneo cum ea converſari non deſinit *Auth. ſiquis ei C. ad Leg. Jul. cit.* Durand. *n. 4.* Menoch. *n. 9.* cum reliquis *ſuprà.* Operantúrque præſumptiones iſtæ non tantùm, ut ijs habitis, & legitimè probatis, procedi poſſit ad Divortium, & amiſſionem Dotis, ſed etiam ut infligi poſſit pœna criminalis adulterii, ordinaria quidem in duobus poſterioribus caſibus, extraordinaria ſaltem in primo, ut bene advertit Menoch. *l cit. n. 8. 10. & 15.*

Præter has præſumptiones afferuntur adhuc aliæ quædam. 1. ſi mulier a 94
marito proprio diſcedat, & viro de incontinentia ſuſpecto, aut diffamato adhæreat, eíque cohabitet. Barboſ. *in c. 6. h. tit. n. 6.* 2. ſi ea, invito, aut inſcio marito, clàm accedat, & pernoctet in domo viri ſuſpecti. Menoch. *l. cit. n. 23.* Pirh. *n. 14.* Reiffenſtuel *n. 36.* 3. ſi abſente, aut ignorante marito, ab ejusmodi viris, aut juvenibus clàm, & noctu frequentetur. *Barboſ. Pirh. Reiffenſt. l. citt.* cum Menoch. *l. cit. n. 21.* 4. ſi inhoneſtam cum alio conſuetudinem jactet, aut litteræ amatoriæ, ejusmodi conſuetudinem confitentes, fuerint repertæ. Menoch. *n. 29.* cum *citt. 5.* ſi vir, & mulier inveniantur ſoli in loco abdito ſe mutuò oſculantes, & amplexantes. Abb. *in c. præterea 27. n. 2. de Teſtib.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 12. n. 46. & 47.* Pirhing *n. 13.* 6. ſi xenia, & munera ſibi invicem miſerint. Sanch. *n. 48.* Pirh. *n. 13. cit. fin.* Sed licèt ex his, & ſimilibus actibus magna adulterii fiat præſumptio, niſi tamen alia concurrant adminicula, crimen hoc ad pœnam ordinariam infligendam non ſatis probant. Unde relinquendum erit prudentis Judicis arbitrio examinare, quam vim probandi in caſibus particularibus quævis ex dictis præſumptionibus habeat. Weſenbec. *ad ff. ad Leg. Jul. cit. n. 17.* Brunnem. *ad Auth. cit. n. 3.* & alii ab his relati putant, conſultò ferè facturum Judicem, ſi reo, crimen in Judicio non confeſſo Ordinariam pœnam non irroget.

Quæritur 10. quis ſit Judex compe- 95
tens reſpectu criminis Adulterij? Re. hic videndum, an de eo crimine agatur criminaliter, an civiliter tantùm. *Si primum*, diſtinguendum eſt inter pœnam Legalem, ſeu Capitalem, quæ per *l. quamvis 30. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* conſtituta eſt, & inter alias, quæ iisdem infligi poſſunt, & ſolent. *Pœnam capitalem* Adulteris infligendam ſolus Judex Sæcularis poteſt decernere; quia Eccleſiaſticus cauſas ſanguinis tractare non poteſt. Vall. *hic §. 1. n. 5. fin.* Schambog. *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 41.* Cæteras infligere poteſt etiam Judex Eccleſiaſticus prout liquet ex *c. perniciosam 1. de Offic. Ordin.* cùm enim adulterium injuriam inferat Sacramento, Sacrilegium quoddam eſt, & nominatur *l. quamvis cit.* ac proinde erit crimen mixti fori, & inter Judicem Eccleſiaſticum, ac Sæcularem locus prævention dabitur. Abb. *in c. tuæ 5. de Procurat. n. 6.* Clar. *§. fin. q. 37. n. 3.* Barboſ. *in l. ſoluto 2. ff. ſolut. matr. p. 1. pr. n. 139.* Haunold. *tom. 5. tr. 1. n. 340.* Pirhing *hic n. 10.*

Scham-

Schambog. *n. 3.* Wieſtner *n. 57.* Reiffenſtuel *n. 42.*

96 *Si ſecundum*, diſtinguendum iterum eſt, an agatur ad Divortium, & ſeparationem conjugum quoad thorum, & cohabitationem, an verò de cauſa Dotis, & Donationis propter nuptias. *Si prius* Judex competens eſt ſolus Eccleſiaſticus *c. adhæc 1. ut lit. non conteſt. c. tuæ 5. ℣. ſi verò de Procurat. c. porro 3.* & *c. ſeq. de Divort.* Clar. §. *fin. q. 37. n. 3.* Covar. *p. 2. de Sponſal. c. 7. §. 6. n. 8.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 8. n. 15.* Haun. *l. cit. n. 341.* Vallenſ. *hic* §. *1. n. 3.* Pirhing *n. 10.* Schambog. *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 39.* Ratio eſt, quia tunc agitur de ſublata obligatione conjugum quoad thorum, & cohabitationem, quæ cùm oriatur ex Matrimonio, quod inter fideles Sacramentum eſt, Spiritualis eſt. *Si poſterius*, videndum, an de cauſa Dotis, aut Donationis propter nuptias agatur principaliter, an incidenter ſolùm, quòd ſcilicet cauſa illius incidat in cauſam divortii. *Si principaliter* de ea agatur, cognitio illius propria erit fori Sæcularis. *Si incidenter*, pertinebit & ipſa ad Judicem Eccleſiaſticum, ex generali principio, quòd Judex, qui competens eſt reſpectu cauſæ principalis, etiam cognoſcere poſſit de incidente, modò is Jurisdictionis, quam causâ incidens expoſcit, non ſit incapax. Videantur dicta *Libr. 2. Tit. 10. n. 8. & ſeqq.*

97 Quæritur 11. an vir, qui contra uxorem, aut uxor, quæ contra virum inſtituit actionem criminalem Adulterii ad publicam ejus punitionem, hoc Judicio finito, agere de adulterio poſſit civiliter ad divortium inſtituendum, ſeu ad thori ſeparationem, & amiſſionem Dotis, vel Donationis propter nuptias; aut vice verſa, finito Judicio Civili, vir uxorem, & hæc virum adulterij criminaliter accuſare? ℣. negativè. Ita Abb. *in c. tuæ 5. de procurat. n. 5.* Sot. *in 4. diſt. 37. q. un. art. 3. ad fin. Corp.* Barboſ. *ad l. 2. p. 1. pr. n. 138. & ſeq. ff. ſolut. Matr.* Sanch. *l. 10. de Matr. c. 8. n. 19.* Pirhing *hic n. 11.* & probatur ex *l. quod s C.tum ff. de Injur.* ubi in fine dicitur, *Planè ſi actum eſt publico Judicio, denegandum eſt privatum; ſimiliter ex diverſo*, quando ſcilicet utrumque ad vindictam tendit juxta Gloſſ. *fin. ibid.* atqui utraque hæc actio, ex adulterio competens, tam criminalis, quàm civilis, tendit ad punitionem Adulterii, licèt prior ad vindictam publicam, poſterior ad privatam; nam quamvis Divortium propriè non ſit pœna, ſed proſecutio juris, quod conjux innocens acquiſivit ob alterius conjugis adulterium, tamen quoad hanc actionem ſeparatio quoad thorum, & cohabitationem cenſetur, & appellatur pœna, quia ea petitio non pertinet ad compenſandum rei familiaris damnum, ſed potiùs inſtituitur in pœnam ingratitudinis, & fidei conjugalis violatæ: & ideo *c. tuæ cit. fin.* actio tendens ad Divortium vocatur *Mixta inter Civilem, & Criminalem*: criminalis enim quodammodo eſt, quatenus tendit ad Divortium inſtituendum; Civilis autem, quatenus tendit ad Dotis amiſſionem, quæ tamen etiam pœna quædam eſt, licèt applicanda actori. Sanch. *n. 19. cit. fin.* Pirhing *n. 11.*

98 Aliud verò eſt dicendum, ſi inſtituatur Actio Civilis, directè tendens ad intereſſe, ſeu jacturam rei familiaris compenſandam; ea enim non præjudicat criminali: & hinc finito uno Judicio, alterum inſtitui poteſt. Et in hoc ſenſu intelligenda eſt *l. un. C. quand. Civil. act. &c.* ubi deciditur actionem Civilem non præjudicare criminali; nam Civilem Actionem ibi Impp. appellant eam, quæ eſt *de re familiari*, & pœnam principaliter non intendit. Porro hoc caſu etiam non refert, quænam actio priùs intentetur, prout expreſsè habetur *l. un. cit.* & hinc ſiquis alicui ſurripuit rem ſuam, poteſt dominus ejus contra furem agere vel civiliter ad compenſationem damni illati, vel poſt illam obtentam criminaliter ad publicam vindictam, nec una actio per alteram tollitur. Pirhing *n. 11. cit.* Non poteſt tamen utraque ſimul intentari in eodem Judicio, ut notat Gloſſ. *in l. un. cit. V. utraque*; quia cùm actio criminalis ſit dignior, & major, quàm Civilis, non poſſunt ſimul æquè principaliter cumulari: *æquè principaliter*, inquam; quia nihil impedit, quo minùs actor, quando principaliter inſtituit actionem criminalem, acceſſoriè poſſit petere compenſationem damni in re familiari. Sanch. *l. cit. n. 19. pr.*

§. IV.

De Crimine Incestûs, Sacrilegij Carnalis, & Peccato contra Naturam.

SUMMARIUM.

99. *Definitio Incestûs?*
100. *Casus, in quibus non committitur.*
101. *Est gravius crimen Adulterio.*
102. &c. *Pœna in foro Sæculari.*
105. &c. *Pœna in foro Canonico.*
107. *Definitio, & Divisio Sacrilegij.*
108. &c. *Pœna Sacrilegij carnalis.*
111. *Quale peccatum sit, & quâ pœnâ afficiendus Christianus peccans cum Infideli?*
112. *Sodomiæ definitio, & divisio.*
113. &c. *Pœna Sodomiæ perfectæ in foro Sæculari.*
115. &c. *Pœna ejusdem in Jure Canonico.*
117. *Pœna Sodomiæ imperfectæ.*
118. *Bestialitatis.*
119. *Mollitiei.*

99 QUæritur 1. quid sit *Incestus*? R. est coitus, sive concubitus inter personas consanguineas, vel affines, Jure prohibitas contrahere Matrimonium *can. Lex illa 2. §. cum ergo ℣. incestus caus. 36. q. 1.* Tholos. *Syntagm. l. 36. c. 7. n. 1.* Bajard. *ad Clar. §. incestus n. 1.* Azor *p. 3. l. 3. c. 9. not. 2.* Farin. *prax. crim. q. 149. n. 4. & 5.* Illsung *Theol. pract. tr. 4. D. 1. n. 59.* Vallens. *hic §. 3. n. 1.* Engl *n. 29.* Pirh. *n. 64.* König *n. 20.* Schambog. *n. 21.* Wiestner *n. 58.* Reiffenstuel *n. 65.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 46.* Dixi *inter consanguineos, & affines Jure prohibitos*, intellige, propriè dictos, & quarto, vel proximiori gradu conjunctos post *Concil. Later.* relatum *c. non debet 8. ℣. prohibitio de consang. & affinit.*

100 Et hinc crimen incestûs propriè non committit, ac proinde non hujus, sed alia mitiori pœnâ castigandus est. 1. qui carnaliter peccat, aut conjugium init cum consanguinea suæ Sponsæ, quam nondum cognovit carnaliter; quia inter ipsos nondum intercedit Affinitas, seu quasi affinitas, seu Impedimentum publicæ Honestatis. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 4.* Engl *hic n. 31.* Wiestn. *n. 59.* Reiffenstuel *n. 67.* 2. qui carnaliter delinquit cum Cognata legali per Adoptionem, vel Arrogationem; quia hæc ejus consanguinea propriè non est. Azor *p. 3. l. 3. c. 9. q. 4.* Farin. *q. 149. n. 46.* Pirhing *n. 67.* Engl *n. 31.* Schambog. *n. 23.* Wiest. *n. 60.* Reiffenstuel *n. 67.* 3. qui peccat cum cognata Spirituali ex Baptismo, vel Confirmatione, etsi gravius peccet, quàm prior. Clar. *§. Incestus n. 4.* Azor *q. 3.* Farin. *n. 50.* cum reliquis *suprà.* 4. qui carnaliter delinquit cum consanguinea collaterali, vel affine, in quinto, vel ulteriori gradu conjunctâ; quia impedimentum consanguinitatis, & affinitatis per *c. non debet cit.* ad quartum gradum restrictum est. Farin. *n. 57.* Wiestner *n. 61.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 46.* 5. qui commercium carnale habet cum duabus, inter se tertio, vel ulteriori gradu conjunctis; quia juxta Trid. *sess. 14. c. 4. de Reform.* Affinitas ex copula fornicaria se tantùm extendit ad secundum gradum. Gutier. *l. 1. qq. Can. c. 23. n. 3.* Barbos. *ad Trid. c. 4. cit. n. 12.* Engl *hic n. 30.* cum *citt.*

Dub. 1. quàm grave hoc crimen Incestûs sit? R. est gravius Adulterio *can. adulterij 11. caus. 32. q. 6. l. si adulterium 38. §. nonnunquam 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Farin. *q. 149. n. 1.* præsertim si committatur inter Ascendentes, & Descendentes; nam inter hos coitum etiam bruta animalia detestantur, & aversantur, ut Aristoteles *Hist. anim. libr. 5.* Plin. *Hist. nat. l. 8. c. 42.* Boër. *decis. 518. n. 2.* & alij ostendunt. Hinc gravissimæ pœnæ huic sceleri ab utroque Jure sunt constitutæ. 101

De Pœna, quæ infligi debeat in foro Sæculari, controversia est inter DD. quòd in *Const. Carol. V. art. 117.* observandum quoad hoc dicatur Jus Imperiale; in isto autem certa pœna, quâ incestus puniatur, expressa non sit: hinc plerique dicunt, Jure Civili Incestui etiam Simplici infligendam eandem pœnam, quæ infligitur Adulterio, ob *l. si adulterium cit. pr.* ibi, *Id enim, remoto etiam adulterio, eveniret.* 102

Dub. 2. quæ pœna hodie in foro Sæculari infligatur Incestui? R. esse distinguendum, an commissus incestus sit sub velamine conjugii, an sine illo. *Si primum*, nuptias incestuosas scienter contrahentes, si honestæ conditionis personæ sint, puniuntur privatione dignitatis, confiscatione bonorum, quæ liberis legitimis, siquos habent, aliàs fisco, sunt applicanda, & exilio; si autem personæ viles, etiam fustigatione *Auth. incestas C. de incest. & inutil. nupt.* Farin. *q. 149. à n. 122.* Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 349.* Vallens. *hic §. 3. n. 3.* Engl *n. 33.* Pirhing *n. 65.* Wiestner *n. 64.* Reiffenstuel *n. 71.* Intelligi autem hoc debet, si hujusmodi nuptiæ contractæ non sint inter personas, inter 103

quas

quas commissus incestus etiam sine velamine conjugij pœnâ mortis afficitur; nam si hoc factum fuisset, multò magis pœnam mortis mererentur, qui sub velamine conjugij hujusmodi incestum commiserunt. Addidi etiam scienter; nam qui ignoranter contraxit incestas nuptias, si bona fide, ut culpâ, ita & pœnâ caret, si ex culpabili negligentia in impedimento inquirendo, mitiùs arbitrio Judicis puniendus est: sicut etiam puniri debet, qui ab initio bona fide contraxit, sed postmodum detecta consanguinitate, vel affinitate, nihilominus perseveravit. Gloss. *in clem. un. V. scienter de Consang.* Clar. §. *incestus n. 9.* Vall. §. 3. *n. 3. ℣. qui verò.*

104 *Si secundum*, videndum, an Incestus conjunctus cum adulterio sit, an sine illo. *Si priùs*, non minùs, quàm adulterium pœnâ gladii coërcetur. Clar. §. *incestus n. 2.* Haun. *n. 346.* Wiestner *n. 63.* *Si posterius*, pœna pro varietate circumstantiarum varia est. Et quidem si inter Ascendentes, & Descendentes perpetratus sit, mortis, & gladij ferè pœnâ afficitur. Host. *in Summ. b. tit. n. 12.* Bajard. *ad Clar. §. cit. n. 3.* Farin. *q. 149. n. 61. & seqq.* Haun. *n. 347.* Wiestn. *n. 62.* Reiffenstuel *n. 70.* Eâdem pœnâ incestuosum concubitum, commissum inter fratrem, & sororem, plectendum volunt *Menochius*, & alii quidam apud Haun. *n. 348.* & docet praxis quarundam Provinciarum. In aliis Provincijs rei Incestûs, commissi in gradu primo collaterali, fustigari, seu virgis cœsi perpetuò relegantur. Berlich. *p. 4. concl. 33. n. 5. & 12.* Carpzov. *pract. crim. q. 73. à n. 11.* Stryck, *Us. mod. Pandect. tit. ad Leg. Jul. de Adult. §. 39.* Haun. *n. 348.* Reiffenstuel *n. 70.* apud quos videri potest de Pœna incestûs commissâ inter Consanguineos collaterales in secundo, & ulteriori gradu, & inter Affines.

105 Dub. 3. quæ pœnæ in incestuosos sint latæ de Jure Canonico? ℟. hoc Jure, si istius criminis reus sit Clericus, præsertim si jungatur adulterium, est deponendus, & Beneficio privandus *arg. can. siquis 10. & seqq. dist. 81.* Clar. §. *Incestus n. 2.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 3.* Farin. *q. 149. n. 34. & 35.* Vallens. §. *3. n. 4.* Engl *n. 32.* Pirhing *n. 66.* Wiestner *n. 65.* Reiffenstuel *n. 74.*

106 De Laico eodem Jure tres casus sunt distinguendi. Nam 1. in Incestu quocunque perseverans, donec satisfecerit, jubetur excommunicari *can. de his, qui 9. caus. 35. q. 2.* 2. si maritus peccaverit cum consanguinea uxoris suæ, aut hæc cum consanguineo mariti privantur jure exigendi debitum conjugale *c. siquis 1. c. transmisse 3. de eo, qui cognovit &c.* &

olim prohibebantur, conjuge mortuo, contrahere Matrimonium cum alio, vel alia *can. siquis cum matre 5. caus. & q. cit. & c. siquis cit.* quod tamen alterum per consuetudinem modò est derogatum. 3. qui incestas nuptias scienter contraxit, præterquam quòd tale Matrimonium invalidum sit, ipso facto Excommunicationem incurrit. *Clem. un. de Consang.* & à conjugio cum alia licitè ineundo impeditur *can. qui propinquam 4. q. cit.* Farin. *q. 149. n. 142.* Engl *hic n. 33.* Pirhing *n. 66.* Wiestner *n. 65.* Reiffenstuel *n. 72. & 73.*

Quæritur 2. quid, & quotuplex sit 107
Sacrilegium carnale? ℟. hoc crimen dupliciter committi potest, scilicet violatione loci DEO consecrati, quod fit effusione seminis in loco Sacro, ita, ut polluatur Ecclesia: de quo dictum est *Libr. 3. Tit. 40. n. 68. & 81.* & violatione personæ DEO dicatæ per Votum Continentiæ. Hujus species est fornicatio, sive coitus cum Moniali, per Continentiæ Votum DEO consecratæ *can. sciendum 37. caus. 27. q. 1. & l. siquis 10. C. de Episc. & Cler.* Imò, ut Abb. *in c. Monasteria 8. de Vit. & Honest. n. 9.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 20. n. 1.* Farin. *q. 146. n. 6.* notant, Monialis violatio etiam Adulterij, & Incestûs rationem habet, quod committatur in Sponsam DEI, qui Pater noster est. Quare meritò Ecclesia, ut gravissimum hoc scelus impediat, Clausuram Monialium introduxit, aliásque invenit cautelas, ut viri à Virginum, & aliarum mulierum DEO sacratarum congressu, colloquio, & aspectu removerentur.

Dub. 1. quæ sit pœna Sacrilegij 108
Carnalis? ℟. cum distinctione; nam fornicatio Religiosi professi, & Clerici, in Sacris constituti, cum soluta, licèt ratione Voti Castitatis, annexi SS. Ordinibus, verè sit Sacrilegium ut docet Azor *p. 3. l. 3. c. 4. q. 8. fin.* Pirhing *hic n. 68.* & propterea hæc circumstantia, tanquam mutans speciem, in Confessione necessariò exprimenda sit. Engl *n. 40.* Wiestner *n. 70.* Reiffenstuel *n. 76.* quòd ob Spiritualis conjugij vinculum, quo Ecclesiæ, vel Religioni suæ junguntur, adulterii quodammodo rei fiant. In foro tamen externo, seu contentioso non censetur, nec punitur ut Sacrilegium, sed ut Simplex Fornicatio tantùm. Clar. §. *Fornicatio n. 18.* Farin. *q. 146. n. 30.* Pirhing *hic n. 68.* Schambog, *n. 24.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 51.*

Gravius utroque Jure animadverti- 109
tur in Sacrilegium commissum cum Moniali. Nam Jure Civili is, qui Matrimonium cum Moniali attentavit, vel aliàs illam corrupit, plectendus est pœna capitali, seu mortis, & bona ejus Monasterio, in quo

corrupta Monialis degebat, applicantur *l. siquis 5. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 43.* Hodie pœna quidem capitalis remansit, ut tradunt Menoch. *de arbitr. cas. 389. n. 27.* Tambur. *de Jur. Abbatiss. D. 11. q. 2.* Barbos. *in c. sicut 2. de Privil. n. 3.* bona tamen sic punitorum, saltem quando Raptus, aut violentia non intervenit, non Monasterio, aut Fisco, sed delinquentis hæredibus relinqui solent juxta *Auth. bona damnatorum C. de Bon. proscript.* Farin. *q. 146. n. 1.* Reiffenstuel *n. 79.*

110 Jure Ecclesiastico Sacrilegus corruptor Monialis, si Laicus sit, excommunicatur; si Clericus, privatur Beneficio, & depositus ab Ordine ad agendam pœnitentiam detruditur in Monasterium *can. siquis Episcopus 6. can. siqua Monacharum 28. fin. caus. 27. q. 1.* Menoch. *cas. 389. cit. n. 24.* Farin. *n. 24. & 26.* Pirhing *n. 68.* Engel *n. 41.* Schambog. *n 24.* Reiffenstuel *n. 80. & 81.* ipsa verò Monialis, se violari passa, aut detrudi debet in Monasterium arctius cum rebus suis, aut mancipari perpetuo carceri *can. impudicas 11. can. Virgines 25. can. siqua Monacharum 28. can. siquis rapuerit 30. caus. 27. q. 1.* Farin. *n. 12.* Imò sunt, qui Sanctiones Imperiales, quibus pœna capitalis secundùm dicta *n. præc.* sceleri huic statuitur, putant canonizatas esse per *can. siquis rapuerit cit.* & *can. siquis non dicam 3. caus. 36. q. 2.* Sed meliùs negatur; quia uterque *can. cit.* textus in Decretum relatus est à Gratiano ex Jure Civili; cons. non aliam authoritatem, quàm ipsæ Leges Civiles, unde desumpti sunt, habet, adcóque Juris Civilis tantùm, non verò Ecclesiastici.

111 Dub. 2. quale peccatum sit, & quali pœna afficiendum sit commercium carnale viri Christiani cum fœmina Judæa, vel Pagana, aut vicissim viri Judæi, vel Pagani cum fœmina Christiana? R. crimen hoc à Simplici fornicatione non differt: quia tamen magna irreverentia, & injuria Legi, ac nomini Christiano per illud infertur, graviori, quàm aliæ Simplices Fornicationes pœnâ plectendum est, præsertim si conjugij velamen accedat; tunc enim adulterij vicem crimen hujusmodi obtinebit *l. nequis 6. C. de Judæis*: & cons. adulterij pœnâ, mitiori tamen, quàm capitali, plectendum est. Clar. §. *Fornicatio n. 26.* Menoch. *de arbitr. cas. 290. n. 9.* Farin. *prax. crim. q. 193. n. 3.* Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 580.* Pirhing *hic n. 79.* Wiestner *ibid. n. 78.*

112 Quæritur 3. quotuplicis generis sit peccatum contra naturam? R. est triplicis maximè generis, videlicet Sodomia, Mollities, & Bestialitas. *Sodomia*, à Sodomis accepto nomine *Gen. 19. v. 5.* aliquando accipitur *generice*, prout omnem libidinem contra naturam includit; aliquando *specificè*: & eatenus duplex est, Perfecta, & Imperfecta. *Perfecta* est coitus contra naturam inter duos, non servato debito sexu, sicut contingit, quando concumbit mas cum mare, fœmina cum fœmina, ut ex textu *Gen. cit.* & *can. usus 14. caus. 32. q. 7.* sumitur: propter quod vitium, igne de cœlo descendente, quinque civitates combustæ sunt. *Gen. l. cit. Imperfecta* est concubitus maris cum fœmina, non servato debito vase: committique peccatum hoc potest etiam cum propria uxore. Pirhing *hic n. 69.* Schambog. *n. 25.* Reiffenstuel *n. 88. Mollities* est, quâ homo voluntariè seipsum polluit. *Bestialitas* est coitus cum bruto; quod, quamvis diversæ speciei sit brutum, cum quo fit coitus, specie tamen diversum peccatum per hoc non efficitur; quia est eadem formalis ratio turpitudinis, quæ consistit in hoc, quòd copula habeatur cum re diversæ speciei. Azor *p. 3. l. 3. c. 22. q. 1.* Pirhing *hic n. 73.* Schambog. *ibid. n. 27.*

113 Dub. 1. quæ sit pœna Sodomiæ prout priè dictæ, statuta per Jus Civile? R. hoc Jure crimini isti statuta est pœna mortis, prout patet ex §. *item Lex Julia 4. Inst. de Publ. Judic. l. cùm vir 31. C. ad Leg. Jul. de Adult.* & *Novell. 77. c. 1. §. 2.* quæ pœna hodiè ferè ubique recepta, sic exasperata est, ut hodie ejus criminis rei vivi, aut eorum saltem morte punitorum cadavera igne comburantur. Clar. §. *Sodomia n. 4.* Azor *l. 3. c. 19. not. 1.* Farin. *q. 148. n. 7.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 576.* Pirhing *hic n. 70.* quam Sodomitas comburendi consuetudinem observari etiam voluit Carolus V. *Const. crim. art. 116.* Habétque pœna hæc locum tam in agente, quam in patiente, nisi huic vis inferatur. *Clar. Pirh. l. citt.* Insuper ejusmodi criminosi etiam ante accusationem, & condemnationem ipso Jure infames sunt *l. cùm vir cit.* & *ibi* Gloss. *V. infames*, rerúmque suarum, fisco cedentium, dominio ipso Jure privantur *c. cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.* Gloss. *ibid. V. perdant*, Pirhing *n. 70.* Reiffenstuel *n. 86. & 87.* quod tamen ultimum non ubique usu receptum notant. Clar. §. *Sodomia n. 6.* Farin. *l. cit. n. 15.*

114 An verò pœnæ istæ extendendæ sint, etiam ad eos, qui crimen istud nefandum solummodo attentârunt, controversum est apud DD. Affirmant hoc aliqui apud Farin. *q. 148. cit. n. 56.* Sed contrarium cum eodem Farin. *n. 64.* tenent Clar. §. *Sodomia n. 8.* Menoch. *cas. 286. n. 28.* & alij, ex quorum doctrina ob crimen Sodomiæ non consummatum, etiamsi ad actum proximum perventum sit, non debet imponi pœna mortis, sed alia extraordi-

ordinaria Judicis arbitrio, & mitior *arg. l. sollicitatores 1. §. qui puero 2.* ibi, *Perfecto flagitio, punitur capite. imperfecto, in insulam deportatur, ff. de extraord. crim.*

115 Dub. 2. quæ huic crimini pœna statuta sit Jure Ecclesiastico? R. hoc Jure flagitij istius nefandi reus, si Laicus sit, à fidelium communione, donec condignam pœnitentiam egerit, penitus est excludendus *c. Clerici 4. fin. de Excess. Prælat.* & si conjugatus sit, conjux innocens non secus, ac ob adulterium ab eo potest divertere *arg. can. omnes 7. caus. 32. q. 7.* & dictum est *Libr. 4. Tit. 19. n. 103.* Clericus verò per *c. Clerici cit.* Beneficio privatus, & ab Officio, atque Ordine Clericali depositus, detrudendus est in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam. Quam pœnam auxit *S. Pius V. Const.* incipit *Horrendum editâ 3. Sept. 1568.* ubi statuit, ut Clerici quicunque, Sodomiam exercentes, omni privilegio Clericali, Officio, Dignitate, & Beneficio Ecclesiastico privati, & per Judicem Ecclesiasticum degradati, tradantur Curiæ, seu potestati Sæculari, afficiendi pœnis, quæ in Laicos hujus criminis reos per Leges sunt constitutæ. Quæ pœna privationis privilegiorum Clericalium tamen ut incurratur, duo requiruntur. 1. ut Sodomia sit consummata, eáque non semel, sed iteratò, ut notant Azor p. 3. l. 3. c. 19. q. 2. & *duabus seqq.* Quarant. *V. Sodomia in Addit limit. 4.* Suar. *de Censur. D. 31. sect. 4. n. 21.* Barbos. *in c. Clerici cit. n. 7. & 8.* Pirhing *hic n. 72. V. præterea*, Reiffenstuel *n. 92. ibid.* 2. ut lata sit sententia condemnatoria Judicis, vel saltem declaratoria criminis. Azor *q. 5.* Quarant. *limit. 5.* Suar. *n. 22.* Pirhing *n. 72. cit.* quia nemo tenetur exequi pœnas in seipsum. Addit Quarant. *l. cit.* ex *Tolet.* & *Henriq.* dictam Constitutionem quoad forum internum conscientiæ in praxi receptam non esse, sed tantùm respicere forum externum.

116 An verò Sodomita, si interim celebret, vel ministret in Ordine, Irregularitatem incurrat, dubitari potest. Videtur distinguendum. *Si notorius sit*, quia ab executione Ordinis suspensus est, illam incurrit; nec poterit in hac Irregularitate cum ipso dispensare, nisi solus Papa, vel cui iste potestatem dispensandi in illa specialiter committit. Azor *c. 19. cit. q. 6.* Pirhing *n. 71.* Contrà, *si sit Sodomita occultus*; nam quia iste nec ab homine, nec à Jure suspensus est, etsi antè peractam pœnitentiam celebret, Irregularis non efficitur. Navar. *Man. c. 27. n. 249.* Azor *q. 7.* Quarant. *limit. 1.* ubi rationem reddit; quia Irregularitas hæc non provenit ex Delicto, sed ex infamia, & scandalo, quæ ex delicti notorietate oriuntur hæc autem cessat, quando Sodomia est occulta. ergo &c. Contrarium tamen tenent Diaz *pract. can. c. 90. in addit. V. detrudatur. Lit. B.* Clar. *V. Sodomia n. 5.* Farin. *q. 148. n. 27.* qui volunt, quòd Sodomita occultus, etiam peractâ pœnitentiâ, sit suspensus ab Ordinis executione, ideóque si interim celebret, fiat Irregularis, in qua tamen Suspensione, & Irregularitate hodie ex concessione *Trid.* dispensare possit Episcopus.

Dub. 3. quæ sint pœnæ reliquorum 117
peccatorum contra naturam, quæ *n. 112.* relata sunt? R. 1. *Sodomiam imperfectam*, seu concubitum maris cum femina extra vas naturale, Clar. §. *Sodomia n. 2.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 5.* Menoch. *de arbitr. cas. 286. n. 33. & seq.* Farin. *q. 148. n. 35.* ordinaria Sodomitarum pœnâ castigandum, variarum Provinciarum praxi allegata, contendunt. Sed Sylv. *V. Luxuria q. 1.* Azor *p. 3. l. 3. c. 20. q. 4.* Tann. *2. 2. D. 3. q. 3. dub. 7. n. 149.* Pirhing *hic n. 66. fin.* Reiffenstuel *n. 88. ibid.* & alij probabiliùs docent, hanc imperfectam Sodomiam non ordinariæ, sed extraordinariæ, & mitiori pœnæ subjacere *arg. l. sollicitatores 1. §. qui puero 2. ff. de Extraord. crim.* ibi, *Perfecto flagitio, puniuntur capite. Ratio est*, quia etsi ad peccatum Sodomiæ meritò reducatur, indéque tanquam species distincta in Confessione necessariò explicanda sit, tamen quia saltem adest adhuc debita diversitas sexûs, perfecta Sodomia, sed minùs aliquod peccatum est; ac propterea pœnis Sodomiæ ordinarijs non subjecta, præsertim cùm in pœnis benigniora sint amplectanda.

2. *Bestialitatis* rei, instar verorum 118
Sodomitarum, in *Constit. Carolin. art. 116.* morte plectendi, & comburendi dicuntur: quod aliquando vivis, plerumque ad evitandam desperationem capite plexis fieri solet: & ijsdem flammis consumitur etiam brutum ad imitationem Legis Veteris *Lev. 20. v. 15.* ne tam horrendi flagitij memoria, & vestigium ullum inter homines extet. Clar. §. *Fornicatio n. 27.* Menoch. *de arbitr. cas. 286. n. 31.* Farin. *q. 148. n. 46.* Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 576.* Pirhing *hic n. 73.* Wiestner *ibid. n. 77.*

3. *Peccatum Mollitiei*, quia clancu- 119
lùm, & secretò exerceri solet, ad forum contentiosum vix unquam deducitur: cùm autem deducitur, extraordinariâ v. g. relegationis, aut fustigationis pœnâ coërcendum censet Damhouder. *prax. crim. c. 96. n. 6.* Haun. *l. cit. 525.* Engl *hic n. 28.*

TITULUS XVII.

De Raptoribus, incendiarijs, & Violatoribus Ecclesiarum.

POst discussum Adulterium, & affinia huic crimina, considerationi nostræ se offert *Raptus*, qui si rerum sit, ad Furtum pertinet, de quo *Tit. seq.* si personarum, est Luxuriæ species. Quare sit.

§. I.

De Raptis Personarum.

SUMMARIUM.

1. *Raptûs definitio.*
2. &c. *Conditiones ad hunc requisitæ.*
8. &c. *Differentia à Stupro.*
11. &c. *Pœnæ in Raptores statutæ de Jure Civili.*
16. &c. *Pœnæ Juris Canonici antiqui.*
20. &c. *Pœnæ in Raptores statutæ per Jus novissimum Trid.*
23. &c. *An pœnas istas incurrat etiam fœmina rapiens virum?*
28. &c. *An rapiens fœminam liberè, & spontè consentientem?*
32. &c. *Quid si consentiente ipsa, parentes inviti sint?*
37. &c. *An Conciliari Decreto, & pœnis afficiatur etiam ille, qui Sponsam de furto propriam rapit?*
41. &c. *Aut qui non Matrimonij contrahendi, sed libidinis tantùm liberùs exercendæ causâ rapuit?*
46. *Quid si fœmina, quæ in abductionem sui consensit, postea invita carnaliter cognoscatur?*
47. *Aut contrà, quæ invita abducta est, postea liberè consentiat in copulam?*
48. *An Raptûs pœnæ subjaceat, qui rapuit Virginem adhuc impuberem?*
49. *Conjugatam?*
50. *Vel inhonestè viventem?*
51. *An pœnas Raptûs, in fautores decretas, incurrat Parochus assistens Matrimonio, inter Raptorem, & raptam inito?*
52. *Quam pœnam incurrat raptor alienæ Sponsæ?*
53. *An sicut Matrimonium, ita etiam Sponsalia de futuro ab ijs inita invalida sint?*
54. *A quo Judice puniri Raptores possint?*

1 QUæritur 1. Quid sit *Raptus* in hoc sensu acceptus? R. *est Virginis, vel alterius solutæ, aut ligatæ, honestæ tamen mulieris, vel etiam masculi violenta abductio de loco in locum moraliter diversum, libidinis exercendæ, vel etiam conjugij cum ea ineundi causâ.* Ita quoad rem Host. *Summ. hic §. de Pœn. rapt. corpor. n. 1.* Clar. §. *Raptus n. 1.* Molin. *tom. 3. de I. & J. D. 105. n. 1.* Less. *l. 4. de Just. c. 3. n. 66. & raptus*, Farin. *prax. crim. q. 145. n. 5. & 6.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 13. n. 1.* Gobat. *tom. 1. Theol. Exper. p. 2. tr. 9. cas. 19. n. 541.* Haun. *tom. 6. de I. & J. tr. 2. n. 541.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Wagnereck *in c. 6. eod. not. 2.* Begnudell. *V. Raptus n. 2.* König *libr. 4. tit. 7. n. 33.* Vallens. *hic §. 1. n. 1.* Pirhing *n. 1.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 53.*

2 *Ex quo sequitur*, quæ conditiones requirantur, ut Raptus sit propriè dictus, & Raptor incurrat pœnas Jure Canonico, & Civili contra hujus Delicti reos statutas. Nam 1. requiritur, ut Raptus fiat cum violentia: in quo differt à Stupro: nam Stuprum fieri etiam sine violentia potest: Raptus contrà ex essentia sua vim includit. Perinde autem est in ordine ad Raptûs crimen, sive violentia inferatur ipsi raptæ, sive ijs, quorum potestati subest, ut parenti, marito, sponso, tutori &c. nam utroque casu Raptus fieri dicitur *can. de Raptoribus 3. caus. 36. q. 1. l. un. C. de Rapt. Virg.* Vallens. *hic §. 1. n. 1.* quamvis diversa imponenda sit pœna secundùm dicenda *infrà n. 28. & seqq.*

2. Requiritur, ut fiat causâ libidinis exercendæ, aut Matrimonij ineundi; quia propriè est species Luxuriæ, ut dictum *pr. hoc tit.* Hinc Raptus non est, sed Plagium, si abductio fiat causâ redigendi personam abductam in servitutem, aut vindicandi dominij: quod etiam dicendum, si abductio fiat ex alia causa. S. Thom. *2. 2. q. 154. art. 7.* Decius *cons. 234. n. 8.* Clar. §. *Raptus n. 1.* Less. *l. 4. de Just. c. 3. n. 66. & si abducatur*, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 17.* Tambur. *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 6.* Wagnereck *in c. 6. h. tit. not. 5.* Pirhing *hic n. 9.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 7.*

3. Re-

3. Requiritur, ut mulier traducatur
4 de loco in locum moraliter diversum; nam si abducatur solùm de uno cubiculo in aliud, vel de via publica per aliquot solùm passus ad locum secretum, occultandæ libidinis causâ, etiamsi vis intercedat, ita abducens non Raptûs, sed Stupri violenti pœnas incurrit, prout ex *l. mariti 29. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* desumit Sanch. *D. 12. cit. n. 20.* & concordant Boss. *prax. tit. de rapt. mul. n. 3.* Clar. §. *Raptus n. 1.* Navar. *l. 5. conf. 1. n. 1.* Decian. *tr. crim. l. 8. c. 7. n. 34.* Tholos. *Syntagm. l. 36. c. 33. n. 1.* Molin. *tr. 3. D. 105. n. 3.* Farin. *q. 145. n. 74.* Tambur. *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 7.* Haun. *tom. 6. de Just. tr. 2. n. 541.* König *l. 4. tit. 7. n. 34.* Zœs. *hic n. 5. fin.* Pirhing *n. 10. & 25.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 6.*

5 4. Conditio est, ut mulier rapta sit honestæ vitæ; nam abductio etiam violenta mulieris non viventis honestè v. g. publicè meretricis, propriè Raptus non est *l. un. pr.* junct. Gloss. *V. Virginum C. de Rapt. Virgin.* quia Meretrix non præsumitur vim pati à cognoscente illam, nisi probetur; Raptus autem, ut *n. 2.* dictum est, non censetur fieri sine violentia. Et propterea talis fœminæ etiam violenta abductio non Raptûs ordinariâ, sed aliâ arbitrariâ pœnâ est punienda. Clar. §. *Raptus n. 5.* Covar. *3. var. c. 14. n. 2. fin.* Menoch. *de arbitr. cas. 291. n. 3.* Mascard. *de Probat. vol. 3. concl. 1253. n. 12. & 13.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 23.* Farin. *q. 145. n. 153. & seqq.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 6. c. 31.* Wagnereck *in c. 6. h. tit. not. 5.* Begnudell. *V. Raptus n. 1.* Engl *cit. de Adult. n. 37. fin.* Zœs. *hic n. 6.* Pirhing *n. 11.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 5. Excipiendi* tamen sunt duo casus, in quibus locus est Raptûs pœnæ, etiamsi rapta fuerit meretrix. *Unus est*, si meretrix, vitæ impuræ pœnitentiâ ducta, cœperit honestè vivere: quod colligi potest ex loco, in quo habitat, & ex habitu, quem defert, ut notat Farin. *q. 145. cit. n. 182.* Quodsi desijt quidem publica esse meretrix, non tamen desijt inhonestè vivere, quia facta est alicujus concubina, pœnâ Raptûs ordinariâ absolvitur eam rapiens. Mascard. *l. cit. n. 24.* Molin. *tr. 3. de Just. D. 105. n. 15.* Haun. *tom. 6. de l. & l. tr. 2. n. 552.* Zœs. *n. 6.* Pirhing *n. 11. Alter casus* est, si mulier rapta inhonestæ quidem sit vitæ, sed conjugata tamen *l. un. cit. ℣. quæ multo magis*; quia tunc Raptor duplici tenetur crimine, adulterij scilicet, & rapinæ, & irrogatur injuria marito. Mascard. *n. 15.* nisi tamen maritus esset leno, qui uxorem prostituisset; tunc enim etiam respectu illius cessaret injuria. Mascard. *n. 19.* Farin. *n. 175.* Sanch. *n. 23. fin.* Pirh. *n. 11.*

Addunt aliqui *quintam Conditionem*, 6
ut copula cum rapta secuta sit: quod colligunt ex *l. un. cit. paulò post principium*, ibi: *Cùm Virginitas, vel Castitas corrupta restitui non possit.* Sed dicendum, in ordine ad pœnam Raptûs incurrendam non esse necessarium, ut copula secuta sit cum rapta. Clar. §. *Raptus n. 4.* Molin. *tr. 3. D. 105. n. 6.* Less. *l. 4. de Just. c. 3. n. 66. ℣. si abducatur*, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 18.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 541. & 550.* Neque aliud probatur ex *l. un. cit.* quia per eam Legem non punitur principaliter ablatio Castitatis (sic enim Raptus cum Stupro confunderetur) sed punitur malitiosa intentio, & conatus ille violentus privandi fœminam tanto Castitatis decore, quod rapiens scit à se restitui non posse. Quoad pœnam tamen discrimen aliquo faciendum est inter casum, quo raptor ideo raptam non cognovit carnaliter, quia id commodè facere non potuit, & inter casum, quo, etsi potuisset, spontè tamen noluit, sed copula abstinuit, pœnitentiâ ductus; nam *primo casu*, raptor obnoxius manebit pœnis Ordinarijs Raptûs: secus *in secundo*: tunc enim non erit puniendus pœnâ ordinariâ, sed citra mortem aliâ gravi pœnâ extraordinaria arbitrio Judicis, propter infamiam illatam puellæ raptæ, cujus pudicitia violata esse probabiliter ab omnibus creditur. Menoch. *de arbitr. cas. 360. n. 32.* Mascard. *de Probat. concl. 1259. n. 37.* Clar. §. *Raptus n. 4.* Sanch. *D. 12. n. 18.* Zœs. *hic n. 5.* Pirhing *ibid. n. 9. Excipi* debet, si rapta sit Monialis; nam tunc raptori pœna ordinaria est infligenda, ex quacunque causa copula non sit secuta, prout cum *Covar.* & *Deciano* limitant Sanch. *n. 18. cit. fin.* Begnudell. *v. Raptus n. 6.* Zœs. *n. 6.* Pirh. *n. 9.* quia Raptus Monialis est longè gravius crimen, quàm simplicis Virginis.

In foro conscientiæ, & ut raptus 7
constituat crimen diversæ speciei à simplici fornicatione, ex memoratis conditionibus solùm requiritur prima, & secunda. Et hinc in eodem foro jam censebitur esse commissum Raptûs crimen, quando fœmina cujuscunque statûs, etiamsi meretrix sit, violenter cognoscitur, vel abducitur, ob injuriam, quæ per hujusmodi violentiam ei infertur. Pirhing. *hic n. 11. ℣. verùm.* Neque necessarium est, ut raptor abducat fœminam de loco in locum, sed sufficit, si quomodocunque vim ei inferat ad extorquendam copulam; quia tunc jam duplicem malitiam specie diversam factum continet, unam fornicationis contra Castitatem, in quantum est illicitus concubitus, alteram injustitiæ ratione violentiæ, quæ infertur fœminæ, vel parentibus, aut ijs, in quorum potestate est constituta, in quâ duplici malitia specifica mali-

malitia Raptûs pro foro conſcientiæ ſita eſt. Sanch. *D.* 12. *cit. n.* 30. & 31. Pirhing *n.* 10. ℣. *porro* cum *S. Thoma.* Imò neque in foro externo ad incurrendas pœnas Raptûs opus eſt, ut qui abduxit fœminam de loco animo illam abducendi in certum alium locum, ad illum locum cum ea pervenerit, ſed ſufficit ipſa actualis abductio cum eo animo ſufficienter manifeſtato facta. Sanch. *n.* 21. *fin.* Pirhing *hìc n.* 10. König *l.* 4. *tit.* 7. *n.* 34. nam ibi Raptus commiſſus dicitur, ubi puella, de cujus nuptijs antea nil actum eſt, videtur abducta *can. lex illa* 2. *cauſ.* 36. *q.* 1. Zœſ. *hic n.* 5.

8 Quæritur 2. quomodo differat Raptus à Stupro? R. à Stupro propriè, & ſtrictè dicto differt 1. quia Stuprum ſemper eſt cum Virgine: at Raptus eſt de quacunque muliere; neque ad rationem illius confert ſtatus fœminæ raptæ, quippe quæ æquè invenitur, ſive illa ſit virgo, ſive ſoluta, ſive conjugata: imò committi etiam poteſt cum puero, qui ſanè raptus turpiſſimus eſt. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 14. *n.* 7. Tambur. *l.* 7. *Decal. c.* 6. §. 1. *n.* 1.

2. Raptus ſæpe fit conſentiente, & volente puella, vel muliere, quæ rapitur, ſi reluctentur, & inviti ſint parentes, tutores, vel illi, in quorum poteſtate illa eſt conſtituta: Stuprum autem propriè dictum non item, ſed illud ſemper, vel per abſolutam violentiam citra omnem conſenſum, vel ſaltem non omnino liberè, ſed invite, & coactè conſentienti infertur, ut patet ex dictis *Tit. n.* 19. *præc.* Pirhing *hìc n.* 1.

9 3. Ad crimen Raptûs præter injuriam, illatam mulieri, vel ejus parentibus, ac tutoribus, requiritur ſaltem in foro externo, ut mulier per vim rapta de loco in locum abducatur: quod in Stupro non requiritur, ſed ſolùm, ut virgo, vel mulier ſit violenter oppreſſa. Tambur. §. 1. *cit. n.* 2. Pirh. *n.* 1.

4. Raptus ut plurimùm fit ea intentione, ut quis puellam, quam cum conſenſu parentum, & cognatorum habere non poteſt, per vim rapiat, & in uxorem ducat: Stuprum verò violentum non eo fine, ſed ſolùm libidinis explendæ causâ committitur. Zœſ. *Cod. de Rapt. Virg. in Annot.* Pirh. *n.* 1. *cit.*

10 5. Raptus eſt longè gravius delictum, ideóque etiam graviùs punitur; quia ex eo plura ſcandala, & quandoque etiam homicidia oriuntur *l. un. pr. C. de Rapt. Virg.* ibi, *peſſima criminum peccantes*, & *fin. pr.* ibi, *Cùm nec ab homicidii crimine hujusmodi raptores ſint vacui.* Et hinc publicis criminibus accenſetur, & ad accuſandum illud admittitur quilibet, Farin. *prax. crim. q.* 145. *n.* 1.

Quæritur 3. quænam pœnæ per Jus Civile ſtatutæ ſint Raptûs crimini? R. Raptui mulieris inhoneſtè viventis, ſeu meretricis nulla Jure Civili ſtatuta eſt pœna, ſed pro qualitate criminis infligenda eſt pœna arbitraria, ſeu extraordinariâ, prout inſinuavi *ſuprà n.* 5. & notant Clar. §. *Raptus n.* 6. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 2. Menoch. *de arbitr. caſ.* 191. *n.* 3. Vallenſ. *hìc* §. 2. *n.* 2. & alii *l. cit.* allegati. 11

In Raptores Virginum, & aliarum fœminarum honeſtè viventium *l. un. C. de Rapt. Virg.* graviſſimæ conſtitutæ ſunt pœnæ. Nam 1. Raptor in raptu deprehenſus, eíque auxiliantes ab ipſius raptæ cognatis, & propinquis impunè occidi poterant *l. cit.* ℣. *ne igitur.* Idque multo magìs obtinet contra eos, qui nuptas mulieres auſi ſunt rapere; quia duplici tenentur crimine, adulterij ſcilicet, & rapinæ, prout additur *l. cit.* ℣. *quæ multo magis*: & extenditur ad eum, qui Sponſam ſuam per vim rapere auſus eſt ℣. *quibus connumeramus.* 12

2. Poſt fugam deprehenſi, & de Raptu legitimè convicti indifferenter jubentur ultimo ſupplicio affici, negatâ appellandi licentiâ *ibid.* ℣. *fin autem*, & §. *pœnas autem* 2. quam pœnam confirmavit Carolus V. *Conſt. crim. art.* 118. 13

3. Eorundem bona mobilia, & immobilia addicuntur raptæ, ſi ingenua fuerit: ſi verò ancilla, vel libertina fuerit, raptori quidem mortis ſupplicium irrogatur, non tamen ipſius bona raptæ applicantur *l. cit.* §. *ſiquidem* 1.

4. Inter Raptorem, & Raptam non potuit conſiſtere Matrimonium §. *& ſiquidem cit.* ℣. *nec ſit facultas*, & §. *pœnas* 2. ubi ulteriùs declarat Imperator, non eſſe diſtinguendum, an mulier volens, vel invita rapta fuerit, eò quòd ſemper præſumatur fœmina dolo raptoris ad conſenſum inducta. Neque etiam poterant parentes in hujusmodi nuptias raptæ cum raptore conſentire; alioquin ſi conſenſerint, deportari jubentur, prout habetur *Novell.* 150. ubi etiam ſtatuitur, ut ſi mulier rapta nupſerit ſuo raptori, ex ejus Teſtamento quid capere, & alio quocunque modo vindicare non poſſit, ſed omnia bona raptoris, & ei auxiliantium ad parentes raptæ, ſi ambo, vel unus adhuc ſuperſit, ipſo Jure transferantur: ſi verò parentes jam deceſſerint, vel in ejus nuptias cum Raptore conſenſerint, tunc bona raptoris, & eorum, qui criminis participes fuerint, fiſco vindicabuntur. 14

Videantur Clar. §. *Raptus n.* 7. Molin. *tr.* 3. *de I. & I. D.* 105. *n.* 8. Farin. *q.* 145. *à n.* 7. Leſſ. *l.* 4. *de Juſt. c.* 3. *n.* 68. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 12. *n.* 41. Wagnereck *in c.* 6. *h. tit. not.* 2. & *in c. fin.* 15

fin. ibid. not. 1. Gonzal. *ibid. n. 5. & 6.* Haun. *tom. 6. de Just. tr. 2. n. 542.* Engl *tit. de Adult. n. 34.* Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. & 2. Pirhing *hic n.* 14. Wiestner *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 8.

16 Quæritur 4. quæ pœnæ crimini Raptûs decretæ sint Jure Canonico antiquo? R. Jure antiquo 1. inter Raptorem, & raptam interdicebatur Matrimonium, quamvis validè contrahi illud potuerit *can. de puellis 4. fin. can. denique 9.* & *can. seq. caus. 36. q.* 2. quod Jus postea correctum fuit, ita, ut inter raptorem, & raptam licitè, & validè iniretur, si rapta, etiam in potestate Raptoris adhuc constituta, liberè consentiret, ut patet ex *c. fin. h. tit. fin.* Pirhing *hic n.* 14.

17 2. Raptor puniebatur pœna servitutis; nam casu, quo rapta fuit per vim, & reluctans, raptor efficiebatur quasi servus illius; patris autem, si rapta consensit raptui, patre reluctante: utroque tamen casu poterat seipsum redimere pro competente pretio *can. de raptoribus* 3. *caus. 36. q.* 1. Gloss. *ibid. V. redimendi* Sylv. *V. Luxuria q. 6.* Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 15. *not.* 2. Molin. *D. 105. n.* 21. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Pirhing *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 9.

18 3. Si rapta esset Monialis, Raptoris, & eorum, qui ejus sceleris communione contaminati sunt, bona addicebantur Monasterio, in quo illa habitabat *can. siquis rapuerit 30. caus. 27. q.* 1. ubi additur, quòd rapta cautiori, sive arctiori Monasterio tradenda sit, ut quantum ad Usumfructum ex bonis suis, vel à Raptore ei acquisitis sustentetur, quoad ipsa vixerit: post mortem verò ipsius redeant illa bona ad primum Monasterium vel Ecclesiam, in qua mulier DEO dicata est. Gloss. *in can. siquis cit. V. cautiori*, Farin. *q. 105. cit. n. 10.* Pirhing *n. 3. ℣. tertiò.*

19 4. Raptor cum sibi faventibus, si Laicus fuit, excommunicabatur *can. eos, qui 1. caus. 36. q.* 2. si Clericus, à Gradu, sive Ordine Clericali decidebat, sive deponebatur *can. de puellis 4. caus.* & *q. cit. c. siquis* de Purg. Can. Host. *Summ. hic n.* 1. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 12, *n.* 2. Farin. *q. 105. n. 20.* Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 6. Begnudell. *V. Raptus n.* 12. Pirhing *hic n.* 3. *℣. secundò*, Wiestner *ibid. n.* 8. cum quibus notandum, Excommunicationem istam non fuisse latæ, sed ferendæ sententiæ. *Neque refert*, quod in *can. siquis 5. q. cit.* dicatur: *siquis Virginem, vel Viduam, nisi desponsaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, cum sibi faventibus Anathema sit:* quia ex aliis Canonibus *q. cit.* constat, Raptores non esse ipso Jure excommunicatos, sed excommunicandos per sententiam; dicitur enim *Anathematizentur can. 1. cit.* & *à communione suspendi præcipimus can. 2.* vel *Anathematis gladio feriatur can. 6.* quæ verba, cùm sint futuri temporis, & actionem hominis significent, important Excommunicationem ferendam, non latam. Sanch. Pirhing *l. citt.*

Quæritur 5. quid circa Raptum sta- 20
tutum sit Jure novissimo Tridentini? R. hoc Jure *sess. 24. c. 6. de Reform. Matr.* statutum est 1. ut inter Raptorem, & Raptam, quamdiu hæc in illius potestate manserit, Matrimonium nequeat iniri validè: adeóque hoc Jure Raptus inducit Impedimentum dirimens, quod ut contrahatur, vel persistat, tria sunt necessaria. 1. Ut Raptus contigerit, puellâ invitâ; nam ea consentiente, licèt invitis parentibus factus non dirimit Matrimonium; quia finis Concilij fuit, ne puella metu consentiat, qui tali casu cessat; & consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii, nec Concilium petit, ut parentibus restituatur rapta, sed ut ponatur in loco tuto, Dian. *p. 10. tr. 16. res. 83.* Begnudell. *V. Raptus n. 3.* König *l. 4. Tit. 7. n. 33.* 2. quamvis perinde sit, sive quis rapuerit fœminam, quam vult ducere, per seipsum, sive per alium ipso consentiente, vel mandante, ad Impedimentum hoc incurrendum tamen necessarium est, ut rapuerit, pro se; nam qui pro alio rapuit, licèt tanquam fautor incurrat Excommunicationem, & cæteras pœnas, validè tamen cum ea muliere, etiam non separata, si velit, inire Matrimonium potest; quia invaliditas Matrimonij solùm infertur contra rapientem pro se, non contra rapientem pro altero, Tambur. *l. 7. Decal. c. 6 §. 2. n. 16.* Pirh. *hic n. 23.* König *l. cit. n. 30.* 3. Impedimentum hoc durat solummodo, quamdiu rapta in potestate Raptoris extiterit; nam postquam ab eo separata, & in tuto, ac libero loco constituta est, id Impedimentum cessat, & matrimonium inter eos iniri etiam licitè potest, ut statuit Trid. *l. cit.* Et hoc casu probabiliùs rapta non amittit bona ad se devoluta, neque ista devolvuntur fisco, prout secundùm dicta *n. 14.* devolvuntur Jure Civili, sed retinere illa post Matrimonium cum raptore contractum rapta potest, ut pluribus ostendit Molin. *tr. 3. D. 105. n. 9.* & rationem dat, quia conditio illa, vel modus, ut bona raptoris addicerentur raptæ, nisi ista raptori nuberet, apposita tunc fuit, quando simpliciter prohibitum, imò invalidum fuit Matrimonium raptæ, cum raptore, quæ prohibitio cùm in casu nostro per *Trid.* sublata fuerit, consentur absque eo modo, & conditione bona illa ad raptam deferri.

21 2. Juxta idem Concilium *l. cit.* Raptor, & alii, qui consilium, auxilium, & favorem eidem præbent, ipso Jure sunt excommunicati, & infames, omniúmque Dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu, seu statu Clericali decidunt sive deponuntur. Excommunicatio ista statim animam ligat, quando crimen Raptûs patratum est; cons. actum Judicis non desiderat: quamvis non sit reservata Papæ; quia in *Trid.* Decreto non reservatur: & sic locum habet Regula, quando Conditor Canonis Censuræ absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi *c. nuper 29. de Sent. Excomm.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 13. n. 1.* Pirh. *hic n. 20.* Pœna tamen perpetuæ infamiæ, & inhabilitas ad omnes Dignitates, quæ proximè infamiam sequitur, Judicis petunt sententiam: quod multò magis verum est de pœna depositionis à gradu, seu Statu Clericali. Sanch. Pirh. *l. citt.* Imò non defuerunt aliqui, qui assererent, si raptor uxorem duceret raptam, infamiam non incurrere; quia id esset in damnum raptæ, & retraheret illam à Matrimonio contrahendo. *Sed contrarium* satis clarè colligitur ex Trid. *l. cit.* verbis *Et nihilominus*, quasi diceret, *Esto, de consensu libero raptæ raptor ipsam habeat in uxorem, tamen ipse Excommunicationem, & reliquas pœnas incurret.* Accedit, quia nemo ex Adversariis dicet, raptorem tempore illo intermedio, quod intercedit inter Raptum, & contractum Matrimonii subsequentem, non incurrisse infamiam; nam pœna infamiæ absolutè, & non tantùm sub conditione, *Nisi raptæ nupserit*, in ipsum fertur. Igitur contracta infamia manet etiam post Matrimonium, cùm nulla Lex ab ea absolvat. Molin. *D. 105. cit. n. 22. ỳ. tertiò.* *Ratio Adversariorum* in contrarium allegata solùm probat, esse non levem causam, ut Princeps propterea à raptore auferat infamiam, eum quoad illam in pristinum statum restituendo, capacémque efficiendo Dignitatum, ut notat Molin. *l. cit.*

22 3. Ex ejusdem *Trid.* Synodi statuto Raptor mulierem raptam decenter arbitrio Judicis dotare debet. Quod intelligendum, si raptor abduxerit puellam invitam, & renitentem; nam si volentem, & consentientem, abduxit, nisi fraus, & dolus, aut importunæ preces, quæ violentiæ æquiparantur, interceserint, non tenetur eam dotare, etsi parentibus reclamantibus abducta sit. Navar. *Man. c. 16. n. 16.* quia obligatio dotandi raptam non incurritur, nisi ob injuriam damnosam. In hoc autem casu talem injuriam nec rapta patitur, nec ejus parentes: non rapta; quia volenti non fit injuria: non parentes; quia licèt istis per raptum filiæ injuria illata sit, non tamen damnum, cùm non teneantur augere dotem, ut filia nuptias sibi dignas habere possit, & integrum sit filiæ nuptiarum jacturam pati. *Ex quo sequitur*, quòd neque parentibus hoc casu aliquid restitui debeat, ut pluribus relatis notat Sanch. *l. 7. de Matr. D. 14. n. 11.* In casu, quo obligatio raptam dotandi incurritur, illa non incurritur ante sententiam Judicis, ut patet ex Decreto Trid. *sess. 6. cit.* ubi Dos arbitrio Judicis taxanda venit. Sanch. *D. 13. n. 1.* *Excipitur*, nisi per raptum non tantùm injuria, sed etiam damnum injustè illatum fuisset raptæ; nam hoc casu damnum istud in foro conscientiæ ex communi doctrina de Restitutione damni ante omnem sententiam resarciendum foret. Sanch. *l. cit.* Pirh. *n. 20.*

Quæritur 6. an hoc Conciliari Decreto, & aliis Juris antiqui Constitutionibus comprehendatur etiam fœmina rapiens virum? Affirmant Gloss. *in l. un. V. Sponsam C. de Rapt. Virg.* Bald. *ibid. n. 23.* Tiraquell. *connub. l. 9. n. 112.* Henriq. *l. 12. de Matr. c. 14. n. 4.* Gutier. *c. 86. de Matr. n. 6.* & alii apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 24.* quibus consentit Haun. *tom. 6. de l. & l. tr. 2. n. 549. in fin.* Fundantur, quia eadem videtur esse ratio in muliere rapiente virum, & in viro rapiente mulierem. atqui juxta tritum *Ratio ubi est eadem, ibi debet esse eadem Juris dispositio*, quod sumitur ex *l. illud 32. ff. ad Leg. Aquil.* præsertim in Correlativis, uti sunt vir, & mulier, raptus, & rapta per *l. fin. C. de indict. Vidult.* *Cons.* paritate cum Adulterio, ubi sive maritus sive uxor illud commiserit, innocenti nullo discrimine licet divortium facere. 23

Sed dicendum, fœminam raptricem viri hac dispositione Conciliari, & aliis Juris antiqui Constitutionibus non comprehendi, ac proinde non pœnâ Raptûs ordinariâ, sed alia extraordinaria, & mitiori arbitrio Judicis plectendam esse. Ita Clar. *§. Raptus n. 6.* Decian. *tr. crim. l. 8. c. 7. n. 27. fin.* Menoch. *de arbitr. cas. 291. à n. 30.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 25.* & *D. 13. n. 16.* Riccius *prax. Matr. p. 4. Ref. 45.* Farin. *prax. crim. q. 145. n. 41.* Pont. *de Matr. l. 7. c. 69. n. 6.* Escob. *Theol. mor. l. 27. c. 33. dub. 141.* Dian. *p. 10. tr. 16. res. 83.* Bonac. *q. 4. de Matr. p. 14.* Tambur. *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 8.* Barbos. *ad Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Matr. n. 5.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. prop. fin.* Gobat. *tom. 1. p. 2. tr. 9. cas. 19. n. 543.* Begnudell. *V. Raptûs n. 10.* Zoes. *hic n. 6.* Pirhing *n. 12. & 28. ỳ. septimò*, Wiestner *n. 16.* cum communi cæterorum. *Ex quo sequitur*, ut Matrimonium inter Rapticem, & Raptum valeat, non esse opus servari for-

formam Decreti Conciliaris *cit.* nimirum, ut vir raptus sit à potestate raptricis liber; sed sufficere, ut liberè consentiat, sub illius potestate adhuc existens.

25 *Ratio Responsionis* est, quia dispositio hæc pœnalis est; pœnales autem dispositiones ob solam rationis paritatem ad casus, & personas non expressas extendi non debent juxta Gloss. *Reg. in pœnis 49. in 6.* Castro *de Leg. pœn. c. 7. Docum. 3.* Suar. *l. 6. de LL. c. 3. n. 5.* *Conf.* quia Leges non respiciunt ea, quæ rarissimè, sed quæ frequenter contingunt *l. nam ad ea 5. ff. de LL.*, atqui Raptûs periculum minùs frequens est in fœminis, frequentius autem in viris. igitur cùm aliàs fœminæ in dispositionibus pœnalibus, & odiosis secundùm multos DD. sub masculino non comprehendantur, neque comprehendentur fœminæ raptrices sub dispositione lata in Raptores viros.

26 Procedit autem hoc quoad forum externum, & pœnas Raptûs, nam in foro interno conscientiæ nihil refert, sive vir rapiat fœminam, sive fœmina virum; cùm enim uterque Raptus violentiam injustè illatam claudat, uterque malitiam specificam diversam à fornicatione, ac propterea in Confessione necessariò aperiendam habet: quamvis sit major injuria, quando vir fœminam rapit, & solus hic Raptus, ut dictum est, pœnis Juris subjaceat. Sanch. *D. 12. cit. n. 40.* Pirh. *n. 12. hic.*

27 Ad Argumentum *n. 23.* pro parte adversa allatum negatur, quòd sit eadem ratio viri, & fœminæ, cùm gravius delictum sit, quando vir rapit fœminam, & huic, ut dictum est, ejúsque parentibus gravior inferatur injuria ob damna, & scandala, quæ ex ejusmodi Raptu consequuntur. *Ad Conf.* negatur paritas: nam adulterio æquè frequenter polluuntur fœminæ, ac viri, & uterque, sive vir, sive fœmina adulterium committat, fidem, ac thorum conjugalem violat, ob quam causam innocenti permittitur divortium à nocente conjuge.

28 Quæritur 7. an Raptûs crimen, & pœnæ illius incurrantur raptu fœminæ, liberè, & sponte consentientis in sui abductionem? R. Distinguendo: Vel enim illa est sui juris, vel contrà parentum, aut aliorum potestati subjecta. *Si primum* ejus abductio non est Raptus; quia vis abest, quæ secundùm dicta *n. 2.* ad Raptum requiritur. S. Thom. *2. 2. q. 154. art. 7.* Molin. *tr. 3. de I. & I. D. 105. n. 2.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 6.* Wagnereck *in c. cum causa 6. h. tit. not. 3.* Pirhing *hic n. 4.* Reiffenstuel *ibid. n. 3.* & patet ex *c. cum causa cit.* ubi Summarium sic habet: *Raptus non dicitur, ubi volens pro Matrimonio abducitur.* Concordat Jus Civile, juxta quod *rapi sine vi non potest*, ut habetur *l. quo naufragium 3. §. aliud 5. ff. de incend. ruin. naufrag.*

Neque obstat 1. textus *l. un. §. pœnas 2. C. de Rapt. Virg.* ubi statuitur, ut Raptûs pœnæ subjaceant omnes, *sive volentibus, sive nolentibus Virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum*; quia textus iste supponit fœminam, abductioni consentientem, esse inductam vel minis, vel importunis, & dolosis precibus, aut promissionibus, quæ quia vi æquiparantur, Juris pœnis ita rapientem subjiciunt. Gutier. *qq. Can. l. 1. c. 37. n. 21.* Farin. *q. 145. n. 131.* Sanch. *D. 12. n. 10. & 11.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 6. c. 31.* Begnudell. *V. Raptus n. 4.* Wagnereck *in c. 6. cit. not. 3.* Reiffenstuel *hic n. 4.* & sumitur ex *l. un. & §. cit.* ibi, *Nisi odiosis artibus circumvenerit.* Sed hoc intelligendum duntaxat est de pœnis Civilibus; nam Decretas in *Trid.* non incurrit, qui puellam, dolo circumventam, consentientem abducit; quia Concilium decernit pœnas raptoribus propriè dictis, quales non sunt in casu doli, quippe qui non est violentia propriè dicta. *Neque refert*, quòd etiam dolus adversetur libertati Matrimonii, cùm etiam ipse tollat voluntarium; nam non omnis dolus, sed ille duntaxat tollit voluntarium, qui inducit errorem personæ, & condictionis illius, an sit libera, vel serva. Pirhing *n. 26.* Addidi *dolosis precibus*; nam si fœmina sui juris solis precibus importunis, aut metu reverentiali, citra omnem dolum, aut fraudem abducta est, non censetur Raptus, ob quem ordinaria pœna incurratur, sed solùm extraordinariâ puniendus est, cùm tales preces per se solæ non inferant vim. Pirhing *n. 5. coroll. 4.*

Non obstat 2. quòd fœmina non habeat dominium membrorum sui corporis, ita, ut licitè possit corpus suum exponere raptui: adhuc enim hujusmodi fœminam consentientem, si sui sit juris, abducens, à raptûs crimine immunis est; quia hoc crimen requirit violentiam Justitiæ contrariam. Non peccat autem contra Justitiam aut vir illam abducens, aut fœmina in abductionem consentiens. Sanch. *D. 12. cit. n. 6.* Pirhing *n. 4. coroll. 1.* Et hoc verum est, etiamsi fœmina, postquam volens abducta est, postea, mutata voluntate, renitatur, & resistat abductioni. Pirhing *n. 25.* 30

Debet autem Raptor, nisi puella 31 hoc ipsamet fateatur, probare, quòd abducta absque dolo, minis, & importunis precibus sponte consenserit abductioni; aliàs in foro externo præsumptio capietur contra ipsum, & subjacebit pœnæ Juris, ut cum *Mascardo* advertit Gonzal. *in c. fin. h. tit.* Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 547.*

Reiffenſtuel *hic n. 4. arg. l. un. §. pœnas 2. C. de Rapt. Virg.* ibi, *Quia hoc ipſum velle mulierum ab inſidijs nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur; niſi etenim eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.*

32 *Major difficultas* eſt circa *membrum ſecundum* diſtinctionis *n. 28.* propoſitæ, quando ſcilicet fœmina, quæ parentum, vel aliorum poteſtati ſubjecta eſt, his invitis volens abducitur. In qua difficultate ſatis conveniunt DD. quòd per abductionem hujusmodi puellæ, factam invitis illis, in quorum poteſtate eſt, committatur delictum Raptûs, niſi tamen præceſſiſſent Sponſalia, ob graviſſimam injuriam ipſis illatam, quam ipſa filia non poteſt remittere, ſpontè præbendo conſenſum in ſui abductionem cum præjudicio parentum ſuorum. Hoſt. *Summ. hic n. 1.* Abb. *in c. 6. h. tit. n. 4.* Clar. §. *Raptus n. 3.* Molin. *tr. 3. D. 105. n. 2.* Sanch. *l. 7. de Matrim. D. 12. n. 12.* Farin. *q. 145. n. 118.* Wagnereck *in c. 6. cit. not. 3. & 4.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 4.* König *l. 4. tit. 7. n. 33.* Pirhing *hic n. 4. coroll. 5.* Wieſtner *ibid. n. 2.*

33 *Dubium eſt*, an pœnæ raptûs incurrantur hoc caſu à rapiente? Affirmant Navar. *l. 5. conſ. 2. h. tit.* Tuſch. *pract. V. Raptus concl. 5. n. 4.* Gutier. *c. 86. de Matr. n. 17.* Henriq. *l. 12. c. 14. n. 4.* cum quibusdam aliis. Sed diſtinguendum eſt inter pœnas ſtatutas Jure Civili, & inter pœnas per Jus noviſſimum *Trid.* prodtas. *Pœnam Juris civilis ordinariam* conſentientem invitis parentibus rapiens non incurrit, ſed puniendus eſt pœnâ aliâ mitiore arbitrio Judicis; quia pœna commenſurari debet delicto *can. afferamus 21. cauſ. 24. q. 1.* atqui longè minus delictum eſt tunc, quàm ſi ipſa etiam fœmina diſſentiret, cùm ſit Raptus reſpectu ſolius patris, non verò reſpectu fœminæ, cujus voluntas præcipuè in his injuriis ſpectanda eſt, quippe cui directè per Raptum injuria infertur. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 12.* Farin. *prax. crim. q. 145. n. 120.* Pirhing *hic n. 5. coroll. 5.* & alii apud iſtos.

34 Similiter non habet locum pœna Juris Civilis ordinaria, quando puella conſentiens abducta eſt, ignorantibus hoc parentibus, ſed imponi hoc caſu debet pœna extraordinaria, & quidem mitior, quàm ſi parentes expreſsè contradixiſſent; quia minus delictum eſt. Sanch. *n. 13.* Farin. *n. 122.* Leſſ. *l. 4. c. 3. n. 66. ℣. ſi non.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 13. n. 2.* Tambur. *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 15.* Barboſ. *in c. 6. h. t. n. 3.* Pirh. *l. cit.* Idem dicendum, quando abducta eſt puella ſine voluntate, & conſenſu tutorum, vel curatorum, in quorum poteſtate eſt conſtituta. Sanch. *n. 14.* Pirh. *l. cit.*

Quoad pœnas, Jure noviſſimo *Trid.* 35 proditas, *patet 1.* ex dictis *n. 20.* Raptum puellæ, invitis, vel ignorantibus parentibus factum, ſi ipſa in abductionem ſui ſpontè, & liberè conſentiat, non inducere impedimentum dirimens inter raptorem, & ità raptam, ſed Matrimonium, inter eos contractum, licèt extra poteſtatem raptoris rapta antea non ſit conſtituta, ſi coram Parocho, vel teſtibus contractum ſit, eſſe validum, ut præter DD. *n. cit.* allegatos defendunt Sanch. *l. 7. Decal. D. 13. n. 13.* Leſſ. *l. 4. c. 3. n. 70. ℣. ſecundùm* Conink. *D. 41. n. 48.* Perez. *D. 38. ſ. 4.* Eſcob. *Theol. mor. l. 27. c. 33. dub. 141.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 13. n. 4.* Tambur. §. *2. cit n. 11. ℣. rurſus*, Gobat. *tom. 1. p. 2. tr. 9. caſ. 19. n. 546.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 547.* Pirhing. *hic n. 19. & 27.* Ratio eſt, quia conſenſus parentum non requiritur ad valorem Matrimonij, ſed ſolus conſenſus Sponſi, & Sponſæ, qui ſatis liber eſt, ſi rapta in abductionem ſui conſentiat: conſ. ſatisfit intentioni *Trid.* quippe quod ſolùm loquitur de Raptu, quo læditur Matrimoniorum libertas.

Patet 2. ex dictis *n. 22.* eum, qui 36 volentem abduxit, etiam non teneri ita abductam dotare, aut aliter quid reſtituere vel ipſi, vel ejus parentibus, niſi ipſis damnum exinde aliquod ſit ſubſecutum, ex ratione *ibi* allata. Excommunicationis pœna, licèt per ſententiam Judicis ob contumaciam Raptoris ad iuſtantiam parentum, quorum filiam rapuit, infligi poſſit, ipſo tamen Jure à ſic rapiente non incurritur, prout ex Ratione ſuprà allata deduci poteſt; nam *Trid.* ut dictum eſt, ſolùm loquitur de Raptu, quo læditur Matrimoniorum libertas. Igitur ejus diſpoſitio, cùm odioſa, & pœnalis ſit, ad caſum, quo libertas hæc integra manet extendi non debet.

Quæritur 8. an Conciliari Decreto, 37 & pœnis afficiatur etiam ille, qui Sponſam de futuro propriam rapit? Negant Henriq. *l. 12. c. 14. n. 4.* Leſſ. *l. 4. de I. & I. c. 3. n. 70. ℣. tertium*, Barboſ. *ad Trid. Seſſ. 24. c. 6. de Reform. matr. n. 6.* & *in c. 6. h. tit. n. 4.* ex ratione quia iſtius raptu non læditur libertas Matrimonij, cùm ad hoc vi Sponſalium jam ſit obligata, & poſſit compelli ad hæc implenda *can. deſponſatam 27. cauſ. 27. q. 2. c. ex litteris 10. de Sponſal. & Matr.*

Sed diſtinguendum eſt, an Sponſa 38 in ſui raptum liberè conſentiat, an verò quoad hoc ſit invita? *Si primum*, à pœnis, Conciliari Decreto proditis, abſolvitur, ex ratione allata: quod etiam con-

firmatur; quia Raptus hic liberatur à pœnis, Jure Ecclesiastico communi proditis *c. cum causa 6. b. tit.* quod Jus per Tridentinum minimè corrigitur, ut patet ex contextu. *Neque obstat* textus *l. un. pr. ff. quibus connumeramus C. de Rapt. Virg.* ubi Raptus committi dicitur, quando quis *Sponsam suam rapere ausus fuerit*; quia, postquam Sacramentum inter Christianos elevatum est ad dignitatem Sacramenti, factum est Juris Ecclesiastici, quod proinde quoad ea, quæ ad Matrimonium pertinent, eique annexa sunt, etiam in foro Sæculari est observandum. Abb. *in c. 6. cit. n. 1. & 4.* Pirhing *hic n. 7.*

39 *Si secundum*, Concilij dispositio procedit ut notant Azor *p. 3. l. 3. c. 14. q. 3.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 13. n. 15.* Gutier. *de Matr. c. 86. n. 23.* Hurtad. *de Matr. D. 23. disc. 3.* Escop. *Theol. mor. l. 27. c. 33. dub. 142.* Wagnereck *in c. cum causa cit. not. 4.* Gobat *tom. 1. p. 2. tr. 9. cas. 19. n. 545.* Engl *tit. de Adult. n. 37.* Pirhing *hic. n. 7. v. porro*, & *n. 28.* Wiestner *ibid. n. 14.* & sumitur ex *c. cum causa cit.* ubi Lucius III. dum à Raptu excusat abductionem desponsatæ factam cum istius consensu, non obscurè indicat, abductionem invitæ Raptum fore.

40 Responsio certa est casu, quo Sponsa justam causam à Sponsalibus resiliendi habet; nam tali casu idem est, acsi Sponsalia non præcessissent. König *l. 4. tit. 7. n. 31.* In casu, quo eadem Sponsa causam justam habet standi fide data, major controversia est apud DD. Tamburinus *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 14.* putat quoad pœnas probabile esse raptum ejusmodi Sponsæ invitæ non includi in hoc Decreto Conciliari; quia non est abductio strictè injuriosa, cum eam rapiens recipiat, quod sibi legitimè promissum est. Sed communis etiam hoc casu locum esse pœnis *Trid.* defendunt cæteri *n. præc.* allegati; quia esto, legitimè promissum raptori sit Matrimonium, & propterea Sponsam suam rapiens recipiat, quod suum est, per hoc tamen potestas ipsi non datur eam sibi vindicandi authoritate sua privata, sed publicâ opus foret. Igitur hanc sibi usurpando injuriam raptæ facit, & libertatem illius quoad hoc lædit.

41 Quæritur 9. an pœnæ, per *Trid.* proditæ, contrahantur Raptu, qui non Matrimonij ineundi, sed libidinis solùm liberiùs exercendæ causa factus est? Affirmant Azor *p. 3. l. 3. c. 14. q. 8. fin.* Sà *V. Matrimonium pr. n. 6.* Bonacin. *de Matr. q. 4. p. 18. n. 3.* cum alijs apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 13. n. 3.* Fundantur 1. quia *Trid.* innovare voluit pœnas per antiquos Canones Raptoribus decretas. Iste autem comprehendebant etiam Raptorem libidinis causâ. 2. idem *Trid.* generaliter loquitur de Raptu mulieris, neque distinguit inter raptus, & istius causas. Igitur ad Raptorem causa solius Matrimonij ineundi restringi non debet. 3. ab eodem *Concilio* statuuntur pœnæ etiam in Raptores Clericos. sed hi Matrimonij causâ mulierem non possunt rapere, quippe cujus ineundi sunt incapaces. ergo &c.

Sed probabiliùs hujusmodi Raptus 42
non afficitur pœnis, per Concilium *cit.* latis, prout existimant Diaz. *pract. can. c. 82. in addit. lit. A. §. Clericus autem.* Sanch. *D. 13. cit. n. 4.* Less. *l. 4. de Just. c. 3. n. 70.* Gutier. *de Matr. c. 86. n. 8.* Dicast. *de Matr. D. 17. dub. 58. n. 660.* Perez *simili tr. D. 43. sect. 4.* Laym. *l. 5. tr. 10. n. 4. c. 13. n. 5.* Tambur. *l. 7. Decal. c. 6. §. 2. n. 11.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 6. c. 31.* Gobat. *tom. 1. p. 2. tr. 9. cas. 19. n. 542.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 547.* Begnudell. *V. Raptus n. 7.* Pirhing *hic n. 22.* Wiestner *ibid. n. 12.* & ità decisum fuisse à *S. Congr. Con. die 23. Jan. 1586.* testatur Joan. Galemart ad *cit.* Decretum *Trid.*

Ratio est, quia ut patet ex *sess. 24. c.* 43
6. cit. summa, & ipso textûs *pr.* Patres conditores ejus Decreti punire intendunt violantes libertatem Matrimonij. atqui hæc solùm violatur, quando raptus fit causâ Matrimonij, non verò, quando solùm ad libidinem liberiùs exercendam. Igitur ad hunc casum dispositio *Trid.* non extenditur. *Conf.* quia Decretum hoc pœnale, & insuper Juris antiqui correctorium est quo Jure, ut *n. 16.* dictum est Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, si hæc liberè in istud consentiat, absolutè sustinetur & pro valido agnoscitur. Igitur pœna saltem nullitatis Matrimonii per *Trid.* Decreta ad eum, qui libidinis solùm exercendæ causâ rapuit, extendi non debet.

Neque refert, etsi postmodum 44
etiam intentio Matrimonium contrahendi ex parte Raptoris, & Raptæ superveniat; quia hoc per accidens est, & qualitatem Raptûs non immutat. cons. si cessante metu, fœmina liberè consentiat, validum erit Matrimonium, tametsi rapta adhuc in potestate Raptoris existat, modò observentur ea, quæ aliàs ex *Trid.* Decreto ad valorem Matrimonij requiruntur. König. *libr. 4. Tit. 7. n. 35.* contra Bonac. *de Matr. q. 4. p. 18. n. 2.*

Ad Argumenta *n. 41.* in contra- 45
rium allata facilis est responsio. *Ad 1.* Tridentinum non intendit pœnas antiqui Juris innovare, sed potiùs voluit pœnas imponere violantibus libertatem Matrimonij per Raptum, ut *n. 43.* dictum est. *Ad 2.* etiam Clerici rapere fœminam pos-

sunt Matrimonij contrahendi causâ, in Minoribus quidem constituti verè, in Majoribus verò defacto. Deinde Clerici quicunque possunt esse fautores Matrimonij medio Raptu contrahendi. Igitur capaces sunt incurrendæ pœnæ, si non nullitatis Matrimonij, saltem cæterarum à laudata Synodo propositarum.

46 Quæritur 10. an comittatur Raptus, & ejus pœna incurratur, si puella quæ sui est juris, ab initio consensit in sui abductionem, sed postea invita, & repugnans carnaliter est cognita? R. negativè; quia in delictis initium spectatur *l. Divus 14. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* ubi dicitur, quòd *in Maleficijs voluntas spectetur, & non exitus:* & Raptus secundùm dicta *n. 2.* requirit abductionem violentam, & cum injuria raptæ, quæ hoc casu abest, cùm scienti, volenti, & petenti non fiat injuria, nec dolus *l. nemo videtur 145. ff. de R. I.* Neque obest, quòd injuriam inferat eam violentè cognoscendo; quia hoc solum probat, quòd hoc casu committatur Stuprum violentum. Pirhing *hic n. 4. coroll. 3.* *Ex quo sequitur*, quód si ità rapta cum Raptore Matrimonium in facie Ecclesiæ, coram Parocho nempe, & testibus contrahat, illud Matrimonium valeat, licèt rapta non sit constituta extra potestatem Raptoris, vel ab isto antea separata. Pirhing *l. cit. n. 19.*

47 *Contrà* si fœmina ab initio abducta est vi, sed postea liberè consensit in copulam, tunc Raptus censendus est; quia initium spectandum est, in quo violentia adfuit: quamvis si plenè probaretur, fœminam omnino liberè consensisse in copulam, Raptor non incurrat pœnam Ordinariam Raptûs; quia non fuit consummatus, & completus, ad cujus consummationem requiritur & violenta abductio, & violenta copula saltem quantum est ex parte voluntatis Raptoris, qui fecit, quod potuit. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 7.* Farin *q. 145. n. 134.* Pirhing *n. 4. coroll. 3.* König *l. 4. tit. 7. n. 33.* Procedit hoc quoad pœnas Juris Civilis; nam pœnæ per *Trid.* proditæ hoc casu manent integræ: adeòque nisi sic rapta ante contractum Matrimonij cum Raptore initi constituatur in plena libertate extra potestatem Raptoris, istud erit invalidum, licèt Rapta in illud consentiat liberè; quia Consilium ad valorem talis Matrimonij exigit non tantùm liberum consensum raptæ in Matrimonium, sed ut plenè sit libera a potestate raptoris, & ab eo separata. Sanch. *D. 13. n. 2.* Begnudell. *V. Raptus n. 3.* Pirhing *n. 19.* König *l. cit.*

Quæritur 11. an Raptus pœnæ sub-
74 jaceat, qui rapuit Virginem adhuc imberem, conjugatam, vel meretricem? R. affirmativè: & quidem quod pœnis Raptus obnoxius sit, qui Virginem impuberem, & nondum viri potentem per vim rapuit, & corrupit, patet ex *l. un. pr. ff. ne igitur C. de Rapt. Virg.* ibi, *Aut à Tutoribus*, ubi supponitur, Virginem raptam fuisse sub Tutela, adeoque minorem 12. annis, & adhuc impuberem: & licèt corrumpens talem Virginem non dicatur commisisse Stuprum, sed illud attentâsse, punitur tamen pœnâ mortis propter ipsum Raptum, & vim adhibitam, & illatam puellæ *l. si quis 5. C. de Episc. & Cler.* Menoch. *de arbitr. cas. 294. n. 7. & 8.* Farin. *q. 145. n. 51.* Pirhing *n. 13. ff. similiter.*

Simliter Raptûs pœnis, etiam de 49
Jure *Trid.* sancitis, subjacet, qui rapit fœminam conjugatam, vel alio impedimento dirimente jam ante affectam, ne cum raptore contrahere Matrimonium possit, si eam capiat animo Matrimonij cum illa defacto contrahendi, & ut notat Sanchez *l. 7. de Matr. D. 13. n. 14.* Pirhing *n. 24.* Neque obstat, quod aliàs inter se Matrimonium Raptor, & sic rapta, contrahere prohibeantur; quia laudata Synodus non spectat, sintne habiles, nec ne ad illud contrahendum, neque requirit, ut actu id contrahatur, sed attendit violentiam, quâ solâ consummatur crimen Raptûs, Sanch. Pirh. *l. citt.*

Si Fœmina violenter rapta sit inho- 50
nesta, distinguendum est inter pœnas Juris Civilis, & inter eas, quæ proditæ sunt in *Trid.* Ad *priores* incurrendas juxta dicta *n. 5.* requiritur, ut rapta sit honestæ vitæ: Cons. rapiens meretricem, aut inhonestè viventem pœnam Raptûs ordinariam non incurrit. *Contrà* incurrit pœnas à *Trid.* proditas, & propterea cum ita rapta non potest validè contrahere Matrimonium, nisi postquam illa ab ipso est separata, & plenæ libertati restituta; quia talis etiam Raptus impedit libertatem Matrimonij, quam Sacra Synodus esse voluit salvam. Sanch. Pirh. *l. citt.*

Quæritur 12. an pœnas raptûs, in- 51
fautores decretas, incurrat Parochus, assistens Matrimonio, inito inter Raptorem & Raptam, quæ non est constituta in pristina libertate, & extra potestatem Raptoris? R. hunc pœnas Consilij Trid. non incurrere; non enim favet delicto raptûs, quod jam est commissum, & consummatum, sed ipsi Matrimonio. Sanch. *D. 13. n. 1. fin.* Pirhing *hic n. 21. not. 4.* *Excipitur*, nisi ante raptum promisisset Raptori, quod assistere velit Matrimonio contrahendo cum rapta, adeòque illum ad raptum exequendum animâsset; tunc enim tanquam fautor, pœnis raptûs obnoxius fieret. Sanch. Pirh. *l. citt.*

Quæ-

52 Quæritur 13. quam pœnam incurrat Raptor Sponsæ alienæ? R. præter pœnas raptoribus cæteris communes raptorem alienæ Sponsæ SS. Canones publicâ pœnitentiâ multant, jubéntque manere sine spe conjugij, ita, ut raptor nec cum rapta, nec cum alia quacunque inire Matrimonium possit, ut constat ex *can. raptor. 33. & can. statutum seq. caus. 27. q. 2.* ubi dicitur: *Si quis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ multetur, & sine spe conjugij maneat.* Idémque dicendum de Sponsa rapta, cui denegatur etiam licentia alij nubendi, si postea in raptum consensit, ut colligitur *can. statutum cit.* per argumentum à sensu contrario. *Ratio est*, quia qui alienum Matrimonium perturbare ausus est, jure proptij contrahendi meritò privatur, ut in eo puniatur, in quo deliquit. Est autem Impedimentum hoc non dirimens, sed impediens tantùm. Navar. *Man. c. 12. n. 74.* Sanch. *D. 12. n. 43. & 44.* Vallens. *hic* §. *2. n. 3.* Pirhing. *n. 16. ibid.* In quibusdam locis non est ampliùs in usu: at ubi viget, locus ei duntaxat est, quando quis alienam Sponsam de præsenti rapuit, non autem si Sponsam de futuro; quia hæc in odiosis, & pœnalibus nomine Sponsæ non comprehenditur, ut ex probabiliore sententia docet Sanch. *l. cit. n. 45.*

53 Quæritur 14. an tempore, quo rapta in potestate Raptoris est constituta, etiam Sponsalia de futuro validè inire nequeant? Duplex est Sententia. Navar. *l. 5. conf. 4. b. tit.* Riccius *prax. Matr. p. 4. ref. 454.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 12. n. 17.* Gutier. *de Matr. c. 86. n. 24.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 13. fin.* Bonacin. *q. 4. p. 18. n. 10.* Dian. *p. 10. tr. 16. res. 83.* Barbos. *in Trid. sess. 24. c. 6. n. 9.* Begnudell. *V. Raptus n. 8.* Pirhing. *hic n. 29.* König. *l. 4. tit. 7. n. 36.* putant iniri invalidè, quoad *arg. l. oratio 16. ff. de Sponsal.* dispositum de Matrimonio etiam locum habeat in sponsalibus. *Contrà* validè iniri existimat Perez. *D. 38. de Matr. sect. 4. n. 8.* cui adstipulatur P. Wiestner *hic n. 15.* ex ratione, quia dispositio *Trid.* est correctoria Juris antiqui, quo Matrimonium inter Raptorem, & raptam sustinebatur c. *cum causa 6.* & *c. fin. h. tit.* ergo ad casum ea dispositione non expressum extendi non debet, sed hic potiùs relinquendus sub dispositione Juris antiqui. hoc autem Jure Sponsalia de futuro, inter raptorem & raptam inita, nuspiam irritantur. ergo &c. *Ad Argumentum* sumptum ex *l. oratio cit.* dicunt regulam illam solùm procedere in casu, quo eadem est ratio sponsalium, & Matrimonij. non videtur autem eadem esse ratio in casu præsenti; quia Matrimonium inter raptorem, & raptam irritatur, quòd minùs liberè præsumatur esse contractum, & semel contractum validè solvi nequeat: quæ ratio non pugnat in Sponsalibus de futuro, utpote quæ etiam validè contracta facilè solvuntur. Hæc Sententia satis esset probabilis, nisi in contrarium staret authoritas *S. Congreg.* quæ, ut refert Molin. *tr. 3. de J. & J. D. 105. n. 82.* interrogata, num valida sint Sponsalia eo tempore celebrata, respondit esse invalida. Unde potiùs adhærendum primæ.

54 Quæritur 15. à quo Judice puniri raptores possint? R. puniri possunt, ubicunque reperti fuerint, absque ulla fori præscriptione *l. un. pr. ff. sin autem fin.* ibi: *Sine fori præscriptione C. de Rapt. Virg.* modo Judex sit competens respectu rei, qui capitur; & respectu loci, in quo capitur; quia Clericus non respondebit Judici Laico: idque ob enormitatē istius criminis. Farin. *q. 145. n. 62. & duob. seqq.* An verò raptor, captus extra locum delicti, debeat remitti ad Judicem loci delicti, si iste hoc petat, ut videre est apud Farin. *l. cit. n. 67.* controversū est inter DD. Affirmant Marsil. *in l. cit. n. 141. & seqq.* Bald. *in l raptores in Summar. C. de Episcop. & Cler.* Negant Paul. de Castro *n. 7.* & Ludov. Peguera *decis. crim. 43. n. 8.* Conveniunt in hoc, quod crimen istud non, sicut cætera delicta carnis, præscribatur quinquenio: & ita expressè *l. qui cœtu 5. §. fin.* ibi: *sine quinquennij præscriptione ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* Farin. *l. cit.* Pirhing. *n. 23. fin. hic.*

§. II.

§. II.

De Rapina Rerum.

SUMMARIUM.

55. *Rapinæ triplex acceptio.*
56. &c. *Definitio Rapinæ propriè dictæ.*
61. &c. *Pœna Raptorum Jure Civili prodita, quando illi conveniuntur civiliter.*
64. &c. *Pœna illorum criminalis.*
66 &c. *Casus, in quibus eidem est locus.*
67. *Casus, in quibus ulla est mitiganda.*
68. 69. *Quæ pœna sit infligenda illi, qui simul furti, & rapinæ reus est?*
70. 71. *Quæ sit pœna Raptorum Jure Ecclesiastico?*
72 &c. *Quomodo puniantur, qui Christianos naufragium passos rebus suis exspoliant?*
74. *Causæ excusantes à Censura in istos lata.*
75. *Quid dicendum de præbentibus ad hoc consilium, vel auxilium?*
76. 77. *Quid de reliquis Piratis maritimis?*
78. &c. *An dominus teneatur resarcire damnum Viatori spoliato?*

55. QUæritur 1. quid sit *Rapina*? R. *Rapinæ* nomen triplici in significatione accipitur. 1. *Latè*: & in hoc sensu accepta sumitur pro illicita usurpatione, vel occupatione rei temporalis, sive manifestè, sive occultè: quo sensu *can. si quis 10. caus. 14. q. 4.* ex S. Ambrosio dicitur: *Si quis usuram acceperit, rapinam facit*; & *can. siquid 6. caus. cit. q. 5.* ex S. Augustino, *Siqaid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

1. *Strictiùs* pro ablatione violenta, & publica: & in hoc sensu multi Raptores confundunt cum Latronibus, quamvis si proprietatem Vocis *Latrocinium* & *Rapina* attendamus, ista duo a se invicem differant; Latrocinium enim magis est Homicidium, quàm Deprædatio, neque committitur absque interfectione alterius, licèt deprædationem semper conjunctam habeat: Rapina autem, ceu minus delictum, est deprædatio absque occisione, adeoque propiùs ad crimen furti accedit. Carpz. *pract. crim. q. 90. n. 3. & 4.* Et hinc

3. *Propriè* accepta rapina, & prout à Raptu, Furto, & Latrocinio distinguitur, est deprædatio violenta sine occisioue, vel Homicidio: quod delictum in Tribunalibus *Robbaria*, & ejus rei *Robbatores* vocantur. In hoc sensu

56 Definitur *Rapina*, quòd sit *injusta ablatio rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim facta.* Host. *Summ. de Raptor. rer. n. 1.* Sylv. *V. Rapina pr.* Covar. *Regul. Peccatum p. 2. §. 1. n. 2.* Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 10.* Vallens. *hic §. 3. n. 1.* Pirhing. *n. 30.* König *n. 2.* Wiestner *n. 17.*

Dixi 1. *Ablatio*: hinc rapinam propriè non committit, qui alteri in rebus, vel bonis suis infert damnum, ea destruendo, vel deteriorando; quia nihil aufert. Et ob hanc causam aliqui non malè in Definitione addunt *Lucri faciendi causâ* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 683. n. 2.* Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 10.* Wiestner *n. 23.*

Dixi 2. *injustæ*. Hinc Rapinam non committit, qui hosti rem suam aufert violenter in bello justo; vel in extrema necessitate; aut legitimi Magistratûs authoritate; quia non aufert injustè. Sylv. *l. cit.* Molin. *n. 2.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 15.*

Dixi 3. *Rei*: quo rapina distinguitur 57
à *Raptu* & *Plagio*; nam *Raptus*, *ut n. 1.* dictum est, committitur, quando Virgo, vel alia persona honesta per vim abducitur libidinis causâ; *Plagium* verò committunt, qui alia ex causâ furantur homines liberos, vel servos, eósque vendunt, vel ijs persuadent, ut à parentibus, vel dominis suis aufugiant: at *Rapina* per ablationem violentam, & injustam rei committitur.

Dixi 4. *alienæ*; nam rei propriæ 58
non est rapina. Et hinc rapinæ reus non est, qui alteri violenter rapit rem suam, aut quam saltem suam esse contendit, opinatus licere domino rem suam quovis modo ex possessoris manibus vindicare; quia in rapina duplex infertur injuria, dum scilicet alteri rapitur res sua, & dum violentè rapitur, cùm tamen in casu dato ille, cui res rapitur, patiatur duntaxat unam injuriam, nempe violentiam. Ex quo sequitur, quòd ita rapiens nec teneatur actione *vi bonorum raptorum*, nec etiam raptorum pœnas incurrat, utpote quem ignorantia Juris excusat. Quia tamen res pessimi exempli, & periculosæ consequentiæ est, Spreto Juris ordine, jus sibi dicere, & partes publicæ potestatis sibi usurpare, aliâ pœna vindicatur imprudens factum, & si quidem ita auferens rei dominus fuerit, ejus patitur jacturam, si minùs, præter rem ejus æstimationem præstare tenetur §. *ita tamen 2. Inst. de vi bonor. rapt. l. siquis 7. C. unde vi*: & quidem ex singulari æquitatis ratione, ne vin-

vincula tranquillitatis publicæ convellantur, aut quivis juxta propriam libidinem authoritate privata jus sibi dicere audeat *Reg. non est* 176. *ff.* Sylv. *V. Rapina pr.* Molin. *tr. 2 de I. & I. D.* 683. *n.* 3. Gonzal. *in c. 2. h. tit. n.* 10. Pirhing *hic n.* 30. König *n.* 6. Wiestner *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 12. Magnif. D. Verlohner *tr. de Act. forens. fol.* 623. *n.* 2.

59 Dixi 5. *Rei mobilis, aut se moventis*: hinc dejiciens alterum de possessione prædij propriè non est Raptor; quia prædium est res immobilis, quæ propriè non auferri, sed invadi dicitur §. *ita tamen cit.* Laym. *l.* 3. *Theol. mor. tr.* 3. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 1. Gonzal. *in c. 2. h. tit. n.* 10. Pirhing *hic n.* 30. König *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 13. cujus causâ non actio vi bonorum raptorum, sed vel Interdictum *unde vi*, vel condictio triticaria, vel Judicium publicum Legis Juliæ competit *l. vi bonorum* 1. *C. vi bonor. rapt. l. prætor.* 1. § *hoc interdictum* 3. *ff. de vi & vi armat l. sed & ei* 2. *ff. de Condict. tritic. l. in eâdem* 3 §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* Parum autem interest in ordine ad rapinam, & hujus pœnas, cujus quantitatis, & valoris sit res ablata; nam eadem pœna imponenda venit raptori rei minimæ, quæ grassatori rerum maximi pretij, ob generalitatem *Constit. crim. Carol. V. art.* 126. & ratio est, quia in crimine rapinæ non tam noxa, & damnum, per ablationem rei datum, quàm violatio securitatis publicæ attenditur. hæc autem æquè violatur per ablationem rei minimæ, ac per ablationem rei maximi pretij, Math. Steph. *in not. ad art. cit.* Carpzov. *pract. crim. q.* 90. *n.* 43. *& seqq.* König. *hic n.* 5. Ob eandem rationem etiam non attenditur qualitas rei ita ablatæ: sed sive pecunia illa sit, sive vestis, sive res alia, eam rapiens hujus criminis pœna tenetur Georg. Remus *ad art. cit.* Carpzov. *l. cit. n.* 51. Neque his pœnis se liberat Raptor, si dicat res raptas fuisse furtivas, & vero suo domino ablatas. Carpzov. *n.* 53. aut si illas domino suo jam restituerit, Carpzov. *n.* 55. quia rapinæ crimen jam semel ab ipso est consummatum, & securitas publica violata, quæ per restitutionem spolij non redintegratur: quo rapina differt à Furto; nam hoc ex damno illato æstimari, & puniri solet, & si res furtiva sit domino reddita, pœna laquei est remittenda, fúrque virgis cæsus, in perpetuum relegandus, etiamsi furtum multum superet valorem quinque solidorum. Carpzov. *l. cit. n.* 56. & *q.* 80. *n.* 14.

Dixi 6. *per vim facta*: quo iterum 60 distinguitur à Furto item à Latrocinio, & Prædatione; q ia Furto Rapina superaddit vim, quippe quæ est Furtum violentum, seu adhibita vi, & violentiâ commissum, & hinc duplicem malitiam continet, unam furti, ratione cujus omnes illæ actiones, quæ oriuntur ex furto, etiam oriuntur ex Rapina *pr. Inst. de vi bon. rapt.* alteram violentiæ, ob quam alijs, & diversis pœnis hujus criminis reus afficitur. A Latrocinio autem, & Prædatione Rapina differt; quia Latrocinium quidem superaddit furto & violentiæ occisionem, Prædatio verò insidiosam aggressionem in vijs, & stratis publicis. *Ex quo sequitur*, casu, quo res sua alteri auferetur per dolum, non adhibita, aut parata vi, non Rapinam, nec Prædationem, vel Latrocinium, sed Furtum duntaxat committi. Host. *Summ. de Rapt. rer. n.* 1. Sylv. *V. Rapina n.* 1. Pirhing *hic n.* 30. Wiestner *n.* 21. Reiffenstuel *n.* 16. Cæterùm parum refert, an vis armis, vel sine armis inferatur *l. Prætor ait.* 2. §. *hoc edicto* 1. *ff. vi bonor. rapt.* imò etsi nulla vis actu inferatur, dummodo Raptores rem mobilem palàm auferant, parati vim inferre, si eis resisteretur, Rapina est *l. Prætor ait cit.* §. *damni* 9. Farin. *prax. crim. q.* 166. *n.* 31. Carpzov. *pract. crim. q.* 90. *n.* 68. König *hic n.* 7. *fin.* Reiffenstuel *ibid. n.* 17. Et esto talis extorsio, nullâ adhibitâ vi, sed metu illato facta non sit Rapina propriè dicta, sed concussionis species, ejusmodi Coactores pœnâ Robbariæ ordinariâ afficiendos satis liquet ex *Recess. Imp. sub Ferdin. I. de anno* 1555. § Wir setzen / ordnen / &c. wo sie in Gefängnus kommen / & *Const. crim. Carol. V. art.* 128 & 129. nam & ipsi violant pacem, & securitatem publicam. Gaill. *l.* 1. *de Pac. publ. c.* 1. *n.* 6 Carpzov. *l. cit. n.* 69. & 70. Similiter in ordine ad Rapinam, & hujus pœnas parum interest, an vis hujusmodi exerceatur in vijs, & stratis publicis, an verò in villis, oppidis, & ædibus privatis; nam etiam qui in istis Rapinam exercent, pœnâ Robbariæ ordinaria tenentur, ob generalitatem textûs *Const. cit. art.* 126. ibi, Ein jeglicher boßhafftiger überwundener Rauber soll mit dem Schwerdt zum Todt gerichtet werden. Accedit, quia eadem ratio eandem dispositionem Juris facit *c. inter corporalia* 2. ℣. *unde cùm non fit de Translat. Episc. l. illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil.* atqui illa ipsa ratio, ob quam deprædatio in via publica tam graviter punitur, obtinet etiam in Rapina exercita in domo privata, quippe quæ cujusque tutissimum receptaculum est, ita, ut in illa tam ratione personæ, quàm ratione bonorum suorum securus esse debeat *l. plerique* 18. *ff. de in Jus vocand.* Carpzov. *l. cit. n.* 71. *& seqq.*

Quæritur 2. quæ sit pœna Rapto- 61 rum de Jure Civili, quando conveniuntur civiliter? ℟. Jure Civili Raptor conventus civiliter etsi res ablata sit minima,

ma, Actori intra annum utilem condemnatur in quadruplum, cui tamen ipsa res ablata inest; conf. præter rem ablatam tantùm debebit præstare triplum, h. e. triplicatum rei æstimatæ pretium: post annum verò solùm obligatur in simplum; conf. satisfacit, si restituat rem ablatam, vel si ea non extet, æstimationem ejusdem cum refusione damni emergentis, & lucri ex ablatione cessantis *l. Prætor ait 2. §. in hac actione 13.* & *l. Prætor ait 4. prin. ff. vi bonor. rapt.* junct. *pr. Inst. tit. eod.* & *§. ex maleficiis 19. Inst. de Action.* Sylv. *V. Rapina q. 1.* Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 11.* König *hic n. 10.* Reiffenstuel *ibid. n. 18.* Magnif. D. Verlohner *tr. de Action. forens fol. 627. n. 11.* In foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis Raptor, vel alius, qui injustè rem alienam abstulit, etiam intra annum plus restituere non tenetur, quàm quantum accepit: unde ad quadruplum solùm tenetur, postquam ad hoc per sententiam est condemnatus, & tum obligatio id solvendi producitur etiam in conscientia. S. Thom. *2. 2. q. 62. art. 4. Corp.* Sylv. *q. 1. cit.* Pirh. *hic n. 32.* Reiffenstuel *ibid. n. 19.*

62 Actio, quæ ex Rapina datur, dicitur *Actio vi bonorum raptorum*, & describitur, quòd sit actio Prætoria, personalis, & mixta, quâ rei, violenter nobis ablatæ, quadruplum, cui simplum inest, persequimur. Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 44.* Quoad triplum pœnalis est, quoad simplum autem rei persecutionem continet *pr. Inst. de vi bon. rapt.* Et hinc quoad simplum est perpetua, & quoad triplum annalis; quia actiones pœnales Prætoriæ annum non debent excedere. Schmier *n. 45.* cum *citt.* Datur actio hæc omnibus illis, quibus actio furti conceditur §. *sanè 2. fin. Inst. eod.* Passivè dirigitur contra solos Raptores, non item contra hæredes illorum, licèt aliquod lucrum ad illos ex rapina pervenerit; Prætor enim, veluti Actionis istius author, Condictionem furtivam contra hæredes sufficere existimavit *l. Prætor ait 2. §. fin. ff. vi bonor. rapt.* Quoad *objectum*, quatenus est pœnale, & triplum continet, æstimatur hæc actio, sicut actio furti *l. prætor ait cit. §. in hac actione 22.* Quoad *Probationem* nihil aliud desiderat, quam ut interesse vel modicum doceatur, & ostendatur, rem in, vel ex bonis actoris extitisse, & violenter à reo ablatam fuisse §. *sanè cit.* & *l. Prætor ait 2. §. si in re 24. ff. eod.*

63 Disputant hic aliqui DD. quare Raptor præter rem ablatam tantùm condemnetur in triplum, fur autem manifestus in quadruplum, cùm tamen Rapina sit delictum longè gravius furto? Hunnius *in Treutl. vol. 2. D. 30. q. 34.* desperat de invenienda ratione: sed sine ratione; nam ratio non incongrua rapinæ mitiorem pœnam civilem constituendi assignari potest hæc, quòd furta longè frequentiùs committantur, quàm rapinæ, & propterea, ut consuleretur indemnitati privatorum, quorum interesse præcipuè pœna Civilis spectat, conveniens fuerit, ut pœna in fures manifestos decerneretur major. Neque dicas, hoc modò pejoris fore conditionis furem, quàm Raptorem; imprimis enim Raptor indistinctè condemnatur in triplum, in furto autem distinguitur, & etsi fur manifestus, exigente hoc bono communi, condemnetur in quadruplum, non manifestus tamen solùm condemnatur in duplum: adeóque non respectu cujuscúnque furti est gravior pœna Civilis. Deinde esto, quòd fur manifestus pecunialiter graviùs puniatur, quàm raptor, tamen quoad alia, & in genere multo graviùs punitur Raptor, quippe contra quem non privatum duntaxat, sed publicum quoque Judicium ex Lege Julia de vi datur, ut advertit Harpprecht *ad pr. Inst. de vi bonor. rapt. n. 22.* Vallens. *hic §. 3. n. 1.* Wiestner *ibid. n. 25.*

Quæritur 3. quæ de Jure Civili sit 64 pœna Raptorum criminalis? R. si Rapinam sine armis exercuêre, olim *Lege Julia de vi privata* puniebantur amissione tertiæ partis bonorum, & dignitatis, honorisque omnis cum infamia §. *item Lex Julia 8. Inst. de vi publ. l. de vi 1. pr. ff. ad Leg. Jul. de vi privat. l. tutoris 2. C. ad Leg. Jul. de vi publ. & privat.* Host. *Summ. §. de Raptor. rer. n. 9.* Mynsing. *ad §. item Lex Julia cit. n. 5.* Pirhing *hic n. 32.* Si verò cum armis, eâdem *Lege Julia de vi publica* in illos statuta fuit Depertatio §. *item Lex Julia cit.* junct. Gloss. *fin. in l. qui dolo 10. ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* cui cum tempore successit Bannum Imperiale. Mynsing. *ad §. cit. n. 3.* Pirhing *n. 32. cit.* Reiffenstuel *n. 20. & 21.*

Per *Ord. n. Pœnal. Carol. V. art. 126.* 65 Raptores indistinctè jubentur affici gladij, vel aliâ mortis pœnâ juxta consuetudinem loci, quæ varia est. Communiter distinctio fit, an hujusmodi Rapinæ rei eam exercuerint cum cæde, vel sine illa; nam si cum cæde, præsertim in vijs, & stratis publicis, ut Latrones affici solent Rotæ supplicio. *Constit. Carolin. cit. art. 130. & 137.* Si sine cæde, ut Grassato res, & Prædatores plectuntur capite. *Const. cit. n. 126.* & aliquando ita punitorum corpora implectuntur, vel imponuntur Rotæ: cujus usus in Tribunalibus ita passim invaluit, ut hoc Carpzov. *pract. crim. q. 90. n. 12.* pro Regula generali non dubitet ponere. Et quamvis istud augmentum supplicij nulla manifesta Imperiali Sanctione reperiatur statutum, meritò tamen per con-

consuetudinem est introductum, ut ita omni tempore, omniúmque in oculis spectaculum, & recordatio animadversionis remaneat, & à similibus ausis quoscúnque absterreat. Carpzov. *l. cit. n. 14. & seqq.*

66 Neque à pœna ista 1. excusat Nobilitas; nam per *Constit. Carol. cit. art. 126.* grassatores omnes indifferenter, & absque respectu personarum hac pœna jubentur affici. Sed qui universaliter affirmat dicendo, *Quilibet*, vel *Omnis*, nihil videtur excludere *can. si Romanorum 1. ff. dicendo verò omnia dist. 19.* Decian. *l. 1. cons. 57. n. 12.* Carpzov. *l. cit. n. 39.* 2. non excusat materiæ parvitas; quia, ut *n. 58.* dixi, etiam rapiendo rem minimi pretii, violatur pax, & securitas publica: & fortè raptor plus abstulisset, si vim passus plus habuisset. 3. non excusat, quòd Reus semel tantùm Rapinam exercuerit in via; quia in *Carolin. art. 126.* pœna mortis statuitur generaliter, nulla habitâ ratione, an reus semel duntaxat, an verò sæpius hoc delicti genere sese contaminaverit. Carpz. *n. 22. & seqq.* Econtrario non est propterea exasperanda pœna capitalis Raptorum, quòd Reus iteratò hoc crimen commiserit; quia Legis authoritas deficit, sine qua nec supplicium regulariter aggravandum, nec temerè quidquam asseverandum est *l. dissentientis 5.* ibi, *Nulla Juris præcipit constitutio C. de Repud.* & *Novell. 2. c. 3.* ibi, *Nec Lex est aliquid tale dicens &c.* Hartm. Pistor. *l. 2. q. 1. n. 100.* & *q. 13. n. 35.* Carpz. *n. 28.* 4. non est de rigore Juris parcendum illi, qui fortè post factam rapinam pœnitentiâ ductus rem ablatam restituit; per hoc enim in aliis metus non tollitur, nec securitas ablata restituitur, quia non constat de talis hominis motivo restituendi, & seria, ac constanti pœnitentia. Haun. *tom. 6. de L. & I. tr. 2. n. 538.* Carpz. *n. 55. & seqq.* qui tamen *n. 60.* suadet, ut tali non difficiliter gratia fiat, & pœna gladii in mitiorem mutetur. 5. eâdem prædationis pœnâ juxta Carpzovium *n. 68.* & Haun. *n. 539.* afficiendus etiam est, qui non quidem vi adhibita viatori suum eripit, sed solo incussò metu adigit, ut ipse sponte tradat; quia etiam tale factum continet formalem malitiam prædationis, nempe turbationem pacis, & securitatis publicæ. 6. nec refert, an in via publica, an verò in domibus privatis sit Rapina exercita, si hoc factum sit cum magna vi, & domûs devastatione aut domesticæ pacis turbatione: secus mitiùs is puniendus erit; quia licèt unicuique domus sua debeat esse tutissimum receptaculum, cùm tamen quivis possit in domo sua se alijs medijs tueri faciliùs, quàm in via publica non videtur opus esse tantâ pœnâ ad absterrendum à tali domestica Rapina, quàm à publica. Carpz. *n. 78.* Haun. *n. 540.* 7. eadem Robbariæ pœnâ plectendi sunt omnes delicti consortes. Carpzovius *n. 34.* & sumitur à paritate cum furto commisso à pluribus, quibus omnibus suspendii pœna imponitur, modò cujusq; portio summam quinque solidorum excedat.

Contrà pœna Robbariæ ordinaria 67
mitiganda erit in sequentibus casibus. 1. Si Robbaria, seu Rapina non adeo hostilis, & violenta sit; non enim quævis turbatio, aut violentia Constitutione pacis fractæ coërcetur, sed tantùm ea, quæ vi majori, atque hostili committitur, cui resisti vix potest: quod innuunt verba Constitutionis Pacis publicæ, mit gewaltiger That. *Recess. Imp. Worm. de Ann. 1495. 1521. August. Ann. 1548. & 1555. Reusner. l. 4. Decis. 17. n. 12.* Mindan. *Proces. Camer. l. 1. c. 23.* Carpzov. *q. 91. n. 2. & seqq.* Quænam autem vis major, & quæ Rapina dicatur violenta, Carpz. *n. 8.* cum alijs existimat committendum arbitrio Judicis, qui omnes circumstantias, & qualitates Rapinæ perpendens; & diligentia exactiori examinans, de hoc facilè judicare poterit. 2. pœna Robbariæ ordinaria cessat in Servo, qui jussu, & mandato Domini rapuit, si de Rapina nil speravit, vel participavit: secus, si de ea ipse participet; quia tunc de approbatione, & consensu illius satis constat. Carpz. *n. 14. & seqq.* Mandans tamen pœnæ ordinariæ subjacet; quia hujus gravius est delictum. Carpzov. *n. 21.* Et multo magis idem pœnæ subjacent, qui Raptoribus opem, & auxilium cooperativum præbent, sine quo Rapina forsan perpetrari non potuisset. Carpzov. *n. 26.* Quod adeò verum est, ut nec illi, qui Prædonibus Robbariam committentibus, interea in excubiis stant, hanc pœnam effugiant, modò tamen insuper aliud quidpiam auxilii præstiterint, aut ad minimum de Rapina participaverint. Berlich. *p. 5. concl. 55. n. 38. & 39.* Carpz. *l. cit. n. 27.* 3. Pœna ultimi supplicij cessat, si Robbaria solùm est attentata, effectus autem non secutus; quia ut in reliquis delictis, ita etiam in Rapina conatus solus non subjacet pœnæ ordinariæ: quare ob hunc aliâ pœnâ extraordinariâ fustigationis, vel relegationis Prædones afficientur. Carpz. *n. 31.* 4. similiter non est afficiendus ultimo supplicio, qui aggreditur, & spoliat Prædatorem, vel eum, à quo priùs fuit spoliatus, & offensus; quia justo dolore commotus facere istud creditur, is autem, qui tali dolore commotus delinquit, mitiùs puniendus est *l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Carpzov. *n. 36. & seqq.* 5. Ordinaria pœna est mitiganda, si hoc suadeat alia justa causa, v. g.

quia quis ob diræ famis necessitatem edulia surripuit *arg. art. 166. Const. Carolin.* qui licèt loquatur de furto, haud ineptè tamen ex rationis identitate ad Robbariam extenditur. Carpz. *n. 48.*

68 *Dubitari* potest, quænam pœna infligenda sit reo, gladii, an suspendii, si is furtum simul, & Rapinam distinctis patravit vicibus? ℟. Regula quidem aliàs vulgatis est, quòd singulis delictis singulæ pœnæ competant, ita, ut una alteram non consumat. Verùm hæc Regula intelligi solùm potest, quando pœnæ sunt iterabiles, & compatibiles inter se, uti est pœna pecuniaria, & relegationis, vel exilii; hæ enim pro quantitate delictorum compatibiliter multiplicari possunt. Secus est de pœnis non iterabilibus, nec inter se compatibilibus, quales sunt pœna gladii, & suspendii; hæ enim nemini insimul infligi possunt. Tunc ergo unica tantùm pœna, eáque, quæ major est, infligi debet; nam pœna major absorbet minorem. Gloss. *in l. nunquam plura V. ob aliud fin. ff. de privat. delict.* Bald. *in l. quicunque n. 5. C. de Serv. fugit.* Cæpoll. *in Auth. sed novo Jure n. 42. C. eod.* Reusner. *l. 2. Dec. 20. n. 16.* Carpzov. *pract. crim. q. 91. n. 49. & seqq.* In casu quæstionis pœna furti, & pœna Rapinæ videntur esse pares, ita, ut neutra quoad gravitatem, & atrocitatem alteri sit præferenda; licèt enim laquei pœnæ vulgò gravior censeatur, quàm pœna gladij, id tamen forsan ex eo nascitur, quòd gladio punitus sepeliatur, laqueo verò suffocatus in conspectu omnium suspensus maneat in furca, non absque insigni macula totius familiæ: hinc cùm etiam Raptorum gladio punitorum cadavera maneant exposita in Rota, Judicis arbitrio relinquendum videtur, utrum suspendii, vel gladii pœnam cum impositione Rotæ irrogare velit, aut prout alicubi solet, considerandæ circumstantiæ utriusque delicti, præsertim iteratio, & si quidem circumstantiæ Rapinæ sint graviores, eáque sæpius iterata, reus plectendus capite cum impositione Rotæ; si verò furti, dictari poterit supplicium furcæ. Carpz. *l. cit. n. 52. & seqq.*

69 Sed quid, si Raptor, spolio non contentus, spoliatum insuper percutiat, & vulneret graviter, num propterea Rapinæ pœna exacerbanda erit? Negat Reusner *l. 2. Dec. 21.* quam sententiam, ceu benigniorem, Judici etiam suadet Carpzov. *q. 90. n. 30.* Alii distinguunt: & siquidem animo occidendi hoc factum sit, putant Reum pro qualitate facti, & ratione circumstantiarum, secundùm Juris rigorem, etiam Rota ob Latrocinium attentatum puniri posse. *Secus*, si animus interficiendi defuerit, & Raptor eo fine duntaxat spoliatum percusserit, ut Robbariam commodius posset perficere; tunc enim pœna propter vulnus etiam lethale inflictum nequaquam exasperanda erit. *Rationem* dat Carpz. *l. cit. n. 31.* quia majus delictum absorbet minùs, præsertim quando unum delictum tendit ad finem delicti principalis commodiùs perficiendi. Reusner. *l. 12. Dec. 20. n. 9.*

Quæritur 4. quæ sit pœna Raptorum Jure Ecclesiastico? ℟. hoc Jure 70
1. excommunicantur: quod fieri potest ab Episcopo loci, ubi delictum commissum est, etsi delinquens sit subditus alterius Diœcesis; quia ubi quis committit Rapinam, ibi maximè læditur Resp. ad cujus læsionem reparandam præcipuè in foro contentioso imponitur pœna. Sylv. *V. Rapina q. 1.* Vivian. *in c. de illis 1. h. tit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Zoes. *hic n. 8.* Hinc, si hoc petat pars læsa, remitti Reus debet ad locum delicti, ut ibi puniatur ad aliorum exemplum, & Reip. læsionem compensandam, quamvis sit vagabundus, ut tradit Covar. *pract. qq. c. 11. n. 3.* quod juxta Barbos. *in l. Hæres absens §. proinde ff. de rejud. art. defor. delict. n. 12. & 13.* procedit, si pars læsa petat remissionem ad locum delicti secus, si accusator velit prosequi causam in loco, ubi vagabundus reperitur; tunc enim ibi eandem prosequi potest, neque locus erit remissioni. Wagnereck *in c. de illis cit. not. 1.* Barbos. *ibid. n. 3.* Porro ab Excommunicatione, per Judicem in ipsum lata, absolvendus non est antea reus, quam plenè satisfecerit, vel caverit de satisfaciendo *c. de illis cit.*

2. Si ante obitum Raptor non satisfecerit, vel in ipsa deprædatione interficiatur, tanquam mortuus in peccato mortali, privatur Sepulturâ Ecclesiasticâ, & Ecclesiæ suffragijs, ac Orationibus publicis fidelium *c. super eo 2. h. tit.* & *c. fures 2. de furt.* Contrà si satisfecit, scilicet restituendo cavit; tunc enim in vita, & in morte ad pœnitentiam, & sepulturam admittitur. Sylv. *V. Rapina q. 1.* Vivian. *in c. super eo cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 3.* quia Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti *can. Schismatici 1. caus. 23. q. 6.* Quodsi, cùm posset, in vita cavere noluit, & in morte, cùm vellet, non potest, pœnitentia quidem ipsi conceditur, Sepultura tamen Ecclesiastica, ut cum quibusdam vult Gonzal. *in c. super eo cit. n. 4. & 12.* denegatur, ob gravitatem sceleris, & ut alij terreantur. Alij tamen cum Joan. Andr. *in c. cit.* Vivian. *ibid. ℣. si verò*, Barbos. *n. 2.* contendunt, ejusmodi pœnitenti concedi quidem Sepulturam Ecclesiasticam, denegari verò solennitatem sepeliendi, ita, ut Clerici ejus Sepulturæ interesse non debeant; quia licèt, quando ablatum non potest 71

test restitui, data Contritione de peccato commisso, illud dimittatur *c. cùm tu 5. de Usur.* meritò tamen in pœnam denegatur sepulturæ solennitas non restituentibus, quando poterat, ut Raptores, & eorum hæredes, atque alij hoc videntes, absterreantur ab isto scelere, & facilius ad restitutionem inducantur. Porrò Clerici, interessentes hujusmodi Sepulturæ, vel injungentes pœnitentiam contrà hanc dispositionem, deponuntur ab Officio, & Beneficio *c. super eo cit. fin.* quia quis puniendus est in eo, in quo deliquit *c. litteras 13. de temp. Ordin.* & quoniam qui facit contra Legem, committit in Legem *l. non dubium 5. C. de LL.* Wagnereck *in c. super eo cit. in Summ.*

3. Latrones publici, & Grassatores viarum, si ad Ecclesias, & alia loca Sacra, aut Religiosa confugiant, tanquam Asylo Sacro indigni, permittuntur inde vi extrahi, *can. sicut antiquitus 6. caus. 17. q. 4. c. inter alia 6. de Immunit.* & *Const. Gregor. XIV.* incipit. *Cùm alias editâ 28. Maji 1591.* de quo dictum est latiùs *Libr. 3. Tit. 49. n. 186. & seqq.*

72 Graviùs puniuntur, qui Christianos naufragium passos rebus suis exspoliant; nam hi, si cùm possent, eas non restituerint, ipso Jure, & facto incurrunt Excommunicationem, in eos latam per *Concil. Later.* relatum *c. Excommunicationi 3. h. tit.* Imò qui bona Catholicorum naufragantium in mari rapiunt, incurrunt Excommunicationem reservatam Summo Pontifici, ut habetur in *Bulla Cœnæ Cas. 4.* & meritò; quia afflictio afflicto addi non debet *c. ex parte 5. de Cleric. ægrot.* & iniquum est, ut quis lucretur in aliena calamitate, & de re tam calamitosa compendium sectetur *l. si quando 1. C. de naufrag.* Vivian. *in c. 3. cit. v. excommunicati sunt*, Barbos. *ibid. n. 1.* quæ ratio probat, quòd neque fiscus hujusmodi bona sibi capere possit, prout apertè statuit Constantinus Imper. *l. cit.*

73 Addidi *Christianos*, & *Catholicos*; nam pœna hæc non videtur extendenda ad illos, qui diripiunt bona naufragantium Infidelium, aut Hæreticorum, vel etiam Piratarum, quòd hi Ecclesiæ, & Reip. hostes sint, ac propterea indigni, ut eos Ecclesia Censuræ talis commination protegat. Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 21.* Bonacin. *de Censur. in partic. D. 1. q. 5. p. 3.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 5. n. 8.* Pirhing *hic n. 39.* Wiestner *n. 29.* Reiffenstuel *n. 23.*

74 Sed & illi, qui accipiunt bona naufragantium fidelium, aliquando Excommunicationem istam evitant: quod fit in sex maximè casibus, quos enumerant Zerol. *prax. Episc. p. 2. V. Naufragium*, Quarant. *Summ. Bullar. V. Bona naufragorum fol. 1406.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 9. prop. fin.* Barbos. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 42.* Et 1. quidem si hujusmodi bona naufragantium acceperunt non animo usurpandi illa, & ad proprium commodum convertendi, sed animo ea conservandi, vel restituendi domino, habitâ istius notitiâ, nisi tamen in mora fuerint; quia tunc ratione illius moræ sunt Excommunicati per *Conc. Later.* relatum *c. 3. cit.* 2. si ignorant, talia bona esse naufragantium, sed putent esse aliorum; tunc enim, etsi nolint restituere, & sint in mora, non incurrunt hanc Excommunicationem. 3. si acceperunt talia bona, quæ dominus habuit pro derelictis, amissa omni spe ea recuperandi; tunc enim fiunt primò occupantis: secus est, si ea dominus projecisset in mare propter vim tempestatis ad navem exonerandam, ut periculum evadat; quia tunc dominium remanet penes pristinum dominum. 4. si illi, quorum bona hæc fuerant, sint hostes illi populo, & genti, à qua bona illa occupantur; quia tunc occupatio jure belli justificatur. 5. si quod acceptum est de bonis naufragantium, tam modicum est, ut non sufficiat ad lethalem culpam: imò aliqui ad incurrendam Excommunicationem Bullæ requirunt, ut furtum, seu bona rapta excedant duos aureos. 6. si accipiantur tales res, quæ de sui naturâ statim perirent, nisi quis ad eas recuperandas, seu servandas periculo mortis se exposuisset.

Dubitatur, an dictâ Censurâ, ejús- 75
que reservatione afficiantur etiam illi, qui naufragantium fidelium res surripientibus consilium, favorem, vel auxilium præbent, aut illos recipiunt? Affirmant Navar. *Man. c. 27. n. 59.* Pirhing *hic n. 40.* & nonnulli alij; quòd ex morali ad ablationem concursu res, seu bona surripere etiam ipsi censeantur. Alii verò cum Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 22. & 32.* existimant, Censuræ huic subjacere illos dunaxat, qui ex naufragantium rebus aliquid sibi surripiunt, sibique retinent. Sed meliùs alij cum P. Wiestner *hic n. 30.* distinguunt inter illos, qui moraliter solùm concurrunt, & inter eos, qui ad eorum bonorum surreptionem concurrunt physicè, & realiter. *Priores* ab hac Censurâ absolvunt, *posteriores* illâ ligatos esse pronuntiant. *Rationem* dant, quòd isti soli, non verò illi verè, & propriè naufragantium bona surripere dicantur. Accedit, quia Canonum conditores, quando consulentes, fautores, receptatores &c. Constitutione pœnali esse comprehensos volunt, eorum semper mentionem expressam faciunt, quod in præsenti casu per *c. excommunicationi*, & *Bullam Cœnæ citt.* non fit.

76 Præter illos, qui bona fidelium naufragorum accipiunt, Excommunicationem Bullæ Cœnæ facto ipso incurrunt Latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Ecclesiæ Romanæ pertinens, ut habetur *in Bull. cit. cas. 3.* si hoc animo prædandi faciant; nam qui principaliter discurrunt per mare animo negotiandi, seu mercimonia cum amicis tractandi, vel etiam belli sive justi, sive injusti gerendi causâ cum inimicis, ab Excommunicatione hac liberantur, etsi incidenter, & casu aliquando prædentur. Navar. *Man. c. 27. n. 59.* Molin. *tom. 3. de Just. tr. 2. D. 694. n. 3.* Barbos. *in c. 3. cit. n. 4.* Pirhing *hic n. 40.* quia non censentur Piratæ, vel Latrones, sed injusti bellatores.

77 An verò Excommunicatio hæc tangat solos illos, qui discurrunt deprædandi animo per mare Ecclesiæ, an verò omnes, qui deprædantur bona itinerantium in quocunque mari, dissident inter se DD. Posterius docent Graff. *Decis. p. 1. l. 4. c. 17. n. 67.* Suar. *de Censur. sect. 2. cit. n. 18.* Corolian. *in Explicatione Bull. Cœn. Excomm. 3. pr.* Contrà Barbos. *in c. 3. cit. n. 3.* allegans pro se Tolet. *Summ. c. 20. V. advertendum*, Ugolin. *de Censur. Pap. reservat. ¥. item excommunicamus § 2. ¥. 3.* Anton. de Sous. *Relect. Bull. Cœn. c. 4. D. 25.* putat probabiliùs illo loco excommunicari solos Latrones maritimos, qui discurrunt per mare Ecclesiæ, præcipuè à Monte Argentario usque ad Terracinam.

78 Quæritur 5. an Princeps, Comes, vel alius Dominus, in cujus territorio facta est Deprædatio, & Robbaria, teneatur damnum resarcire viatori? Videtur respondendum affirmativè. 1. quia Magistratus cujusque terræ tenetur malis hominibus territorium suum purgare *l. præses 3. fin.* & *l. congruit 13. pr. ff. de Offic. Præsid.* item curare debet, ut dispositos habeat stationarios, & limitaneos milites ad tuendam populorum quietem *l. omnia 1. §. quies quoque 12. ff. de Offic. Præfect. Urb. l. in nomine 2. §. pro limitaneis 8.* & *§. seq. C. de Offic. Præf. Prætor Affric.* igitur si hoc negligendo occasionem det, ut pax territorii sui turbetur, & viatores spolientur per malos homines, ex culpa, & quasi delicto tenetur; nam quasi delinquere dicitur, qui suâ negligentia, & culpâ alii nocet *arg. tot. tit. Inst. de oblig. quæ ex delict. l. si quis absentis 5. §. si Judex 4.* & *§. seq. ff. de O. & A.* 2. Principes, Comites, cæteræque territoriorum domini ab iter facientibus Pedagia capiunt. igitur vicissim ad securitatem eis præstandam sunt obligati; nam qui commodum sentit, ratione æquitatis etiam ad onus subeundum se gravare non debet *Reg. qui sentit 55. in 6.*

Sed distinguendum cum Carpz. 79
pract. crim. q. 91. n. 59. & aliis. Vel enim Dominus spoliatis dedit Salvum conductum, vel non. *Si hoc secundum*, nulli spoliato ad damnum resarciendum est obligatus. *Si primum*, & spoliatus via regia incesserit, nec ab ea deflexerit, ad resarcitionem tenebitur. Utrumque patet ex *Recess. Imp. in Comit. August. Ann. 1559.* §. darmit den die Obrigkeit / ubi expressè statuitur, Dominum territorii teneri resarcire damnum spoliatis, si dederit Salvum conductum: quæ obligatio cùm imponatur conditionatè, inde sequitur, casu, quo Dominus Salvum conductum non dederit, eum ab obligatione resarciendi damnum absolvi; nam quidquid sub conditione disponitur, sub contraria conditione pro non dispositio habetur *l. quibus 40. §. quidam 2. ff. de condit.* & *demonstr. l. hæc venditio 7. pr. ff. de contrab. empt. l. si procuratorem 8. §. si ignorantes 7.* & *§. seq mandat.*

Addidi, *si spoliatus viâ regiâ incesserit, nec ab ea deflexerit*; nam, ut Dominus territorii ad resarciendum damnum sit obligatus, duo conjunctim requiruntur, quorum *primum*, est, ut dederit spoliatis Salvum conductum; alterum, ut deprædatus viâ regiâ usus fuerit, nec ab ea deflexerit; si enim per vias insolitas vagatus fuerit, sibi, quod imputet, habet. Gail. *l. 2. obs. 64. n. 11.* Coler. *de Process. execut. p. 1. c. 2. n. 197.* Regner. Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 2. n. 4.* Carpzov. *q. 91. cit. n. 60.* & *68.* Quod adeo verum est, ut etiamsi Elector, aut ejus nuntii, ad Comitia Imperialia proficiscentes, insolitam viam, cujus conductum petere neglexerunt, ingrediendo spolientur, Dominus tamen territorii ad damni emendationem non teneatur. *Aur. Bull. tit. 1. ¥.* wir wollen bi, Auch den Weeg / den er reisen will / verkündige / und anzeige ꝛc. & *ibi* Arum. *Discurs. 1. th. 22.* 80

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* etsi hujusmodi Magistratus ob talem negligentiam teneatur ex culpa, & quasi delicto, pro tali culpa tamen nulla certa pœna per Leges sancita est. Jam autem certa pœna foret, si teneretur damnum resarcire spoliatis. *Ad 2.* esto, Dominos Provinciarum ab iter facientibus vectigalia capere, inde tamen absque Lege inferendum non est, quòd propterea obligentur ad compensandum damnum viatori à Prædonibus datum, cùm jus exigendi vectigalia Principibus, Comitibus, & alijs Magistratibus datum sit, vel *ad angustiarum solatia*, ut loquitur *l. vectigalia 10. C. de vectigal.* vel ad compensanda dispendia, quæ pro publicis necessitatibus tolerant *l. fin. C. eod.* 81

§. III.

§. III.

De Incendiarijs, & Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

82. &c. *Quinam sint, & dicantur Incendiarij?*
86. &c. *Quotuplicis sint generis?*
88. *Incendium potest contingere casu,*
89. *Culpâ.*
90. *Et Dolo.*
91. *Dolus nunquam præsumitur.*
92. &c. *In dubio præsumitur Incendium contigisse casu fortuito.*
95. *Quæ probatio requiratur, ut dicatur contigisse culpâ?*
96. &c. *Quis obligetur ad reparandum damnum, si culpa alicujus probata est?*
99. *Quæ sit pœna Incendii excitati culpâ?*
100. *Pœna illius excitati dolo de Jure Civili.*
101. &c. *Pœna Juris Ecclesiastici.*
104. &c. *In quibus personis, & casibus pœna ordinaria Incendiariorum locum habeat?*
109. &c. *Quibus casibus sit mitiganda?*
112. &c. *An exasperanda propter frequentiam?*
115. *Quinam censeantur esse Violatores Ecclesiarum, & quæ sit eorum pœna Jure Imperiali antiquiori?*
116. *Recentiori Ordinationis Carolinæ?*
117. *Ecclesiastico?*
118. *Quid requiratur, ut incurrant Excommunicationem?*
119. *An sint ad pœnitentiam admittendi?*

82 QUæritur 1. quid sint *Incendiarij?* ℣. *Incendiarij* hoc loco vocantur, qui dolosè, ac deliberato animo, & sive odio, & vindictæ, sive alicujus commodi, & lucri consequendi studio impellente, oppida, pagos, prædia, domos, aut alia ædificia, vel bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, fœni &c. per se, vel per alios appositò igne incendunt, vel ad hoc auxilium, aut consilium scienter præstant *can. cùm devotissimam 8. caus. 12. q. 2. can. pessimam 32. caus 23. q. 6. c. quis domum 6. de Injur.* Pirhing *hic n. 47.* König *n. 19.* Wiestner *n. 31.* Reiffenstuel *n. 25.*

83 *Ex quo sequitur 1.* non esse Incendiarium, qui propriam domum, vel segetem incendit, quamvis peccet abutendo re sua. Pirh. *hic n. 49. Excipitur*, nisi hoc faciat eo fine, ut propria domo, vel segete conbusta, ignis vicinorum quoque domus, aut segetes corripiat, easque consumat; nam iste, etiamsi flamma mox extinguatur, & non nisi Incendiarij ædes comburat, vicinis verò ædibus non noceat, nihilominus Incendiariorum supplicio debet affici. Carpzov. *pract. crim. q. 38. n. 46.* quia per eum non stetit, quo minùs vicinæ ædes fuerint inflammatæ, quippe quas, nisi conservatæ fuissent protectione Divina, & hominum industria, Reus volebat perditas.

84 2. Non est Incendiarius, neque Incendiariorum pœnis subjacet, qui alienam domum, vel aliam rem incendit authoritate, vel mandato ejus, qui potestatem habet indicendi bellum. Pirhing *l. cit.* siquidem bellum justum sit: secus est, si bellum sit apertè injustum, aut ab eo mandatum datum, qui non habet potestatem indicendi bellum. Et hinc, qui in seditione, vel ab hostibus publicis emissi domos & villas incendunt, mandato suo incendere jussi sunt, à pœnis Incendiariorum non excusantur.

85 3. Denique non est Incendiarius qui negligentiâ suâ est causa incendii; quamvis enim iste teneatur ad interesse, & damnum reparandum *c. fin. de Injur* non tamen tenetur pœnâ Incendiarii, nisi fuerit tam lata culpa, ut dolo sit proxima *l. si fortuitò 11. ff de Incend.* Host. *Summ. h. tit. de Incendiar. n. 1.* Sylv. *V. Incendiarius n. 1.* Pirhing *n 47.* Reiffenstuel *n. 26.*

86 Quæritur 2. quotuplicis generis sint Incendiarii? ℣. alii sunt *Simplices*, alii *Conducitii*, quòd certâ pecuniæ summâ conducti, operam suam ad committendum incendium locent. *Priores* Joan. Schneid. *in §. capite 14. Inst. de Leg. Aquil. n. 5. V. de Jure veteri Saxon.* vult simpliciter vocari Brenner / & gladii pœnâ afficiendos; posteriores verò indigitari per vocem Mordbrenner / & puniendos rotâ.

87 Sed usu Tribunalium constat, omnes etiam simplices incendiarios affici pœnâ ignis, neque inter hos, & conductitios in vulgari nostra fit nomenclationis discrimen, cùm indifferenter Incendiarii omnes Germanicè Mordbrenner appellari queant: nisi fortè Mordbrenner illos vocare velis, qui incendium necandi, spoliandique causâ committunt; Brenner verò eos, qui solo odio, invidiâ, & nocendi libidine agitati, nullius alterius lucri, vel spolii intuitu, certam aliquam domum, vel prædium incendunt: quam differentiam non improbat Carpzov. *q. 38. n. 12.*

88 Quæritur 3. quot modis contingere possit Incendium? ℣. tribus modis hoc

hoc potest contingere, casu, culpâ, & dolo. Si *casu* contigerit, ut culpâ caret, sic etiam à pœna immune est, neque obligationem reparandi damnum illatum affert. Gaill. *l. 2. obs. 21. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 110. à n. 3.* König *hic n. 25. v. incendii*, Reiffenstuel *n. 31.* Wiestner *n. 32.* & constat ex *l. fortuitò 11. ff. de Incend.* junct. *l. fiquis 9. §. si colonis 3. ff. locat.* ibi, *Siquidem fortuitus casus incendii causam intulerit, non præstabit periculum Locator.*

89 Si *culpâ*, distinguendum est; nam si *culpâ latâ* contigerit, ejusdem reus in foro utroque tenetur ad reparationem ædium incendio consumptarum, & aliorum damnorum; si verò *Levi*, aut *Levissima*, in foro externo quidem condemnatur ad interesse, in interno autem, & ante Judicis sententiam ad nihil obligatur; quia in hoc foro ad reparationem solùm obligat culpa Theologica, & quæ hanc supponit, scilicet Culpa lata. Sylv. *V. Culpa n. 6.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 698. n. 6.* Wiestn. *n. 33.* Reiffenst. *n. 30.*

90 Supereſt igitur, ut pœna Incendiariorum ordinaria duntaxat tangat reos Incendij dolo causati; nam quæcunque Culpa etiam lata in delictis non æquiparatur dolo *l. in lege Cornelia 7. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Gloss. *ibid. V. culpa lata*, Clar. *§. fin. q. 84. pr.* Farin. *prax. crim. q. 110. n. 10.* Wiestner *n. 34.*

91 Quæritur 4. Quonam modo ex tribus hactenus recensitis excitatum præsummatur incendium, in alicujus ædibus exortum, de cujus origine, & authore non constat? *Certum est*, non præsumi excitatum dolo; nam dolus nunquam præsumitur *l. meritò 51. ff. pro Socio*, sed perspicuis indiciis probandus est *l. dolum 6. C. de Dol. mal.* Reiffenstuel *hic n. 36.*

92 *Dubium est*, an casu fortuito, an verò inhabitantium culpâ præsumatur exortum? Fachin. *l. 1. contr. c. 87.* Wesenbec. *ff. de Incend. n. 6.* Carpzov. *pract. crim. q. 39. à n. 62.* Pirhing *hic n. 49. v. præterea*, Reiffenstuel *ibid. n. 37.* putant, quòd præsumendum sit potiùs exortum culpa inhabitantium: cons. docent, Patremfam. cùm hic aliàs ex domesticorum culpâ obligetur, teneri hoc casu ad reparationem damni, per incendium in suis ædibus exortum vicinis illati, si non probaverit id casu accidisse: quam sententiam theoricè veriorem censet Haun. *tom. 6. de I. & I. tr. 2. n. 342.* *Rationem* dant, quia in dubio præsumitur id, quod plerumque contingit. Ædium autem incendia culpa inhabitantium plerumque excitantur *l. nam salutem 3. §. cognoscit 1. ff. de Offic. Præf. vigil.* & *l. si vendita 11. ff. de peric. & commod. rei vendit.* ergo &c.

Sed dicendum, incendium tale, 93
nisi probetur ortum culpâ alicujus hominis certi, inter casus fortuitos numerandum. Alex. *cons. 50. n. 9.* Gaill. *l. 2. obs. 21. n. 2.* & *obs. 23. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 110. n. 93.* Harpprecht *in §. capite 14. Inst. de Leg. Aquil. n. 9.* Wiestner *hic n. 37.* Reiffenstuel *ibid. n. 37. & 38.* & sumitur ex *l. contractus 23. ff. de R. J. l. si ut certo 5. §. quod verò 4.* & *l. in rebus 18. ff. commodat.*

Ratio est, quia etsi incendium præ- 94
sumatur ortum culpâ inhabitantium, & quidem omnium, quando de uno certo non constat, tamen hæc præsumptio non sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum; nam ad hoc requiritur probatio certa aut verè, aut præsumptivè, & dubia non sufficit *c. in præsentia 8. de Probat.* igitur si post inquisitionem, quæ utique fieri debet; contra aliquem in specie culpa præsumi non potest, debent absolvi omnes, & ipse etiam Paterfam. cùm utique æquum non sit, ut hic præter maximum detrimentum proprium sine sua culpa ferat damnum, quod aliis alterius, præsertim incerti negligentiâ datum est, ne afflicto addatur afflictio contra Regulam, sumptam ex *c. ex parte 5. de Cler. ægrot.* & *l. Divus 15. pr. ff. de Offic. Præsid.*

Dixi *verè*, *aut præsumptivè*; nam ad 95
probandam culpam, ex qua incendium oritur, sufficiunt præsumptiones, & conjecturæ, modò tales illæ sint, quæ moralem faciant certitudinem. Gabr. *cons. 159. n. 7. & seqq.* nam in dubio contra aliquem certum procedi non potest. Quænam autem præsumptiones, & conjecturæ culpam aliquorum sufficienter probent, explicat Farin. *q. 110. cit.* ubi totam hanc materiam latè discutit.

Supereſt ergo quæstio, quis ad re- 96
parandum damnum, incendio datum, obligetur, quando hoc ortum probatur ex culpa alicujus hominis certi? quæ tamen facilè solvitur distinguendo, an sit ortum ex culpa ipsius Patrisfam. in domo propria, an verò ex culpa alicujus alterius. *Si ex culpa ipsius Patrisfam.* hic ad reparandum damnum, ex incendio vicinis ortum, tenebitur secundùm dicta *n. 90.* *Si ex alterius culpa*, videndum, an ortum sit ex culpa famuli, an alterius ædes incolentis.

Si hoc secundum, Paterf. circa re- 97
parationem damni, ex incendio orti, conveniri non potest, cùm rationem pro cæteris inquilinis non teneatur reddere, nisi illi suspecti essent, & iste ipse, dum pro talibus habebantur, recepisset. *Si primum*, Paterfamilias ex culpa famuli solùm tenetur, si hic deliquit in officio, & à Patref. sciente eum negligentem esse, assum-

assumptus fuit: secus, si pro fideli, & diligente communiter fuit habitus. Mascard. *concl. 894. n. 19.* Farin. *prax. crim. q. 110. n. 115.* Carpzov. *pract. crim. q. 39. n. 53. & seqq.* Wiestner *hic n. 37.* Reiffenstuel *ibid. n. 40.*

98 Dixi, *si hic deliquit in officio;* nam siquid extra officium sibi commissum patravit, ut si ignem à focario, coquo aut aliis officio isti à Patrefam. præpositis rectè subjectum, tectum, extinctum, vel sopitum alius ex domesticis suscitet, accendat, negligenter custodiat, & sic incendij causam præbeat, facto, vel delicto illius dominus non obligatur: & ratio est, quia Paterf. non præstat culpam illorum, qui deliquerunt in officio, & quod ab ipso deputati non sunt. Estque perinde, sive sint famuli, sive uxor & liberi, sive advenæ, & extranei, quorum operâ Paterf. non fuit usus. Mascard. *de probat. Concl. 892. n. 11. & 12.* Menoch. *l. 2. arbitr. cas. 390. n. 12.* Carpzov. *q. 39. cit. n. 54. & 55.*

99 Quæritur 5. quænam sit pœna incendij culpâ, aut dolo excitati? R. incendij culpâ quacunque, etiam latâ, sine dolo excitati pœna certa per Leges definita non est: hinc dictanda est arbitrio Judicis, qui id faciet, adducta in considerationem qualitate culpæ, incendij ex ea orti, & personarum, pro quarum varietate plecti potest, & solet vel severa reprehensione, vel mulctâ pecuniariâ, vel etiam corporali v. g. incarcerationis, relegationis, fustigationis aut alia simili pœna, citra mutilationem tamen, & mortem. Farin. *prax. crim. q. 110 n. 115.* Carpzov. *pract. crim. q. 39. à n. 33.* Wiestner *hic n. 34.* Reiffenstuel *ibid. n. 29.*

100 Incendij dolo excitati rei Jure Imperiali veteri pro qualitate personarum, incendij, & damni ex eo orti multabantur exilio, deportatione in Insulam, vel capite plectebantur, aut verberati tradebantur bestiis, vel comburebantur *l. qui ædes 9.* & *l. fin. §. fin. ff. de incend. l. siquis 10. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & *l. capitalium 28. §. incendiarij 12. ff. de pœn.* Recentiori autem *Ordinationis Carolinæ art. 125.* Incendiarij dolosi, absque ulla personarum, & damni distinctione jubentur vivi comburi: ad evitandum tamen desperationis periculum, præsertim si reus sit pœnitens, priùs ei intercluditur spiritus, quàm comburatur, prout statutum est Jure nostro Provinciali Bavarico *Malefiz-Proceſſ. Tit. 8. art. 9.*

101 Jure Ecclesiastico distinguendum est inter Incendiarios Clericos, & Laicos. In *Clericos* nulla pœna certa est prodita, forte quia Conditores Canonum non sunt arbitrati aliquem Clericorum tantum scelus patraturum sine omni sua voluptate, aut utilitate, & cum magna aliorum jactura: hinc arbitraria est eorum animadversio. Diaz *pract. crim. c. 109.* Pirhing *hic n. 50.* Quoad *Laicos* SS. Canones distinguunt inter eos, qui incendunt Ecclesias, Cœmeteria, aliáque loca Sacra, & Religiosa, vel his contigua ad 30. passus, & inter eos, qui incendunt, vel mandant incendi ædificia alia profana.

Priores incurrunt Excommunicatio- 102
nem ipso facto *can. canonica 107.* junct. Gloss. *V. violatores cauſ. 11. q. 3.* & *can. omnes Ecclesiæ 5. cauſ. 17. n. 4.* à qua Excommunicatione ante denuntiationem quidem absolvere potest Episcopus, post denuntiationem verò eorum per Ecclesiam factam solus Papa *c. tua 19. de Sent. excomm.* Host. *Summ Rubr. de Incendiar. b. tit. n. 9.* Sylv. *V. Incendiarius q. 1. n. 2.* Clar. *§. fin. q. 77. n. 19. & 20.* Farin. *q. 110. n. 15.* Barbos. *in c. tua cit. n. 2.* Gonzal. *in c. 5. h. tit. n. 5.* Vallens. *hic §. 3. n. 5. ℣. quantum*, Zoes. *ibid. n. 9.* Pirhing *n. 49.* König *n. 25. ℣. ob incendium*, Reiffenstuel *n. 35.* Wiestner *n. 39.* *Excipitur* articulus mortis; nam in hoc Incendiarios pœnitentes absolvere potest quilibet Sacerdos, & absoluti sepeliri in cœmeterio, seu loco Sacro. Vallens. *l. cit.*

Posteriores per sententiam excom- 103
municandi sunt *can. siquis 31.* & *can. pessimam 32. cauſ. 23. q. 8.* Sed consuetudine & ipsi Excommunicationem ipso Jure, & facto incurrunt, prout cum *Host.* & *Sylv. l. citt.* asserunt Azor. *p. 1. l. 9. c. 17. q. 11.* Barbos. *hic n. 4.* Pirhing *n. 49. ℣. incendiarii*, Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel *n. 32.* Præterea nec isti, nec priores sunt admittendi ad pœnitentiam, absolvendi, aut sepeliendi in loco Sacro, nisi priùs damna resarciant, aut de ijs resarciendis cautionem præstiterint. *can. pessimam cit.* & *c. in litteris 5. h. tit.* Quodsi cautione ante mortem præstita, Incendiarius pœnitens fuerit absolutus, in loco Sacro sepeliri poterit, ita tamen, ut hæredes illorum ad reparationem damnorum, ex incendio secutorum, teneantur, & compellantur, quantum facultates defuncti ferunt *c. in litteris cit.* quia adeundo hæreditatem videntur ex quasi contractu se obligare ad ea, ad quæ tenebatur defunctus *l. ex depositi 22. ff. de O. & A.* Vivian. *in c. cit. pr.* Barbos. *ibid. n. 1.* Vallens. *n. 5. cit.* Zoes. *n. 11.* König *n. 25. ℣. ob incendium.*

Quæritur 6. in quibus personis, 104
& casibus pœna ordinaria Incendiariorum, nempe ignis locum habeat? R. 1. locum habet in omnibus cujuscúnque sortis, & conditionis reis: adeóque nec fœminas excusat fragilitas sexûs; quia hæc eas non subtrahit à pœnis ordinarijs, nisi in casibus Jure expressis. Tiraquell. *de Pœn.*

temper. cauſ. 9. n. 5. & *cauſ. 11. n. 23.* Oddus *de reſt. in integr. p. 1. q. 10. art. 5.* Farin. *prax. crim. q. 98. n. 11.* Carpzov. *pract. crim. q. 38. n. 19.* & *ſeqq.* Neque ab hac pœna recentiori Jure *Conſt. Carolin. cit.* immunes ſunt Nobiles, vel alia in dignitate conſtituti; quia *cit. Conſtitutio* loquitur generaliter. Qui autem generaliter loquitur, nihil excludit, & pro expreſſo habetur, quod in genere ſtatutum eſt. Tiraquell. *Leg. connub. gloſſ. 8. n. 87.* & *ſeqq.*

105 2. Locum habet in Imperio Romano nunc poſt *Conſtit. Carolin. cit.* pœna ignis, ſive in civitate, ſive in villa, & pago incendium ſit excitatum, ob generalitatem textûs *art. 125.* qui indifferenter pœnam ignis huic delicto decernit. Adeóque non minùs pœnâ ignis afficiendus, qui in domo ruſtica, villa, vel pago incendium excitat, quàm is, qui in civitate Palatium igne comburit: néque refert, an ædificia, in quibus incendium factum, conſtructa ſint ad inhabitandum, vel ad alium uſum, ut ſunt rorcularia, officinæ artificum, reconditoria fœni, & frumenti, ſtabula &c. & extenditur etiam ad eos, qui non ædificia, ſed frumenti acervum, ligna, & res ſimiles dolosè incendunt. Carpzov. *q. 39. cit. à n. 31.* & ab hoc *citt.*

106 3. Pœna ignis locum habet, ſive ingens & magnum, ſive modicum etiam damnum ex inflammatione provenerit; quia *Conſt. Carolin. in art. 125. cit.* indifferenter Incendiarios ad pœnam ignis condemnat, nec conſiderat qualitatem damni per combuſtionem dati ſed nequitiam incendiarii, & atrocitatem delicti, accedente periculo incendii majoris, quod facilè evenire potuiſſet, licèt Deo impediente non evenerit. Carpzov. *l. cit. n. 38.* & *39.* Atque hinc 1. eidem pœnæ ſubjacet, qui materiam igni concipiendo aptam in ædibus depoſuit, & nocendi animo inflammavit, licèt ipſæ ædes nondum ardere cœperint. Carpzov. *n. 41.* & *42.* 2. qui proprias ædes incendit, eo fine, ut iisdem combuſtis, etiam vicinorum domus corriperentur, licèt, antequam hoc fieret, ignis fuerit extinctus. Carpzov. *n. 46.* 3. qui damnum, quod ſcelere ſuo dedit, vult reſarcire, & ad reſtitutionem ſe offert. Carpzov. *n. 44.* & ratio eſt, quia nec tranſactio, nec remiſſio, delinquenti à parte læſa facta, vindictæ publicæ derogare, vel eidem præjudicare poteſt *l. inter 2. C. inter alios acta &c.*

107 4. Quoad pœnam ignis infligendam nihil intereſt, an quis ipſe incenderit, an verò alium hoc facere juſſerit; utérque enim, mandans ſcilicet, & mandatarius, conductor, & locator huic pœnæ ſubjicitur. Carpzov. *n. 48.* Et quidem quoad *mandatarium*, & *locatorem*, qui mercede accepta operam ſuam ad inflammandum locat, nullum eſt dubium; quia in delictis ob mandatum acceptum nemo excuſatur. Bartol. *in l. non ſolùm §. ſi mandato ff. de injur.* Decian. *tr. crim. l. 9. c. 37. n. 1.* Carpz. *n. 49.* Quin gravius peccat, qui lucri causâ tam horrendum crimen non veretur committere, quàm qui odio, & invidiâ agitatus hoc facit. Bartol. *l. cit. n. 14.* Damhud. *prax. crim. c. 83. n. 4.* Farin. *q. 123. n. 5.* Carpzov. *n. 50.* Quoad *mandantem*, & *conductorem* pariter conſtat; quia quod quis per alium fecit, ipſemet facere cenſetur *c. qui facit 72. de R. J. in 6.* & *l. is damnum 169. ff. eod.* Salicet. *in l. non ideo minus C. de accuſ. q. 6.* & hujus gravius crimen eſt, quàm mandatarii; quia triplici modo delinquit, in ſeipſum, in mandatarium, quem corrumpit, & in eum, cujus ædes comburuntur. Carpz. *n. 54.*

108 5. Extenditur pœna ignis etiam ad eos, qui ab aliis offenſi, & ulciſci volentes incendunt; neque enim offenſio antecedens relevare eosdem poteſt, cùm tantum facinus inter modos defenſionis legitimæ referri nequaquam poſſit, præſertim ſi offenſio diu antè præceſſerit, & temporis ſpatio ſopita, vel extincta fuerit. Carpzov. *n. 58.* & *duob. ſeqq.* *Neque obſtat*, quòd juxta vulgatam Regulam delictum irâ commiſſum mitiùs puniri ſoleat; nam Regula iſta tum ſolùm vera eſt, quando ira ex juſta cauſa provenit, & delinquens verſatur in licitis, prout ſit, quando aliquis ab alio per injuriam percuſſus, calore iracundiæ commotus, defenſionis modum excedendo excidit. At incendiarius verſatur in re planè illicita, & defenſionem nullam poteſt prætendere, cùm incendium non ſit modus defenſionis. Carpz. *n. 63.*

109 Quæritur 7. quibus caſibus pœna Incendii ordinaria ſit mitiganda? Jam dictum eſt *n. 89.* & *90.* pœnam ordinariam non habere locum, quando incendium caſu, vel culpâ contigit. Præterea tres maximè aliæ cauſæ excuſant à pœna ordinaria.

1. Si reus pœniteat, crimine nondum perfecto, & conſummato, materiámque igni concipiendo aptam, & inflammatam alicubi depoſitam auferat, antequam incendium exoriatur. Coler. *p. 1. deciſ. 186. n. 2.* quia dolum pœnitentia aliquo modo purgat, & reum, delicto non conſummato, excuſat. Hoſt. *in c. pro humani n. 22. v. ſi verò perficere de homicid. in 6.* Felin. *in c. 1. n. 4. de præſumpt.* Clar. *§. fin. q. 60. n. 21.* Farin. *prax. crim. q. 124. n. 150.* Heig. *q. 32. n. 15.* & *ſeqq.* Carpzov. *pract. crim. q. 39. n. 3.* & *4.* qui *n. 5. ſeq.* ob

ob hanc rationem non ignis, sed gladii pœna plectendum existimat eum, qui in ipso actu delicti, incendio jam exorto, pœnitet, & ut damnum majus avertat, homines ad flammam extinguendam convocat; quamvis enim, delicto jam perfecto, locus pœnitentiæ non sit ampliùs, neque ea post crimen consummatum ab omni pœna excuset, ordinariam tamen mitigari suadet.

110 2. Si reus causam aliquam prætendat, ex qua ipsum non tam dolosè, ac deliberato, & perverso animo, quàm ex simplicitate quadam deliquisse conjecturari potest, Carpz. *l. cit. n. 9.* Quænam autem causa tanti sit ponderis, ut reum excuset à pœna ordinaria ignis, arbitrio Judicis relinquendum est; nam hujus est sagaciori studio circumstantias, & causæ qualitates quasvis perpendere, & examinare, quas si sufficientes, & prægnantes esse invenerit, ignis supplicium in gladii pœnam commutare poterit: modò de causa excusationis certò constet, vel quòd conjecturis, & præsumptionibus probata fuerit, vel eam reus in tortura obtinuerit; alias enim quilibet incendii reus, fingendo aliquam causam, severitatem pœnæ, & ignis cruciatum posset effugere. Carpz. *n. 11.*

111 3. Si reus adhuc sit minorennis, & licèt sit pubes, paucos tamen annos post inchoatam pubertatem excesserit, quales sunt, qui anno decimo sexto, vel decimo septimo hoc delicti genere se contaminant; licet enim minor ætas delinquentem in totum neutquam excuset, tamen quia infirmius est hominum hujus ætatis judicium, minor in hoc, quam in majore apparet perversitas, ut propterea meritò puniantur mitiùs. Clar. §. *fin. q. 60.* Decian. *cons. 24. n. 4. l. 3.* Menoch. *de arbitr. cas. 329. n. 1.* Farin. *q. 92. n. 41.* & hinc Carpz. *l. cit. n. 14.* gladii pœnâ hos afficiendos existimat.

112 Quæritur 8. utrum casu, quo Incendiarius sæpius iteravit hoc crimen, Judex pœnam ignis exasperare possit, addito majoris alicujus reatûs judicio, nempe ut reus vel trahæ illigatus ad locum supplicii rapiatur, vel ante executionem forcipibus candentibus prehendatur, & aduratur? Rationem dubitandi facit *1. Constitutio criminalis Caroli V. art. 130.* ubi exasperatio hæc respectu criminis Veneficii, & Latrocinij ob enormitatem, & reiterationem permittitur. 2. reiteratio delicti regulariter graviorem requirit pœnam, ut DD. ferè communiter docent. 3. ex causa Judex pœnas ferè quas vis pro arbitrio exasperare, & aggravare potest *l. & si severior 3. C. ex quib. caus. infam. irrog.* & *ibi* Glossa, atque DD.

Sed tenenda videtur negativa cum 113
Carpzov. *pract. crim. q. 58. n. 71.* quòd nusquam aliquid de ista exasperatione supplicii in Incendiariis per Leges sit constitutum, adeóque hoc temere asseverandum non sit; aliàs etiam adulter ob reiterationem adulterii, & fur ob repetitionem multiplicis furti candenti ferro lacerari deberet: quod apertè falsum est. Bald. *in l. quicunque 4. col. 2. C. de Serv fugit.* Jason *in l. eum qui 30. §. in popularibus n. 5. ff. de injur.* Reusner *l. 2. dec. 20. n. 13.*

Neque obstant Argumenta opposita. 114
Ad 1. pœna ignis gravior per se jam est pœnâ Rotæ, quâ Venefici, & Latrones afficiuntur. igitur licèt ista quandóque ob reiterationem exasperetur, non tamen sequitur etiam exasperandam pœnam ignis, sed locum habebit Regula, quòd in pœnalibus, & odiosis extensio ad casus non expressos fieri non debeat. *Ad 2.* id verum est in delictis leviusculis, aut non capitalibus, in quibus Judex tutò pœnam mitiorem, aut leviorem exasperare potest. Farin. *q. 23. n. 5.* aut si lex expressa exasperationem pœnæ in atrocissimis admittat. *Ad 3.* exasperatio Judici permittitur, quando aliud crimen diversi generis concurrit, e. g. Incendium cum Latrocinio, non verò quando idem reiteratur, nisi hoc Lege expressum sit.

Quæritur 9. quinam censeantur esse 115
Violatores Ecclesiarum, & quæ sint eorum pœnæ? R. hoc nomine hìc veniunt, qui Ecclesias, aliáque loca Sacra, aut Religiosa violenter effringunt, aut spoliant. Pirhing *hic n. 54.* Reiffenstuel *ibid. n. 42.* *Antiquiori Jure Imperiali* pro qualitate delicti, & delinquentium, aliarúmque circumstantiarum varietate multabantur exilio, vel deportatione ad Insulam, vel damnabantur ad metalla, aut etiam ad bestias, vel plectebantur capite, aut suspendebantur, aut vivi comburebantur *l. sacrilegi 9. l. hac lege 10. ff. ad Leg. Jul. Peculat. l. piquis 10.* & *Auth. C. de Episc. & cleric.*

Hodierno Jure *Ordin. Carolin. art.* 116
172. & duob. seqq. qui Hierothecam cum Sacra Hostia abstulerit, jubetur comburi vivus; qui calicem, patenam, vel aliud vas sacrum aureum, vel argenteum cum, vel sine Reliquiis, præsertim cum effractione, supplicio capitis; qui verò alias res Sacras v. g. candelabrum, mappas Altaris, aut res privatas depositas interdiu, & sine fractura abstulerit, sicut furti profani reus, non tamen ita facilè, sicut hic, mitigatâ pœnâ, plectendus est. Wiestner *hic n. 40.* Reiffenstuel *ibid. n. 45.*

Jure Ecclesiastico verisimiliùs, ut Ec 117
clesiarum incendiarii, violentiæ, & spoliationis in Ecclesia commissæ rei incurrunt

ipso facto Excommunicationem *can. canonica 107. caus. 11. q. 3. can. omnes 5. can. quisquis 21. §. siquis domum caus. 17. q. 4.* & præcipuè *c. conquesti 22. de Sent. Excomm.* ibi, *Excommnnicatos nuntietis*: quæ verba propriè supponunt jam Excommunicationem ab ipso Jure latam esse, eámque ab homine, seu Judice publicandam, ut explicant Suar. *D. 22. de Censur. sect. 2. n. 10.* Vallens. *hic §. 3. n. 3.* König *ibid. n. 33.* erítque hæc reservata Summo Pontifici. Suar. *l. cit. n. 4.* Sayr. *de Censur. l. 3. c. 29. à n. 13.* & alii apud Barbos. *in c. conquesti cit. n. 2.*

118 Porro ad Excommunicationem hanc incurrendam non sufficit sola effractio, quamvìs violenta, sed necesse est, ut sequatur aliqua spoliatio Ecclesiæ, & ut eo fine fiat per furtum, sive per aliam gravem læsionem, illatam in bonis, & rebus Ecclesiæ: sicut vice versa nec sufficit, si spoliatio, etsi gravius, fiat sine effractione. Alii verò Sacrilegi violatores Ecclesiarum citra effractionem, & spoliationem, ut siquis furetur calicem ex Ecclesia sine violenta effractione, non incurrunt ipso facto Excommunicationem, sed sunt excommunicandi. Gloss. *in c. conquesti cit. V. excommunicatos.* Suar. *sect. 2. cit. n. 6.* Pirhing *hic n. 54.* & constat ex *c. fin. de Furt.* & *c. conquestus 16. de for. compet.* ubi dicitur, Invasores Ecclesiæ, tanquam Sacrilegos, anathemati usque ad congruam satisfactionem supponendos esse. Non ergo sunt ipso Jure excommunicati, sed per sententiam excommunicandi. Pirhing *l. cit.* Reiffenstuel *n. 43.*

Præterea si satisfacere noluerint, ad 119 pœnitentiam non admittuntur; si autem volentes nequiverint, pœnitentibus quidem absolutio, & Sacrum Viaticum non denegatur, eorum tamen Sepulturæ interesse Clerici prohibentur *c. super eo 2. de Raptorib.* Barbos. *ibid. n. 2.* Vallens. *hic §. 3. n. 3.* Pirhing *hic n. 55.* Wiestner *n. 41.* Reiffenstuel *n. 42.*

TITULUS XVIII.

De Furtis.

POst Raptûs, & Rapinæ crimen sequitur *Furtum*: cujus vocis triplex acceptio est. 1. *lata*, prout Sacrilegium, Peculatum, Abigeatum, Expilationem, & quamcúnque aliam injustam rei alienæ acceptionem includit. 2. *strictior*, prout à præcedentibus contra distinguitur, quia tamen in hac acceptione à modo auferendi, an scilicet clàm, & sine vi, an verò palàm, & vi intentata fiat, adhuc Rapinæ delictum comprehendit. 3. *strictissimè*, & *specificè*, prout per violentiam, quæ essentialis Rapinæ est, etiam ab ista distinguitur, & designat speciale aliquod delictum privatum: in quo sensu accipitur in præsenti Rubrica. Quare sit

§. I.

De Furti Natura, & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Furti Etymologia.*
2. &c. *Definitio.*
4. &c. *Divisio in manifestum, & non manifestum.*
6. 7. *Parvum, & Magnum.*
8. 9. *Simplex, & Qualificatum.*
10. *Primum, & Iteratum.*
11. *Rei, Usûs, & Possessionis.*
12. *Diurnum, & Nocturnum.*
13. *Domesticum, & Extraneum.*
14. *Requisita, ut commissum dicatur furtum.*
15. &c. *Casus, in quibus non committitur.*
22. &c. *Casus, in quibus commissum censetur.*
30. &c. *An furti reus sit, qui rem alienam accipit, vidente illius domino?*
33. &c. *Aut qui furem non indicat?*
36. &c. *Vel debitori aufert, quantum hic ipsi debet?*
40. &c. *Qui detinet rem inventam?*
45. &c. *Vel aufert in necessitate?*
52. &c. *An furti objectum sit liber homo?*

1 QUæritur 1. quid sit *Furtum*? ℞. duo in quæstione hac expendi debent, scilicet *primò* Etymologia istius Nominis, & *secundò* ipsa Delicti, hoc nomine significati, essentia. Et quidem §. *furtum autem 2. Instit. de oblig. quæ ex delict.* & *l. furtum 1. princ. ff. h. tit.* hujus Nominis Etymologia juxta diversa JCtorum placita affertur quadruplex. 1. enim aliqui cum Labeone putabant dictum à *Furvo*, i. e. nigro, quòd clàm, & in obscuro fiat, & plerumque noctu. 2. alij cum Sabino à *Fraude*: hinc fraudulosa rei contrectatio dicitur *l. furtum cit. §. fin.* 3. non pauci à *feren-*

ferendo, & *auferendo*; sibi enim fur affert, & alij aufert. 4. à Græco vocabulo *Phor*, quod Latinè *Furem* significat. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 681. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 165. n. 8.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 1.* Manz. *ad §. furtum autem cit. n. 1.* Vallens. *hic* §. *1. n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 1.* Reiffenstuel *n. 2.*

2 Duplex autem Furti communiter affertur Definitio; nam *primò* TT. cum S. Thom. *2. 2. q. 68. art. 3.* dicunt, quòd *Furtum* sit *occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Azor *p. 3. l. 5. c. 11.* Sylv. *V. Furtum n. 1. pr.* Molin. *D. 681. cit. n. 14.* ℣. *S. Thomas*, Less. *l. 2. de J. & J. c. 12. n. 1.* Laym. *n. 1. cit.* Illsung *tr. 4. D. 3. n. 127.* Pirhing *hic n. 1.* Reiffenstuel *n. 2. Contrà* Juristæ communiùs cum Paulo JCto, & Imp. ajunt, quòd Furtum sit *fraudulosa contrectatio, sive acceptio rei alienæ, vel ipsius usûs, aut possessionis ejusdem, lucri faciendi causâ*, prout habetur §. *furtum 1. Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. furtum cit.* §. *fin.* Sylv. *V. furtum n. 1.* Azor *c. 11. cit.* ℣. *furtum à Jurisperitis*, Molin. *D. 681. n. 2.* Less. *l. cit.* Farin. *q. 165. n. 5.* Laym. *c. 1. n. 1.* Manz. *ad §. furtum cit. n. 4.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 253.* Vallens. *hic* §. *1. n. 3.* Pirning *n. 1.* König *n. 3.* Wiestn. *n. 1.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 1.*

3 Addunt aliqui, *Rei mobilis*, & *corporalis*; quia in rebus immobilibus, ut sunt agri, & incorporalibus, ut sunt jura, actiones, & servitutes, furtum propriè committi non potest *l. verùm 25. ff. h. tit.* quia talia nequeunt attrectari, vel auferri, ideóque dicuntur potiùs vi, vel dolo occupari, usurpari, aut retineri, quàm furto surripi. Sylv. *n. 1. cit.* Azor *c. 11.* §. *dicitur primò*, Pirhing *hic n. 5. fin.*

4 Quæritur 2. quotuplex sit Furtum? R. variè hoc JCti dividunt. 1. in Furtum manifestum, & nec manifestum, seu non manifestum §. *furtorum autem 3. Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. furtorum 2. ff. h. tit. Manifestum* est, cùm is, qui furatur, in ipso facto, seu actu furandi, vel in loco, in quo furtum factum est, sive publico, sive privato, antequam inde egrederetur, vel postquam egressus inde est, cum re furtiva, antequam illam perferret in locum, ad quem destinaverat illam perferre, & ea die cum eadem re permanere, sive à domino, sive à quovis alio est visus, vel deprehensus §. *furtorum autem cit. l. fur 3. & seqq. ff. h. tit. Ex quo colligitur*, quid *Furtum nec manifestum*, seu *non manifestum*; nam ut §. *cit. fin.* Imperator ait, *quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est.* Adeóque *Furtum non manifestum* est, quando fur non est visus, vel deprehensus cum re furtiva, vel si deprehensus est, primùm deprehensus est, postquam pertulit rem furtivam ad locum, quò destinavit deferre §. *furtorum* cit. ibi, *sed si pertulit, quò destinavit, tametsi deprehendatur cum re furtiva, non est manifestus fur.*

Perinde autem est, sive deprehendatur in loco publico, sive privato *l. sive igitur 5. ff. h. tit.* Item parvi refert, an deprehendatur ab eo, cujus est res furto ablata, an ab alio *l. fur est cit.* §. *parvi refert 1.* & *l. siquis 7.* §. *fin. ff. eod.* ibi, *Parvique referre putat, dominus, an vicinus, an quilibet transiens apprehendat.* Hodie tamen differentia inter Furtum manifestum, & non manifestum recessit ab Aula; quia pœna pecuniaria dupli, aut quadrupli mutata est in corporalem, ut notat Farin. *prax. crim. q. 165. n. 25.* & *q. seq. n. 18.* Manz. *ad §. 3. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 4.* & *ad §. 5. n. 11. eod.* & vix unquam petitur duplum, aut quadruplum. Oldendorp. *Forens. act. class. 7. act. 3. in pract. n. 4.* Mynsing. *ad §. ex maleficiis n. 21.* & *24. Inst. de Action.* quamvis ex Jure *Const. crim. Carol. V. art. 157.* & *158.* peti posset. Manz. *n. 11.* 5

Dividitur 2. in *Furtum parvum*, cujus æstimatio est infra 5. solidos; & *magnum*, cujus æstimatio quinque solidos, seu aureos Hungaricos æquat, aut excedit. *Const. crim. cit. art. 157.* & *160.* König *hic n. 5.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 10.* An autem Furtum excedat quinque solidos, id non ex eo, quod forsan ex re furtiva ad furem pervenit, wie hoch er es ohngefehr verkaufft / est æstimandum, sed ex vero valore ipsius rei contrectatæ per *Const. Carolin. cit. art. 160.* ibi, und in solchen Fällen muß man ansehen den Werth des Diebstahls; & paulò pòst: und wie schädlich der Diebstahl dem beschädigten seyn mag. Carpzov. *pract. crim. q. 78. n. 51.* & *duob. seqq.* 6

Quando dubitatur, an res furto subducta excedat æstimationem quinque solidorum, vel non, interest, an illa adhuc exstet, vel non. *Priori casu*, ad officium Judicis, & Assessorum ipsius spectat res furto contrectatas judicialiter taxare, & æstimare, adhibitis etiam, si res ita postulet, opificibus, & magistris artis mechanicæ peritis, qui cujusque rei pretium scire præsumantur, quibus tamen non aliter, quàm juratis, credendum est. *In casu posteriori* statur juramento illius, cui furtum est factum, ejúsque æstimationi juratæ omnino creditur. Clar. §. *furtum n. 18.* Boss. *tit. de Rapin. n. 36.* Mascard. *de probat. concl. 471. n. 32.* Menoch. *de arbitr. cas. 208. n. 2.* Carpzov. *q. 78. cit. n. 57.* & *seqq.* 7

Dividitur 3. in *Furtum simplex*. Germanicè ein gemain / schlechter Diebstahl / 8

cui nulla circumstantia aggravans est annexa; & in *Qualificatum*, seu *Periculosum*, vulgò ein gefliſſener / gefährlicher Diebſtahl / quod habet annexam circumstantiam aggravantem v. g. vim, effractionem, &c. Ut verò effractio Furtum qualificatum efficiat, debet effractio hæc esse violenta, & seditiosa, seu quæ fit cum telo, & armis, magnâ adhibitâ violentiâ, ex qua facilè seditio oriri posset, & unde latrocinium à fure cum telo accedente metuendum. Carpzov. *pract. crim. q. 79. n. 3. & seqq.*

9 Et hinc juxta eundem Carpzov. *l. cit. n. 34. & seqq.* effractio violenta, cons. furtum qualificatum non est. 1. si quis horreum, tugurium, vel stabulum effringat, vel etiam casam, aut ædes rusticas ex limo confectas securi, aliove instrumento rumpat, vel pariete perfosso, aut fenestris ejectis intret; quia hæc apertura & effractio absque peculiari violentia perfici potest, neque ex ea seditio, aut latrocinium est præsumendum. 2. quando fur cistam, arcam, januam manu rumpit, vel clave adulterina, vulgò mit einem Dietrich / aperit. 3. quando in ædes, scalis admotis, vel alia quavis ratione ascendit, & sic furtum committit. 4. quando per tectum, stramine, quo tegebantur, remoto, ædes rusticas intrat; aut quando in oppidis tegulas in tectis diffringit, atque evellit, ut furtum faciat.

10 Dividitur 4. in *Furtum primum*, & *iteratum*. Porro ut iteratum dici possit, requiritur, ut non solùm in rebus diversis, sed distinctis, & moraliter interpolatis temporibus sit commissum; nam continuatio facit unum actum: unde si quis uno die, actu continuato, pluries furetur, unicum furtum commisisse reputatur *l. eum, qui 14. §. idem dicunt ff. h. tit.* Gloss. *V. non in totum ibid.* Clar. *V. furtum n. 14.* Menoch. *de arbitr. cas. 295. n. 20.* Farin. *q. 167. n. 73.* Haun. *tom. 6. tr. 2. n. 213.* Pirhing *hic n. 23.* König *ibid. n. 9.*

11 Dividitur 5. in Furtum Rei, Furtum Usûs, & Furtum Possessionis *l. furtum 1. §. fin. ff. h. tit.* *Furtum rei* committitur, cùm res aliqua mobilis aliena, domino invito, aufertur. *Furtum usûs* est, cùm quis re aliena utitur aliter, quàm uti deberet §. *furtum 6. Inst. de Oblig. quæ ex delict.* ubi si creditor, vel depositarius re oppignorata, vel deposita contra voluntatem domini utitur. *Furtum possessionis*, cùm ipse dominus alium, cui rei suæ possessio jure competebat, possessione ad illum pertinente privat, ut si debitor creditori invito pignus ante solutionem debiti occultè aufert §. *aliquando 10. Inst. eod.* Verùm hæc duo posteriora furtorum genera puniri criminaliter non solent, & nomine *Furti* communiter primum genus intelligitur.

Dividitur 6. in *Furtum diurnum*, & *nocturnum*. *Illud* interdiu, *hoc* noctu fit. 12
Atque hæc divisio eò spectat, ut intelligatur, an liceat furem, in ædibus, & loco delicti repertum, interficere; nam de *Nocturno* fure id affirmatur *l. itaque 4. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* quod *ibidem* negatur de *Diurno*. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 684. n. 1.* König *hic n. 4.* de quo dictum est *Tit. 12. n. 59. & seqq.*

Dividitur 7. in Furtum Domesti- 13
cum, & Extraneum. *Domesticum* DD. vocant, quod fit à personis domesticis, & propinquis, puta ab uxore, liberis, servis &c. de quo agitur in *Const. Carolin. art. 165. & 170.* *Extraneum* est, quod à quolibet peregrino, qui ad familiam domini non pertinet, admittitur. König *hic n. 10.*

Quæritur 3. quid requiratur, ut com- 14
missum ab aliquo dicatur Furtum? R. Juxta Definitionem Furti *n. 2.* datam quinque hæc requiruntur. 1. ut res, circa quam furtum versatur, sit corporalis, & mobilis. 2. ut sit aliena. 3. ut actu ipso contrectetur, seu auferatur. 4. contrectatio hæc fiat animo fraudulosо, & lucri faciendi causâ. 5. ut dominus ejus rationabiliter sit invitus.

Ex quo sequitur furtum non commit- 15
ti 1. sola voluntate, aut etiam conatu contrectandi rem alienam *l. possideri 3. §. si rem 18. ff. de acquir. vel amitt. possess.* & *l. vulgaris 21. §. qui furti 7. ff. h. tit.* quia nondum fit contrectatio, quæ ultra animum etiam exigit ablationem, & detentionem rei. Hinc fur, saltem in foro externo, non est, qui furti faciendi causâ conclavè intravit, vel etiam illud, aut arcas, cistas &c. effregit, si nihil adhuc abstulit. Sylv. *V. furtum n. 1. pr.* Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ¥. dicitur primò.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 695. n. 11.* Farin. *prax. crim. q. 174. n. 2. & seqq.* Manz. *ad §. furtum 1. Inst. de obl. quæ ex delict. n. 6.* Vallens. *hic §. 1. n. 3. ¥. dicitur contrectatio.* König *n. 21.* Reiffenstuel *n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 3.* & alii passim. Dixi *in foro externo*; nam in foro interno coram DEO furti jam reus est, qui furari solùm intendit, etsi actu non furetur juxta *can. si propterea 29. de Pœnit. dist. 1.* ibi, *Si propterea non facis furtum, quia times, ne videaris, intus feciſti, in corde feciſti, furti teneris, & nihil tuliſti.*

2. Non committitur furtum in re 16
merè incorporali; quia non cadit sub sensum, ac proinde contrectari nequit §. *incorporales Inst. de reb. corpor. & incorp.* Sylv. *n. 1. cit.* Azor ¥. *dicitur primò*, Molin. *D. 681. n. 14.* ¥. *Jurisperiti*, Farin. *q. 174. n. 67.* Manz. *n. 9.* Pirhing *hic n. 5.* Reiffenstuel *n. 8.* Dixi *merè incorporali*, scilicet tali, quæ nullo modo circa rem corporalem versetur;

setur; nam circa usum, & possessionem, ut ex *n.* 11. *suprà* constat, potest committi furtum: & sic extra dubium est, quòd furtum etiam in rebus incorporalibus locum inveniat. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 14.

17 3. Non committitur furtum in re corporali immobili; exposa enim est sententia existimantium, etiam fundi, locive furtum fieri, prout constat ex *l. verùm 25. pr. ff. h. tit.* tametsi enim res hujusmodi immobiles tangi possint, non tamen possunt de loco in locum moveri; conf. nec furto surripi. Ita cum *Sylv. Azor, Molina l. citt.* docent Farin. *n. 64. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 12. n. 4.* Manz. *ad §. 1. cit. n. 8.* Vallens. *hic §. 1. n. 3. ỳ. dicitur contrectatio*, Reiffenstuel *ibid. n. 9.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 15.* Magnif. D. Verlohner *de Action. Furt. n. 4.*

18 4. Non committitur furtum in re propria, si ita sit propria, ut in ea nulli alteri competat jus; quia furtum est contrectatio rei alienæ: & re sua quilibet liberè uti, vel abuti potest *l. sed & si 25. §. consuluit 11. ff. de hæred. petit.* cùm quilibet rerum suarum sit moderator, & arbiter *l. in re 21. C. mandat.* Addidi, *si ita sit propria, ut in ea nulli alteri competat jus;* nam si alius jus in re mea habeat, ut habet creditor in re sibi oppignorata, utendo re illa contra jus istius committo furtum, non quidem rei, sed usûs *l. si is 66. ff. h. tit.* Similiter sui, & partûs sui furtum facit ancilla à domino suo fugiens, quippe cujus jus ita fugiendo lædit *l. ancilla 60. ff. eod.* Imò coram DEO, & in foro conscientiæ potest aliquis effici furti reus in re propria, nulli alteri obligata, per accidens, & ratione conscientiæ erroneæ, si accipiat rem, vel eâ utatur, quam putat esse alienam, cùm reverâ sit propria. Sylv. *V. furtum n.* 1. Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. dicitur rei alienæ.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 1.* Pirhing *hic n. 5.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 6.*

19 5. Non committitur furtum in re, quæ in nullius est bonis, aut à domino habetur pro derelicta *l. falsus 43. §. quodsi 5. ff. h. tit.* cùm enim hujusmodi res sit primò occupantis, illarum occupatio caret fraude, & fieri nequit domino invito. Azor *l. cit.* Manz. *in §. 1. cit. n. 18.* Pirhing *hic n. 5. & 8. ỳ. tertiò*, Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 7.* Quodsi res contrectata ad alium quidem spectet, qui tamen nondum ejus possessionem cepit, ejus rei quidem in foro interno furtum fit, non tamen in foro externo, quamdiu à nemine possessa est; quia per quodlibet furtum possessio interrumpi debet: conf. ubi non est possessor, ibi nec furto locus est. Et hinc qui ex hæreditate jacente aliquid sublegit, furti in foro externo non tenetur, nec furti contra eum actio datur; quia subtili jure nullus censetur esse possessor, usque dum hæreditas ipsa sit adita: sed factum hoc in aliud crimen incidit, scilicet expilatæ Hæreditatis *tot. tit. ff. & C. de expil. hæred.* *Excipiuntur* res servandæ navis causâ in mare, aut flumen ejectæ; hæ namque licèt non possideantur *l. possideri 3. §. Nerva 13. ff. de acquir. vel amitt. possess.* tamen siquis eas in mari repertas, aut fluctibus expulsas lucrandi animo sustulerit, furti reus est *§. fin. Inst. de rer. divis.* König *hic n. 18.*

6. Non committit furtum, qui ac 20
cipit rem, quam bona fide, & probabili ratione ductus putat esse suam, vel si alienam esse scit, eodem errore credit contentum fore dominum, etsi illam accipiat, vel usurpet *l. inter omnes 46. §. rectè 7. & l. qui re 76. pr. ff. h. tit.* quia ejus contrectatio non est fraudulosa. Sylv. *V. furtum n.* 1. Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. dicitur fraudulosa, & dicitur invito*, Farin. *q. 174. prax. crim. n. 34.* Manz. *in §. 1. cit. n. 10.* Haun. *tom. 6. de Just. tr. 2. n. 272.* Vallens. *hic, §. 1. n. 3. ỳ. dicitur fraudulosa*, Pirhing *n. 3.* König *n. 20.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 4. & 6.* Et hinc, etsi revera dominus invitus sit, non tenetur rem ablatam restituere ex ratione injustæ acceptionis, sed tantùm ex ratione rei acceptæ, quod ex illa extat, aut quantum ex illa factus est ditior. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 684. n. 6.* Qui accipit rem alterius, putans ipsum esse invitum, cùm revera invitus non sit, coram DEO quidem, & in foro conscientiæ reus est furti, in foro externo tamen à furto absolvitur §. *sed etsi credat 8. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Farin. *q. 184. n. 139. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 12. n. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 1. ỳ. per vocem*, Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 4.* Pirh. *n. 6.* Reiffenst. *n. 4.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 7.*

7. Non committit furtum, qui rem 21
alterius accipit ob aliam causam, sine animo furandi, aut lucrum faciendi. Azor. *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. dicitur fraudulosa*, Farin. *prax. crim. q. 174. n. 16.* Pirhing *hic n. 3.* Magnif. D. Verlohner *de Action. furt. n. 2. & 7.* Estque perinde, sive id fiat joci, aut injuriæ inferendæ, & damnificandi causâ. Et hinc furti reus non est 1. qui alterum damnificandi causâ fructus immaturos, quibus uti non potest, decerpit, aut petulanter januam illius injuriæ causâ effringit, quamvis alii, hac occasione usi, furati sint res domino domûs *l. qui injuriæ 53. pr. ff. h. tit.* ubi additur ratio; quia maleficia voluntas, & propositum delinquentis distinguit. Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. dicitur lucri.* Farin. *q. 174. n. 11.* Manz. *ad §. cit. n. 13.* Pirh. *n. 4.*

n. 4. König *n. 23.* Reiffenſtuel *n. 5.* Magnif. P. Schmier *c. 1. cit. n. 5.* 2. qui rem alienam in flumen abjicit, vel igne comburit, vel pecus alienum occidit; nam ſi hoc ſine ſuo lucro facit, non ex furto, ſed ex damno tenetur. Azor *l. cit.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 1.* Pirhing *n. 4.* Reiffenſt. *n. 5.* Magnif. P. Schmier *n. 5.* Quodſi tamen iſte initio tempore contrectationis habuit animum lucrandi, per hoc à furto, & hujus pœna non excuſatur, quod deinde rem ablatam à ſe abjiciat, ne fortaſſe deprehendatur; quia initium rei inſpiciendum eſt, non quod acceſſit poſtea *l. ſi tantùm 12. ff. de S. C. Maced.* Gaill. *l. 2. obſ. 8. n. 3.* Manz. *ad §. 1. Inſt. de oblig. quæ ex delict. n. 15.* 3. qui abducit alterius ancillam libidinis exercendæ causâ *l. verum 39. pr. ff. h. tit.* ubi ratio redditur; quia *non factum quæritur, ſed cauſa faciendi, quæ libido fuit, non furtum.* Sylv. *V. furtum n. 2.* Farin. *q. 174. n. 13.* Manz. *n. 14.* Vallenſ. *hic §. 1. n. 3. ỳ. dictum fuit*, Pirhing *ibid. n. 4.* Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n. 2.* *Neque* obſtat textus *l. Fullo 82. §. qui ancillam 2. ff. h. tit.* ubi dicitur is, *qui ancillam non meretricem libidinis cauſâ ſurripuit, furti actione teneri*, quia, ut laudatus D. Verlohner *n. 2. cit. fin.* cum aliis textum hunc explicat, hic intelligendus eſt de illo, qui talem ancillam principaliter quidem abducit propter libidinem, ſecundariò tamen intendit lucrum conſequi, & abductam in uſus domeſticos retinere.

22 Quæritur 4. quando, & per quem actum cenſeatur aliquis furtum committere? R. generatim loquendo non ſolùm is, qui rem alienam, invito domino, aufert intercipiendi, ſive ſibi acquirendi causâ, ſed etiam is, qui illam contra voluntatem domini contrectat, vel eâ utitur, furtum comm ttere cenſetur § *furtum autem 3. Inſt. de oblig. quæ ex delict.* Neque hìc vox *Dominus* ſumitur, in ſenſu proprio, & pro eo, qui jus proprietatis in re aliqua habet, ſed prout ſignificat illum, qui quodcunque jus reale in re ſibi ablata habet. Atque hinc furtum committit,

23 1. Dominus Creditori clàm auferens rem à ſe oppignoratam, aut Uſuario, vel Uſufructuario rem in uſum, vel uſumfructum conceſſam *§. unde 14. Inſt. de oblig. quæ ex delict. l. itaque 12. §. ſed & ſi 2. l. creditoris 15. pr. l. in actione 19. §. fin. l. inter 46. §. ſi ſervus 1. l. ſi is 66. pr. & l. ſi debitor 70. ff. h. tit.* quia, ut *n. 11. ſuprà* dictum eſt, furtum fit non tantùm ipſius rei, ſeu proprietatis, ſed etiam Uſusfructûs, vel alterius Juris, aut poſſeſſionis. Sylv. *V. furtum n. 16. q. 12.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 1. ỳ. nomen rei*, Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 1.* Pirh. *hìc n. 5. & n. 10. ỳ. ſextò.* König *n. 16.* Reiffenſt. *n. 10.*

2. Creditor, ſi pignore, Depoſitarius, ſi depoſito, Commodatarius, ſi re commodata contra domini voluntatem aliter, vel diutiùs utatur *l. qui jumenta 40.* & *l. ſi pignore 54. pr. ff. h. tit.* quia furtum committitur etiam frauduloſa contrectatione ipſius uſûs, aut poſſeſſionis Sylv. *V. furtum n. 13.* Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. ultimò*, Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 696. n. 15.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 12. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 169. n. 2. & ſeqq.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 1. ỳ. nomen rei.* Manz. *ad §. furtum 1. Inſt. de oblig. quæ ex delict. n. 20.* Vallenſ. *hic §. 1. n. 3. ỳ. dicitur rei.* Pirhing *n. 8.* König *n. 16.* Wieſtner *n. 7.* Reiffenſtuel *n. 10.* Begnudell. *V. furtum n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 2.* Addidi *contra domini voluntatem.* Secus eſt, ſiquis probabiliter credat, ſe uti commodato alio modo, quàm conventum fuit, domino non invito, quia ſcilicet id permitteret, ſi ſciret; tunc enim furtum non committeret Commodatarius, cùm *furtum ſine affectu furandi non committatur*, ut dicitur §. *placuit 7. Inſt. de Oblig. quæ ex delict.* Et ſic tacitè Depoſitario conceſſus præſumitur uſus pecuniæ, quæ apud ipſum depoſita in ſacculo non clauſo, non ſignato, argumento à contrario ſenſu ex *l. ſi ſacculum 29. ff. depoſit.* ubi tum demum furti actio mihi conceditur, quando apud aliquem depoſuero *ſacculum, vel argentum ſignatum, & is, penes quem depoſitum fuit, me invito contrectaverit.* Farin. *q. 169. n. 4.* Pirhing *n. 8.*

3. Liberi frauduloſè, & lucri faciendi causâ contrectantes rem patris; quia verè contrectant rem alienam, cujus dominium ipſi non habent. Sylv. *V. furtum n. 15. q. 11.* Pirhing *n. 9. ỳ. quantò*, König *n. 14.* Wieſtner *n. 8.* Reiffenſtuel *n. 15.* *Neque obſtat*, quòd hoc caſu Patri in Liberos non competat furti actio *l. ne cum 16. ff. h. tit.* nam ex denegatione actionis furti non infertur legitimè, furtum non fuiſſe commiſſum, prout patet ex *§. hi, qui 12. Inſt. de Oblig. quæ ex delict.* ubi Imperator decidit, quandóque furtum fieri, quin tamen ex eo naſcatur actio furti. *Ex quo ſequitur*, quòd res ab iis ſubtracta furti vitio contaminetur, ita, ut propterea ad uſucapiendum inepta reddatur *§. hi qui cit.* Denegatur tamen inter patrem, & liberos actio furti, tum quia iſti fictione Juris eadem cenſetur eſſe perſona cum patre *l. fin. C. de impub.* & *aliis ſubſtit.* tum quia dum liberorum, parentum quoque fama periclitatur: quod adeò verum eſt, ut nec Judici ex officio inquirere liceat, & graviore pœnâ in hujusmodi domeſticos fures animadvertere *l. perſpiciendum*

dum 11. §. *furta* 1. *ff. de pœn.* esto, parentes hoc liberorum delictum negligant vindicare, quod patri permissum est per *l. servi* 17. *pr. ff. h. tit.* Carpzov. *pract. crim. q.* 82. *n.* 40. Similiter furti rea est.

26 4. Uxor, quæ de rebus mariti fraudulenter aliquid sublegit, quamvis contra ipsam, si constante Matrimonio istud faciat, ob hujus reverentiam, & honorem turpis actio furti non detur, sed tantùm actio rerum amotarum *l. nam in* 2. *ff. de act. rer. amotar. l. siquis* 52. *ff.* & *l. manifestissimi* 22. §. *cùm autem* 4. C. *h tit.* ubi ulterior ratio additur, *quia Lex ita atrocem actionem dare in personam ita sibi conjunctam erubuit.* Sylv. *V. furtum n.* 7. Farin. *q.* 174. *n.* 104. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 4. König *hic n.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 16. Et multò minùs in ea habebit locum pœna ordinaria furti. Wesenbec. *ff. h. tit. n.* 8. Interim tamen, qui ope, aut consilio uxoris, aut liberorum furtum coadjuvant, actione furti omnino tenebuntur, & furti pœnis obnoxii erunt, prout circa furtum filiorum expressum est §. *hi qui* 12. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* de juvantibus autem furtum uxoris *l. siquis cit. pr.* Farin. *n.* 116. Reiffenstuel *n.* 17.

27 5. Qui furtum mandat, aut furi auxilium, vel consilium præstat, si furtum sit secutum §. *interdum quoque* 11. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. in furti* 50. §. *ope* 1. *ff. h. tit.* imò & qui furem cum rebus furtivis scienter recipit, & occultat *l. qui vas* 48. §. *qui furem* 1. *ff. h. tit.* quia hi omnes moraliter, & fraudulosè rem alienam contrectant. Tusch. *V. furtum concl.* 562. *n.* 1. & 2. Farin. *q.* 168. *à n.* 32. Pirhing *hic n.* 9. ℣. *quartò*, & ℣. *quintò*. König *n.* 13. Wiestner *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 11. & huc pertinet vulgatum illud: der Hähler ist so gut / als der Stehler. Dixi autem, *Si furtum sit secutum*; nam furto non secuto, qui consilium, vel opem ad furtum præstitit, furti non tenetur *l. siquis* 52. §. *neque verbo* 19. *ff. h. tit.* ubi dicitur, *Quare & opem ferre, vel consilium dare tunc nocet, cùm secuta contrectatio est.* Farin. *n.* 39. Imò & quando secuta est contrectatio, tunc solùm furti tenetur consulens, quando aliàs non erat facturus is, cui consilium datum est, ut notat Gloss. *in* §. *cit.* ℣. *vel consilium*; si enim sine consilio erat furaturus, non punitur consulens eâdem pœnâ, quâ fur, saltem ordinariâ, sed tantùm extraordinariâ. Farin. *n.* 41. Pirhing *n.* 9. ℣. *quartò*. Addidi, *qui scienter recipit &c.* Aliud est, siquis ignoranter receperit fures, vel res furtivas; tunc enim non tenetur furti. Farin. *n.* 56. & 59. Sed & cum ijs, qui scienter res furtivas receperint, quantùm ad pœnam criminalem mitiùs agitur, quàm cum ipsis furibus, & nisi aliquid auxilii præstiterint, solùm arbitrariè puniri solent. Carpzov. *q.* 87. *n.* 51. König *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 12.

6. Qui rem furtivam scienter à fu- 28
re emit *arg. l. incivilem* 2. & *l. civile* 5. C. *h. tit.* vel eandem accipit in solutum; quia datio, & acceptio in solutum emptio, & venditio reputatur *l. litis* 3. *ff. pro Emptor* & *l. fin. ff. ex quib. caus. in possess.* Hic tamen furti non ordinaria, sed extraordinaria pœna plectitur. Farin. *q.* 176. *n.* 16. & 17. Harppr. *in* §. *fin. Inst. de oblig. ex delict. n.* 14. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 254. *fin.* Wiestner *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 12.

7. Denique Jure Canonico quasi 29
furtum, aut rapinam committunt, qui Beneficium Ecclesiasticum sine legitima institutione occupant, vel postquam per adeptionem alterius ipso Jure vacaverint, retinent *can. non furem* 10. *caus.* 7. *q.* 1. *c. dudum* 54. *de Elect. c. sæpe* 18. *de Restit. Spoliat.* ubi Gloss. *V. injustè detinere* ait. *Jura pro eodem reputant auferre, & injustè detinere.* Furtum tamen hoc non est propriè dictum, quippe quod committitur in re immobili, vel incorporali, quæ contrectari, sive auferri non potest, secundùm dicta *n.* 16. & 17. quod verum est ratione ipsius Beneficii; nam quatenus malæ fidei possessor fructus Beneficii, vel alterius rei injustè percipit, verè, ac propriè furtum committit, Abb. *in c. dudum cit. n.* 19. Laym. *ibid. n.* 3. Pirhing *n.* 10. ℣. *septimò*. Begnudell. *V. furtum n.* 3.

Quæritur 5. an furti reus sit, qui 30
rem alienam accipit, vidente illius domino? R. distinguendo, an sciat dominum videre, an verò ignoret. *Si ignoret dominum videre*, & credere possit, eum esse rationabiliter invitum, furti reus est; quia vult rem auferre, domino ignorante, ita, ut si sciret ipsum videre, non acciperet. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 12. *n.* 20. Pirhing *hic n.* 3. *Si verò sciat* hoc dominum videre, interest, an iste ablationi resistat; & tunc potiùs fit rapina, quàm furtum: an verò taceat; & tunc considerandæ est causa taciturnitatis: nam si tacet, & permittit ablationem sibi fieri, quia non audet præ metu, aut verecundia contradicere, vel quia vult in facto ipso deprehendere furem, adhuc est furti reus ita accipiens §. *sed & si* 8. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. siquis* 91. *ff.* & *l. siquis* 20. C. *h. tit.* Si verò tacet, quia seriò consentit in rei ablationem, furtum fecisse dici non potest, quippe quod ex ratione sua postulat, ut fiat invito rationabiliter domino. Et hic consensus præsumitur, quando dominus videt rem aliquam sibi auferri, & cùm nulla ratio ipsum prohibeat, ne contradicat, non contradicit *arg. can. error* 3. & *can. consentire* 5. *dist.* 83.

31 Quod discrimen est inter casum quo præsenti, & videnti res aliqua aufertur, & inter casum, quo aufertur res absenti, & ignoranti; nam si absenti, & ignoranti auferatur, in dubio dominus præsumitur invitus *l. qui vas 48. §. quodsi dominus 3. fin. ff. h. tit.* ubi dicitur, *vetare dominum etiam eum, qui ignorat, hoc est, eum, qui non consentit*; qui enim non consentit, dissentit. Gloss. *ibid. V. ignorat.* Sylv. *V. furtum n. 2.* Azor *p. 3. l. 5. c. 11. ỳ. dicitur invito*, Gomez. *l. 3. var. c. 5.* Farin. *prax. crim. q. 184. n. 148.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 681. n. 3.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 4.* Begnudel. *V. furtum n. 21.* Vallens. *hic §. 1. n. 3. ỳ. dicitur fraudulosa.* Pirhing *n. 6.* Reiffenstuel *n. 4.*

32 Et universim semper præsumitur dolus, ubi de contrectatione rei alienæ constat *arg. l. si un. 5. C. de Injur.* nisi probabiles, talesque causæ concurrant, ut accipiens prudenter hic, & nunc credere possit, dominum non fore rationabiliter invitum, qualis est singularis amicitia, vel familiaritas *l. cùm creditor 55. ff. de Injur. l. meritò 51. pr. ff. pro Socio.* Gomez *l. cit.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. D. 30. Thes. 1. lit. E.* Brunnem. *§. 7. Inst. de oblig. quæ ex delict. Ex. 23. n. 2.* Haun. *tom. 1. de I. & I. tr. 2. n. 272.* König *hic n. 20.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 4.* præsertim si acceptio fiat modo inter homines non insueto, prout solent opifices vicini, quandoque ab officina alterius absentis instrumentum, vel etiam materiam animo restituendi auferentes, aut si creditor rem sibi oppignoratam à debitore amovet, vel socius rem communem; nam in his, & similibus casibus dolus non præsumitur, nisi persona sit aliunde suspecta. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n. 5.* Debet autem probari hujusmodi causa, nisi alunde de ea constet; alioquin soli contrectantis assertioni vix creditur. König *l. cit.*

34 Quæritur 6. an furti reus sit, qui furem non indicat? Videtur respondendum affirmativè ex *c. qui cum fure 4. h. tit.* cujus in rem hanc clarus est textus, ibi, *Ille reus tenetur, qui furti conscius quærente possessore, non indicat. Conf.* nam talis furi consentit. igitur pari cum eo crimine, & pœnâ tenetur *§. interdum 11. Inst. de oblig. quæ ex delict. & arg. c. quantæ 47. de Sent. Excomm.*

35 Sed tenenda est negativa sententia, nisi ex officio publico, adeóque ex Justitia teneatur criminibus, & injurijs obviare: quod constat clarè ex *l. qui vas 48. §. qui furem 1. ff. h. tit.* ibi, *Qui furem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est, cùm multum interfit, furem quis celet, an non indicet, qui novit, furti non tenetur; qui celat, hoc ipso tenetur.* Neque dispositio istius Legis correcta est per *c. qui cum fure cit.* quia textus iste, ut eum explicat Abb. *in c. cit. n. 3.* intelligendus est de non indicante, & rei furtivæ participe, vel ut Barbos. *ibid. n. 2.* de non indicante ipsum furtum, seu rem furtivam; hanc enim si non indicet, Actione furti concepti, aut non exhibiti tenetur etiam de Jure Civili *§. conceptum 4. Inst. de oblig. quæ ex delict.*

Ex quo patet Responsio ad Argu- 35
mentum contrarium. *Ad Conf.* furi consentire censetur, qui furtum, quod scit, non detegit, non verò is, qui non detegit personam furis; quia hæc, si ejus supplicium grave timeatur, ut S. Aug. *can. nequis 14. caus. 22. q. 2.* relatus monet, rectiùs supprimitur, nisi præceptum superioris, aut Charitas proximi, quòd hic rem ablatam aliter obtinere nequeat, ad ejus personam detegendam urgeat.

Quæritur 7. an furtum committat 36
creditor, debitori auferens, quantum hic ipsi debet? *Certum est* furti reum censeri, quando debitum est dubium; quia tunc melior est conditio possidentis, & compensatio occulta juxta omnes illicita est. *Quæstio* procedit, quando debitum est omnino liquidum, & certum. *Affirmant* nonnulli apud Haun. *tom. 1. de I. & I. tr. 2. n. 273. arg. l. un. C. nequis in sua causa &c.*

Sed dicendum, hujusmodi ablatio- 37
nem, & compensationem, si debitis conditionibus instructa sit, non esse furtum. Ita Navar. *Man. c. 17. n. 112.* Sylv. *V. furtum q. 13.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 691. n. 1.* Wiestner *hic n. 13.* Reiffenstuel *ibid. n. 28.* *Ratio est* quia furtum committitur contrectatione rei alienæ animo lucrifaciendi. atqui in nostro casu hoc animo res aliena non contrectatur, sed tantùm, ut creditor acquirat id, quod sibi est debitum, & se præstet indemnem.

Ex quo sequitur, casu, quo Episco- 38
pus, vel ejus Vicarius publicat Monitorias generales, ut qui res alienas injustè detinent, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ illas restituant, vel eos, qui ita detinent, revelent, his Monitorijs non continentur, qui ita sibi occultè compensârunt, nec vi illarum tenentur restituere, quod ex hac causa acceperunt à debitore; quia Excommunicatio solùm fertur in injustè detinentes, & in non revelantes eos, qui ita injustè detinent. Sylv. *V. furtum q. 15. n. 19.* Molin. *tr. 2. cit. D. 692. n. 2. & 3.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 4.* Pirhing *hic n. 12. not. 2.*

Addidi, *Si debitis conditionibus in- 39
structa sit.* Requirunt autem DD. 1. ut debitum sit liquidum, ut jam dictum est; nam in dubio melior est conditio possiden-

tis.

tis. 2. ut alia ratione sine magno incommodo obtineri non possit *l. extat 13. ff. quod met. caus.* nam si alia ratione, e. g. authoritate Judicis, sine incommodo obtineri potest, compensatio est prohibita, cùm prohibitum sit, ut quis in propria sua causa Judex suus sit *l. un. C. ne quis in sua causa &c.* 3. ut fiat in re usu consumptibili, & quantùm fieri potest, ejusdem speciei. 4. ut consulatur saluti spirituali ipsius debitoris, significando nihil ampliùs ab ipso deberi. 6. ut caveatur, ne ab ipso, vel hæredibus debiti compensati solutio fiat. *Navar. Molin. Wiest. l. citt.*

40 Quæritur 8. an pro fure habendus sit detentor rei inventæ? *Certum est* pro tali habendum, quando constat de rei inventæ domino, nisi illam accipiat animo eam huic restituendi *l. falsus 43. §. proinde 8. ff. h. tit.* vel nisi illa à domino sit pro derelicto habita; nam hoc casu etiam qui animo furandi talem rem accepit, licèt in foro conscientiæ furti affectati reus sit, in foro tamen externo furtum non facit, quippe cùm furtum non fiat, nisi sit, cui fiat *l. falsus cit. §. quodsi dominus 5.* Et idem dicendum, si probabili ratione ductus putavit esse derelictam *l. cit. §. sed. si 6.* Farin. *prax. crim. q. 186. n. 64. & seqq.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 681. n. 4.* Pirhing *hic n. 8. v. tertiò* Reiffenstuel *ibid. n. 18.*

41 *Dubitatur*, quando ignoratur dominus rei inventæ. Et *ratio dubitandi* sumitur ex *l. falsus cit. §. qui alienum 4.* ibi, *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causâ sustulit, furti obstringitur, sive scit, cujus sit, sive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd, cujus sit, ignoretur. Conf.* ex *can. siquid 6. caus. 14. q. 5.* ubi S. Augustinus, *Siquid invenisti*, inquit, *& non reddidisti, rapuisti*; & *can. multi 8. q. cit.* ubi S. Hieronymus, *Multi sine peccato* ait, *putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt, DEUS mihi dedit, cui debeo reddere: discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, siquis inventa non reddat*: ubi hi duo SS. PP. rerum inventarum detentores Raptoribus æquiparant.

42 Sed cum communi, quam etiam tenet Sot. *l. 5. de Just. q. 3. art. 3. ad 2.* Sà *V. thesaurus n. 4.* Palao *tr. 31. D. un. p. 19. n. 4.* Zœs. *hic n. 13.* Wiestner *n. 16.* est distinguendum, an inventor in rei inventæ dominum debito modo, v. g. per præconem, promulgationem ex cathedra, aut schedam in publico loco affixam, juxta qualitatem, & æstimationem rei inventæ inquisiverit, vel non. *Si hoc secundum*, inventor reus furti est; quia rem alienam animo lucri faciendi, & invito domino fraudulosè contrectâsse censetur. *Si primum*, à furti, atque etiam injustitiæ labe immunis erit, licèt eam retineat.

Imò si post dictam, vel similem indagationem domini sufficienter factam spes 43
nulla appareat de comparituro domino, eam distrahere, & consumere licitè inventor potest, prout cum *citt.* advertit Reiffenstuel *hic n. 20.* quamvis consultiùs faceret, si eandem expenderet in usûs pios. *Ratio est*, quia si post debitam indagationem spes comparituri domini non ampliùs appareat, res dominum non habere ampliùs, sed derelicta, naturalémque libertatem nacta censetur, atqui res derelictas qui accipit, furti reus non est *l. falsus cit. §. quodsi dominus 5.* & si bona fide easdem distrahit, vel absumit, à restitutione immunis est, quia tales res derelictæ sunt primò occupantis *l. si res 1. & l. seq. ff. pro derelict.* ergo &c. *Conf.* quia nullo Jure naturali, aut positivo probari potest, res ita inventas erogari debere pauperibus, si post diligentem inquisitionem domini comparituri spes nulla appareat.

Quantum autem tempus requiratur, & quamdiu inventor notitiam domini ex- 44
spectare debeat, item quanta diligentia indagandi sufficiat, aut requiratur, certa Regula tradi non potest, sed arbitrio prudentis juxta circumstantias est judicandum. Palao *l. cit. n. 5.* Reiffenstuel *n. 23.*

Ad Rationem dubitandi *n. 41.* allatam dico, *l. cit.* intelligendam de casu, quo inventor debito modo in dominum non inquisivit. Similiter explicandi sunt Canones allegati in *Conf.* dicendum enim, illos loqui tantùm de illis, qui vel de dominis indagare nolunt, vel si sciunt dominos rei inventæ, eas ipsis, cùm possent, non restituunt: adeóque loquuntur de malæ fidei detentoribus; minimè verò de illis, qui cognito domino rem suam restituere parati, de illo indagant, & sic facta sufficienti indagatione, bona fide existimârunt, eum non ampliùs compariturum.

Quæritur 9. an furti reus sit rem au- 45
ferens in necessitate? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. siquis 3. h. tit.* ubi pro fure absolutè haberi videtur, ac propterea pœnitentia ipsi decernitur.

Sed distinguendum est, an necessitas illa sit communis tantùm, an gravis, an verò extrema. *Si primum*, certum est apud omnes, quòd in tali necessitate accipiens rem alterius, eo invito, committat furtum; quia talis necessitas non facit res communes, nec tribuit jus in re aliena.

Si tertium, auferens à furti labe im- 46
munis est. Sylv. *V. furtum q. 5.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 12. n. 4.* & præcipuè *n. 67. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 1. v. pe vocem*, & præcipuè *n. 7.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 1. n. 5. & c. 6. §. 1. n. 1.* Vallens.

lenſ. *hic §. 1. n. 3. v. dictum fuit*, Pirhing *n. 14.* König *n. 12.* Reiffenſtuel *n. 24.* & ſumitur *arg. can. diſcipulos 26.* & *ibi* Gloſſ. *V. fame diſt. 5. de Conſecr. c. exijt 3. §. nec quidquam de V. S. in 6.* & ratio eſt, quia tali caſu res ablata eſſe aliena deſinit, cùm eam patienti communem neceſſitas faciat. Imò poteſt quis tunc etiam alias res, quàm comeſtibilia, quando hæc non reperiuntur, accipere, & ijs venditis, comparare ſibi panem, & cibaria; quia in *c. ſiquis cit.* fit mentio de cibarijs, veſte, & pecore ſolùm exempli causâ, exempla autem non reſtringunt Regulam, & paria ſunt, quòd quis rapiat panem, vel pecuniam ad emendum panem. Barboſ. *in c. cit. n. 4.*

47 *Neque obſtat*, etſi dominus illius rei invitus ſit; quia irrationabiliter invitus eſt, cùm auferre nequeat, quod natura tribuit. *Excipitur* autem, ſi in tali neceſſitate etiam verſaretur dominus; quia in pari periculo, & neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis *arg. Reg. cùm par 154. ff.* & *Reg. in pari 65. in 6.* Unde in eo caſu non eſſet licitum auferre ſimilem patienti neceſſitatem. Sylv. *q. 5. cit. dict. 3. fin.* Leſſ. *n. 70.* Laym. *n. 7.* Tambur. *§. 1. cit. n. 3.* Begnudell. *V. furtum n. 5.* Pirhing *n. 16.* Reiffenſtuel *n. 25.*

48 *Dubium eſt* de ſecundo diſtinctionis *n. 45.* allatæ membro, nempe ſiquis laboret neceſſitate gravi: & in hac neceſſitate non poſſe aliquid ad eam ſublevandam accipi domino invito, videtur probari ex Decreto *Innocentij XI.* in quo damnat & prohibet Propoſitionem his verbis conceptam: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate.* Sed diſtinguendum videtur inter neceſſitatem gravem, quæ eſt quaſi extrema, cujusmodi eſt periculum proximum ſubeundi jacturam valde gravem bonorum, quæ natura voluit omnibus hominibus eſſe communia, ut ſanitatis, libertatis, famæ per poſitivam gravem infamiam; & inter neceſſitatem non quaſi extremam, ſed minùs gravem, & ferè communem, quæ eſt circa bona alia, uti ſunt ſtatus dignitatis, officia, opulentia, & ſimilia, quæ natura non voluit eſſe communia, & æqualia omnibus.

46 Pro *primi generis*, ſeu *quaſi extrema neceſſitate* depellenda licitum eſt rem alienam accipere, ſi aliter gravi illi neceſſitati ſuccurri non poſſit, Leſſ. *l. 2. de I. & l. c. 12. n. 71. & 72.* cum communi: cui ſententiæ ſatis clarè aſſentitur Doct. Angel. *2. 2. q. 66. art. 7. in Corp.* his verbis: *Si tamen adeò ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit, inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum, puta, cùm imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt, tunc licitè poteſt aliquis de rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſtè, ſive occultè ſublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Hæc diſertè *S. Thomas.* Ratio eſt, quia hæc licentia, & conceſſio eſt benignitati Authoris naturæ magis congrua, & toti humano generi ante omnem caſum eventualem optabilior, & melior, ut adeò in illam omnes homines cenſeantur per pactum implicitum conſenſiſſe.

Contrà non licet rem alienam ac- 50
cipere in *neceſſitate ſecundi generis*, ſeu *quaſi communi*; quia bona, circa quæ verſatur, talia non ſunt, ut æſtimari meritò natura poſſit illa velle uni conſervare, ac protegere per gravem jacturam alterius: conſ. præſumendum non eſt, quòd in tali neceſſitate aut DEUS tanquam naturæ Author, aut homines communi conſenſu dederint licentiam rem alienam pro illa tollenda accipiendi. Sylv. *V. furtum q. 5.* Azor *p. 2. l. 12. c. 8. q. 8.* Farin. *prax. crim. q. 174. n. 69.* Laym. *l. 8. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 8.* Illſung *tr. 4. D. 3. n. 132.* & alij cum S. Thom. *2. 2. q. 66. art. 7. ad 1.*

Neque obſtat Decretum Pontifi- 51
cium *n. 48.* allegatum; quia ut Carden. *Criſ. Theol. Diſſert. 33. c. 1. art. 3.* notat, & tanquam certum ſupponit, ſub ea damnatione non comprehenditur ſententia, quæ docet licitum eſſe in neceſſitate evidenter urgenti, & quaſi extrema auferre neceſſaria ad talem neceſſitatem depellendam, quippe quæ, ut oſtenſumeſt, clarè eſt ipſius S. Thomæ, cujus doctrinam utique Sedes Apoſtolica damnare non voluit: ſed Decretum hoc intelligendum eſt loqui tantùm de neceſſitate minùs gravi, aut ferè communi, in qua aliena ſurripere eſt verè, & propriè furtum; ut proin ſententia aſſerens licentiam hoc caſu rem alienam ſurripiendi meritò damnetur, quippe cùm furtum intrinſecè, & in omni caſu inhoneſtum, atque illicitum ſit.

Quæritur 10. an furti objectum con- 52
ſtituat liber homo? Diverſæ DD. ſententiæ ſunt. Aliqui cum Gletle *Juriſpr. terrib. tom. 1. p. 2. c. 1. §. 5. n. 11.* diſtinguunt; nam juxta iſtos, ſi liber homo ſpectetur ſecundùm ſe tantùm, cùm æſtimationem non recipiat; non conſtituit objectum furti. Si autem conſideretur, quatenus patriæ poteſtati adhuc ſubjectus eſt, conſtituit furti objectum; quia jus patriæ poteſtatis, quod æſtimationem non refugit, intervertitur.

At Gonzal. *ad c. 1. b. tit. n. 7.* ad- 53
mittit, quòd liber homo, etiam ſecundùm ſe conſideratus, objectum furti conſtituat, per textum *c. cit.* & rationem, quòd furtum etiam in rebus Sacris, quæ ſunt extra commercium, admittatur.

§. II.

§. II.

De Obligatione, quæ naſcitur ex Furto.

SUMMARIUM.

54. *Quæ obligatio naſcatur ex furto?*
55. *Cui, adverſus quem, & quando occaſione furti competat rei vindicatio?*
56. *Quo Jure furtum prohibitum ſit?*
57. &c. *In quantum fur, aut poſſeſſor rei furtivæ obligetur ad reſtitutionem?*
60. &c. *An ad reſtituendum obligetur etiam, qui in neceſſitate rem alienam accepit?*
65. &c. *An rem, apud furem inventam, vindicare ſibi poſſit Magiſtratus jure fiſci?*
67. &c. *An huic ſaltem reſtituendæ ſint expenſæ factæ in furis capturam &c.*
69. *Quid, & quotuplex ſit Condictio furtiva?*
70. &c. *Cui competat?*
72. &c. *Adverſus quem?*
76. &c. *Quod ſit ejus objectum?*
78. *Quid in ea deducenda probandum?*
79. *Quid, & quotuplex ſit Actio furti?*
80. &c. *Cui competat?*
82. &c. *Contra quem?*
86. &c. *Quod ſit ejus objectum?*
88. *Quare fur manifeſtus condemnetur in quadruplum, non manifeſtus in duplum?*
89. *Effectus iſtius Actionis.*
90. *Probatio quæ requiratur?*
91. &c. *Pœna furti criminalis de Jure Eccleſiaſtico.*
94. *Pœna ejusdem in foro Seculari.*
95. &c. *An redè illi ſtatuta ſit pœna capitalis?*
97. &c. *An illa incurratur per furtum primum, ſimplex, & magnum?*
100. *An per ſecundum?*
101. &c. *Qualia debeant eſſe furta tria, ut locus ſit pœnæ capitali?*
104. &c. *An aliquid faciat locus, in quo commiſſum eſt furtum?*
106. &c. *Quæ ſit pœna furti Jure Carolino?*
110. &c. *Cauſæ, ob quas mitigari pœna ordinaria furti debeat.*
114. &c. *Quâ pœnâ afficiendi ſint auxiliatores furum?*
117. &c. *Et complices?*
120. &c. *An poſt executionem pœnæ criminalis adhuc ſit locus Actioni furti pecuniariæ?*
123. *An res apud furem inventa præbeat ſufficiens indicium furti?*

54 EX furto naſcitur duplex obligatio, una reſtituendi rem furto ablatam, altera ſubeundi pœnam taxatam à Jure. Hinc læſo per furtum duplicis generis Remedia à Lege dantur, rei perſecutoria, & pœnalia. Priora adversùs furem duo competunt, nempe *rei vindicatio* & *Condictio furtiva;* poſteriora & ipſa ſunt duplicis generis, ſcilicet *Actio furti*, & *Accuſatio criminalis.*

55 Quæritur 1. cui, adverſus quem & quando competat Rei vindicatio occaſione furti? R. competit domino rei furto ſublatæ, adversùs poſſeſſorem rei furtivæ, ſive fur ipſe poſſideat, ſive alius quilibet; quia vitium rei furtivæ reale eſt, conſ. ſemper illud rem ſequitur, ad quemcunque poſſeſſorem devenerit §. *fin. Inſt. de oblig. quæ ex delict.* Inſtitui hæc actio poteſt etiam contra emptorem rei furtivæ, ſive bona, ſive mala fide rem emerit, & ab eo peti, ut illam reſtituat, etiam pretio, quod ipſe pro ea emenda expoſuit, non refuſo *l. incivilem 2. C. h. tit.* niſi hoc exiguum ſit, ut ejus refuſionem tanquam mercedem negotii bene geſti videatur mereri emptor. Locus huic actioni eſt etiam poſt dupli, vel quadrupli pœnam ſoluram *l. ſi pignore 54. §. cùm furti 3. ff. h. tit.*

59 Dub. 1. quo Jure prohibitum ſit Furtum? R. eſt prohibitum Jure non tantùm humano, ſed etiam Divino, & Naturali. Patet ex Decalogo *Exod. 20. v. 14.* & *Deut. 5. v. 18.* quod etiam agnovit Ulpianus *l. probrum 42. ff. de V. S.* ubi furtum recenſet inter probra natura turpia, cùm Lex naturæ jubeat *honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*, & relinquere §. *Juris 3. Inſt. de J. & J.* & *locupletari non debeat aliquis cum alterius injuria, vel jactura*, ut habet *Reg. locupletari 48. in 6.*

Dub. 2. unde oriatur obligatio re- 57
ſtituendi rem furtivam in fure? R. oritur ex Jure naturali, & quidem ex duplici radice, ſcilicet ex re accepta, & injuſta acceptione: & quidem quamdiu res furtiva vel in ſe, vel in æquivalenti, ſeu fructu à ſe relicto adhuc eſt penes furem, obligatur iſte ex utroque capite; ſi verò res illa interijt, vel ablata eſt furi, vel ab illo in alium translata, quin ditior inde factus ſit, ceſſat obligatio ex re accepta, & manet obligatio ex injuſta acceptione.

Et quidem obligatio reſtituendi 58
tamdiu furem afficit, quamdiu actualem rei furtivæ reſtitutionem non fecit; quia juxta *Reg. peccatum 4. in 6. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*: ſi tamen fur poſſit reſtituere, & habeat, unde reſtituat; nam ad impoſſibile nemo obligatur

Reg. impossibilium 185. ff. & *Reg. nemo 6. de R. J. in 6.* quo casu tamen obligatio restituendi non omnino tollitur, sed suspenditur, & implenda est, quando fur ad pinguiorem fortunam venerit, ex communi, & certa DD. sententia.

59 Eadem obligatio restituendi etiam tenet rei furtivæ possessorem, quocunque titulo hæc ad illum pervenerit: & quidem si mala fide rem furtivam detineat, tam titulo rei acceptæ, quam titulo injustæ acceptionis; si verò bonâ, solùm ex titulo rei acceptæ. Conf. eam restituere etiam debet emptor rei furtivæ, quamvis dominus eidem pretium, pro ea expensum, non velit refundere *l. incivilem 2. C. h. tit.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 1. n. 3.* Schard. *in l. cit. n. 1.* König *hic n. 24.* Idémque procedit, etsi in loco publico, v. g. in mercatu, & nundinis publicis rem emerit. Menoch. *l. 5. præsumpt. 29. n. 22.* König *l. cit.* Quin etiamsi protestatus sit se rem emere, ut domino refuso pretio restitueret *l. incivilem cit.* nisi fortè cum protestatione alia concurrat bonæ fidei conjectura. Menoch. *l. cit. n. 17.* aut nisi modico pretio rem emat eo animo, ut domino illam restituat, quam aliàs iste vix recepturus fuisset *arg. can. rapinam 5. caus. 14. q. 5.* Covar. *l. cit. n. 5.* König *l. cit. fin.*

60 Dub. 3. an, qui in extrema necessitate alienam rem abstulit, postea locupletior factus, obligetur ad restitutionem? Affirmant Clar. §. *furtum n. 25.* Navar. *Man. c. 17. n. 6.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 1. n. 4.* Zœs. *ff. h. tit. n. 46.* Begnud. *ŷ. furtum n. 5.* Nituntur *c. fiquis 3. h. tit.* & *l. Nesennius 34. ff. de negot. gest.* Et *confirmatur 1.* quia jus in hac necessitate accipiendi rem alienam commensuratur obligationi, quam habet dominus eam pro necessitate hac sublevanda dandi, atqui dominus necessitatem etiam extremam patienti non tenetur donare rem suam, sed satisfacit eam mutando; sic enim jam sublevat necessitatem. ergo &c. 2. quia extrema necessitas facit res alienas communes solùm quoad usum, non quoad dominium, quod non transit in accipientem. Igitur licèt talem necessitatem patiens ad evitandum gravius malum mortis possit rem alterius accipere, non tamen, ut eam quasi suam habeat. 3. quia necessitas adveniens debitum antiquum non extinguit, sed solùm suspendit ad tempus, donec debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit. Igitur neque necessitas præcedens acceptionem.

Sed distinguendum est, an res ac-
61 cepta sit usu consumptibilis, an verò non. *Si hoc secundum*, eam accipiens, postquam necessitas transiit, restituere debet, ut exploratum est apud omnes. *Si primum*, & in ea necessitate consumpta est res accepta, nulla est obligatio illam restituendi. Sylv. *V. furtum q. 5. n. 10. dict. 3.* Azor *p. 2. l. 12. c. 8. q. 8.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 7. concl. 2.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 2. c. 6. §. 2. n. 2.* Barbos. *in c. 3. h. tit. n. 3.* Pirhing *hic n. 16.* König *n. 12.* Wiestner *n. 22. Ratio est*, quia non apparet, unde obligatio hæc restituendi nascatur: non enim oritur ex re accepta; quia ponitur bona fide esse consumpta: non ex injusta acceptione; quippe quæ facta est licitè: non ex contractu, vel quasi contractu; quia talis non intercessit, nec à Jure præsumitur intercessisse.

Porro quod dictum est de acceptis
62 in extrema necessitate, etiam dicendum de ijs, quæ ablata sunt causâ necessitatis valde gravis, & quasi extremæ; nam neque iste tenetur ad restitutionem, etiamsi postea sit ditior factus, si tenebatur subvenire eidem dives, ob eandem rationem. Sylv. *l. cit.* Pirhing *n. 17.* cum aliis; quia qui semel acquisivit jus perfectum in re accepta, non tenetur illam restituere, etsi causa accipiendi ob pinguiorem postea fortunam advenientem cesset. Idémque dicendum est, siquis accipiat rem alienam, non ut sibi, sed alteri v. g. Titio extremè, vel quasi extremè indigenti subveniat. S. Thom. *2. 2. q. 66. art. 7. ad 3.*

Ad textus in contrarium allegatos
63 dico, neutrum agere de acceptis in extrema necessitate. *Ad Conf. 1.* Nego Majorem; potiùs enim jus accipiendi in tali necessitate commensuratur concessioni naturæ, quæ voluit eo casu omnia esse communia. *Ad 2.* ante consumptionem quidem accipiens non est dominus rei, fit tamen dominus per consumptionem, hoc ipso, quòd in ea necessitate licitè, & tutâ conscientiâ possit eam consumere: adeóque restituere non tenetur, sicut restituere non tenetur possessor bonæ fidei fructus ex re aliena perceptos, quippe quos ipsa consumptione facit irrevocabiliter suos. *Ad 3.* negatur paritas; nam debitum ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto, superveniente extrema necessitate, ideo non extinguitur, sed tantùm sopitur, & suspenditur, quia per eam necessitatem non extinguitur obligatio ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto nata: at verò licentia accipiendi rem alienam in extrema necessitate non nascitur ex contractu, vel quasi contractu, sed ex eo, quòd extrema necessitas faciat res omnes communes, & proprias accipientis, & consumentis.

Dub. 4. an res furtivæ, apud furem
64 à Judice apprehensum inventæ, restituendæ sint domino, an verò Magistratus illas sibi vindicare possit jure Fisci? *Ratio du-*

bitan-

bitandi est, quia de damno, quod quis suâ culpâ sentit, conqueri nemo potest *Reg. quod quis 203. ff. de R. J.* furtum autem sæpe non vacat culpâ domini in rei suæ custodia negligentis. Gloss. *ibid. V. subreptum.* ergo &c.

Sed dicendum, rem furtivam inventam apud furem, restituendam domino, quando is certus est. Ita Marsil. *tr. crim. §. quoniam n. 102.* Damhouder. *prax. crim. c. 110. à n. 53.* Besold. *delibat. Jur. p. 2. ex Pandect. l. 47. q. 6.* Harppr. *§. furtum 3. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 28.* Schneidewin. *ad §. fin. Inst. ibid. n. 8.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 260.* Pirhing *hic n. 24. not. 5.* Wiestner *n. 29.* Reiffenstuel *n. 44. arg. l. si captivus 20. §. verum 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* ubi deciditur, quòd expulsis hostibus ex agris, quos occupârunt, dominia agrorum ad priores dominos redire, non verò publicari debeant.

65 *Proceditque hoc*, non obstante statuto, & consuetudine contraria; nam hæc à Carolo V. *Constit. crim. art. 207.* & à Ferdinando I. *Recess. Imp. August. 1559. §. 35.* tanquam abusus, & corruptela reprobatur: & meritò; nam 1. domino rei furtivæ persecutio competit, quâ non solùm condicere illam à fure, & illius hæredibus, sed etiam à quocunque possessore, quamvis pretio non refuso, vindicare potest *l. incivilem 2. C. de furt. l. mater 3.* & *l. mancipium 23. C. de R. V.* prout dictum est *suprà n. 59.* 2. contra naturam est, ut quis cum jactura, & damno alieno locupletetur, & domini res sine ipsius facto in alium transferatur *l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb. l. id quod 11. ff.* & *c. locupletari 48. de R. J. in 6.* 3. iniquissimum, & à naturali ratione alieniissimum est ex facto unius alterum prægravari, & delictum unius in alterius perniciem trahi *l. omnibus 1. ff. de alien. judic. mut. caus.* & *l. factum 155. pr. ff. de R. J.* cùm peccata, hisque promerita pœna tuos tantùm authores, & delinquentes tenere debeant *l. crimen 26. C. de Pœnis*: & hæc res ansam præberet iniquis, & avaris Magistratibus suspendendi fures, ut bona furto ablata sibi vendicare possent.

66 *Ad Rationem dubitandi* dico, furtum quoque annumerari casibus fortuitis, qui culpâ carent *l. ex ratione 30. pr. ff. ad Leg. Falcid.* & *l. pignus 9. C. de Pignor. act.* Accedit, quia licèt is, cui res ablata est, aliquando in culpa sit respectu alterius v. g. concedentis, in culpa tamen non est respectu furti; & si esset respectu istius, ea esset minor, quàm ut rei injustè ablatæ, & extantis damno coërceri valeat.

67 Quæritur 5. utrùm dominus saltem Magistratui restituere teneatur expensas, factas in capturam, custodiam, torturam, & executionem furis? Videtur respondendum affirmativè; nam restituere debet etiam sumptus, quos bonæ fidei possessor fecit, secundùm æstimationem Judicis *l. fin autem 27. §. fin. ff.* & *l. siquis 11. C. de R. V.*

Sed respondendum est, rem furtivam domino restituendam sine diminutione, vigore *Constit. crim. Carol. V. art. 213.* ubi illi duntaxat excipiuntur sumptus, qui in sustentationem animalium furtim sublatorum sunt facti. *Conf.* ex eadem *Const. art. 214.* ubi decernitur, quòd Judici ex officio incumbat, ut, prout quisque delinquerit, in eos animadvertat. Quæ autem Judici ex officio incumbunt, absque ullo alicujus privati adminiculo, damnóque expedire, & gratis administrare tenetur *arg. l. ut puta 2. §. sed si 2. ff. de condict. ob turp. caus.* Berlich. *pract. p. 5. Concl. 45. n. 32.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 261.* Wiestner *hic n. 30.* Reiffenstuel *ibidem n. 45.*

Dixi *vigore Const. crim. Carol. V.* 68 nam Jure nostro Provinciali Bavarico, cùm res furtiva æquat valore asses duodecim, nummus duodecimus; cùm verò duodecim asses excedit, nummi 36. solvendi sunt Judici. *Malefiz = Proceß. Tit. 7. art. 5.*

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; nam bonæ fidei possessor sumptus à se factos repetere potest, tanquam utilis negotiorum gestor.

Quæritur 2. quid, & quotuplex sit 69 *Condictio furtiva*? R. est actio personalis, civilis, rei persecutoria, irregularis, seu extraordinaria, perpetua, quâ rei furto ablatæ restitutio, si extat, vel si non extat amplius, ejus æstimatio, omnéque interesse petitur. König *hic n. 24. ℣. Condictio furtiva*, Reiffenstuel *ibid. n. 34.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 18.* Magnif. D. Verlohner *de Condict. furtiv. n. 1.* Explicatio Definitionis patebit ex dicendis. Dividitur autem Condictio furtiva in Condictionem certi, & incerti. *Condictio certi est*, quâ res ipsa, furto sublata, repetitur. *Condictio incerti*, quâ non res ipsa, sed possessio, usus, vel interesse postulatur. Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 19.*

Dub. 1. Cui Condictio furtiva com- 70 petat? R. *Condictio certi* (quæ simpliciter vocatur Condictio) competit soli domino ejúsque hæredi *l. in furtiva 1. ff. de Condict. furt. l. eum qui 14. §. qualis 16. ff. de furt.* ubi tamen notandum, Domini nomen hic non accipi strictè, seu pro eo, qui dominium verum rei furtivæ habet, sed latiùs, prout includit etiam illum, qui habet dominium fictum, & quasi

si dominium. Et hinc condicere rem furtivam possunt etiam bonæ fidei possessores; quia locum Domini sortiuntur *tot. tit. ff. de Public. in rem act.* item Tutor, & Curator loco pupilli, & minoris in curâ existentis; nam & hi loco domini existunt. Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 6.* Contra condicere nequit Commodatarius, Depositarius, Conductor §. *qualis cit.* quia non sunt domini, vel instar domini: nec Legatarius, si res legata subrepta ei sit ante factam traditionem *l. sed nec ff. de Condict. furt.* quia cùm hactenus ejus rei possessionem non sit adeptus, per consequens ei furtum non censetur fuisse factum: minimè verò juvatur hac Actione, à quo dominium rei furto submotæ facto suo receſſit; nam hoc amisso, non ampliùs moveri potest *l. sive 10. §. tamdiu 2. ff. eod.*

71 *Condictio incerti* datur 1. Creditori, cui pignus surreptum est *l. & ideo 12. §. fin. ff. de Condict. furt.* 2. Commodatario, & Conductori, quibus subtracta fuit res commodata, vel locata *l. fin. §. sed cùm 3. C. de furt.* 3. Usufructuario, si fructus jam ad maturitatem perducti sunt *arg. l. arboribus 12. §. Julianus 5. ff. de Usufr.* Ratio de omnibus relatis est, quia eorum vel maximè interest, rem subreptam non esse. Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 21.* Magnif D. Verlohner *n. 7.*

72 Dub. 2. adversùs quem detur Condictio furtiva? ℟. 1. datur adversùs ipsum furem, qui rem actu ipso contrectavit, sive deinde sit fur manifestus, sive nec manifestus, sive prædo, aut in specie latro *l. sive manifestus 10. pr. & §. ei quoque 1. ff. de Condict. furt. l. Prætor ait 2. §. rerum raptarum 16. ff. vi bonor. rapt.* Quod prorsus est singulare, cùm reliquæ Condictiones dentur non domino contra dominum. Introductum autem hoc est in odium furis, ob quod iste fingitur esse dominus, ut Condictione pulsari queat, & sic pluribus Actionibus teneatur §. *sic itaque 14. Inst. de action.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 22.* Magnif. D. Verlohner *de Condict. furt. n. 4. fin.* Quoad cætera intacta Domino perseverant omnia jura, & privilegia, annexa dominio.

2. Datur hæc Condictio adversùs 73 Hæredes furis, non solùm ob id, quod de re furtiva ad illos pervenit, sed etiam in solidum, quamvis nihil ad eos pervenerit, ut contra Cujac. *l. 7. obs. c. 37.* Vult. *in §. 14. Inst. de Action.* & quosdam alios melius docent Bachov. *tr. de Action. D. 4. thes. 21.* Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit. 18. thes 54.* Wisenbach. *ad Pandect. D. 26. thes. 5.* Lautterbach. *ff. de Condict. furt.* Pirhing *hic n. 18. ℣. præter actionem*, Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 10.* & sumitur ex §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. in condictione 9. ff. de Condict. furt.* quod adeo verum est, ut etiamsi fur ultimo supplicio sit affectus, hæres nihilominus ad restitutionem rerum furto sublatarum, vel æstimationem illarum conveniri Condictione hac possit, vi *Const. crim. Carol. V. art. 207. & 213.* Struv. *obs. crim. c. 4. obs. 10.* Carpz. *pract. crim. q. 190. n. 4.* König *hic n. 24. fin.* Reiffenstuel *ibid. n. 34.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 23.*

3. Si plures sint fures, aut rapto- 74 res, datur Condictio hæc contra omnes in solidum, ita tamen, ut si unus plenè satisfecit, cæteri liberentur *l. præses 1. C. de Condict. furt.* quia Condictio hæc est rei persecutoria, adeóque consumitur, quando id, quod abest, præstatur; idem enim bis peti nequit *l. bona fides 57. ff. de R. J.* quo Condictio ista differt ab Actione furti; nam si actione furti unus complicum pulsatus solvit, reliqui non liberantur: & ratio discriminis est, quia actio furti est pœnalis; cons. omnes, qui delicto se contaminârunt, onerat *l. præses cit.* Porro si unus complicum hac condictione pulsetur, nec beneficium divisionis, nec si solvit, regressum contra reliquos habet. Salicet, *ad l. præses cit.* Brunnem. *ibid.* Verlohner *l. cit. n. 8.*

4. Hæc Condictio porrigitur etiam 75 adversùs illos, quorum operâ, & consiliô furtum, aut rapina est perpetrata *l. sæpe 1. §. item dubitatum 1. ff. de V. S. & l. un. C. de noxal. act.* Requiritur autem, ut consilium concurrerit cum operâ, & hæc talis sit, quæ instrumentaliter in causam physicam influat, prout influit, qui rem raptam, aut furto sublatam raptoris, vel furis humeris imposuit, ut iste faciliùs in fugam se daret, aut qui pecus abegit ex palcuis, ut alter id occuparet, vel qui pecunias alicui excussit è manibus, vel sacculo, ut alter eas auferret. *Secus est*, si consilium, & opera se habent solùm per modum causæ moralis, ut si excubias quis agat, ne delinquentes deprehendantur; nam adversùs talem non datur ista Condictio. Magnif. D. Verlohner *l. cit.*

Dub. 3. quod sit objectum hujus 76 Condictionis? ℟. est res furto sublata: & hanc persequi potest Condictionem istam instituens 1. etiamsi res illa sit in aliam transmutata formam, ut si ex argento furtivo sint efformata pocula; nam hæc repeti condictione hac possunt, cùm furtiva censeantur *l. ex argento 13. ff. de Condict. furt.* item repeti possunt vestimenta, confecta ex lana furto amotâ *l. sequitur 4. §. si ex lana 20. ff. de Usurp. & Usucap. Neque obstat*, quòd huic Condictioni non subjaceat res comparata ex pecunia furtiva *l. qui vas*

vas 48. §. fin. ff. de furt. negatur enim paritas; cùm enim nec res succedat in locum pretii, nec pretium in locum rei, ex eo, quòd pretium furtivum sit, non sequitur furtivam etiam esse rem per tale pretium emptam, aut si res furtiva sit, etiam furtivum esse pretium ex ea distracta redactum.

77 Persequitur autem hæc Condictio rem furto amotam cum omnibus fructibus tam perceptis, quàm illis, qui percipi potuissent, extantibus non minùs, ac consumptis *l. in re furtiva 8. §. fin. ff. de Condict. furt.* éstque perinde, sive post litem contestatam, sive ante acceptum Judicium percepti sint *l. indebiti 15. & l. hæc condictio 66. ff. de Condict. indeb. l. videamus 28. §. item 2. ff. de Usur. & fruct.* Struv. *Exerc. 18. thes. 56.* Myllerus *ibid.* Oldendorp. *class. 7. act. 4.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 14.* Quodsi autem res furto sublata etiam per casum fortuitum perempta sit, petitur æstimatio illius, habita ratione ejus temporis, quo res post commissum furtum plurimi unquam fuit usque ad sententiam *l. in re furtiva cit. §. si ex causa 1.* quia, ut ibi dicitur, *semper moram fur facere videtur.* Excipitur, si fur per oblationem rei furto sublatæ moram purgaverit; tunc enim si res illa absque furis culpa perempta est, domino suo perijt *l. cit. pr.* Struv. *l. cit.* Bachov. *de Act. D. 4. thes. 22.* Wisenbach. *ad ff. D. 26. th. 1.* Lautterbach. *ff. de Condict. furt. §. 13.* Verlohner *l. cit. n. 14.*

78 Dub. 4. quid in deducenda hac Condictione probandum sit? R. præter furtum probari debet dominium, si *Condictio certi* instituatur *arg. l. in furtiva 1. ff. de Condict. furt.* non quidem exactè, & plenè, sed minùs plenè, ut post Gletle *Jurispr. terrib. p. 2. c 1. §. 7. n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 24.* quia absurdum foret actorem à reo convento, seu fure tantùm eo ex capite repelli, quòd dominium accuratè non probaverit. Si tamen constaret, vel à fure probari posset, rem non ad actorem, sed tertium pertinere, furem audiendum *arg. l. eum, qui 14. §. qualis 16. ff. de Furt.* existimat Stryck. *tr. de Action. forens. sect. 1. membr. 10. §. 4.* & approbat P. Schmier *n. 25.*

In *Condictione incerti* probandum est, quòd Actoris interfit, rem ablatam non fuisse *l. & ideo 12. §. fin. ff. de Condict. furt.* P. Schmier *n. 26.*

78 Quæritur 3. quid, & quotuplex sit Actio furti? R. alia consurgit ex furto manifesto, alia ex furto nec manifesto. *Prior* Prætoria est, & datur in quadruplum: *posterior* est Civilis, & datur in duplum *§. pœna 5. & §. fin. Inst. de oblig. quæ*

ex delict. §. ex maleficiis 18. Inst. de action. Utraque merè pœnalis, personalis, perpetua, & famosa est per *text. citt. & pr. Inst. de perpet. & temp. act. §. ex quibusdam 2. Inst. de pœn. tem. litig.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 17.* Manz. *ad §. 5. cit. n. 3.* Vallens. *hic §. 2. n. 3.* Pirhing *ibid. n. 18.* Begnudell. *V. furtum n. 9.* Dicitur autem Actio merè pœnalis; quia tantùm ad pœnæ persecutionem pertinet. Hinc in eam non venit ipsa res *§. fin. cit. & l. qui vas 48. pr. ff. h. tit.* Si res ipsa contrectata fuit, duplicatur, vel quadruplicatur æstimatio rei, seu verum ipsius pretium, quod habebat tempore, quo commissum est furtum, vel quo pretiosior facta est *l. in furti 50. pr. h. tit.* Si verò solùm usus, vel possessio sit interversa, multiplicatur tantummodo interesse: cons. bonæ fidei possessori, & Usufructuario, si furtum eisdem fiat in re possessa, aut in Usumfructum data, solummodo duplicatur, vel quadruplicatur fructuum æstimatio *l. inter 46. §. si servus 1. & l. furtivam 74. ff. h. tit.*

Dub. 1. cuinam competat hæc furti Actio? R. datur tam domino rei, quàm alteri, cujus interest, rem ablatam non fuisse *l. cujus 10. & l. seq. ff. h. tit.* sub hac tamen modificatione, quòd, si dominus ipsemet rem actualiter & naturaliter non possideat, sed eam v. g. commodaverit, locaverit, deposuerit, non possit aliter agere, quàm si conductor, aut depositarius extra culpam, aut non solvendo sit *§. item si 15. Inst. de oblig. quæ ex delict. l. itaque. 12. & l. eum qui 14. §. idem scribit 6. ff. h. tit.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 695. n. 3.* nam si culpam admisit, & solvendo sit, non tam interest domini, quàm Conductoris, & Depositarii, quippe qui eo casu conveniri à domino potest vel ad restitutionem, vel ad æstimationem rei, quæ culpâ eorum furto ablata per alium est *§. item si cit. & l. eum qui cit. §. si res 14. & §. qualis 16.* Magnif. P. Schmier *p 3. de Delict. c. 1. n. 29. & 30.* Aliud est, quando Conductor &c. versatur in dolo, vel quia rem ipsam dolosè retinet, sicuti fur, vel quia per dolum dat ansam furto; tunc enim iste nullatenus actione furti juvatur, sed hæc domino competit tam adversùs Commodatarium &c. ita dolosè agentem, quàm adversùs eum, qui furto rem abstulit *l. tum is, 11. l. itaque 12. §. sed si 1. l. eum qui 14. §. item Pomponius 8. ff. h. tit.* 80

Idem, quod dictum est de Conductore, & Depositario, Jure Digestorum juxta *textus allegatos* dicendum foret de Commodatario: sed Jure Codicis *l. manifestissimi 22. §. tales 1. C. h. tit.* aliquantum à paritate cum Conductore recessum est, & tum demum Commodatario, cujus 81

culpâ res commodata per alium furto ablata est, actiõ furti contra furem conceditur, quando dominus rei commodatæ adversùs ipsum Commodatarium elegerit instituere actionem commodati; nam *l. & §. cit.* Domino rei commodatæ liberum datur arbitrium, utrùm actione furti contra furem, vel commodati contra Commodatarium velit agere, cum hac tamen limitatione, ut unâ per litis contestationem electâ, ad alteram transire nequeat. *Ratio disparitatis* inter Conductorem, & Commodatarium est, quia ille prò re conducta præstat mercedem, iste verò nullam, ut adeo ratio sit, cur priori Actio furti concedatur indistinctè, posteriori verò limitatè solùm, cum non tanti istius interst, utpote qui jacturam non patitur ex re sua, sed tantùm privatur commodis rei sibi commodatæ.

82 Dub 2. contra quem detur Actio furti? R. datur contra eum, qui furtum fecit, vel ad id auxilio, vel consilio suo cooperatus est: nec refert, quamvis res ablata perierit *l. inter omnes 46. pr. ff. h. tit.* Quodsi plures eandem rem contrectaverunt, etsi dispar illorum sit opera, singuli tamen in solidum hac actione pulsantur, nec uno solvente, cæteri liberantur *l. vulgaris 21. §. si duo 9. ff. eod.* Neque fit in actione hac discrimen ætatis; nam etiam contra impuberem doli capacem, si furtum fecerit, hæc actio datur *l. impuberem 23. ff. eod.*

83 *Contrà* non datur hæc Actio 1. in hæredem furis; quia merè pœnalis est *l. civilis 1. ff. de privat. delict.* *Exciptur*, nisi lis cum defuncto priùs fuerit contestata §. *non autem fin. Inst. de perpet. & temp. act.* & *l. pœnalia 164. ff. de R. I.* ibi, *Pœnalia judicia semel accepta, in hæredes transmitti possunt.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 696. n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 32.* Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n. 22.*

84 2. Non datur parentibus contra liberos, aut liberis contra parentes, si aliquid sibi invicem auferant *l. ne cum 16.* & *l. si quis 52. §. idem 4. ff. h. t.* Molin. *l. cit. n. 3.* Schmier *n. 33.* nisi peculium sit castrense; nam in hujus subtractione potest quidem actio furti moveri, non tamen directa, vel famosa, sed utilis in factum, non famosa *l. si quis cit. §. sed si 5. & §. seq.* Lauterbach. *ibid. §. 43.* Molin. *l. cit. n. 3.* Schmier *n. 34.*

85 3. Similiter si durante Matrimonio unus conjugum alteri quid furripiat, non actio furti, sed si absque intentione divortij res ablata fuerit, intentatur simplex Condictio, ex Jure Gentium descendens, ut loquitur Marcianus *l. rerum quidem 25. ff. de Act. rer. amot.* aut actio in factum, ut eam vocat Imperator *l. divortii 2. C. rer. amot.* vel si intuitu futuri divortii subtractio contigerit, instituitur actio rerum amotarum *tot. tit. ff. & C. de act. rer. amot.* Sylv. *V. furtum n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 168. n. 52. & seqq.* Molin. *D. 696. cit. n. 2.* Stryck. *tr. de Action. forens. sect. 1. membr. 10. §. 7. 8. & 9.* Schmier *n. 36. & 37.* Pirhing *hic n. 18. ℣. porro*, Reiffenstuel *ibid. n. 30. & 31.*

Dub. 3. quod sit objectum hujus Actionis? ℟. est duplum, vel quadruplum, prout nimirum furtum est vel manifestum, vel non manifestum: cum distinctione tamen; nam si res ipsa furrepta est multiplicatur ipsius pretium; si verò usus, & possessio, ad duplum, vel quadruplum æstimatur interesse, ut dictum est *n. 79.* Potest ad duplum, vel quadruplum hodiedum agi, ut contra Grönevvegen *de LL. abrog.* qui putat pœnam istam hodiernis moribus omnino exolevisse, melius tenet Stryck. *l. cit. §. 6.* & confirmari potest ex *Constit. Crim. carol. V. art. 157. & seq.* ubi expressa fit mentio dupli, & quadrupli. Quòd autem rarius agatur ad duplum, vel quadruplum, causa est, ut bene notat Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 38.* quia plerumque fures sunt pauperes, & actores plus non quærunt, quàm indemnitatem suam. 86

Dub. 4. utrùm actio furti moveri queat etiam ob rem minimam? Videtur, quòd non. 1. quia æquitati adversatur, ut ob furtum rei minimæ fama fugilletur. 2. quia minima in Jure non curantur *l. scio 4. ff. de in integr. restit.* & *l. res bona 54. ff. de contrab. empt.* 3. quia actio doli ob rem, seu læsionem minimam non conceditur. Sed tenenda est affirmativa cum Clar. *§. furtum n. 23.* Farin. *prax. crim. q. 174. n. 71.* Pirhing *hic n. 13.* Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n. 24.* Constat ex *§. gallinarum 16. Inst. de rer. divis.* ubi furtum facere dicitur, qui gallinam aufert. Constat autem gallinam in numerum rerum exiguarum referri *Novell. 69. c. 1.* quod etiam confirmatur ex *l. vulgaris 21. ff. h. tit.* & *can. fin. caus. 14. q. 6.* ibi, *Fur non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.* Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* per actionem *vi bonorum raptorum* fama magis in discrimen adducitur, quàm per actionem furti, & tamen actio *vi bonorum raptorum* datur etiam ob minimam rem ablatam *pr. Inst. de vi bonor. raptor.* *Ad 2.* minima non curantur in ordine, ut detur remedium extraordinarium; secus, ut remedio ordinario peti possint. Ex quo patet. *Ad 3.* nam Actio doli est remedium extraordinarium. 87

Dub. 5. quare fur manifestus condemnetur in quadruplum, non manifestus 88

in

in duplum? Rationes varias DD. afferunt, ut videre est apud Schneidevv. §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 4.* Harpprecht *in* §. *pœnam Inst. eod. n. 2. & 3.* Congrua est, quòd manifestum ultra læsionem, quam proximo infert in bonis, etiam scandalum publicè pernicioſum præbeat, & majorem indicet impudentiam, ac turpitudinem, nec omni suspicione violentiæ carere censeatur *arg. can. nemo 4.* §. *tolerabilior cauſ. 32. q. 4. c. ex tenore 4. de tempor. Ordin.* Schneidevvin. *l. cit. n. 4.* Harppr. *n. 2. & 3.* Pirhing *hìc n. 18.* Wiestner *n. 22.* Reiffenstuel *n. 32.*

89 Dub. 6. quis sit effectus actionis furti? ℟. præter obligationem restituendi rem furto ablatam, si extet, vel æstimationem ejus, si sit perempta, & pœnam dupli, vel quadrupli, etiam hunc producit effectum, quòd furti, saltem notabilioris, condemnatus fiat infamis §. *ex quibusdam 2. Inst. de pœn. temer. litig. l. Athletas 4.* §. *fin. ff. de his, qui not. infam.* etiamsi civiliter tantùm conventus sit. Brunnem. *ad l. cit. n. 4.* Begnudell. ℣. *furtum n. 9.* Wiestner *hic n. 25.* Reiffenstuel *ibid. n. 35.*

90 Dub. 7. quæ probatio in hac actione sit necessaria? ℟. probatio in præsenti actione facilis est; nam id solùm est probandum, quòd furtum ab Adversario sit commissum, & nostra propterea interest. Gletle *Jurispr. terrib. p. 2. c. 1.* §. *6. n. 14.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 39.*

91 Quæritur 4. quæ sit pœna furti, quando criminaliter seu ad vindictam publicam de eo agitur? ℟. de *Jure Ecclesiastico*, seu *Canonico* 1. fur notorius, aut furti condemnatus sit infamis, sicut infamis sit fur Laicus condemnatus de furto in foro sæculari *can. infames 17. cauſ. 6. q. 1.* quia quicunque secundùm Leges infamis est, etiam infamis est secundùm Canones, nisi reperiatur oppositum statutum *can. Euphemium 7.* §. *hinc colligitur cauſ. 2. q. 3.* Abb. *in c. fin. h. tit. n. 14.* Felin. *ibid. n. 16.* Diaz *pract. crim. can. c. 94. n. 2. fin.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 10.* Vallens. §. *2. hic n. 4.* Pirhing *n. 26.* Wiestner *n. 31.* Reiffenstuel *n. 49.* Begnudell. *V. furtum n. 26.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 42.* Intelligi autem hoc debet, si adversùs furem sit instituta actio pœnalis furti; nam si tantùm actum fuerit contra furem Condictione furtiva, cùm hæc non infamet per Leges Civiles, neque in foro Ecclesiastico hac condictione conventus Clericus infamis reddetur: & tali condictione conventus intelligitur, quando condemnatus est tantùm ad restituendam rem furto ablatam, ut post *Diaz. l. cit.* notat Pirhing *n. 26. cit.*

2. Quòd ex priori sequitur, fur notorius, aut furti condemnatus, fit Irregularis, ut neque ad Ordines promoveri, neque in susceptis ministrare possit, ut colligitur ex *can. qui in aliquo 5. dist. 51. can. teſtes 39. cauſ. 2. q. 7. c. infamibus 87. de R. J. in 6.* & argumento à sensu contrario ducto ex *c. fin. h. tit.* Abb. *in c. fin. cit. n. 3. & 14.* Navar. *Man. c. 17. n. 204.* Suar. *de Censur. D. 48. sect. 2. n. 2.* Pirhing *hìc n. 27.* Reiffenstuel *n. 50.* Begnudell. *l. cit.* Notanter autem *hoc*, & *præc. num.* dixi, *Fur notorius*, aut *furti condemnatus*; quia fur occultus infamiam non inducit, & per consequens nec Irregularitatem. *Ex quo sequitur*, quòd ejusmodi furem occultum, si infamiam Juris per condemnationem nondum incurrit, peractâ pœnitentiâ, sine dispensatione, admittere possit etiam Episcopus *c. fin. h. tit.* Abb. *in c. at si Clerici 4.* §. *de Adulteriis de Judic. n. 4.* Thesaur. *de pœn. Eccl. p. 2.* §. *furtum c. 1. n. 2. fin.* Vivian. *in c. fin. cit. pr.* Fagnan. *ibid. n. 1.* Pirhing *hìc n. 27.* Wiestner *n. 31.* Reiffenstuel *n. 51.* Si publicum crimen furti sit, & incursa infamia Juris, Irregularitatem inde ortam directè tollere, & cum ejusmodi Irregulari dispensare ad Ordines SS. potest solus Papa, quod tamen, nisi infamia priùs abolita, nunquam consuevit facere, ut rectè advertit Molin. *tr. 4. de I. & I. D. 10. n. 3.* Addidi *directè*; nam indirectè auferre Irregularitatem istam etiam Princeps, & alia potestas Sæcularis, infamiam Jure Civili introductam per restitutionem famæ abolendo, potest, ut Henriq. *l. 14. c. 5. n. 3.* Suar. *de Censur. D. 48. sect. 2. n. 10.* Wiestner *hic n. 31.* & alij DD. notant. 92

3. Si Clericus in furto notabilis quantitatis, aut iteratò deprehensus, vel convictus sit, ab Ordine, & Officio Clericali deponendus *can. Presbyter 12. dist. 81.* si verò non respiscat, excommunicandus, ac tandem, si incorrigibilis evadat, Curiæ sæculari tradendus est, *vi Constitutionis Clem. III. c. cùm non ab homine 10. de Judic.* Tholosan. *Synt. p. 3. l. 37. c. 2. n. 23.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 9.* Vallens. *n. 4. cit.* Pirhing *n. 25.* Reiffenstuel *n. 53.* Begnudell. *l. cit.* Magnif. P. Schmier *c. 1. cit. n. 42.* In Laicos, quando fures sunt, aut rem furtivam injustè detinent, fertur Excommunicatio, quâ etiam afficiuntur, qui furem sciunt, & non indicant, ut cum *Abbate* tenent communiter DD. *in c. qui cum fure 4. h. tit.* Atque in hunc finem ab Episcopis vel eorum Vicariis ad instantiam partis læsæ concedi possunt Litteræ Monitoriæ generales sub Excommunicatione contra eos, qui rem alienam vel injustè retinent, vel ab alio detentam scientes non revelant, ita, 93

ut si intra certum tempus, in ijs præfixum, non restituant, vel non indicent, ipso etiam facto Excommunicationem incurrant. Hæ Excommunicationes dicuntur fieri *ad finem revelationis*, ut habetur in Trid. *sess. 25. c. 3. de reform.* ubi simul decernitur, ne ab alio prorsus, quàm ab Episcopo, vel ut teste Joan. Gallemart. *ibid. V. à nemine prorsus* declaratum est à *Cardd.* ab ejus Vicario generali decernantur: & si ab istis fiant, ut fiant monitionibus præmissis, ex re non vulgari deperdita, & non nisi causâ diligenter cognitâ.

94 Dub. 1. quæ sit pœna furti, quando de eo agitur criminaliter in foro Sæculari? R. olim crimen hoc variè punitum fuit, & quidem ex *Lege 12. tabularum tab. 2.* fur manifestus, si fuit homo liber, verberabatur, & addici jubebatur ei, cui furtum factum est; servus autem verberibus cæsus è saxo dejiciebatur. *Jure Digestorum* autem *l. fin. ff. h. tit. l. fures 1. & seqq. ff. de furib. balu. l. de his 1. §. expilatores 2. & seqq. ff. de Effractor.* pro commissi criminis qualitate, & varietate circumstantiarum coërcebatur aut mulctâ pecuniariâ applicandâ fisco, vel pœnâ carceris, relegationis, damnationis ad metalla, vel aliâ corporali pœnâ. Sylv. *V. furtum n. 8. ỳ. quartum.* Carpz. *pract. crim. q. 77. n. 5.* Vallens. *hic §. 2. n. 3.* Begnudell. *V. furtum n. 9.* Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n. 25.* Mortis autem, aut mutilationis pœnam propter furtum irrogari disertè noluit Imperator *Auth. sed novo C. de Serv. fugit. & Novell. 134. c. 13. ỳ. pro furto.* Hac tamen postea, cùm successu temporis invalesceret furum audacia, furtorum graviorum Rei cœperunt affici juxta *Const. Friderici I. l. 2. feud. tit. 27. §. fin. & Const. Crim. Carol. V. art. 159. & seqq.*

95 Dub. 2. utrum rectè pœna capitalis statuta sit furto? In controversiam istud nonnulli trahunt apud Carpzov. *q. 77. cit. n. 13.* hoc præcipuè nixi fundamento; quia nimis durum, & inhumanum videtur, eum qui in pecunia tantùm deliquit, in corpore punire, & multò magis ei pro bonis temporalibus ablatis vitam adimere, inter quæ nulla est proportio, cùm vita hominis longè superioris ordinis sit, & præstantior omnibus bonis temporalibus. Pœna autem debet esse proportionata delicto.

96 Sed nihilominus dicendum, licitum, & justum esse fures in furca suspendere, & ultimo supplicio afficere, præsertim si sint incorrigibiles. Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 7.* Vasq. *de Restit. c. 5. §. 1. dub. 7. n. 36.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 695. n. 1.* Harppr. *ad §. 5. n. 7. & seqq. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Besold. *Class. 2. Disp. polit. 2. thes. 25.* Carpzov. *pract. crim. q. 77. n. 13. & seqq.* Pirhing *hic n. 20.* Idque quia ita necessarium est ob furtorum frequentiam, ad pacem publicam, & tranquillitatem servandam, & refrenandam hominum crescentem malitiam, avaritiam, & rapacitatem, quæ aliis modis, & pœnis levioribus coërceri non potest, ut experientia testatur.

97 Dub. 3. an pro unico furto, quantitate magnum, sed simplex, & absque violentia, & effractione commissum sit, possit inferri pœna mortis? Affirmant Bald. *in Auth. sed novo n. 3. ỳ. ego dico C. de Serv. fugit.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 7. ỳ. sic sane*, Bajard. *ad Clar. §. furtum n. 42.* Menoch. *de arbitr. cent. 2. cas. 295. n. 9.* Molin. *tr. 2. D. 695. n. 9.* Berlich. *p. 5. concl. 43. n. 22.* Reiffenstuel *hic n. 43.* Idque suaderi videtur ex *Const. Frideric. & Carolin. citt.* ubi habetur, quòd is, qui una vice admisit furtum, laqueo in furca, si mas sit, si verò fœmina, immersione in aquam vitam finire debeat.

98 Sed contrarium tenent Salicet. *in Auth. sed novo cit.* Bartol. *ibid. ỳ. an autem.* Jason *in l. 1. n. 7. C. de precib. Imper. offerend.* Clar. *§. furtum n. 9.* Gomez *tom. 3. var. c. 5. n. 7.* Damhoud. *prax. rer. crim. c. 110. n. 35.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 47.* Fachin. *l. 9. contr. c. 91.* Harppr. *in §. pœna 5. n. 56. & seqq. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Pirhing *hic n. 21.* Rationem dant, quia nulla Lege, aut Jure invenitur cautum, ut fur pro unico furto morte multetur; neque enim Judex in imponendis pœnis debet esse rigidior ipsa Lege *l. perspiciendum 11. & l. interpretatione 42. ff. de pœnis.* Et cùm olim non capitalis, sed solùm pecuniaria pœna furti Jure communi statuta fuerit, ideo standum est adhuc Jure antiquo, nisi ubi pœna capitalis Jure novo expressa est.

99 Hæc sententia, quia benignior, videtur suadenda præ priore: sed tria tamen circa eam sunt observanda. 1. gravius puniri debent, qui magnas res furripiunt, quàm qui parvas, videlicet damnando eos ad metallum, vel opus publicum, vel ad triremes, aut fustigatione, vel alia ratione, citra mortem tamen. Harppr. *l. cit. n. 63.* 2. perpendendæ circumstantiæ furti; nam si insignis malitia Rei appareat, aut alia justa causa concurrat, pœna suspendii tutò furi etiam pro primo furto, si 5. solidos excedat, imponi potest: & ita intelligi debet *Const. Carolin.* dum *art. 160.* pœnam mortis etiam pro primo furto imponit. Carpzov. *pract. crim. q. 78. n. 73.* 3. iisdem circumstantijs, & causis exigentibus, statuto, vel consuetudine induci potest, ut etiam primum furtum morte puniatur. Pirhing *n. 21. cit.* & talem consuetudinem per totam ferè Germaniam usu, &

& praxi receptam esse cum *Mollero* testatur Carpzov. *l. cit.*

Ad *Constitut. Frider.* in contrarium allegatam dico, eam non obesse Sententiæ sic explicatæ, præsertim cùm in ea sermo sit non de simplici furto, sed de seditioso, sive eo, quod cum effractione, violentia, aut armis factum est.

100 Dub. 4. an pœna mortis imponi possit pro secundo furto? R. licèt hujus reo imponi debeat alia pœna gravior, quàm quæ imponitur pro furto unico, v. g. abscissio aur culæ, aut manûs, vel alia nota corporalis, aut pœna flagellorum, aut triremium ad tempus, mortis tamen pœnam non imponi; sed ad hanc imponendam, saltem ex generali consuetudine requiritur, ut delinquens tria, vel plura furta commiserit, qui *Fur famosus* dicitur, sive qui furari consuevit. Jacob de Butrio *in Auth. sed novo ℣. quod attende C. de Serv. fugit.* Gomez *tom. 3. var. c. 5. n. 5.* Menoch. *de arbitr. cas. 295. n. 17.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 42. & 44.* Pirhing *hic n. 22. Excipitur*, ubi circumstantiæ tales concurrunt, ob quas morte puniri potest etiam furtum primum, secundùm dicta *n. 99.* Videatur *Constit. crim. Carol. V. art. 161. & 162.*

101 Porro hæc tria furta debent esse commissa diversis, & interpolatis temporibus; nam si uno die, actu continuato, pluries quis furetur, reputabitur pro furto unico, prout dixi *n. 10.* Parum autem refert, utrum omnia commissa sint in territorio; in quo quis ob ultimum furtum captus est, an verò aliqua ex illis commissa sint extra illud; nam & alibi commissa effectum, & actuum frequentiam, ac consuetudinem indicant, unúmque aliud aggravat, ut adeò meritò cum furto ultimo in ordine ad pœnam mortis inferendam computentur. Clar. §. *furtum n. 10.* Menoch. *cas. 295. cit. n. 18.* Farin. *q. 167. n. 51. & 59.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 215.* Pirh. *hic n. 23.* Similiter etiam non refert, quòd reus de prioribus furtis sit absolutus, vel ei illa ex gratia remissa sint; quia remissio non minuit iteratum crimen, sed potiùs auget. Clar. *n. 13.* Farin. *n. 68.* Pirhing *n. 23.* Denique etiamsi fur propter duo priora furta jam fuerit punitus, nihilominus propter tertium à se commissum est suspendendus; quia furta duo priora non computantur ad ea iterum punienda, sed ad aggravandum tertium furtum, & puniti ob priora delicta, si ea continuent, graviùs puniendi sunt *l. capitalium 28. §. solent. 3. ff. de pœn.*

102 Dub. 5. qualia debeant esse tria illa furta, ut propterea aliquis suspendii supplicio possit affici? *Certum est*, suspendi posse, si furta omnia simul computata valorem quinque aureorum Hungaricorum excesserint ob textum manifestum. *Const. crim. Carolin. art. 162.* Utrum verò *articulus iste*, & pœna mortis in eo sancita extendi etiam debet ad casum, quo furta omnia simul computata ad summam quinque solidorum non ascendunt, controversia inter DD. est & videtur affirmativa erui posse ex *art. cit.* nam ibi Imperator indifferenter pro furto, tertia vice iterato, pœnam laquei decernit, non habita ratione, an parva, an magna furta illa fuerint, & an summam quinque solidorum excesserint, necne, ut adeò non tam magnitudinem furti, quàm frequentiam, & reiterationem, quæ consuetudinem delinquendi inducit & destinatam malitiam, ac furandi perseverantiam arguit, respexisse in hoc videatur Imperator.

Sed etsi, ut *n.* 101. dictum est, 103
furtum, sæpiùs iteratum delictum aggravet ad hoc, ut faciliùs pœna suspendii infligi possit, qui genuinus sensus esse videtur *art. 162. cit.* nihilominus tantùm abest, ob solam reiterationem laquei supplicio locum esse, ut etiam in furto iterato quoad pœnam mortis furi indicendam, rationem quantitatis, & valoris rei furtivæ habendam esse expresè sanciat Imperator Carolus V. *art. 161. fin. ℣.* wo aber solche. *Quare dicendum*, ob solam iterationem triplex furtum non posse puniri suspendio, nisi omnia simul computata excesserint quinque solidos. Carpzov. *pract. crim. q. 78. n. 80.* ob rationem, quia in pœnalibus semper benignior sententia est eligenda. *l. interpretatione 42. ff. de Pœn.*

Dub. 6. an pœna mortis ob quanti- 104
tatem furti exorbitantem, aut multiplicem ejus iterationem, vel quòd commissum sit in loco insigni, e. g. Palatio Principis exasperari debeat, addito majoris alicujus severitatis reatu, ut nempe fur trahæ illigatus ad locum supplicii rapiatur, vel ferro candenti ustuletur? Videtur respondendum affirmativè, ex ratione, quia pœnæ sunt commensurandæ delictis *l. perspiciendum 11.* & *l. capitalium 28. §. grassatores 10. ff. de Pœn.* atqui graviùs peccat fur delictum sæpiùs iterans, vel quantitatem exorbitantem sublegens, aut in loco insigni. Igitur severiori pœna afficiendus erit.

Sed negativa sententia, ut benignior, 105
ita etiam verior est, teste Carpzov. *pract. crim. q. 78. n. 83. & seqq.* quia nuspiam severior aliqua pœna in fures ob causas *n. præc.* allegatas statuta reperitur. Quòd autem Lege non cavetur, in practica non habetur, juxta tradita à Bald. *in c. nihil 44. n. 25. ℣. item quod de Elect.* Jason. *in l. illam 19. n. 8. C. de Collat.* Hartm. Pistor. *l. 2. q. 13. n. 36.* Consequenter non est exasperanda pœna mortis 1. ob solam quantitatem, quòd furtum sit maximi pretij. *Ne-*

que obſtat, quòd in *Conſt. Carolin. art. 160.* dicatur attendendum eſſe ad quantitatem furti; nam ibi Imperator loquitur de furto primo, quod juxta dicta *n. 98.* non afficitur regulariter pœna mortis, ſed aliâ extraordinariâ mitiore, in qua infligenda utique quantitatis ratio haberi debet. 2. ob multiplicem iterationem; quia non eſt Lege cautum, erubeſcimus autem ſine Lege loqui. 3. ob loci excellentiam, in quo furtum commiſſum eſt; quia contrarium docet quotidiana praxis, quæ ob loci qualitatem exaſperationem pœnæ ſuſpendii non permittit.

106 Dub. 7. ad quam pœnam pro furtorum diverſitate adversùs furem procedere Judex Jure Carolino poſſit? R. in hoc diſtinguendum eſt inter furtum manifeſtum, & non manifeſtum, primum, & iteratum, magnum, & parvum, ſimplex, & violentum. Nam furtum non manifeſtum, primum, ſimplex, & parvum punitur pœnâ dupli, ſi fur ſolvendo ſit; ſi verò non ſit ſolvendo, jubetur ad aliquod tempus includi carcere, ex quo lapſo hoc tempore, poſt reſtitutionem rei ablatæ domino factam, & ſoluta alimenta in carcere conſumpta, ac mercedem apparitoribus, tandem dimittitur cum Urphedâ, *Conſt. Carolin. art. 157.*

107 Ob manifeſtum, ſimplex, primum, & parvum, ſi fur ſit vilisconditionis facta priùs reſtitutione rei ablatæ, vel æſtimatione illius, ſi poteſt, ad numellas exponitur, & virgis cæſus, territorio eliminatur cum Urphedâ. Si verò ſit conditionis honeſtæ, & ſpes emendationis affulgeat, condemnatur ad quadruplum, ſi exiſtit ſolvendo, ſecùs carcere ad arbitrium Judicis caſtigatur *art. 158.*

108 Furtum ſimplex, primum, & magnum coërcendum relinquitur arbitrio Judicis, qui adhibito conſilio prudentum, pro modo admiſſi criminis pœnam mitigare, ſeu exaſperare poteſt, nec tamen facilè ad pœnam capitalem deſcendere debet, ſecundùm dicta *n. 98.* & habetur *art. 160.* Secundum aliter multatur, ſi utriusque ſumma ſit infra quinque ſolidos, aliter ſi eosdem excedat: illius pœna eſt pro numellis expoſitio, relegatio, vel confinatio; hujus pœna eſt arbitraria *art. 161.* Tertium furtum etiam ſimplex capitale eſt, ut dictum eſt *n. 100. & ſeqq.* & mas quidem laqueo, fœmina ſuffocatione in aquis, vel alia quadam ſimili mortis pœnâ punitur *art. 162.*

109 Denique furtum violentum, ſeu periculoſum, ſive parvum, ſive magnum, ſive primum, ſive iteratum, ſive manifeſtum, ſive non manifeſtum plectitur pœnâ capitali, vel ſi circumſtantiæ aliud ſuadeant, non capitali, corporali tamen, eáque gravi, e. g. oculorum excæcatione, manûs amputatione &c. *art. 159.* Porro quodnam furtum pro violento habendum ſit, dictum eſt *n. 8. & 9.*

Dub. 8. ex quibus cauſis, & caſibus 110
pœna ſuſpendii, etiam ob furtum quinque ſolidos excedens, aliàs de Jure infligenda, mitigari, & in mitiorem capitali converti debeat? R. varias communiter aſſignari cauſas. 1. Ratione damni modici per furtum dati, prout ſit, quando damnum furto datum eſt infra quinque ſolidos, vel ſi iſtos ſuperat, facta transactione, aut reſtitutione, Domino reſarcitur, antequam fur conjiciatur in carcerem; nam hoc caſu fur virgis cæſus, in perpetuum eſt relegandus. Carpz. *prax. crim. q. 80. n. 8. & ſeqq.* qui *n. 23.* addit, hoc procedere etiam, cùm majorem tantùm rerum furto ablatarum partem Dominus recipit, & id, quod adhuc abeſt, atque à fure conſumptum eſt, quinque ſolidorum valorem non excedit.

2. Ob incertitudinem furti commiſſi, 111
ſi de eo, an revera perpetratum ſit, certò non conſtet; univerſalis enim regula eſt in cauſis criminalibus, quòd nemo ad mortem condemnari poſſit, niſi liquidè de crimine ipſo, ſeu delicti corpore cum omnibus qualitatibus, & circumſtantiis conſtet. Clar. *§. fin. q. 4. n. 1. & ſeq.* Mynſing. *cent. 3. obſ. 81. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 2. n. 1.* idque multò magis procedit in delictis facti permanentis, quale eſt furtum. Carpz *pract. crim. q. 81. n. 3.* Proinde licèt quis fateatur ſe furtum commiſiſſe, ſi tamen de re furtiva & perſonis, quibus id factum eſt, adeóque de corpore delicti non conſtet, Reo non eſt infligenda pœna mortis, ſed alia arbitraria. Boſſ. *pract. crim. Rubr. de furt. n. 15.* Berlich. *p. 5. concl. 46. n. 1.* Carpz. *l. cit. n. 4. & 5.*

3. Ob qualitatem perſonæ; nam 112
hanc in pœna furti dictanda obſervandam monet Imperator Carolus V. *Conſt. crim. art. 160.* ibi, Mehr ſoll ermeſſen werden der Stand / und das Weeſen der Perſohn/ ſo geſtohlen hat ꝛc. Et hinc 1. regulariter non ſuſpendio, ſed alia mitiori pœna, pro ratione intellectûs, & capacitatis doli afficiendi ſunt Impuberes pubertati proximi. *Conſt. crim. cit. art. 164.* ibi, unter vierzehen Jahren ꝛc. 2. extraordinariâ, e. g. carceris, relegationis, aut pecuniariâ pœnâ vindicandum eſt furtum inter parentes, & liberos, maritum, & uxorem, & reliquos cognatos intra quartum gradum conjunctos, ob reverentiam Matrimonii, & neceſſitudinis. Schneidewin. *in §. 12. n. 2. Inſt. de oblig. quæ ex delict.* Carpz. *q. 82. à n. 39.* 3. Perſonæ nobiles, & aliàs privilegiatæ, ſi in furti crimen inciderint, non furcâ, ſed gladio puniendi

ſunt

sunt, nisi aliud usus obtineat. Tiraquell. *tr. de Nobil. c. 20. n. 110.* Clar. §. *fin. q. 60. n. 24.* Farin. *q. 98. n. 116. & 117.* Berlich. *p. 5. concl. 44. n. 33.*

113 4. Ob necessitatem: & hinc à pœna suspendii ordinaria liberatur, qui ob necessitatem famis furatur edulia, vel etiam alias res, ut ex harum venditione pecuniam redigat, ac postea panem sibi comparet. Carpzov. *q. 83. à n. 38.* quod etiam dicendum de eo, qui ad tegendam nuditatem suam, cùm aliunde non suppetant media, furatur vestem. Carpzov. *l. cit. n. 46.* ob rationis identitatem. Quodsi non extrema, aut quasi extrema necessitas, sed gravis duntaxat sit, ita auferens, cùm verè furti reus sit, pœnâ aliâ extraordinariâ, sed mitiori veniet puniendus, prout indicatur *c. siquis 3. h. tit. & Const. Carolin. art. 166.* ibi Sollen abermahls die Richter / und Urtheiler / als obstehet / Raths pflegen: adeóque arbitrio Judicis reinquendum est, quam pœnam, consideratis circumstantiis, & probè ponderata necessitate, fur sit promeritus. Imò si furtum sit modicum in tali necessitate perpetratum, Judex reum, præsertim si in crimine deprehensus, per dies aliquot in carcere detentus fuerit, non imposita ulteriori pœnâ, omnino potest absolvere. Carpzov. *n. 50.*

114 Dub. 9. quâ pœnâ afficiendi sint auxiliatores in furti crimine? R. interesse, an auxilium sit præstitum ante furtum, an in furto, an post illud jam commissum. *Si auxilium sit præstitum ante furtum*, refert, an auxiliator dederit causam immediatam furto per actum furto proximum, sine quo vel omnino non, vel non tam facilè fuisset commissum furtum, vel contrà talem causam non dederit; nam qui deliberato, & doloso animo præbet furi auxilium reale per actum proximum, & per hoc dat causam immediatam furto, lucrandi animo, pœnâ furti ordinariâ plectendus est: contrà ad pœnam extraordinariam, & mitiorem condemnandus, qui auxilium præbet furi per actum magis remotum, nec per id dat causam immediatam furto. Ita Menoch. *de arbitr. cas. 349. n. 5.* Natta *l. 1. cons. 151. n. 3.* Boër. *decis. 167. n. 3.* Marsil. *pract. crim. §. constante n. 49.* Carpzov. *q. 87. n. 11. & seqq.* Porro causam proximam, & immediatam furto dedisse censetur, qui scalas alicui ad furtum committendum applicat, vel qui ferramentum ad effringendum sciens, volénsque porrigit &c. Contrà per actum remotum furi auxilium præbere censetur, qui indicio, ac demonstratione modum, & occasionem furandi notam facit, aut locum, ubi res continentur, ostendit &c. Carpzov. *l. cit. n. 17. & 23.*

115 *Si auxilium sit præstitum in ipso actu furti*, ut propterea aliquis plecti pœnâ ordinaria furti possit, necesse est 1. ut Auxiliator dolosè, & fraudulenter auxilium furi præbeat, consilio deliberato præcedente. Cyn. *in l. is, qui opem ff. de furt.* Boër. *decis. 167. n. 2. fin.* Clar. §. *fin. q. 90. n. 1.* Carpzov. *q. 87. cit. n. 33.* 2. ut lucri causâ hoc fiat; sicut enim propositum, & animus alia delicta distinguit, ita etiam furti delictum animus lucrandi indicat §. *furtum 1. Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. qui injuriæ 53. ff. h. tit.* 3. ut auxilium sit cooperativum, & ipso facto in actu furandi præstetur. Marsil. *tr. crim. §. constante n. 50. & 61.* Menoch. *de arbitr. cas. 349. n. 10.* Carpzov. *n. 33. cit.* 4. ut furtum ipsum sit subsecutum, & res à fure, cui auxilium præbetur, contrectata *l. siquis 52. §. neque 19. ff. h. tit.* Gloss. *in l. is, qui opem cit. V. manifestus.*

116 Denique *si auxilium præstatur post furtum commissum*, non ordinariæ laquei, sed extraordinariæ mitiori pœnæ est locus pro Judicis arbitrio, prout cum communi DD. monent. Clar. §. *fin. q. 90. n. 2.* Menoch. *cas. 349. n. 21.* Mascard. *de Probat. concl. 159. n. 23.* Farin. *prax. crim. q. 132. n. 1. & seqq.* Carpzov. *q. 87. cit. n. 36. & seqq.* quia opem præstans post furtum commissum non dicitur propriè auxilium præbere ad furtum, vel illud promovere. Et hinc extraordinariæ mitiori pœnæ subjacent 1. qui opem præbent furi ad evadendum, & fugam arripiendam, 2. qui viam monstrant, ut manus Judicis, illum persequentis effugiat. 3. qui eum occultant, ne deprehendatur. 4. qui res furto ablatas vendunt, vel de ijs commisso furto participant. 5. qui easdem scienter receptant, aut emunt, nisi aliæ circumstantiæ concurrant, ob quas pœna furum ordinaria istis irrogari debeat. Carpzov. *l. cit. à n. 40.*

117 Dub. 10. utrùm quando plures commiserunt furtum, cujus summa quidem excedit quinque solidos, ita tamen, ut divisione inter illos æqualiter facta, nullus illorum quinque solidorum æstimationem acceperit, omnes furcâ sint puniendi? Videtur tenenda affirmativa sententia, sumpta paritate ab his, qui homicidium dolosum commiserunt; nam etsi ex his unus citiùs altero comprehensus, Legis Corneliæ pœnâ punitus sit, per hoc tamen cæteri non liberantur *l. item Mela 11. §. sed si plures 2. ff. ad Leg. Aquil.* item quando plures corruperunt album Prætoris, unus pœnam præstitutam solvendo, cæteros non liberat *l. siquis 7. §. fin. & l. seq. ff. de Jurisd.*

118 Sed non videtur esse paritas; etsi enim delinquentes regulariter omnes in solidum teneantur, quando agitur ad pœnam pecu-

pecuniariam, secus tamen est in criminibus, in quibus imponitur pœna corporalis, vel capitalis; in his enim factum uniuscujusque, quantum quis ad delictum contulit, considerandum est *l. fin. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Imò si paritas est cum homicidio à pluribus commisso, potiùs hæc nobis servit; nam ideo omnes puniuntur pœnâ homicidii, quia omnes ejusdem sunt rei, quæ est ratio formalis, ob quam dictata est pœna homicidii, ergo etiam ut complices omnes puniri possint pœnâ capitali furti, necesse est, ut in omnibus inveniatur ratio hujus pœnæ per Leges statutæ. atqui ratio hæc non est, quòd qualecunque commiserint furtum, sed quòd fur assecutus sit valorem 5. solidorum: quod in casu posito de singulis verum non est. ergo &c.

119 Quare tali casu nullus puniri furcâ poterit, sed omnes fustigati potiùs relegari debent. Berlich. *p. 5. concl. 43. n. 121.* Carpz. *pract. crim. q. 78. à n. 37.* Magnif. D. Verlohner *de Act furt. n. 30.* qui addit, hanc opinionem toties defendendam, quoties facta æquali divisione, nullus valorem quinque solidorum fuisset sortitus, etsi per accidens propter inæqualem divisionem unus plus, minus verò alter sit consecutus. Aliud est, si furtum à pluribus cum effractione violenta, & seditiosa ædium factum est; tunc enim omnes, & singuli laqueo puniri debent, etiamsi facta divisione, uniuscujusque portio valorem quinque solidorum non excedat, quippe quo casu non attenditur furti quantitas, sed vis, cujus omnes hujusmodi complices æqualiter rei sunt. Carpzov. *n. 49.*

120 Dub. 11. an postquam fur ultimo supplicio affectus est, domino rei furtivæ actio civilis pecuniaria competat contra hæredes furis ad damnum, vel interesse, quod prætendit sibi deficere? *Certum est*, de Jure Civili per actionem pœnalem nequaquam consumi Condictionem furtivam, & actionem subsidiariam, sed hanc contra hæredes furis adhuc dari domino, ejúsque hæredibus ad rem furto sublatam sibi restituendam, aut si non amplius extet, ad damnum resarciendum, & interesse præstandum §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict.* §. *ex malefic. 18. Inst. de Action. l. civilis 1. ff. de privat. delict.* Bartol. *in l. interdum 56.* §. *qui furem 1. ff. de furt. n. 4.* Bajard. *ad Clar. §. furtum n. 31. & seqq.* Menoch. *de arbitr. q. 91. n. 6. & seqq.* Heig. *p. 2. q. 23. n. 17. & seqq.* Carpzov. *pract. crim. q. 80. n. 102. & 103.* cum aliis ab hoc *citt.*

Controversia inter DD. est, an actio 121
Civilis post pœnam de fure sumptam competat, postquam ista cœpit esse capitalis, & mortis? Affirmant nonnulli, non pauci negant, ut videre est apud Carpzov. *q. 80. cit. n. 104.* qui melius distinguit, an res furtiva adhuc extet, & ab hæredibus furis vindicetur, an verò fuerit consumpta, vel perdita. *Si primum* vindicari illa, vel condici non solùm à fure, sed etiam, postquam iste laqueo punitus est, ab hæredibus ejus, imò à quocunque possessore, etiam bonæ fidei potest, ut non obscurè innuitur in *Const. crim. Carol. V. art. 219.* bi, die stehlen dem / der sie also verlohren hatte ꝛc. wider verschaffet werden / & quidem pretio non refuso, *Const. cit. art. 214.* ibi, darumb soll derselbe / der also daß seine ꝛc. wider verlanget / niemand nichts schuldig seyn.

Si secundum, fure per fustigatio- 122
nem, vel suspendium castigato, ex bonis ipsius nec ipsi furi, nec hæredibus ejus quidquam præstandum est; quia durissimum videtur, ut reus ultra pœnam mortis, seu corporis afflictivam, damna quoque, & interesse resarcire teneatur, cùm mors omnia solvat *Novell. 22. c. 20.* Aliud est, quando fur relegatione solùm, aut carcere punitus est; nam tali casu ad restitutionem damni, & præstationem æstimationis, sive interesse condemnari sine dubio potest. Carpz. *l. cit. n. 118.* Imò ut idem *n. 119.* cum *Neguzant. Bald.* & *Salicet.* addit, hoc casu pro malè ablatis Domino rei ablatæ in bonis furis ratione damni, & interesse competit tacita Hypotheca, vi cujus in concursu creditorum aliis jus plenius non habentibus præferri debeat.

Dub. 12. an sufficiens indicium ad 123
condemnationem de furto sit, quòd res furtiva apud aliquem sit reperta? R. non esse sufficiens ad condemnationem, imò nec ad torturam, nisi ille sit homo suspectæ fidei, & malæ famæ; fieri enim sæpe potest, ut quis ignorans apud se habeat rem furto sublatam, cùm tamen ad furtum requiratur, ut quis scientiam habeat rei alienæ, vel ut quis mala fide emerit, vel alio titulo acquisiverit rem furtivam. Clar. §. *furtum n. 5.* Harppr. §. *furtorum autem 3. n. 25. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Pirhing *hic n. 4.* Begnudell. *V. furtum n. 23.*

§. III.

§. III.

De alijs diverſis Furtorum generibus, & eorum pœnis.

SUMMARIUM.

124. *Definitio furti Sacrilegi.*
125. 126. *Hujus pœna.*
127. *Eſt crimen mixti fori.*
128. *Definitio Plagij.*
129. 130. *Caſus, in quibus committitur.*
131. 132. *Pœna illius.*
133. *Definitio Peculatûs.*
134. *Modi, quibus committitur.*
135. 136. *Pœna ejusdem.*
137. *Definitio Abigeatûs.*
138. &c. *Quis cenſeatur Abigeus?*
141. 142. *Pœnæ iſtius criminis.*
143. *Crimen de Reſiduis.*
144. *Caſus, in quibus committitur.*
145. 146. *Pœna.*
147. *Crimen expilatæ Hæreditatis.*
148. &c. *Quis de hoc conveniri poſſit?*
151. *Pœna.*
152. 153. *Sepulcri violatio.*
154. *Pœna ejusdem.*
155. *Amotio termini.*
156. *Ejus pœna.*
157. *Contra quos detur Actio de termino moto.*
158. *Quando committatur furtum tigni?*
159. *Quis conveniri poſſit Actione de tigno juncto?*
160. *Quæ actio competat ob arbores &c. furtim cæſas?*
161. *Pœna iſtius criminis.*
162. *Pœna rapientium res ex naufragio, vel incendio.*
163. *Actio civilis ex hoc furto competens.*

HUc pertinet **S**acrilegium, Plagium, Peculatus, **A**bigeatus, Crimen de Reſiduis, Expilatæ Hæreditatis, Sepulcri violati, Termini moti, Furtum Tigni, Furtum arborum.

124 Quæritur 1. quid ſit *Sacrilegium*, & quæ pœnæ ſint ſtatutæ in fures ſacrilegos? R. *Sacrilegium* eſt, quo res ſacra contrectatur: quod tripliciter fieri poteſt. 1. ſi res ſacra è loco ſacro. 2. ſi res ſacra de non ſacro. 3. ſi res non ſacra de ſacro auferatur *can. quiſquis 21. §. ſimiliter cauſ. 17. q. 5.* Ultimo tamen modo, nempe per ablationem rei non ſacræ ex loco ſacro factum, ſi illa non cuſtodiæ, & ſecuritatis causâ ibi depoſita, vel Eccleſiæ concedita, ſed tantùm caſu ibi relicta, & poſita ſit, ut nonnulli cum Azor *p. 1. l. 9. c. 27. q. 6.* & Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 45. n. 14.* volunt, non eſt propriè Sacrilegium, ſive furtum ſacrilegium, ſuperaddens malitiam ſpecie diſtinctam à furto; quia non habet ſpecialem repugnantiam cum loci ſanctitate, ſed ſolùm generalem quandam irreverentiam continet, adeóque pœnæ in Sacrilegos fures ſtatutæ tunc non incurruntur. Unde quando *can. quiſquis cit.* inter Sacrilegia numeratur furtum rei non ſacræ ex loco ſacro, id intelligi debet, ſi ex loco ſacro, ſeu Eccleſia auferatur res, quæ quidem non eſt ſacra, ſed aliquo modo ad Eccleſiam pertinet, ſaltem quoad cuſtodiam.

125 Pœna furti Sacrilegi *Jure civili*, præcipuè quo res Sacra è loco Sacro furripitur, eſt extraordinaria, & arbitraria, ita tamen, ut juxta furti, rei, & perſonarum qualitatem etiam ad mortem uſque extendi poſſit, prout conſtat ex *l. ſacrilegii 6. princ. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* ubi dicitur, quòd Sacrilegium *pro qualitate perſonæ, próque rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexûs, vel ſeveriùs, vel clementiùs* puniri debeat: unde his circumſtantiis ſpectatis, alii quidem fures ſacrilegi etiam vivi comburuntur, nonnulli autem furca, ut alii fures, plectuntur, alii, ſi eædem circumſtantiæ ita ſuadeant, etiam mitius, quàm capitale, patiuntur ſupplicium. Neque obſtat *l. ſacrilegi 9. ff. eod.* ubi *princ.* dicuntur *Sacrilegi capite puniendi*; nam, ut bene notat Carpzov. *pract. crim. q. 89. n. 11.* per capitis pœnam non tantùm ſignificatur pœna ultimi ſupplicii, ſive mortis, ſed & damnatio ad metallum, deportatio, vel exilium §. *publicorum 2. v. capitalia Inſt. de publ. Judic. l. publicorum 2. ff. eod. & l. capitalium 28. pr. ff. de pœn.* Videantur Clar. §. *Sacrilegium n. 3.* Hoſt. *Summ. Rubr. de crim. Sacril. n. 3. b. tit.* Menoch. *de arbitr. caſ. 289.* Farin. *prax. crim. q. 172. n. 11. & ſeqq.* Carpzov. *q. 89. cit. a n. 8.* Pirhing *hic n. 32.* Conſt. Carolin. *art. 172. & 174.* & dicta *Tit. præc. n. 115. & 116.*

126 *Jure canonico* 1. per *can. quiſquis 21. pr. cauſ. 17. q. 4.* Sacrilegii reus XXX. libras examinati argenti puriſſimi debet præſtare Epiſcopis, vel Abbatibus, aut alijs perſonis, ad quas querela Sacrilegii juſtè pertinet. 2. per *can. attendendum 13. q. cit.* perpetuâ damnantur infamiâ, quæ tamen non incurritur, niſi poſt ſententiam condemnatoriam. Farin. *l. cit. n. 22.* vel traduntur carceri, vel relegantur in

perpetuum exilium. 3. per *can. indignè 21. cauſ. 12. q. 2.* jubentur Sacrilegi res Eccleſiarum injuſtè accipientes, vel poſſidentes, aut retinentes, niſi citò ſe correxerint, anathemate feriri, ſeu excommunicari: quâ Excommunicatione innodati permaneant uſque ad congruam ſatisfactionem *c. conqueſtus 16. de for. compet.* Tholoſ. *p. 3. Synt. l. 33. c. 15. n. 2.* Farin. *cit. q. 172. n. 17.* Begnud. *V. furtum n. 7.* Pirhing *hic n. 32. ℣. ſimiliter.*

127 Cæterùm crimen Sacrilegii, adeóque etiam furti Sacrilegi eſt crimen mixti fori, ita, ut etiam Laicus à Judice Eccleſiaſtico puniri poſſit, & prævention inter Judicem Sæcularem, & Eccleſiaſticum locus ſit *c. cùm ſit 8.* & *ibi* Abb. *n. 1. de for. compet. c. conqueſtus cit.* Diaz *pract. crim. can. c. 91. in addit. V. definitionem lit. A.* Farin. *q. 172. cit. n. 31.* Pirhing *hic n. 34.* quamvis ex conſuetudine in aliquibus locis de Sacrilegio ſolus Judex Sæcularis cognoſcat, teſte Clar. §. *Sacrilegium n. 3.* ubi ait, juſſum à ſe ſuſpendi quendam, qui vas S. Euchariſtiæ ex Eccleſia abſtulit.

128 Quæritur 2. quid ſit *Plagium*, & quæ ſit ejus Pœna? R. eſt, quo liber, homo, vel ſervus alienus ſurripitur, vel abducitur animo celandi illum. Farin. *prax. crim. q. 165. n. 45.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 2.* Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 85. & 86.* Illſung *tr. 4. c. 3. n. 151. fin.* Pirhing *hic n. 35.* König *ibid. n. 27.* Magnif. D. Verlohner *Act. Leg. de Plagiar. n. 1.* Committi poteſt in hominem liberum, & in ſervum. Propriè tamen committitur in ſolùm hominem liberum, qui ſui juris eſt; nam ſi liberi, in poteſtate parentum conſtituti, ſurripiantur, vel abducantur, potiùs furtum committitur §. *interdum 9. Inſt. de oblig. quæ ex delict.* & ideo patri furti actio competit *l. eum, qui 14. §. ſi filiusf. 13. ff. h. tit.* non autem matri, quæ liberos in poteſtate ſua non habet. *l. mater 38. ff. eod.* Pirhing *n. 35.* Reiffenſtuel *n. 58.* Multò magis furtum facit, qui furatur alienum ſervum, vel ancillam; quia ſervus, & ancilla eſt quædam poſſeſſio domini: ut adeò hunc ſurripiens non minùs furti ſe reum faciat, quàm ſiquis furetur quodcunque alterius animal. Azor *p. 3. l. 5. c. 12. pr.* Molin. *tr. 2. D. 681. n. 14. ℣. hac eadem ratione.*

129 In hominem liberum committit Plagium 1. qui eum ſupprimit, celat, in vinculis detinet *l. non ſtatim 6. §. fin. ff. de Leg. Fab. de Plagiar.* 2. qui eum ſcienter vendit, aut emit §. *fin. cit.* & *l. ſi liberum 1. ff. eodem.* 3. qui eum donat, vel dotem, aut alio modo in ſolutum dat *l. Lege Fabia 4. ff. eod.* & *Novell. 134. c. 7.* 4. qui eum oppignorat, aut locat alteri. *Novell. l. cit.* Circa ſervum autem committit Plagium. 1. qui ei perſuadet, ut à domino fugiat, vel illum invito domino occultat, in vinculis retinet *l. non ſtatim cit. §. fin.* 2. qui ſervum fugitivum cum rebus furto ablatis ſcienter recipit *l. ſiquis 12. C. eod.* 3. qui ſervum fugitivum ſcienter vendit, aut emit §. *fin. cit. Venditionis* autem verbo comprehenduntur omnes Contractus, per quos dominium transfertur, ut donatio, permutatio *l. Lege Fabia cit.* Weſenbec. *ibid. n. 2.* Molin. *tr. 2. D. 684. n. 7.* Pirhing *hic n. 35. & 38.*

130 In hoc crimen non incidunt Principes, & magni Domini, qui donant ſibi invicem pygmæos, cantores, mariones, & ſimiles; quia non dant illos, ut priventur libertate, ſed donant, ut liberi maneant, ſicut liberi erant apud donantem. Bartol. *in l. 4. cit.* Abb. *in c. 1. h. tit. pr.* Myler. *ad Struv. Synt. Jur. Civil. exercit. 49. theſ. 83.* Pirhing *hic n. 38.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 3. fin.* Item in crimen iſtud non incidit Pater, in extrema famis neceſſitate vendens filios ſuos; quia hoc ipſe in neceſſitate hujusmodi impune poteſt per *l. fin. C. de Patrib. qui fil. diſtrax.* non autem mater; quia poteſtas vendendi filios in tali neceſſitate eſt effectus patriæ poteſtatis: mater autem filios in poteſtate non habet §. *fœminæ 10. Inſt. de Adopt.* Utrùm verò extra famis neceſſitatem ob aliam cauſam e. g. quia ab hoſtibus captus occidendus eſt, niſi certam pecuniæ ſummam exſolvat, pater filios poſſit vendere, controverſia eſt inter DD. Affirmant allegati apud Theodoric. *c. 9. aphoriſm. 8. n. 3.* Meliùs negat Magnif. D. Verlohner *n. 3. cit.* quia famis neceſſitati nulla eſt par.

131 Pœna Plagii olim pecuniaria fuit de Jure Civili, quæ tamen jam olim ab uſu receſſit *l. fin. ff. de Leg. Fab. de Plagiar.* & gravior pœna pro modo delicti infligi cœpit, nempe ut ejus reus, ſi ingenuus ſit, gladio plectatur; ſi verò ſervus, vel libertus, beſtiis ſubjiciatur *l. quoniam 7.* & *l. fin. C. eod.* ubi ſermo eſt de Plagiariis, qui liberos homines, aut ſervos alienos abducunt, & vendunt, vel qui viventium filiorum miſerandas orbitates parentibus infligunt, eos diſtrahendo, quibus eſt pœna mortis decreta. In aliis tamen caſibus Judici permiſſum videtur imponere Plagiario vel pœnam leviorem metallo, aut exilio, vel præter exilium aliam arbitrariam pro modo delicti, & perſonarum *l. fin. cit.* & §. *eſt & inter 10. Inſt. de Publ. Judic.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 684. n. 7.* Weſenbec. *ff. h. tit. n. 5.* Carpz. *pract. crim. q. 83. n. 87. & ſeqq.* Harppr. *in* §. *eſt & inter cit. n. 19.* Pirh. *hic n. 36.* König *n. 27.* Reiffenſt. *n. 59.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 4.*

132 *In foro* [illegible] criminis rei debent acriter puniri, sed citra mortem; quia Ecclesia pœnam sanguinis non potest infligere *c. in Archiepiscopatu 4. de Raptor.* Pirh. *n. 37.* *Neque obstat* textus *c. qui furatur 1. h. tit.* ubi refertur textus *Exod. 21. v. 17.* in quo pœna mortis sancitur in plagiarios; nam ut Abb. *ibid. n. 8.* notat, hoc *cap.* positum est sub Rubrica istius Tituli, ut sciatur, quòd ij, qui furantur homines liberos, acriter puniendi sint, cùm secundùm Legem Divinam antiquam puniti sint morte: vel dici potest, quòd per mortem hodie de Jure Canonico non intelligatur mors naturalis, sed Excommunicatio, quæ est quasi mors Civilis, quippe quâ velut mortuus à communione Fidelium Excommunicatus excluditur; conf. juxta hanc interpretationem Judex Ecclesiasticus excommunicare potest Plagiarios, etiam Laicos, qui quoad hoc crimen, cùm per illud Religioni Christianæ detrahatur, Jurisdictioni etiam Judicis Ecclesiastici subjiciuntur. Abb. *in c. 1. cit. fin.* Item per mortem intelligi etiam potest Depositio ab Ordine, & Officio, quæ est etiam mors quædam Civilis; nam Excommunicatio per hominem infligi non potest, nisi quis contumax sit, & incorrigibilis *can. nemo 41.* & *ibi* Gloss. *V. nemo caus. 11. q. 3.* Denique nihil etiam obest, quo minus Judex, seu Prælatus Ecclesiasticus eum, qui tam grave Plagij crimen commisit, possit tradere Curiæ sæculari morte puniendum, adjuncta tamen protestatione, ne mortis, vel mutilationis pœna eidem inferatur *arg. c. Prælatis 2. de Homicid. in 6.* Pirhing *n 37.*

133 Quæritur 3. quid sit *Crimen Peculatûs*, & quæ illius pœna? *Ad.* hoc nomine intelligitur furtum pecuniæ publicæ *l. sacrilegi 9. § Labeo 2. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* Sylv. *V. furtum n. 3.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 684. n. 4.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 2.* Illsung. *tr. 4. D. 3. n. 131.* Pirhing. *hic n. 39.* Reiffenstuel. *ibid. n. 61.* Magnif. D. Verlohner. *Act. Leg. Jul. Pecul. n. 1. Pecuniæ* autem nomine hic comprehenduntur omnes res, ad ærarium Reip. vel fiscum Principis pertinentes *arg. l. Lege 4. §. fin. ff ad Leg. Jul. Pecul.* Adeòque definiri Crimen Peculatûs potest, quòd sit crimen publicum, quo pecunia, résve publica ab eo, cujus fidei, & periculo commissa non erat, furripitur §. *item Lex Julia 10 Inst. de publ. Judic. l. Lege Julia 1. & 4. pr. ff. ad Leg. Jul. Peculat. l. Sacrilegi 9. §. Labeo 2. ff. eod.*

134 Varijs autem modis committitur hoc crimen. 1. si furripiatur res, aut pecunia publica. Publica olim dicebatur, quæ erat Civitatis Rom. nam ob pecuniam, vel rem, alij Civitati inferiori subtractam, non Peculatûs, sed furti dabatur actio *l. ob pecuniam 81. ff. h. tit.* Hodie Pecunia publica dicitur, quæ est Imperatoris, Regis, Principis, aut Civitatis superiorem non recognoscentis, aut etiam quæ spectat ad Principes Imperij, aut Civitates Imperiales; cæteræ verò Civitates pro privatis habentur *l. eum qui 16. ff. de V. S.* Decian. *l. 8. c. 28. n. 11.* Harppr. *ad §. 9. Inst. de publ. Judic.* Theodoric. *c. 9. aphor. 3. n. 5.* Magnif. D. Verlohner. *l. cit. n. 3.* 2. si furto auferantur pecuniæ sacræ, & Religiosæ *l. Lege Julia 4. ff. ad Leg. Jul. Pecul.* bona quippe Sacra sunt publica Sylv. *V. furtum n. 3* Molin. *D. 684. cit. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 171. n. 21.* Pirhing. *hic n. 39. fin.* 3. si quis in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quid vendiderit, aut locaverit, scribat *l. hac lege 10. ff. eod.* 4. quando quis muros, aut fores civitatis effringit, perforat, & exinde aliquid submovet *l. qui perforaverit 11. ff. eod.* aut prædam ab hostibus captam furripuit *l. is qui 13. ff. eod.* 5. denique de Jure Canonico crimen Peculatûs committunt etiam Presbyteri, aliique Clerici, qui bona Ecclesiastica sibi appropriant, vel alienant: ideóque excommunicantur, nisi res surreptas celeriter restituant *c. siquis 6. de reb. Eccl. non alien.* & si restituere non possint, deponuntur *can. Diaconi 35. caus. 12. q. 2.* Farin. *q. 171. cit. n. 10.* Pirhing. *hic n. 39. V. porro crimen.*

135 Pœna hujus criminis de Jure Civili est duplex: una *pecuniaria*; nam pecuniam publicam furripiens in quadruplum tenetur *l. sacrilegij 6.* & *l. is qui 13 ff. tit. cit.* Bartol. *in l. 6. cit. §. 2* Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit. 49. thes. 77.* Theodoric. *c. 9. aphorism. 3. n. 12.* Magnif. D. Verlohner. *l. cit. n. 4.* Nec refert, utrum clam, vel palam pecunia fuerit surrepta *l. siquis 1. C. de his qui ex publ. ration.* & *l. qui in contractibus 8. C. de Jur. fisc.* Et potest pœna ista etiam exigi ab hæredibus, ut cum *Gomez* advertit D. Verlohner *l. cit.* Quodsi autem furripiat pecuniam fisco quidem debitam, sed nondum incorporatam, ad pœnam dupli adstringitur *l. defensionis 7. C. de Jur. fisc.* & *l. siquis cit. C. de his qui publ. raton.*

136 Altera pœna est *corporalis*: quæ quidem in privatis regulariter est Deportatio §. *item Lex Julia 9. Inst. de publ. Judic.* & *l. peculatûs 3. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* in cujus locum hodie successit pœna furti Theodoric. *c. 9. cit. aphorism. 3. n. 17.* Struv. *l. cit.* König *hic n. 62.* Reiffenstuel. *ibid. n. 29.* Judices autem, sive Magistratus, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, vel qui ministerium eis ad hoc exhibuerunt, aut subtractas ab eis scienter acceperunt, ultimo

timo ſupplicio afficiuntur §. *Item Lex Julia cit.* & *l. un. C. de crim. Peculat.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 695. n. 38.* Brunnem. *ad l. cit.* Struv. *l. cit.* Pirhing. *hic n. 39.* ℣. *pœna autem.* König. *n. 29. cit.* D. Verlohner. *n. 5.* Magnif. P. Schmier. *p. 3. de Delict. c. 2. n. 94.* & alij apud iſtum.

137 Quæritur 4. quale ſit *Crimen Abigeatûs*, & qualis ſit ejus pœna? Re. *Abigeatûs* eſt crimen extraordinarium, quo tenentur, qui dolo malo pecora ex paſcuis vel ex jumentis, aut armentis lucri faciendi causâ abducunt & deprædantur *l. de Abigeis, 1. §. abigei 1. ff. de Abigeis*, Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 684. n. 6.* Gœdd. *in l. ferri 255. ff. de V. S.* Farin. *prax. crim. q. 165 n. 39.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 2.* Carpzov. *pract. crim. q. 86. n. 26.* Lauterbach. *ad tit. cit. §. 1. & ſeqq.* Struv. *Exercit. 48. theſ. 108.* Illſung. *tr. 4. D. 3. n. 131.* Pirhing *hic n. 40.* König *n. 28.* Reiffenſt. *n. 60.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 3. n. 16.*

138 *Grex* proprium eſt ovium, ſuum, caprarum, aliorúmque minorum pecorum, quæ ad paſcendum gregatim emittuntur *l. Lege Aquilia 2. §. ut igitur 2. ff. ad Leg. Aquil. Jumenta* autem vocantur propriè equi, muli, aſini, qui bajulando, & onus portando homines juvant *l. legatis 65. §. jumentis 5. ff. de Legat. 3.* & *l. ædiles 38. §. jumentorum 4.* & *§. unde 6. ff. de Ædil. Edict. Armenta* verò propriè appellantur boves, & equi, qui aratro negotium peragunt *l. legatis, & §. jumentis cit. l. boves 89 ff. de V. S.* Boves tamen quandóque inter gregem numerantur, quoties plures boves à Patrefam. non ad arandum, ſed ad paſcendum emittuntur *l. ſi grege 22. ff. de Legat. 1.* uſus ſiquidem, & finis jumentum, & armentum à grege, nec non armentum à jumento diſcernit. Gœdd. *in l. Boves cit. n. 3.* Carpz. *l. cit. n. 28.*

139 Porro hoc inter pecora minora & majora, diſcrimen in ordine ad Abigeatûs crimen ſolerter notandum; nam ex minoribus pecoribus unum duntaxat abigens, de Crimine hoc non tenetur: ſed Abigeus is eſt, qui uno eodémq; tempore gregem ovium, caprarum, porcorum, aut vaccarum ex paſcuis furripit; nam quantitas diſcernit furem ab Abigeo, ut ait Saturninus *l. aut facta 16. §. quantitas 7. ff. de Pœn.* Grex verò abactus dicetur, quando oves ad minus decem, aut porci quinque, vel quatuor abacti fuerunt Gloſſ. *ibid.* & Bartol. *n. 2.* Tholoſ. *Synt. Jur l. 37. c. 5. n. 1.* Gomez. *tom. 3. var. c. 5. n. 13.* Molin. *tr. 2. D. 684. n. 6.* Farin. *prax. crim. q. 167. n. 115.* Carpzov. *pract. crim. q. 86. n. 30.* König. *hic n. 28.* Reiffenſtuel. *ibid. n. 60.* *Excipitur*, niſi quis pecora hæc minora furetur, quaſi artem exercens; tunc enim ſi ſæpius i. e. ter ut minimum iſtud fecerit, etiamſi unam duntaxat ovem, vel aliud ſimile animal ſingulis vicibus ſurripuerit, cenſetur Abigeus, & in pœnas, huic crimini ſtatutas, incidit *l. fin. cit. §. qui ſæpius 2.* Bocer. *tr. de furt. c. 2. n. 199.* Caball. *reſol. crim. caſ. 160. n. 4.* Carpzov. *l. cit. n. 31.* cum reliquis *ſuprà.*

140 *Contrà* Abigeus dicitur, qui de armentis, vel jumentis etiam unum duntaxat pecus, ſeu animal majus furripit *l. fin. cit. pr.* Cujac. *l. 1. obſ. 20.* Tholoſ. *c. 5. cit. n. 1.* Damhoud. *prax. rer. crim. c. 113. n. 1.* Farin. *l. cit. n. 117.* Carpz. *n. 32. cum citt.* Quin & Abigeatûs crimen committit non ſolum ille, qui ex agro, vel paſcuis, ſed etiam ex ſtabulo, vel domo quis ea abduxerit *l. fin. cit. §. eum quoque 1.* Bocer. *de furt. c. 2. n. 209.* Gomez. *c. 5. cit. n. 13.* Caball. *reſ. 160. cit. n. 1.* Farin. *q. 176. n. 113.* Carpzov. *q. 86. n. 33.* Quodſi verò quis bovem aberrantem, vel æquos in ſolitudine relictos abduxerit, non Abigeus eſt, ſed fur potius *l. de Abigeis cit. §. abigei 1.* Molin. *n. 6. cit.* Pirhing. *n. 40.*

141 Pœna iſtius criminis eſt, quod Abigei, qui ſæpiùs hoc crimen patrant, ad gladium damnentur; ſolet enim frequentia augere pœnam, præſertim ſi ferro, vel armis abigant pecora *l. de abigeis cit. pr.* aliàs damnantur in opus publicum ad tempus *pr. cit.* Molin. *tr. 2. D. 684. n. 6.* Farin. *q. 167. n. 111.* Carpzov. *q. 86. n. 34.* Pirhing. *n. 40.* In honeſtioribus temperatur pœna, & aut relegandi, aut ordine movendi ſunt, niſi gladio abigant; tunc enim tanquam graſſatores, ſeu latrones beſtijs objici debent *l. abigei cit. §. quanquam 3.* Illi verò, qui pecus ex ſtabulis abigunt, plenius, ſive duriùs puniri debent, quàm qui è grege, ſilva, aut paſcuis *l. fin. cit. §. eum quoque 1.* quia cum effractione ſtabuli Abigeatum committunt. furtum autem quod cum effractione fit, graviùs punitur, quàm quod ſine effractione *l. de bis 1. ff. de Effractor.* Harppr. *ad §. pœna 5. n. 108.* & *109. Inſtit. de Oblig. quæ ex delict.* Pirhing. *hic n. 40.* Hodierna conſuetudine Abigei puniuntur ut fures, & quidem laqueo, ſi ſine effractione, graviori etiam, ſi cum effractione delictum iſtud commiſſum eſt, modò pretium rerum ablatarum pretium 5. ſolidorum attingat. Carpzov. *l. cit. n. 39.* König. *n. 28.* Reiffenſtuel. *n. 60.*

142 Jure Canonico nulla certa pœna in Abigeos conſtituta eſt: quia tamen SS. Canones pœnas infligunt juxta qualitatem, & quantitatem culpæ, Abigeus autem improbior fur eſt, quàm alij, ideò hoc Jure major etiam pœna eſt imponenda, quàm ob furtum; adeòque pœna Depoſitionis imponi Clerico poterit arbitrio

bitrio Judicis. Farin. *q. 267. n. 109.* Pirhing. *n. 40. ℣. porro.*

143 Quæritur 5. quid sit, & quas pœnas habeat *Crimen de Residuis?* R. diversum hoc crimen est à crimine Peculatûs; nam istud ab eo committitur, cujus fidei & periculo pecunia non est commissa, illud verò ab ipso Administratore. Describi potest, quòd sit crimen publicum, quo pecunia publica ab eo, cujus fidei, & periculo erat concredita, retinetur, & in usum publicum, seu in rationes non refertur *l. lege Julia 2.* & *l. lege 4. §. sed & qui 4. ff. ad Leg Jul. Peculat.* Perez. *ad Cod. tit. eod. n. ult.* Theodoric. *c. 9. Aphorism. 5.* Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit. 49. thes. 70.* Magnif. D. Verlohner. *Act. Leg. Jul. Peculat. n. 13.* Magnif. P. Schmier. *p. 3. c. 2. n. 95.* Adeòque hoc crimine non tenentur, qui pecuniam per modum contractûs, vel quasi, sine publica administratione, in suam fidem, & custodiam receperunt, quales sunt Depositarij, & Creditores, factores, socij, negotiorum, gestores, tutores &c. Berlich. *p. 5. concl. 57. n. 2.* Theodoric. *l. cit. n. 4.* D. Verlohner *n. 13.*

144 Committitur hoc crimen duplici modo, videlicet aut pecuniam publicam, in certum usum destinatam retinendo, & in eum non consumendo *l. Lege Julia 2. l. Lege 4. §. sed & qui 4. & l. sacrilegi 9. §. eum quoque 6. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* ut eam pecuniam in suum convertendo usum. *§. eum quoque cit.* Thosolan. *Syntagm. l. 33. c. 20. n. 20.* Decian. *tr. crim. l. 8. c. 28. n. 18.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 684. n. 5.* Carpzov. *pract. crim. q. 85. n. 4.* Farin. *q. 171. n. 61.* König. *hic n. 30.* Reiffenstuel. *ibid. n. 63.* D. Verlohner. *l. cit.*

145 Pœna Criminis de Residuis Jure Digestorum est, quòd præter Infamiam, cunctis criminibus publicis debitam, *l. infamem 7. ff. de Publ. Judic.* debeat hujus criminis reus restituere amplius tertiam partem rei iniquè detentæ, vel non debitè erogatæ, ità, ut qui 90. fl. malè retinuit, restituere, & fisco inferre debeat 120. *l. lege Julia 4. §. qua lege 5. ff. ad. Leg. Jul. Pecul.* ibi, *Qua lege damnatus, amplius tertia parte, quàm debet, punitur.* Brunem. *ad Leg. cit.* Theodoric. *c. 9. aphoris. 5.* Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit. 49. thes. 80.* Lauterbach. *ad eund. tit. §. 11.* König. *n. 30.* Reiffenstuel. *n. 64.* P. Schmier. *n. 96.* D. Verlohner *l. cit.*

146 Hodie hujus criminis rei extra ordinem puniuntur, non autem suspendij pœna, ut reliqui fures. Eckolt. *ad l. 4. §. 5. cit.* Damhoud. *prax. rer. crim. c. 115. n. 1. & seq.* Wesenbec. *§. item Lex Julia Peculatûs n. 5. Inst. de publ. Judic.* Berlich. *p. 5. concl. 57. n. 31. & seq.* Struv. *Exercit. 49. cit. thes. 80.* & ibi *Petr. Myler.* Carpz. *q. 85. n. 9.* König. *n. 30.* D. Verlohner. *l. cit.* Ratio mitius, quàm cum cæteris furibus procedendi à Carpzov. *l. cit. n. 11. & seqq.* assignatur multiplex. 1. quia hujusmodi Administratores non tam invito domino pecuniam contrectare videntur, quàm perfidè agere. *l. tres tutores 55. § sed si 1. ff. de administr. tutor. l. sacrilegi 9. §. Labeo 2. ℣. & ideo ff. ad Leg. Jul. Pecul.* 2. quia hujusmodi Officiales ut plurimùm pecuniam suo periculo suscipiunt, ejúsque nomine cautionem præstare, ac fidejussores dare solent. atqui res alicui sub periculo ejus commissæ, quasi propriæ ipsius esse videntur, & nemo in re propria furtum committit. 3. quia juxta vulgatam, & communem Interpretum doctrinam administratio mitigat delictum *l. multi 6. ff. de Publ. & vectigal.* ut adeò gravius peccare censeatur, qui contrectat rem existentem adhuc in Domini manibus, quàm contrectat fidei suæ commissam; minus autem delictum minùs punitur.

Quæritur 6. quid sit *Crimen expilatæ Hæreditatis*, & quæ pœna illius? R. 147 est, quo quis ante, vel post aditam hæreditatem, sed necdum possessam rem hæreditariam mobilem dolo malo lucri causâ contrectat *l. si expilatæ 2. §. apparet 1. ff. expil. hæredit.* quia talis censetur reus furti *l. bis enim 70. ff. h. tit.* quamvis in rigore Juridico propriè furtum non committat; quia furtum admittitur in rebus ab alio jam possessis. Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit. 48. thes. 95.* Eckolt. *ff. expil. hæred. §. 1.* Brunnem. *in l. 2. cit.* Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 76.* Hinc etiam furti actio in talem non datur *l. 2. cit. pr.* & *§. apparet. 1.*

Committitur crimen istud propriè 148 ab extraneo tantùm, qui sub nomine hæredum non continetur; nam cohæres, si res quasdam ex hæreditate jacente sibi applicavit, actione familiæ herciscundæ pulsandus venit *l. adversus 3. C. fam. herciscund.* Cujac. *ibid.* Eckolt. *ff. eod. §. 4.* Brunneman. *ad l. cit.* Magnif. D. Verlohner. *Act. contr. Expil. Hæred. n. 7.* Ratio est, quia potiùs suam, quàm alienam rem submovisse censetur, & delictum non præsumitur, sed probari debet. Quòdsi tamen dolus manifestus cohæredis, res hæreditarias submoventis, pateret, ab accusatione extraordinaria non foret exculpandus, ut tradit Gloss. *in l. 3. cit.* sicut nec socius, si quid dolo malo subtraxit ex rebus pertinentibus ad Societatem *l. meritò 51. ff. pro Socio.*

Similiter actione expilatæ hæreditâ- 149 tis conveniri non potest uxor *l. uxor 5. ff. expil. hæred.* quia turpis actio adversùs uxorem non datur *l. nam in honorem 2. ff de act. rer. amot.* sed res cum fructibus adhuc

extantibus rei vindicatione, si autem consumpti sint, Condictione ex Lege ab ea repeti possunt *l. adversùs 4. C. de crim expil. hæred.* Excipitur, nisi Matrimonium sit dissolutum per divortium; eo enim casu, si uxor ex hæreditate mariti quondam aliquid submovit, ab hoc crimine non excusatur *l. & ideo 3. ff. de act. rer. amot.*

150 Aliud est de Noverca, & Vitrico; nam hi si aliquid ex hæreditate, privigno aliunde, quàm à Patre delata, suppresserint, vel surripuerint, excusationem hujus criminis non promerentur *l. expilatæ 2 & l. seq C. de crim. expil. hæred.* Ratio est, quia frequentia hujus delicti vincit reverentiam, his personis debitam; nemo quippe frequentiùs solet hæreditatem expilare, quàm Vitricus, & Noverca. Videatur *Salicet. Brunnem.* & alij in *ll. citt.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 3.*

151 Pœna hujus criminis Jure Digestorum est extraordinaria, pro diversitate circumstantiarum infligenda. Molin. *tr. 2. de I. & I. D 681. n. 9.* Farin. *prax. crim. q. 174. n. 25.* Coler. *p. 1. decis. 188. n. 6.* Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 82.* König *hic n. 31.* Reiffenstuel *ibid. n. 65.* & sumitur ex *l. siquis 1. & l. Divus 3. ff. expil. hæred.* quod tamen ut Magnif. D. Verlohner *l. cit. fin.* cum Ott. Tabor. *ad Const. crim. Carol. V. art. 165.* optimè advertit, solùm intelligi debet, si cohæres, uxor, vel maritus ex rebus hæreditarijs aliquid acceperit: nam si extraneus, qui cohæres non est, istud fecerit, iste non minùs, ac cæteri fures, laquei pœnam sustinebit, quippe cùm Expilatores *l. de bis 1. §. expilatores 1. ff. de effract. & expilat.* fures *atrociores nuncupentur.*

152 Quæritur 7. quid sit *Sepulchri violatio*, & quomodo violatores hujusmodi puniantur? R. hæc fieri potest aut circa ipsum sepulchrum, vel monumentum, aut circa cadaver ibi tumulatum. Priori modo violatur sepulchrum 1. demolitione structuræ, ut siquis saxa, aut marmora, seu columnas aufert, insignia, & imagines, monumento infixas, destruit *l. si sepulchrum 2 ff. l. qui sepulchra 4. & l seq. C. de Sepulchr. violat.* 2. inhabitatione, aut extructione novi ædificij, non sepulchri causâ *l. Prætor ait 3. §. siquis 6 ff eod.* 3. illegitima illatione cadaveris *l. prætor cit. §. siquis 3.* Requiritur tamen, ut hæc fiant dolo.

153 *Posteriori* modo hoc delictum committitur 1. contrectatione, corpus sepultum extrahendo *l. qui sepulchra cit.* 2. mutilatione, quod incantatoribus solenne est, qui quandoque solent corpora exhumare, & eorum membra mutilare, ut ijsdem ad nefaria facta abutantur. 3. Ipsonatione, detrahendo cadaveribus sepultis vestes, vel aliud, quo ornata sunt. Magnif. D. Verlohner *Act. de sepulchr. viol. n. 8.* Hæc spoliatio, cùm defuncti nil possideant, propriè furtum non est, neque spolium: unde ejus rei nec furti, nec spolij pœnis, sed alia arbitrariâ plectendi sunt. Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 55.*

154 Pœna autem ista solet esse varia; nam 1. qui ex dolosa petulantia corpora humata ex sepulchris extraxerint, & ossa exhumaverint, si humiliores fuerint, ultimo supplicio afficiuntur, si honestiores, aut deportantur, aut in metallum damnantur *l. fin. ff de Sepulchr. viol.* D. Verlohner *l. cit. n. 9.* 2. qui vi armata more latronum cadavera spoliant, ultimo supplicio etiam ipsi; qui verò sine armis, ad minimum metalli pœnâ afficitur *l. Prætor cit. §. adversùs 7.* 3 qui reliquias cadaveris contrectaverit, aut sepulchri saxa, marmora &c. ædificandi causâ amoverit, à Constantino Imp. 10. libris auri fisco inferendis puniuntur *l. qui sepulchra cit.* Judex verò, qui hoc delictum vindicare omisit, 20. libris multatur *l. siquis 3. Cod. eod.*

155 Quæritur 8. quid sit, & quâ pœnâ afficiatur *Amotio termini?* R. est crimen, quo quis terminos, vel lapides finales, Granitz-Stain/ oder Marckſaulen dolosè eruit, aufert, aut mutat, vel ut præcisè noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, & suo adjiciat *l. terminorum 1. & duab. seqq. ff. de term. mot.* Struv. *Exercit. 48. thes. 110.* König *n. 33.* Reiffenstuel *n. 68.*

156 Pœna hujus criminis varia est, nam 1. si extraneus terminum movit eo fine, ut discordias, & lites inter confines seminet, in terminos singulos, quos ejecerit, 50. aureos fisco in solidum inferre debet *l. fin. ff. de term. mot.* 2. qui terminos propellit, prædia sua dilatandi causâ, pro qualitate personæ, & ætatis puniuntur corporaliter *l. Divus 2. ff eod. Const. crim. Carolin. art. 114.* quæ Constitutio etiam locum habet de Statuto nostro Bavarico Landt-Freyheit *p. 1. art. 16. §. 20.* 3. qui post litem in controversia de finibus contestatam terminos communes submovit, aut propulit ad jura adversarij obscuranda, pro facti circumstantia puniendus, & compellendus est ad terminum amotum, & tantundem de suo, ac simul omne damnum, & interesse restituendum. Farin. *prax. crim. q. 168. n. 104.* 4. qui lapides terminales furandi animo aufert, in hunc vel criminaliter animadvertendum, vel civiliter ad dupli, vel quadrupli pœnam est condemnandus. Farin. *l. cit. n. 100.*

157 Adversùs hæredes actio de termino moto non datur, quia ex delicto descendit: & hoc verum est, etsi cum defuncto lis contestata sit; quia actio hæc compara-

parata est ad pœnam infligendam delinquenti *l. si is 3.* & *l. defunctis 5. C. si reus, vel accus. mort. l. si pœna 20.* & *l. crimen 26. ff. de Pœn.* Quodsi verò ex delicto aliquid ad hæredes pervenit, dabitur actio ad exhibendum, Condictio, vel Vindicatio, prout vel res ipsa, vel ejus æstimatio petitur *l. hæc actio 5. ff. de calumn. l. civilis 1. ff. de privat. delict. l. prætor. ait 2. §. fin. ff. vi bonor. raptor.* Ultra unius anni spatium ad instar Actionum Prætoriarum actio hæc de termino moto non procedit *l. si verò 5. ff. de his, qui effud. vel dejec.* & *l. fin. ff. de popular. act.* Neque in hoc crimine adversùs delinquentem perveniri ad capitis pœnam potest, teste Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 70.*

158 Quæritur 9. quando committatur *Furtum tigni*, & quæ ex hoc nascatur actio? R. Furtum tigni committere dicitur, qui tignum, seu materiam, ex qua componitur ædificium, v. g. tegulas, lapides, perticas, columnas &c. ex ædificio alieno mala fide subtrahit, & ædibus suis jungit. Adversùs istum domino materiæ datur Actio de tigno juncto, ut in pœnam duplum præstet *l. duodecim 1. pr. ff. de tign. junct.* An etiam Actio ista detur contra eum, qui tignum non furtivum, sed solùm alienum bona fide junxit, controvertitur inter DD. Negant Duaren. *ad tit. cit.* Manz. *in §. 29. Inst. de rer. divis.* Zœs. *ff. tit de tign. junct. n. 4.* Sed meliùs affirmant Bachov. *in Treutl. vol. 2. D. 20. thes. 6. lit. A.* Vinn. *ad §. 29. cit.* Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit. 48. thes. 28.* Eckolt. *ad tit. cit. §. 4.* Magnif. D. Verlohner. *Act. de tign. junct. n. 3.* Magnif. D. Schmier. *p. 3. de Delict. c. 1. n. 54.* ex identitate rationis; nam actio hæc de tigno juncto est introducta, quia stante ædificio tignum vindicari non poterat, eámque ob rem domino erat consulendum, ut indemnis servetur: quæ ratio sine dubio locum habet etiam in bonæ fidei possessore. Accedit, quia bonæ fidei possessor, tignum alienum suis ædibus jungens, licèt non dolosè, culposè tamen delinquit, quòd non meliùs in qualitatem, & conditionem tigni per se, vel per alium inquisiverit. Stryck. *tr. de Act. forens. sect. 1. membr. 10. §. 12.* Lauterbach. *ad tit. cit. §. 2.* Miller. *ad Struv. l. cit. lit. B.* P. Schmier. *l. cit. n. 55.* In eo tamen melioris conditionis est bonæ quàm malæ fidei possessor, quòd ille non tantùm regressum habeat adversus venditorem, aut alium traditorem tigni, sed etiam à furto censeatur immunis, nec possit conveniri Condictione furtiva, vel alia actione rei persecutoria. Stryck. *l. cit. §. 12.* P. Schmier *n. 56.*

159 Porro actio hæc probabiliùs non datur adversùs fabros lignarios, qui aliena junxerunt tigna; ædificium tamen non possident, ut contra Struv. *l. cit.* advertit Tabor. *in suis Racemat. crim.* quia non jungunt proprio nomine; sed eo casu tenebitur is, cujus nomine jungitur, quippe qui per se ipsum junxisse censebitur juxtà *Reg. 72. ff. de R. I.* Qui si deinde ædificium hoc vendiderit alteri, non poterit actione ista pulsari emptor; quia Leges 12. tabularum actionem hanc attribuunt contra illum, qui convictus est tignum ædificio junxisse, ut patet ex *l. Lex 1. pr. in fin. ff. de tign. junct.* Quare eo casu adhuc tenebitur venditor, ne fit in ejus potestate se nexui obligationis invito creditore surripere. Struv. *Exerc. cit. thes. 29.* & *ibi Mylerus*, Schütz *in Lauterbach ff. eod.* D. Verlohner *l. cit. n. 5.* apud quem plura de hac Actione.

Quæritur 10. quænam Actio com-160
petat ob arbores, vites, hederas, arundines, virgulta &c. furtim cæsa? R. pro his, cessante actione furti, de Jure Civili variæ competunt actiones: & 1. quidem ex Edicto Prætoris actio Civilis arborum furtim cæsarum, ut duplum præstet ejus, quod alterius interest arborem cæsam non fuisse *l. furtim 7. §. fin. l. facienda 8. pr.* & *tot. tit. ff. arbor. furt. cæsar.* 2. ex Lege Aquilia in simplum *l. si furtim 1. ff. eod.* 3. ex Interdicto quod vi, aut clàm *l. sed si 11. ff. eod.* & *l. in duobus 28. §. colonus 6. ff. de Jurejur.* 4. ex Lege 12. tabularum, ut quis in singulas arbores cæsas æris viginti quinque asses luat. Menoch. *de arbitr. cas. 579. n. 2. sub fin.* Cæpoll. *de Servit. urban. præd. c. 81. n. 13.* Gothofr. *ad l. furtim 7. §. fin. V. duplum ff. eod.* Berlich. *p. 5. concl. 52. n. 2.* Carpzov. *pract. crim. q. 83. n. 2.* Porro actionum istarum uno consumit alteram, ita tamen, ut unâ finitâ, ad residuum, quod in priori non continetur, consequendum, reliquis experiri queat *l. furtim 1.* & *l. sed si 11. citt.* Cujac. *l. 8. obs. 24. V. si furtim*, Wesenbec. *ff. tit. eod. n. 1.* Menoch. *l. cit. n. 3.* Carpzov. *n. 2.*

De Pœna istius delicti in Imperio 161
Romano nil certi est constitutum, præterquam quod Carolus V. Imp. reos illius, sepositò furti supplicio, pro more, ac consuetudine cujusque Regionis puniri voluerit. *Const. crim. art. 168.* Neque contrarium probat *l. sciendum 2. ff. tit. cit.* ubi Gajus asseverat, *eos, qui arbores,* & *maximè vites ceciderint, etiam tanquam latrones*, cons. ultimo supplicio, *puniri*; nam, ut textum hunc explicat Stryck. *l. cit. §. 15.* æquiparatio hæc de necessitate puniendi tantùm, non item de pœnæ quantitate intelligenda est; is enim, qui vites cædit, illa, quæ ad vitæ sustentationem homini sunt necessaria, aufert, & hinc, ut Latro, qui hominis vitæ insidias struit, æstimatur.

Quæ-

16. Quæritur 11. quæ sit pœna rapientium res ex naufragio, vel incendio? ℟. rapientes res ex naufragio multantur confiscatione bonorum *Auth. navigia fin. C. h. tit.* & aliâ etiam pœnâ extraordinariâ puniri possunt, ut *ibidem* additur. Farin. *prax. crim. q. 168. n. 75. & 76.* Pirhing *hic n. 41.* Eadem pœna imposita est furantibus res, tempore incendii foras projectas *l. Pedius 4. ff. de incend.* Farin. *l. cit. n. 78.* Pirhing *n. 41. cit.* Hodie autem auferens res, in naufragio projectas in terram, punitur pœnâ arbitrariâ pro qualitatibus personarum *l. de submersis 5. C. de naufrag.* Menoch. *de arbitr. cas. 297. n. 1.* Pirhing *l. cit.*

Præter actionem, & pœnam criminalem contra furem, auferentem res occasione incendii, vel naufragii, datur etiam Actio Civilis ad restitutionem rerum ablatarum intra annum in quadruplum, post annum verò in simplum *l. prætor ait 1. pr. ff. de incend.* Farin. *n. 80.* Pirhing *l. cit. ℣. his addendum.* 16.

TITULUS XIX.

De Usuris.

FUrtò, & Rapinæ subjungitur *Usura*, sic dicta ab Usu, sicut Cultura a Cultu. *In genere* significat usum alicujus rei: in hoc sensu Cicero *pro Rabir. Posthum.* usum vitæ appellavit *Usuram lucis. Magis strictè* adhibetur ad significandum incrementum, vel lucrum, & commodum, seu fructum, ex usu rei provenientem, juxta eundem Ciceronem *de Senect.* ubi, *Terra*, inquit, *nunquam sine usura reddit, quod accipit*, ubi fructus supra semen, & quasi lucrum, quod terra ex semine sibi mandato reddit; *Usuram* vocat. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 1. not. 2.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 303. n. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 1.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 8. n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 1. ℣. Usura.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* Reiffenst. *n. 2. Strictissimè*, ac *specificè* accipitur pro lucro, quod ex mutuo provenit: & in hac significatione ad Titulum præsentem spectat, ac dividitur in Lucratoriam, Moratoriam, & Compensatoriam.

§. I.

De Usura Lucratoria.

SUMMARIUM.

1. 2. *Usuræ definitio.*
3. *Divisio in internam, & externam, & hujus in Mentalem, & Realem.*
4. *In Expressam & Tacitam.*
5. *Usuræ Lucratoriæ sunt graviter prohibitæ, non tantùm Jure Ecclesiastico.*
6. &c. *Sed etiam Divino, & Naturali.*
11. &c. *Non potest Princeps Lege sua, aut Pontifex viâ Dispensationis eas licitas facere, licèt exigente bono communi, illas possit permittere.*
20. *Potest Lege, vel consuetudine induci certa quantitas, quæ nomine damni emergentis, lucri cessantis &c. possit exigi.*
21. &c. *Non autem, ut aliquid exigi supra sortem possit titulo solius mutui.*
24. &c. *Etiam in favorem causæ piæ.*
26. &c. *Non est per se illicitum mutuum sub Usuris accipere, aut istas solvere.*

1 QUæritur 1. quid sit Usura Lucratoria, & quotupliciter possit accipi? ℟. posse dupliciter accipi, scilicet pro ipso contractu, & pro objecto contractûs, seu pro lucro quod ex tali contractu percipitur. *Primo modo* sumpta describitur à Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 2. ℣. Usura*, quem sequitur König *hic n. 3.* Pirhing *n. 2.* quòd sit *actus voluntatis interior, vel exterior conventio dandi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex vi, & causâ mutui principaliter. Secundo modo* accepta Usura est *lucrum immediatè ex mutuo proveniens*, seu, ut alii explicant, est *incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur supra id, quod mutuò datum est.* Sylv. *V Usura 1. pr.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 1. not. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 303. n. 9.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 18.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 1.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 8. n. 2.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. pr.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 433* Bagnudell. *V. Usura n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Pirhing *n. 2.* König *n. 2.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 3. & 4.* & colligitur ex *can. plerique 2.* & *can. fin. caus. 14. q. 3.*

Quod mutuò datum est vocatur *Sors*, sive *Capitale*; quod ultra hanc accipitur

pitur, dicitur *Usura*, seu *Fœnus*, vel *Lucrum ultra sortem.* In exemplo: Titius Cajo dedit Mutuos 100. fl. ea conditione, ut donec eosdem restituerit, in annos singulos ipsi pendat 10. in hoc casu Capitale, seu Sors sunt 100. fl. Usura, seu lucrum sunt 10. Porro nomine *Lucri Usurarii* non tantùm hìc intelligitur pecunia, sed quæcunque alia res temporalis pretio æstimabilis; nam quidquid Sorti accedit, sive illud sit pecunia, sive frumentum, vinum, oleum, sive quodcunque aliud temporale, si creditor illud ultra sortem ex vi solius mutui, alteri dati exigat, & quasi ex Justitia debitum accipiat, Usura, & Lucrum Usurarium est. Azor *not. 3. fin.* Less. *n. 18.* Laym. *n. 2.* Tambur. *n. 5.* Palao *n. 2.* Illsung *n. 433.* Vallens. *n. 3.* Engl *n. 2. ℣. dico 3.* König *n. 8.* Pirhing *n 3. not. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 9.*

3 Quæritur 2. quotuplex sit Usura? R. alia est Interna, alia Externa. *Interna* consistit in solo animo, & voluntate lucrum ex mutuo capiendi. *Externa* subdividitur in Mentalem, & Realem. *Mentalis* est, quando, nullo pacto, vel conventione interveniente, ex mutuo speratur, & intenditur lucrum, non gratuitò, sed ex obligatione, & quasi ex Justitia debitum, & offerendum. *Realis*, seu ut ab aliis appellatur, *Conventionalis* committitur, quando mutuum datur intervenientе pacto, seu conventione, lucrum aliquod ultra sortem v. g. 100. creditos florenos post annum solvendi decem. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 3. pr.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 303. n. 10.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 4. fin.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 8. n. 3.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. n. 3.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 2. n. 1.* Begnudell. *V. Usura n. 2.* Vallens. *hic §. 2. n. 1.* Pirhing *hic n. 5. pr.* König *n. 4.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 13. & 14.*

4 Pactum Usurarium aliquando est *Expressum* v. g. cùm mutuò dans 100. disertè pacisci tur, & convenit cum Mutuatario de decem cum eadem summa tota post annum restituendis. Aliquando verò *Tacitum*, v. g. cùm Mercator ob dilationem solutionis ultra annum cariùs v. g. 100. fl. pretio vendit merces, quarum pretium justum summum sunt 90. vel 95. aut cùm Emptor ob anticipatam solutionem merces emit minoris, quàm aliàs valerent, ut *infrà n. 53. & seqq.* dicetur pluribus: & hæc Usura *Palliata* dicitur. Azor *l. cit. ℣. secundò.* Molin. *n. 12.* Less. *n 21.* Laym. *n. 5. ℣. secundò dividitur*, Palao *n. 3.* Begnudell. *n. 2.* Vallens. *n. 2.* Pirhing *n. 5. ℣. secundò.* Reiffenstuel *n. 7.* Magnif. P. Schmier *n. 16.*

Quæritur 3. an, & quo Jure prohibitæ sint Usuræ Lucratoriæ? 5
Certum est 1. exercitium earum prohibitum, & graviter peccaminosum esse: neque de hoc ullus Catholicorum dubitat, postquam Clemens V. in *Concil. Vienn.* prout refertur *Clem. un. §. fin. b. tit.* definivit & statuit, *Siquis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere Usuras non esse peccatum*, eum *velut Hæreticum puniendum.* Ex quo textu Card. de Lug. *tom. 2. de Just. D 25. sect. 2. n. 8.* cum communi aliorum infert, de Fide esse, quòd Usuræ illicitæ sint. *Certum est.* 2. eas esse prohibitas Jure Ecclesiastico. Patet ex *can. Apost. 43.* Concil. Nicæn. *c. 18.* & sententiis SS. Augustini, Hieronymi, & Ambrosii *can. si fœneraveris 1. & seqq. caus. 14. q. 3.* pluribúsque aliis Decretis, Constitutionibus, & Rescriptis passim in Corpore Juris Canonici contentis, præsertim hoc Titulo. *Certum est 3.* easdem etiam veritas esse in Imperio Romano, ut patet ex *Constit. Carol. V. editâ Augustæ 1530. tit.* von Wucherlichen Contracten: quod passim etiam factum ab aliis Regibus, & Principibus in suis Provinciis. Wading. *D. 6. de Contract. dub. 5. n. 4.*

Difficultas est, an etiam sint prohibitæ Jure Divino & Naturali? Videntur 6
non esse prohibitæ hoc Jure. 1. quia in novo Testamento apertè videntur approbatæ *Matth. 25. v. 27.* & *Luc. 9. v. 23.* ubi Christus servum pigrum reprehendens, *quare*, inquit, *non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum Usuris exegissem illam.* 2. in Veteri Testamento, etsi exigi prohibebantur à fratribus, respectu Gentium tamen permittuntur *Deut. 23. v. 19. non fœnerabis fratri tuo, ad usuram pecuniam - - sed alieno; & Deut. 28. v. 12. Fœnerabis gentibus multis.* 3. si Jure naturali Usuræ fuissent prohibitæ, nunquam fuissent approbatæ à Jure Civili *ff.* & C. *b. tit.* cùm incredibile omnino sit, Legum Conditores à naturali Jure, cujus ductu præcipuè regebantur, tam enormiter aberrâsse. 4. Usurarum nomine in Imperio licet exigere 5. pro 100. prout patet ex novissimis Constitutionibus, & Recessibus *anno 1500. Augustæ* sub Maximiliano I. *anno 1530. ibid.* sub Carolo V. *anno 1548. ibid.* sub eod. *anno 1570. in Comitiis Spirensibus* sub Maximiliano II. & denique *anno 1600. in aliis Spirensibus* sub Rudolpho II. 5. ea, quæ parificantur in effectu, debent etiam parificari in Juris dispositione *l. à Titio 108. ff. de V. O.* & *l. illud 32. ff. ad Leg. Aquil.* sed pecunia, & opera hominis in effectu æquiparantur *l. societates 5. §. societas 1. ff. pro Socio*, ergo simile Jus statutum est in utraque, potest autem aliquis exigere, & participare

lucrum pro opera sua. ergo & pro pecunia sua. 6. potest lucrum accipi, & exigi pro concesso usu vasorum aureorum, & argenteorum. ergo etiam pro usu nummorum. 7. pecunia numerata est pretiosior, quàm numeranda. ergo pro sorte actu numerata potest exposci compensatio. 8. usuras accipiens, nemini infert injuriam; quia solvuntur à mutuatario liberè consentiente. scienti autem, & consentienti non fit injuria. 9 quod exigitur ultra sortem, exigitur pro usu, sive jure utendi pecuniâ, frumento &c. mutuò concesso, aut pro commodo, quod ex mutuo mutuatarius habet, vel pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi statuto tempore, aut propter onus, & laborem numerandi pecuniam.

7 Sed dicendum, Usuras Divino quoque, & Naturali Jure prohibitas esse. Ita Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 5.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 2. q. 4.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 104. n. 2. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 24. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 6.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 8. n. 5. & seqq.* Wading *D. 6. de Contract. dub. 5. n. 4.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 434.* Begnudell. *V. Usura n. 5.* Vallens. §. *3. n. 1. & 2.* Engl *n. 5. & seqq.* Pirhing *n. 6.* König *n. 6.* Wiestner *n. 8.* Reiffenstuel *n. 13.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 22. & seqq.* & cæterorum DD. Catholicorum constans, & certa sententia cum S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 1.*

8 Et quidem quòd *Jure Divino* prohibitæ sint Usuræ post Concilium Nicænum relatum *can. quoniam 2. dist. 47.* clarè testantur Alexander III. *c. quia in omnibus 2. & c. super eo 4. h. tit.* Urbanus III. *c. consuluit 10. eod.* & Innocentius III. *c. quàm pernicioſum 11. dict. tit.* patétque ex claris Juris ejusdem textibus. *Non fœnerabis fratri tuo ad Usuram pecuniam &c.* Deut. 23. v. 19. *Vidi iniquitatem in Civitate - - non defecit in plateis ejus usura, & dolus.* Psal. 54. v. 10. & 12. *Quodsi genuerit filium ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet? non vivet.* Ezech. 18. v. 10. & 13. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. v. 35. quæ Evangelistæ verba Urbanus III. *c. consuluit. cit.* affert ad probandum, Usuram Jure Divino esse prohibitam. *Neque obstat*, quòd priora verba, *Mutuum date*, (extra casum necessitatis proximi) consilium tantùm contineant, cùm nemo regulariter teneatur mutuum dare; nam hoc non obstante, posteriora præceptum indicant, ut postquam mutuum datum est, nihil ampliùs exigatur, quàm quod mutuatum est, prout explicat S. Thom. *art. 1. cit. ad 4.* & patet ex *c. consuluit cit.* ac decisione *Concil. Later. sub Leon. X. sess. 10. paulò post pr.* ubi inquit, *Christus Dominus*, (*Luca Evangelista attestante*) *aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo aliquid ultra sortem sperare debeamus.* Et hinc *c. quia in omnibus*, & *c. super eo citt.* dicitur *crimen Usurarum utriusque testamenti pagina condemnari.* Similis loquendi modus reperitur *Psal. 75. v. 12. Vovete, & reddite Domino DEO vestro*, ubi quoad votum textus intelligi de consilio, quoad impletionem Voti, postquam editum est, de præcepto debet. Azor *l. cit. q. 2.* Laym. *n. 6.* Engl *n. 7.* Reiffenstuel *n. 14.* Magnif. P. Schmier *n. 623.*

Quòd verò etiam *Jure naturali* prohibitæ Usuræ sint, patet 1. ex eo, quia SS. PP. & Summi Pontifices Usuras illicitas esse colligunt ex *citt.* & aliis S. Scripturæ textibus: quæ Consequentia mala esset, si prohibitio Usurarum in Veteri Testamento fuisset Lex tantùm ceremonialis, non moralis, seu naturalis; nam his tantùm, non ceremonialibus Veteris Testamenti Legibus ligantur Christiani. 2. quia omnes Gentes, & Respublicæ non barbaræ existimant Usuras esse illicitas, ut adeò sit quasi communis persuasio hominum, & per consequens à natura hominibus indita, quòd mutui natura sit, ut pecuniæ datæ non respondeat alia obligatio, nisi dandi aliam similem. 3. Jus naturæ exigit illicitum esse modum acquirendi, quo, si permissus ille foret, facilè absorberentur egentium fortunæ: hoc autem fieret per Usuras lucratorias; sensim enim mutuatarii solvendo Usuras omnia perderent. 4. naturalis æquitas non permittit, ut in commutatione v. g. venditione pro re e. g. equo. cujus pretium justum summum sunt 100. fl. exigantur 105. aut 110. hoc faciunt fœneratores, dum pro mutuò datis 100. vi Contractûs mutui exigunt 105. aut 110. 5. ut licitè possit exigi lucrum aliquod, exigi debet jure aliquo, & ex aliqua re, quæ eo ipso, quòd ob lucrum detur, non datur gratuitò. atqui in mutuo nihil est, pro quo lucrum possit exigi. non enim *primò* aliquid sortem exigi potest pro translatione dominij rei mutuatæ in mutuatarium; quia hoc ad æqualitatem jam compensatur per sortem redditam: non *secundò* pro usu rei mutuatæ; quia cùm hic in rebus usu consumptibilibus à dominio inseparabilis sit, post dominium translatum ad mutuatarium pertinet: non *tertiò* pro commodo, quod ex mutuo mutuatarius habet; quia commodum hoc situm est in ipso usu: non *quartò* pro labore, & actu mutuandi; quia ordinariè labor iste non est alicujus momenti, & si notabilis sit, pretium exigi potest, non veluti ex mutuo, sed tanquam ex opera mutuatario locata: non denique 9

quin-

quintò pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi post certum tempus; nam hæc obligatio tum solùm est pretio æstimabilis, quando ex dilatione restitutionis oritur mutuanti aliquod damnum, vel lucrum eidem cessat: & tunc ratione istius aliquid peti ultra sortem potest, sed non vi mutui, ut *infrà n. 90. & seqq.* dicetur.

10 Neque obstant Argumenta *n. 6.* allata. *Ad 1.* in textibus *citt.* sermo est de *dando ad mensam*, i. e. negotiationem, quæ appellatur aliquando Usura, qualis tamen revera non est, cùm lucrum illius non proveniat ex mutuo, quippe dominio pecuniæ expositæ persistente apud negotiantem. Molin. *D. 304. cit. n. 18. fin.* Vel si contendas, textus illos intelligendos de propriè dicta usura, dicendum, à Christo Usuram ibi non approbari, sed tantùm referri factum hominum, eósque commoneri, ut cùm in istis terrenis, & perituris solliciti sint, multò magis solliciti esse debeant in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ, prout etiam factum in parabola Villici, defraudantis dominum suum, ut sibi amicos quæreret. *Luc. 16. Ad 2.* Hebræis Usuræ non concessæ, sed permissæ duntaxat erant ad vitandum majus malum, sicut alicubi tolerantur Lupanaria, prout explicat S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 1. ad 2.* vel dicendum cum S. Ambrosio relato *can. fin. caus. 14. q. 4.* eas Usuras non fuisse propriè dictas Usuras, & ex mutuo, sed ad speciem tantùm, & occasione mutui; quia revera capiebantur per vindicationem facultatum, quæ ad Gentes pertinebant, & quarum domini Hebræi constituti à DEO erant. *Ad 3.* Leges Civiles, quibus permittuntur Usuræ, commodè explicari possunt de Usuris Compensatoriis, aut Moratoriis: vel si contendas, intelligendas de Lucratoriis, dicendum, eas fuisse permissas ad vitandum majus malum, deinde verò correctas à SS. Canonibus; imò etiam à Jure Civili recentiore *arg. Novell. 131. c. 1.* ubi Imp. Justinianus decrevit, servandas esse Regulas SS. quatuor Conciliorum, eásque vicem Legum obtinere. atqui constat Usuras fuisse prohibitas in Nicæno Concilio *can. quoniam 2. dist. 47.* & ideo, cùm Authentica hæc fuerit de ultimis dicti Imperatoris, videtur ille jam quasi pœnituisse ejus, quod alibi permiserat; nam posteriora prioribus derogant. Ita discurrit Gloss. *in Auth. ad hæc C. h. tit. V. cadat*, & notat Reiffenstuel *hic n. 36. Ad 4.* in Recessibus *citt.* solùm statuitur modus in Usuris, quæ per avaritiam hominum nimis excessivè exigebantur: deinde isti Recessus fundantur in præsumptione tanti lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alterius justi tituli, prout clarissimè patet ex textu *Recessûs Spirensis sub Rudolpho II. post medium §.* so viel nun/ 152. ubi ita habetur: So viel nun disemnach der Vermuthung halber/ daß der Creditor sein Gelt/ von solcher Zeit an/ anlegen/ und zugelassener Weiß/ zum wenigisten von hundert Gulden fünff wohl haben möge &c. & hinc si in casu aliquo, qui tamen rariùs accidit, præsumptio ista cesset, & ille, qui v. g. dat 110. aureos mutuos, neque damnum aliquod indè sentiat, neque lucro careat, quinque pro illis accipere ultra sortem Usura erit etiam in foro externo: quia tamen, ut dixi, casus iste rariùs accidit, in foro externo Usurarius esse non præsumitur, neque pœnas Usurariorum incurrit, qui similem quantitatem exigit. Canis. *de Usur. c. 1. n. 9.* Engl *hic n. 10.* Wiestner *n. 39.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 49. Ad 5.* negatur paritas inter operam hominis, & pecuniam: opera hominis fructificare potest, seu fructum, & lucrum producere; non item pecunia, quæ ex se est sterilis, & sine operâ hominis naturâ suâ ad fructificandum, seu fructum producendum apta non est. *Ad 6.* iterum negatur paritas; nam vasorum commodatorum dominium retinet commodans, pecuniæ autem mutuatæ dominium ad mutuatarium transit: unde mirum non est, quòd usus rei commodatæ, qui est quasi fructus rei, possit locari pro pretio, non autem rei mutuatæ, cùm quælibet res domino suo fructificet. *Ad 7.* sequela ex illo *Antecedente* deducta manifestam Censuram passa est ab *Innoc. XI.* & meritò; nam si pecunia numerata esset pretiosior, quàm numeranda, & ideò posset aliquid exigi ultra sortem, id proveniret ex utilitate, quam aliquis ex pecunia numerata, tanquam præsente, percipit. atqui pecunia numerata, ceu præsens, non est utilis mutuanti, quamdiu domi otiosa manet, & actu in usum mutuanti proficuum non expenditur, ergo pretiosior dici non potest, quàm pecunia numeranda, tanquam futura. Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 34. Ad 3.* Usuræ non solvuntur omnino liberè, sed à coacto tum necessitate sua præsenti, tum improbitate fœneratoris, mutuum gratis non volentis concedere; neque enim quis spontè præsumitur jactare rem suam. Deinde, esto, quòd spontè consentiat, hic non tam voluntas, & consensus solventis usuras considerari debet, quàm transgressio Legis Divinæ, & Naturalis, quæ prohibet Usuras: ideóque promissio de solvendis Usuris, contra Legem prohibentem facta, est nulla *l. non dubium 5. C. de LL.* & dum Lex prohibet Usuras, prohibet etiam eas recipi à spontè solvente, sicut ergo adulter non excusatur, si dicat, se cum consen-

ſu mulieris adulteraſſe ; ita neque Uſurarius dicendo, ſe cum mutuatarii voluntate libera accepiſſe uſuras, quia nihilominus peccat contra Legem Divinam. Pirhing *hic n. 11. fin.* *Ad 9.* patet reſponſio ex *arg. 5.* propoſito *n. præc.*

11 Quæritur 4. an Imperator, vel alius Princeps ſupremus per Leges Civiles, vel aliàs permittendo Uſuras facere eas licitas poſſit, ita, ut licitè, & ſine peccato exigi, vel accipi poſſint? *Ratio dubitandi eſt*, quia materia Uſurarum ſunt res, & bona Civium, quæ Principis eminenti dominio ſubjacent. *Conf.* potuit Legislator Civilis ſtatuere, ut rem aliquam longo tempore poſſeſſam titulo Præſcriptionis in utroque foro retinere liceat; eſto enim Lex naturalis imperet, ut res aliena reſtituatur, non tamen imperat in circumſtantiis, in quibus ex cauſa utilitatis publicæ poſſeſſor per præſcriptionem factus eſt dominus rei alienæ: ergo etiam Legislator Civilis ſtatuere poteſt, ut liceat in mutuo aliquid ſupra ſortem exigere; eſto enim Lex naturalis prohibeat aliquid accipere ſupra ſortem, non tamen prohibet in circumſtantiis, in quibus ex cauſa utilitatis publicæ moderata quantitas eſt conſtituta.

12 Sed certa eſt negativa, quam cum communi defendunt Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 8.* Gibalin. *de Uſur. l. 1. c. 7. art. 8. à n. 20.* Begnudell. *V. Uſura n. 6.* Pirh. *hic n. 16.* Schambog. *n. 24.* Engl *n. 10.* König *n. 6.* Wieſtn. *n. 37.* Reiffenſt. *n. 46. & 61.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 41.* Patet ex *Clem. un. h. tit.* ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi non tantùm omnia Statuta, & Decreta, Uſurarum exercitio faventia, proſcribit, ſed etiam in fine declarat, illos, qui in tantum errorem inciderint, ut Uſuras licitè exerceri poſſe exiſtiment, tanquam Hæreticos puniendos: quo ſuo Decreto ſatis indicat, circa Uſuras non majorem poteſtatem competere Principibus, quàm circa materiam Hæreſis. *Ratio eſt*, quia Princeps Sæcularis non poteſt tollere Leges Divinas, aut Canonicas ſeu Pontificias, maximè in his, quæ continent peccatum *can. lege 1. cum ſeqq. diſt. 10.* & *c. inferior 4. de major. & obed.*

13 Imò nec Pontifex poteſt diſpenſando facere licitas Uſuras, ut colligitur ex *c. ſuper eo 4. h. tit.* ibi, *Super hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus*, & patet ex ratione, quam ibidem Pontifex affert; comparat enim ibidem Uſuras cum mendacio, & infert, ſicut mendacium ob quamcunque cauſam, etiam *pro vita alterius*, fieri licitè nequit, ita neque licitas fieri poſſe Uſuras, etiam *pro redimenda vita captivi.* Ratio eſt, quia Papa non poteſt diſpenſare contra prohibitionem Juris Divini, & Naturalis in his, quæ ſecundùm ſe, & ex objecto ſuo mala ſunt, & peccatum continent contra Legem Divinam, & naturalem. Tholoſ. *l. 2. de Uſur. c. 3. n. 3. & 6.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 304. n. 19. circ. fin.* Pirhing *n. 16.* Engl *n. 10.* Reiffenſtuel *n. 16. & 46.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 43.*

Ex quo ſequitur, graviter peccare 14
Principes Chriſtianos, & Poteſtates publicas, ſi authoritate ſua concedant, vel præcipiant, ut Chriſtiani, qui mutuò acceperunt pecunias à Judæis, vel aliis Infidelibus, Jurisdictioni ſuæ ſubjectis, Uſuras eisdem ſolvant, vel etiam Leges, & Statuta concedant, quibus jubentur Uſuras Judæis ſolvere, quas promiſerunt ſe eis ſoluturos; quia cùm uſuræ Jure naturali, & Divino prohibitæ ſint, cedántque in Reip. & membrorum illius detrimentum, non ſolùm graviter peccant, qui uſuras exigunt, & accipiunt, ſed etiam qui ipſis conſentiunt, uſuras authoritativè approbant, aut in eis exigendis, vel accipiendis alio modo cooperantur. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 7. coroll. 2.* Pirh. *n. 17.* König *n. 17. v. pœnæ.*

Hinc meritò graviſſimæ pœnæ in 15
ipſos per SS. Canones ſunt conſtitutæ. Et ij quidem, qui alienigenis, & non oriundis de terris ipſorum ad Uſuras exercendas locant, vel permittunt habere domos locatas in terris ſuis, aut eosdem intra tres menſes non expellunt, ſi ſint Epiſcopi, & his Superiores, pœnam Suſpenſionis; ſi minores perſonæ ſingulares Eccleſiaſticæ, pœnam Excommunicationis; ſi Collegium, aut Univerſitas Eccleſiaſtica, Interdicti ſententiam ipſo facto incurrunt; ſi verò Laici, per ſuos Ordinarios, ceſſante omni privilegio, ob hujusmodi exceſſum per Cenſuras Eccleſiaſticas compeſci jubentur à Gregorio X. *c. Uſurarum 1. h. tit. in 6.* Sylv. *V. Uſura 9. q. 4. v. octava*, Azor *p. 3. l. 5. de Uſur. c. 19. v. tertia pœna*, Pirhing *hic n. 168. & 169.* Engl *ibid. n. 11.*

Similiter Excommunicationem ipſo 16
facto incurrunt Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices Communitatum, & Conſiliarii, vel alii quivis Officiales, qui Statuta condunt, ut ſolvantur uſuræ, vel ut ſolutæ, cùm repetuntur, non plenè, ac liberè reſtituantur; item qui ita judicant, & debitores uſurarum ad uſuras ſolvendas vi talium Statutorum compellunt, aut hujusmodi Statuta, modò ad hoc poteſtatem habeant, intra tres menſes de Libris ipſarum Communitatum non deleverint, prout habetur *clem. un. h. tit.* & cum aliis notant Azor *l. cit. v. quarta pœna*, Laym. *coroll. 2.* Pirhing *n. 170.* König *n. 17. v. pœnæ.*

Con-

17 Contrà à Censura ista; imò etiam à peccato immunis est Princeps, & Potestas publica, quando ob majus aliquod bonum publicum, & ad vitanda majora mala, & scandala, quæ timentur aliàs oritura, permitteret usuras à Judæis, vel aliis Infidelibus, aut etiam Fidelibus exerceri impune, eos non puniendo; quia hoc non est directè consentire in peccatum Usuræ, vel illud approbare, sed eo casu se habet Magistratus, sicut cùm ad majora mala vitanda alicubi permittuntur Lupanaria, & tolerantur Hæretici, quod licitè fieri ex causa hac potest. Azor *p. 1. l. 8. c. 22. q. 13.* Molin. *D. 304. cit. n. 19. fin.* Wading *D. 6. de contract. dub. 13. n. 1.* Pirhing *hic n. 16.* Engl *n. 10. v. sed ijdem.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 47.*

18 Limitari tamen hoc debet, modò Principes, & Magistratus non dent Judæis licentiam exercendi Usuras cum obligatione, seu pacto ipsis solvendi majora tributa, quo fit, ut illi augere cogantur usuras, & pauperes magis exhauriantur. Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 179.* Laym. *c. 16. cit. n. 7. concl. 2.* Pirhing *n. 17. fin.* Insuper statuere modum usuris, & determinare certam aliquam quantitatem Usurariis Magistratus ijdem debent, quam si excesserint, non sint impunes; quia hujusmodi permissio solùm excusat à pœna in ea quantitate, in qua Usuræ permittuntur per Leges, & debet refrenari hujusmodi fœneratorum avaritia.

19 Neque obstat Ratio dubitandi *n. 11.* allata. Nam materia quidem remota Usurarum sunt res, & bona Civium, proxima verò est lucrum supra sortem principalem, ex sterili re vi mutui perceptum. De bonis quidem subditorum, exigente ita ratione boni publici, potest Princeps vi sui dominii alti disponere, non verò potest facere, ut licitè quis fructum capiat ex re sterili, sine omni titulo, & cum alterius detrimento; immutaret enim naturam rerum, & rem infrugiferam converteret in frugiferam. *Ad Conf.* negatur paritas; nam 1. præscriptio antecedenter ad Principis concessionem sine peccato inchoari non potest; contrà Usura antecedenter ad Principis concessionem sine peccato non exercetur. 2. in præscriptione tam materia remota, quàm proxima, possessio scilicet rei alienæ bona fide continuata, subest eminenti dominio Principis; in Usura verò dominio alto Principis substernitur tantùm materia remota, non item proxima, seu lucrum ex pecunia sterili, cùm, ut agnovit Aristot. *1. Polit. c. 7. maximè præter naturam sit, hic acquirendi modus, ut in fœnore nummus nummum pariat.* 3. Præscriptio tendit in evidentem Reip. utilitatem; quia incerta rerum dominia firmat, & confirmat; contrà Usura in evidens Reip. detrimentum tendit, quatenus ejus membra, ære alieno gravata, per Usuras tandem omnino exhauriuntur.

Quæritur 5. an per consuetudinem 20
induci possit, ut liceat aliquid accipere ultra sortem ex causa mutui, adeóque licitæ efficiantur Usuræ Lucratoriæ? *Certum est*, ut Lege, & Statuto, ita consuetudine induci posse certam quantitatem, quæ nomine damni emergentis, lucri cessantis, aut periculi sortis exigi possit, & excedi nequeat. Patet ex recepto usu in Imperio Romano, ubi permittuntur exigi quinque pro centum annuatim. Wading. *D. 6. de Contract. dub. 8. §. 2. n. 2.* Engl *hic n. 10.* Wiestner *ibid. n. 36.* Imò non repugnat, per consuetudinem statui certam quantitatem Usuris etiam lucratoriis merè, ita, ut infra illam exercentes Usuras sint immunes à pœnis, & tantùm eas incurrant, qui quantitatem illam excedunt; nam potest istud induci Lege, & Statuto, ut dictum est *n. 18.* ergo etiam consuetudine.

Difficultas est, an vi consuetudinis 21
solius, secluso omni alio titulo, accipi aliquid licitè ultra sortem possit? Affirmativa videtur probari Stylo Judiciorum, ubi sine ullius alterius tituli probatione auctarium petenti adjudicatur. *Conf.* potest Communitas jure suo cedere, & creditoribus mutuum dantibus concedere potestatem exigendi aliquid supra sortem, ergo etiam potest introducere consuetudinem, vi cujus aliquid ultra sortem exigere liceat; sicut enim voluntas expressa, sic etiam tacita, per consuetudinem demonstrata, in se habilis est ad efficacem Juris cessionem.

Sed meliùs defenditur negativa, & 22
dicendum, vi solius consuetudinis nihil exigi ultra sortem posse, ut bene cum aliis Wading *l. cit. n. 2.* Begnudell. *V. Usura n. 5.* Engl *n. 10.* Reiffenstuel *n. 54.* Wiestner *n. 37.* König *n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 37.* Ratio est, quia consuetudo, quæ Juri naturali, & Divino contraria est, non est rationabilis, sed potiùs corruptela, talis autem est consuetudo accipiendi aliquid ultra sortem præcisè ex vi mutui, ut ostensum est *n. 7. & seqq.* ergo &c.

Neque contrarium probat approbatio Reip. quia hæc auctarium petentibus solùm adjudicat, quòd ejus petendi justum titulum, ubi abesse, non probatur, adesse præsumat. Alia ratione approbare acceptionem auctarii nec Princeps, nec ullus alius Magistratus potest, ut dictum est *n. 11. & seqq.* *Ex quo sequitur*, in *Conf.* negandum esse *Ant.* Accedit, quia nulla humana dispositio potest inducere modum acquirendi, Jure naturali reproba-

tum; alioquin eodem modo liceret dicere, posse communitatem jure suo cedere, & efficere, ut liceat in utroque foro impune furari.

24 Quæritur 6. an Usuræ licitè exigi, vel accipi possint in favorem Causæ piæ, vel ob aliud bonum opus, saltem dispensativè? R. negativè. Tholosan. *l. 2. de Usur. c. 8. n. 16. & seqq.* Begnudell. *V. Usura n. 9.* Engl *n. 10. hic*, Pirhing *n. 14.* Reiffenstuel *n. 106.* & patet ex *c. super eo 4. h. tit.* ubi prohibetur, *ne quis etiam pro redimenda vita captivi* (quæ utique causa pia est) *usurarum crimine involvatur*, & negatur, *super hoc dispensationem aliquam fieri posse.*

25 Ratio est 1. quia nulla dispensatio fieri potest in eo, quod utroque Testamento, antiquo, & novo prohibitum est, sicut prohibitæ Usuræ sunt juxta dicta *n. 8.* 2. quia non est faciendum malum, ut indè eveniat bonum *Rom. 3.* Gloss. *in c. cit. V. dispensationem:* nec sunt faciendæ Eleemosynæ de fœnore, & usuris *can. non est putanda 27. caus. 1. q. 1.* & *can. nolite 1. caus. 14. q. 5.* nec auferendum est aliquid divitibus, ut detur pauperibus *can. fortè 3. q. cit.* 3. quia non licet pro vita alterius servanda mentiri *can. siquis 17. caus. 22. q. 2.* ergo multo minùs licet Usuras exercere ob utilitatem proximi; quia hoc multò gravius est peccatum, quàm mendacium *c. super eo cit.*

Quæritur 7. an licitum sit solvere, 26
vel promittere Usuras? Putant nonnulli, non esse licitum; quia ita solventes, vel promittentes dant causam, ut Usuræ exerceantur, & cons. etiam ipsi peccant, juxta illud, *Qui causam damni dat, damnum dedisse censetur.*

Sed dicendum, licitum esse petere mutuum, & accipere sub Usuris ab eo, qui jam determinatus, & paratus est non mutare, nisi sub Usuris, cùm tamen, si vellet, posset licitè, & sine usuris dare, modò justa causa petendi adsit, videlicet necessitas, vel utilitas petentis mutuum, vel etiam ut alteri egenti succurrat. Ita Sylv. *V. Usura 7. q. 1.* Azor *p. 3. l. 5. c. 17. q. 12.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 10. n. 1. & seqq.* Vivian. *in c. 4. h. tit. circ. med.* Pirhing *hic n. 15.* Engl *ibid. n. 12.*

Sumitur ex *c. debitores 6. de Jurejur.*, 27
ubi, qui juravit se soluturum Usuras, tenetur adimplere Juramentum. ergo solvere Usuras non est peccatum; aliàs tale Juramentum esset illicitum, neque servandum *c. si verò 8. eod.* Neque hoc est cooperari peccato Usurarii, sed tantùm illud permittere, & uti peccato illius voluntario, ad consulendum propriæ, vel alienæ necessitati, & uti jure suo, ut docet S. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 4.* & cum eo communis Doctorum.

§. II.

Examinantur diversi Casus, & statuitur, an in illis committatur Usura?

SUMMARIUM.

28. &c. *Casus, in quibus nulla committitur Usura, etiamsi accipiatur, vel petatur aliquid supra sortem.*
33. &c. *Casus, in quibus certò committitur Usura.*
38. &c. *Quomodo intendi debeat lucrum, quod speratur occasione mutui, ut Contractus reddatur Usurarius?*
44. &c. *An Usurarium sit peccatum, quo quis pecuniam mutuam dat ea lege, ut mutuatarius eidem remutuet, scholas ejus frequentet &c.*
50. &c. *An Usuram committat, qui ista sibi præstari petit titulo benevolentiæ, vel gratitudinis?*
53. &c. *An Usurarium sit vendere pro majore pretio ob dilatam solutionem?*
57. &c. *Vel ob hanc anticipatam emere pro minori?*
60. &c. *Quid dicendum de pacto, quo mutuum datur frumentum in autumno, ut tantundem reddatur in vere?*
64. &c. *Vel quo datur triticum vetus, ut reddatur novum?*
66. &c. *Vel quo mutuat aliquis vinum, ut casu, quo decreverit ejus pretium, tantundem addat, usque dum adæquetur valor ejusdem præsens?*
70. &c. *Ad quid reddendum teneatur Mutuatarius, quando inter ipsum, & mutuantem non est expressè conventum de quantitate restituenda?*
72. &c. *An minore pretio emi possint Chirographa, & debita immatura?*
75. &c. *An Usurarium sit Pactum Anticreseos?*
80. &c. *An Usuram sapiant Montes Pietatis?*
84. &c. *Cambium?*
87. &c. *Olla fortunæ?*

Ca-

CAsus isti sunt triplicis generis; nam in aliquibus certum est nullam committi Usuram; in aliis contrà est certum, quòd illa committatur; in pluribus est dubium.

28 Quæritur 1. in quibus casibus nulla committatur Usura, etiamsi accipiatur aliquid, vel petatur ultra sortem? R. cùm Usura propriè tantùm locum habeat in mutuo, juxta illud, *Mutuum date, nihil inde sperantes* Luc. 6. ubi Christus de mutuo tantùm loquitur, ideo nunquam committitur Usura, ubi nullum intervenit mutuum: perinde autem est, sive mutuum hoc, quod intervenit, sit formaliter tale, sive virtualiter solùm, prout fit, quando venduntur merces, vel aliæ res quæcunque multo cariùs, quàm sit justum pretium, ob dilatam ad tempus solutionem, prout *infrà n. 53. & seqq.* pluribus explicabitur. Præterea necesse est, ut id, quod petitur ultra sortem, petatur, & accipiatur ex vi præcisè mutui, & tanquam ex hoc debitum. Et denique tertiò id, quod petitur, aut datur ex vi mutui, debet esse aliquid temporale, prout patet ex definitione Usuræ *n. 1.* allata.

29 *Ex quo sequitur 1.* Usurarium non esse, qui in compensationem mutui exigit orationem, aut Sacrificium Missæ, vel accipit Beneficium Ecclesiasticum; cùm enim hæc sint aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum, ea vi mutui exigendo potiùs Simonia, quàm Usura committitur. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 2. ℣. porro.* Engl *hic n. 2. ℣. dico secundò.* Pirhing *ibid. n. 133.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 10.* Intellige, nisi hæc exigantur, aut accipiantur, tanquam debita ex pacto, & Justitia; tunc enim præter Simoniam etiam Usuram committet exigens, vel accipiens, quod per ejusmodi obligationem mutuatario adimatur libertas conferendi Beneficium, cui voluerit, & alteri gratificandi, quæ pretio æstimabilis est. Less. *l. 2. de just. c. 20. n. 64.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 11. n. 2.* Card. de Lugo *tom. 2. de I. & I. D. 25. n. 45.* Pirh. *hic n. 28.*

30 2. Usura non committitur, quando nullum intervenit mutuum vel formaliter, vel virtualiter tale; quia ut *n. 28.* dixi, Usura locum duntaxat habet in mutuo. Atque hinc Usurarius non est, qui pecunias suas alicui concedit ad pompam, & ostentationem, petito certo pretio; quia hoc casu pecuniæ non mutuantur, sed locantur, in contractu autem Locationis Conductionis justè pretium, vel merces accipi, & peti à locante potest. Sylv. *V. Usura 1. q. 12.* Less. *l. 2. c. 20. n. 20.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 3. ℣. tertia particula,* Pirhing *n. 4. not. 3.* similiter Usurarius non est, qui operario, vel opifici, volenti à se mutuare pecuniam, eam tribuit eo pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat; quia idem hoc erit, acsi operario mercedem anticipatò dedisset, cons. erit contractus licitus, modò operæ non pluris æstimentur, quàm pecunia numerata. Engl *hic n. 2. ℣. notanter.* Quod multò magis verum est, si indigenti pecuniis dicas, *Nolo tibi mutuare pecunias, sed conducere operas tuas ad futuram messem;* aut rustico petenti mutuum, *His pecuniis emo à te triticum mihi tradendum, ubi messis transierit:* nam in neutro casu intervenit mutuum, modò pretium justum sit, sed in primo quidem Locatio Conductio operarum, in secundo Emptio Venditio, anticipata mercede, vel pretio. Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 309. n. 12. & seqq.* Laym. *n. 3. cit. concl. 2. ℣. porro.*

31 3 Usura non committitur, quando id, quod datur, petitur, vel accipitur ultra sortem, non datur, vel non petitur, aut accipitur, tanquam ex pacto, & Justitia debitum. Et hinc Usuram non committit mutuans, qui honorem, obsequium, donum admittit, à mutuatario sibi sponte, & ex mera liberalitate oblatum; si enim mutuatarius potest cuique alteri donare res suas, poterit etiam mutuanti, cùm quilibet sit rerum suarum moderator, & arbiter *l. in re mandata 21. C. mandat.* & mutuans ex eo, quòd beneficium præstiterit mutuatario, non debeat fieri deterioris conditionis, quàm alii. Laym. *c. 16. cit. n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 4. ℣. additum,* Engl *n. 3. pr.* König *n. 12.* Wiestner *n. 3.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 4.* Similiter Usuram non committit, qui pro mutuo à se dato accipit aliquid sibi à mutuatario oblatum ultro ad ostendendam gratitudinem suam pro beneficio mutuationis; cùm enim naturalis ratio hominibus obligationem antidoralem erga benefactores imponat, non est ratio, quare mutuans ita sibi oblatum non possit accipere. Engl *l. cit.*

32 4. Usuram non committit, qui mutuum dat, ea conditione, ut aliunde sibi ex Justitia debitum à mutuatario vicissim accipiat, ut fit, quando qui mutuum dat, ea conditione dat, ut mutuatarius sibi restituat Depositum, vel rem injustè ablatam; quia hæc exigens non imponit obligationem novam, sed solùm petit impleri jam antè contractam. Sylv. *V. Usura 1. q. 8. prop. fin.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 7. q. 15.* Molin. *D. 309. cit. n. 1.* Less. *c. 20. n. 18.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 3. §. 8. n. 2.* Vallens. *§. 1. n. 3.* Pirhing *n. 4. not. 3.* Wiestner *n. 4.* Ex eadem ratione Usurarius non est Dominus, vel Parochus, qui Colono, vel Parochiano mutuum dat frumentum pro semine, aut pecunias pro rebus ad cultu-

ram

ram agri neceſſariis, ea conditione, ut tantò diligentiùs, & ſine diminutione penſionem annuam pro locato prædio ruſtico, aut Decimas perſolvat; quia iſtæ penſiones, & Decimæ debentur ex alia cauſa, quàm ex mutuo, ſcilicet ex Contractu Locationis, & Jure Parochiali. Engl *n. 3. cit. ỳ. dico denique.* Item neque ille eſt Uſurarius ſed ſuum conſequitur, qui debitori novum mutuum præſtat eo pacto, ut id unà cum vetere debito tantò citius ſibi reſtituatur. Caniſ. *de Uſur. c. 1. n. 6.* Engl *l. cit. ỳ. item.*

33 Quæritur 2. in quibus caſibus certò committatur Uſura? R. in omnibus illis caſibus committitur certò Uſura, quando in mutuo accipitur, aut petitur aliquid ultra ſortem, tanquam ex vi mutui, & non aliunde ex Juſtitia debitum. Patet ex hactenus dictis. Conſequenter Uſurarius ex omnium ſententia eſt.

1. Qui ex vi mutui à mutuatario exigit obſequium, interceſſionem, vel commendationem apud Principem, vel alios, aut honorem externum ſibi deferendum &c. quia, licèt ipſe honor, & fama ſecundùm ſe non ſint pretio æſtimabilia, tamen pretio æſtimabilis eſt obligatio, & onus ad iſta præſtanda, impoſita mutuatario à mutuante, conſ. illa exigens jam exigit aliquid ultra ſortem. Azor *p. 3. l. 5. de Uſur. c. 7. q. 1. ỳ. ex dictis ſequitur*, Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 2. ỳ. ſecundò*, Palao *tr. 30. D. 4. p. 10. n. 2.* Pirhing *hic n. 3. not. 2.* Wieſtner *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 5.*

34 2. Qui mutuum dat eo pacto, ut mutuatarius ipſi, vel alteri procuret Officium publicum, vel Beneficium conferat, aut operâ ſuâ obtineat; quia tunc accipitur aliquid ultra ſortem, tanquam ex Juſtitia debitum: quod præſertim verum eſt, quando mutuatarius potuiſſet illud Officium vendere, aut ſibi retinere; tunc enim imponitur magnum onus novum propter mutuum: imò etſi deberet illud conferre alteri, tamen per tale pactum privatur libertate conferendi illud alteri idoneo, cui vellet, quod eſt onus pretio æſtimabile. Sylv. *V. Uſura 1. q. 18.* Molin. *tr. 2. de Juſt. D. 310. n. 13.* Leſſ. *l. 2. c. 20. n. 63.* Palao *D. 4. cit. p. 11. n. 2.* Tambur. *l. 9 de Contract. tr. 1. c. 4. §. 2. n. 4.* Pirhing *hic n. 27.* Begnudell. *V. Uſura n. 12.* Præpoſ. Friſing. *conſ. 15. n. 373. & ſeqq.*

35 3. Qui ex vi mutui exigit, ut ſibi remittatur injuria, ut ad recantationem non obligetur, ut non teneatur actione injuriarum &c. quia cùm hæc pretio æſtimabilia ſint, ea petendo iterum exigitur aliquid ultra ſortem. Molin. *D. 307. n. 6. & ſeqq.* Leſſ. *c. 20. cit. n. 48. & duob. ſeqq.* Palao *p. 10. n. 3.* Laym. *c. 16. n. 2. ỳ. quamobrem, & ỳ. ſeq.* Lugo *tom. 2. de Juſt. D. 25. ſect. 5. n. 37. & 38.* Pirhing *n. 3. not. 2. fin.* Wieſtner *n. 4.* Begnudell. *n. 12.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 9.*

4. Qui à Depoſitario aliquid exigit pro uſu pecuniæ, apud ipſum depoſitæ; nam talis conceſſio revera eſt mutuum, igitur jam exigitur aliquid ultra ſortem. Laym. *c. 16. cit. n. 5. ỳ. tertium*, Wieſtn. *l. cit.*

5. Qui mutuat alteri ea conditione, ut ille ſe obliget ad ipſi remutuandum, quando indiguerit. S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. & 4.* Sot. *l. 6. de Juſt. q. 1. art. 2. ad 1.* Covar. *l. 3. var. c. 2. n. 5.* Sylv. *V. Uſura q. 2.* Azor *p. 3. l. 5. de Uſur. c. 7. q. 1.* quia obligatio Civilis ad remutuandum eſt pecuniâ æſtimabilis. ergo qui hujusmodi obligationem deducit in pactum ex vi mutui, Uſuram committit. Verùm de hoc vide *infrà n. 44. & ſeqq.* 36

6. Qui rem aliquam emit eo pacto, ut eandem poſt tempus reſtituat venditori, recipiendo aliquid ultra ſortem *c. illo 4. de pignor.* Idem dicendum de eo, qui Societatem init, & pecuniam ea Lege confert, ut pars lucri eidem cedat, & tamen, quocunque caſu eveniente, ſors ſibi ſalva perſiſtat *l. ſi non 29. §. fin. ff. pro Socio*, König *n. 9.*

Pro quibus, & aliis caſibus ſit Regula generalis: Per omne pactum, ſeu conventionem, quâ præter ſortem propter id, quod mutuo intrinſecum, & proprium eſt, mutuatario imponitur gravamen aliud, ſeu onus quodcunque, ſive nova obligatio, ad quam aliàs non tenebatur, contractus mutui Uſurarius redditur. *Ratio eſt*, quia quando mutuatarius tantundem reddit, quantum accepit à mutuante, tum totum id, quod mutuans dedit, compenſatum eſt ad æqualitatem. ergo quidquid ampliùs exigitur, vel imponitur mutuatario ultra ſortem, injuſtè exigitur, & imponitur. Card. de Lug. *tom. 2. de Juſt. D. 25. ſect. 5. n. 36.* Pirhing *hic n. 24.* Multùm verò reſ iſta pendet ex intentione dantis, & accipientis. Et hinc 37

Quæritur 3. quomodo intendi debeat lucrum, quod ſperatur occaſione mutui, ut Contractus reddatur Uſurarius? Gloſſ. *in c. conſuluit 10. de Uſur.* Gabr. *in 4. diſt. 15. q. 11. art. 1. n. 1.* Sylv. *V. Uſura pr. q. 1.* Navar. *Man. c. 17. n. 207. & ſeqq.* Comitol. *de Uſur. 14. q. 3. c. 1. n. 13. & ſeq.* exiſtimant, tunc committi Uſuram, quando lucrum occaſione mutui intenditur principaliter; ſecus, ſi minùs principaliter. Variant tamen hi DD. in explicando, quando cenſeatur datum principaliter ob mutuum, quando minùs principaliter; nam *Gloſſ. Gabr. & Sylv.* tunc dicunt principaliter ob mutuum dari, quando aliàs dandum non eſſet, quibus videtur favere textus *c. conſuluit cit.* ubi Urbanus III. ait, 38

eum,

eum, *qui mutuam pecuniam credit, non aliàs mutuò traditurus, eo propositio, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat - - - pro intentione lucri, quàm habet, judicandum malè agere.* Contrà *Navar.* & *Comitol.* tunc principaliter intendi lucrum ex mutuo putant, quando concedens lucrum tanti illud æstimat, quanti ipsum mutuum concessum.

39 Sed dicendum, parùm interesse ad contrahendum Usuræ crimen, an lucrum occasione mutui intendatur principaliter vel minùs principaliter; potest enim mutuatarius donare mutuanti lucrum aliquod ea intentione, ut nisi speraret, mutuum se iterum accepturum, illud non fuisset daturus, & tamen illud lucrum velle gratis, spontè, & merè liberaliter dare; item potest mutuans dare mutuum, non daturus, nisi speraret, mutuatarium memorem fore obligationis suæ antidoralis: quo casu certò Usura non committitur, licèt juxta explicationem *citt.* DD. principaliter intendatur lucrum occasione mutui; quia in hoc casu lucrum non se habet ut pretium, sed ut donum gratuitum, & liberale, quod Lex Usuras prohibens nequaquam excludit.

40 Quare utendum distinctione, quâ utuntur Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 2. & art. 4. ỳ. restat autem*, Molin. *tr. 2. de Just. D. 305. n. 5. & seqq.* Petr. Navar. *de Restit. c. 1. dub. 2. n. 190.* Valent. *2. 2. D. 5. q. 21. p. 1.* Salas *tr. de Usur. dub. 5.* Rebell. *p. 2. l. 8. q. 3. & 4. per totam.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 1.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 9. n. 2.* nam si occasione mutui lucrum ultra sortem detur, & accipiatur merè gratis, & liberaliter, usura non committetur, contrà committitur, si illud datur, vel comparatur tanquam ex mutuo strictè debitum.

41 *Proceditque hoc*, ut Usura non sit, etiamsi lucrum ejusmodi, vel commodum ex mutuo speretur, vel intendatur tanquam finis principalis, propter quem mutuum datur, ita, ut nisi mutuans sperare tale lucrum, aut commodum, non fuisset mutuaturus, modò illud non speret, aut intendat, tanquam premium mutui, & ex mutuo strictè debitum, ut cum *citt.* docent Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 16. q. 3.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 39.* Lugo *tom. 2. de Just. D. 25. sect. 4. n. 28.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 3. §. 1. n. 1.* Pirh. *hic n. 133.*

42 Ratio est 1. quia Usuræ malitia in eo consistit, quòd aliquid desideretur, vel speretur, & accipiatur, tanquam pretium, & ex Justitia debitum pro mutuo, quod tamen naturâ suâ gratuitum esse debet. hoc non fit in casu, quo aliquid speratur, intenditur, vel accipitur occasione mutui, tanquam datum, vel dandum merè gratis, & liberaliter. 2. licitum est per alia beneficia intendere sibi conciliare gratiam, & benevolentiam alicujus, ut is viciſſim gratum, & liberalem se exhibeat. ergo etiam licitum est sperare, & intendere per mutuum datum. 3. Usura non committitur sine injustitia, per quam injuria infertur mutuatario, qui nollet aliquid dare ultra sortem, si mutuans sine illo incremento dare vellet; ac proinde mixtè involuntariè dat, at quod datur, & accipitur ex gratitudine, & liberalitate, omnino voluntariè datur sine admixtione ullius involuntarii. ergo &c.

Atque hinc Usurarius non est, nec 43
pœnas Usurariorum incurrit, qui mutuum, ut ultra sortem consequatur amicitiam, vel benevolentiam mutuatarii; quia amicitia, & favor non censetur esse pretio æstimabilis, si non ex obligatione Justitiæ, sed gratis, ac voluntariè, seu liberè exhibeatur. Sylv. *V. Usura 1. q. 5.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 7. q. 13.* Less. *c. 20. n. 18.* Laym. *c. 16. n. 2. ỳ. secundò*, Pirh. *hic n. 3. not. 2.* Præpositi. Frising. *cons. 15. n. 354.* cum cæteris.

Quæritur 4. an ab Usuræ labe absolvi 44
possit pactum, quo quis pecuniam mutuam dat ea lege, ut mutuatarius eidem remutuet, pro eo fidejubeat, scholas ejus frequentet, ædes ipsius conducat, vel suas locet prædium justo pretio vendat, panem, vinum, aut merces ex officina, vel taberna illius emat, ad molendinum, & furnos ejusdem frumentum molendum, & panes coquendos deferat &c. Absolvunt illum ab Usuraria iniquitate. Angel. *V. Usura 1. §. 5.* Rosell. *V. cod. n. 11.* Adrian. *in 4. q. sed dubium videtur. §. juxta prædicta*, Gabr. *in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 1.* Major *ead. dist. q. 29.* cum quibusdam aliis antiquioribus.

Sed distinguendum est, an ista pe- 45
tantur ut pretium pro mutuo, an verò tanquam mera conditio, cum qua ista petens vult mutuare, & sine qua non vult mutuare. *Si primum*, ista petens pro Usurario habendus est. Ita S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.* Sylv. *V. Usura 1. q. 7.* Abb. *in c. fin. h. tit. n. 17.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 7. q. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 3.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 11. n. 2.* Tambur. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. n. 8. fin.* Pirhing *hic n. 26. not. 1. & n. 30.* Wiestner *n. 43.* Reiffenstuel *n. 5. & n. 93.* Ratio est, quia ultra obligationem reddendæ sortis imponit mutuatario onus pretio æstimabile, & libertatem aufert frequentandi scholam, tabernam, molendinum, officinam &c. quam vult.

Si secundum, & prædicta solùm pe- 46
tantur ut conditio mera, ista petens, & sub tali conditione mutuans non committit Usuram. Molin. *tr. 2. de Just. D. 308. n. 7.*

Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 3. dict. 1.* Lugo *tom. 2. D. 25. sect. 5. n. 52.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 11. n. 3.* Pirh. *n. 26. not. 2. & n. 30.* Ratio est, quia meritò negatur ei beneficium mutui, quod petit, qui in præsenti non vult vicissim dare mutuum, vel aliud beneficium præstare, quod ab ipso petitur, & quod ipse posset præstare; ostendit enim se esse ingratum, & indignum hoc beneficio mutui. Et ex hac ratione 1. Usura non est, quando rogatus de dando mutuo recusat hoc ei dare, qui rogatus, ut pro se fidejubeat, id recusavit. Pirhing *n. 30. cit.*

47 2. Licèt usuram committat, qui pro præsente mutuo Mutuatario imponit obligationem mutuandi in futurum, sine periculo tamen Usuræ pro mutuo aliud mutuum in præsenti quis exigit à mutuatario, e. g. dicens, *Si vis à me mutuas obtinere pecunias, oportet te quoque mihi mutuare triticum, vel vinum.* *Ratio disparitatis* est, quia quando pro præsente mutuo imponitur mutuatario obligatio mutandi in futurum, exigitur obligatio civilis ad vicissim mutuandum, quæ est pretio æstimabilis; at quando pro mutuo aliud mutuum in præsenti exigitur, nulla exigitur obligatio pretio æstimabilis ultra sortem, sed solùm exigitur mutuum, pro quo mutuans nihil potest ultra sortem exigere. Molin. *n. 7. cit.* Pirhing *n. 26. not. 3.*

48 3. Non est illicitum contractui mutui in futurum celebrando præponere quasdam obligationes, seu onera accidentaria vicissim præstanda, modò ea utrinque sint æqualia, ut: *Obligo me ad mutuandum tibi pecunias, si vicissim te obliges ad mutuandum mihi triticum*; quia licèt pro ipso actu mutuandi non possit exigi obligatio reddendi aliquid ultra sortem, pro obligatione tamen mutuandi in se susceptâ, quæ & ipsa pretio æstimabilis est, licitum est vicissim exigere talem obligationem; quia est æqualis utrinque contractus, & onerum paritas; prout requiritur, ut sit justa conventio. Molin. *n. 7. cit. fin.* Less. *c. 20. n. 61.* Laym. *c. 16. n. 3. dict. 3.* Pirhing *n. 26. not. 4.*

49 Porro quando pro mutuo præsenti usurariè imposita est mutuatario obligatio remutuandi, vendendi, aut locandi prædium, aut simile aliquod gravamen, vel onus, interest, an onus istud, & gravamen jàm sit præstitum, an verò non. *Si nondum est præstitum*, ad aliud is, qui sub tali gravamine mutuavit, non tenetur, quàm ut obligationem illam, seu gravamen remittat, ita, ut liberum sit mutuatario solùm ex gratitudine tale beneficium præstare, si velit. *Si præstitum illud jam est*, tenetur mutuans ipsi gravato restituere, quantum ejus interest, sive quanti prudentis arbitrio gravamen illud æstimari poterat, nisi is talem restitutionem remittat. Laym. *c. 16. n. 3. dict. 2.* Lugo *sect. 5. cit. n. 50.* Pirhing *n. 26. not. 1.*

Quæritur 5. an ab Usurariæ iniquitate absolvi mutuans possit, qui prædictâ sibi præstari petit benevolentiæ, vel gratitudinis titulo? R. interesse, an ea petat sibi præstari liberè, an vi pactionis ut debitum. *Si hoc secundum*, talis petitio habenda est pro Usurariâ. Sylv. *V. Usura 1. q. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 4. v. sed quæstio est*, Tambur. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. n. 8.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 11. n. 3.* König *hic n. 12.* Reiffenstuel *ibid. n. 92.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 5. & 6.* & patet ex Decreto *Innocentii IX. edito 2 Mart. 1679.* ubi damnatis Propositionibus *n. 42.* accensetur doctrina eorum, qui dicebant, quòd *Usura non fit, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum.* *Ratio est*, quia pacisci propriè, & obligationem Justitiæ inducere nequeunt separari. est autem manifestè usurarium petere aliquid ultra sortem, tanquam ex Justitia debitum. ergo &c. Et hinc in Jure Bavarico Landts- und Policey-Ordnung *l. 2. tit. 1. art. 2. §.* Weiter / inter alios pro Usurario habetur, qui præter consuetum Censum, seu Interesse petit aliam pecuniam sibi à mutuatario solvi gratitudinis ergò, vulgò ein Dienstgeld.

50 *Si primum*, & prædicta mutuans à mutuatario petat sibi præstari liberè, quam vis petitiones istæ admodum periculosæ, & propterea dissuadendæ sint, eas tamen in rigore ab Usurariâ iniquitate absolvunt Laym. *l. cit.* Tambur. *l. cit.* Palao *n. 1.* Reiffenstuel *n. 96.* *Ratio*, quare dissuadendæ sint, est, quia Antidoralis obligatio non dirigitur ad determinatum aliquem gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere: conf. qui petit sibi prædictorum aliquod præstari à mutuatario, jam petit aliquid, ob quod iste ex gratitudine non obligatur.

51 Præsertim verò magnum Usuræ saltem mentalis, periculum incurrit ille, qui liberalitatem, & gratitudinem propter mutuum non tam exspectat, quàm extorquet, & indigentibus hominibus non aliter mutuat pecunias, quàm sub spe, promissione, vel etiam exactione largæ remunerationis; quia talis exactio videtur æquivalere pacto saltem tacito: & Usura principaliter prohibita est ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento quælibet pacta etiam facilè ineunt. est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias mutuas aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti, non sine damno suarum facultatum. Vide P. Engl *hic n. 3.*

Quæ-

Quæritur 6. an Usuræ condemnari 51
possit Contractus, quo res, cujus pretium summum sunt 100. ob dilatam solutionem venditur pretio majori v. g. pro 110. Videtur hac labe immunis esse ob textum *c. in civitate 6. h. tit.* ubi Alexander III. rescribit, contractum hujusmodi ex tali forma non posse censeri nomine Usurarum. *Conf.* quia Usura non nisi in mutuo exercetur, cùm sit lucrum ex mutuo proveniens, ut dictum est *n. 1.*

Sed distinguendum est, an dubium 54
sit, quòd res tempore solutionis faciendæ plus valitura sit, an verò sperari nequeat augendum ejusdem pretium. *Si primum*, & Venditor eam rem antè non erat distracturus, tam ab Usura, quàm ab Injustitiæ peccato tale pactum immune est, ut notat Vivian. *in c. 6. cit. pr.* Begnudell. *V. Usura n. 11.* Valiens. §. *1. n. 4. ỳ. dictum.* Engl *hic n. 20.* cum aliis: quod etiam insinuatur *c. in civitate cit.* & expressè traditur *c. fin. ỳ. ille quoque h. tit.* Ratio est, quia eo casu tam emptor, quàm venditor æqualiter commodum, vel incommodum exspectant, & dubius eventus auctioris, vel diminutioris pretii utrique emolumento, vel damno esse potest. Sunt tamen hujusmodi venditiones periculosæ, ideóque Pontifex in *c. in civitate cit.* suadet, ut ab ijs abstineatur; qui aliquando aliqui dicunt se dubitare, ubi non est dubitandum, & in dubio, an Contractus contineat peccatum, necne, tutius est abstinere. Gloss. *ibid. V. nisi dubium*, Abb. *ibid. n. 4.* Sylv. *V. Usura 2. q. 2. dict. 4.* Pirhing *hic n. 63. ỳ. addendum 2.*

Si secundum, & nullus adsit alius ti- 55
tulus exigendi majoris pretii, Venditor in foro externo quidem, si de Usuraria intentione aliunde non constet, tanquam Usurarius non condemnabitur, in foro tamen interno reus Usuræ erit, ut probè agnovit Urbanus III. *c. consuluit 10. h. tit.* & cum *citt.* notant Host. *in c. in civitate cit. V. nomine Usurarum*, Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 21. & 22.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 5. ỳ. secundò dividitur.* Fagnan. *in c. in civitate cit. n. 3. & seqq.* Gonzal. *ibid. n. 6.* Pirhing *hic n. 4. not. 4. & n. 59. & seqq.* König *n. 9.* Reiffenstuel *n. 97.* Ratio est, quia solutionis prorogatio est mutuum implicitum, & interpretativum; nam perinde est, acsi venditor recepisset pretium rei venditæ, & hoc deinde credidisset emptori cum pacto, ut post annum præter credita reddat dena alia.

Addidi, *Et nullus adsit alius titulus* 56
&c. nam siquis cariùs vendat frumentum, vel rem aliam creditò, sive dilata solutione pretij, quàm aliàs præsenti pecuniâ vendidisset, ratione damni, quòd aliàs passurus, vel lucri, quod amissurus esset ob dilatam solutionem pretij, vel ratione laboris expensarum, aut difficultatum, quas probabiliter subiturus esset, excusatur ab Usura, etiam in foro conscientiæ. Fagnan. *l. cit. n. 12. fin.* Pirhing *n. 63. ỳ. addendum tertiò.*

Quæritur 7. quid dicendum de Con- 57
tractu, quo res, cujus pretium infimum sunt 100. ob anticipatam solutionem emitur minoris v. g. pro 90. ℟. de hoc idem ferè dicendum, quod de Contractu, examinato in *quæst. præced.* Nam *si dubium sit*, an res, quæ præsenti pecuniâ minori pretio emitur, quia venditor differt traditionem rei emptæ, plus, vel minus valitura sit tempore traditionis, Usura non committitur ex ratione assignata *n. 54.* Abb. *in c. fin. h. tit. n. 6.* Pirhing *hic n. 64.* idque propter naturam correlativorum, in quibus, quod dispositum est de uno, etiam de altero dispositum esse censetur. Caniz. *de Usur. c. 3. n. 4. fin.*

Si verò constet, postea idem fore 58
pretium, & nullus damni emergentis, lucri cessantis, vel alius justus absit, sub hoc contractu Usura palliata latet; idem enim erit, acsi emptor venditori mutuos dedisset 90. eo pacto, ut his cum auctario post annum receptis, res emeretur pro 100. Sylv. *V. Usura 2. q. 1. dict. 3.* Abb. *in c. fin. h. tit. n. 6.* Caniz. *de Usur. c. 4. n. 3. fin.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 5. ỳ. alterum.* Vallens. *hic* §. *1. n. 4. ỳ. dictum.* Pirhing *n. 64.* Wiestner *n. 51.*

Dixi, *Usura palliata*; vestitur enim 59
sub forma Emptionis Venditionis: & hinc neque iste Contractus in foro externo facilè condemnari de Usura potest, nisi de Usuraria intentione aliunde v. g. per scripturam, vel confessionem ipsius Venditoris, aut Emptoris constet, Fagnan. *l. cit. n. 9. cum alijs suprà.*

Quæritur 8. an Usurarius sit Contra- 60
ctus, quo frumentum, aut vinum mutuò datur in autumno, ea lege, ut tantundem restituatur in vere, vel ut solvatur pretium, quo constituta sunt tempore verno? ℟. cum distinctione. Vel enim incertum est, an hoc tempore frumenti aut vini pretium futurum sit idem, an verò sit certum, vel probabiliùs, valorem ejus augendum.

Si primum, contractus talis nec Usu- 61
rarius, nec injustus est, ut apertè decisum est *c. fin. ỳ. ille quoque h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. dubitatur.* Sylv. *V. Usura 1. q. 14.* Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 2. fin.* Navar. *Man. c. 17. n. 219. & 225.* Yolet *l. 5. c. 34.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 7. q. 5.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 311. n. 1.* Less. *tr. 2. de Just. c. 20. n. 145.* Salas *tr. de Usur. dub. 24. n. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 14.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 13. n. 2.* Card. de Lugo *tom. 2. de Just. D. 25. sect. 7. n. 112.* Pirhing *hic n. 54. ỳ. in hoc, & n. 62. fin.*

Wiestner *n. 53.* Reiffenstuel *n. 99. Ratio est*, quia cùm periculum jacturæ, & lucri spes apud utrumque contrahentem sit idem, nulla apparet in Contractu hoc inæqualitas.

62 *Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an creditor frumentum, aut vinum mutuò datum servaturus fuisset in tempus vernum, an non. *Si prius*, Contractum istum ab Usura absolvunt *l. citt.* Navar. *n. 219.* Azor. *q. 5.* Molin. *n. 3.* Less. *n. 152.* Laym. *n. 14. ℣. excipe*, Palao *n. 3.* Lugo *n. 133.* Pirhing *n. 54. ℣. certum est secundò*, & *n. 57.* Wiestner *n. 54.* Reiffenstuel *n. 100. & 101.* & hoc ob lucrum cessans, quod habiturus fuisset, si, ut constituerat, frumentum, aut vinum servâsset. Deducere tamen debebit æstimationem laboris, ac sumptuum, quos facere debuisset in custodiam, vecturas &c. ejusdem. Laym. *l. cit.* Pirhing *n. 57.* Wiestn. *n. 45.*

63 *Si posterius*, contractus talis Usurarius erit, ut contra Abbat. *in c. in civitate cit. n. 20.* Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 2. ant. solut. arg.* Navar. *Man. c. 17. n. 225.* Toler. *l. 5. c. 34. n. 3. & seq.* Garc. *de contract. p. 1. c. 7. & alios* verius, & probabiliùs docet Navar. *l. cit. n. 219.* sibi contrarius, Molin. *n. 4.* Less. *n. 152.* Laym. *n. 14. & 15.* Palao *n. 5.* Lug. *n. 118.* Pirhing *n. 57.* Wiestner *n. 55.* Reiffenstuel *n. 100.* Ratio est, quia tali casu exigitur aliquid ultrà sortem, scilicet excessus pretii, quem res habebit tempore verno.

64 Quæritur 9. an sit Usura vetus triticum mutare cum pacto, ut postea reddatur novum? ℟. si vetus nunc tantum valeat, quantum postea valebit novum, vel speratur valiturum, non est Usura mutuare cum tali pacto, esto, hoc cedat in commodum mutuantis, quòd novum facilius conservari, quàm vetus possit. Sylv. *V. Usura 1. q. 17.* Navar. *Man. c. 27. n. 224.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 7. q. 10.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 311. n. 8.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 13. n. 10.* Lugo *tom. 2. de Just. D. 25. sect. 7. n. 117.* Pirhing *hic n. 56. ℣. quintò.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 388. Ratio est*, quia talis contractus quoad valorem est æqualis, neque illicitum est ex mutuo capere commodum, si id fiat sine injuria, & damno mutuatarii.

65 *Secus est*, si triticum vetus, quia scilicet semicorruptum est, minùs valeat, quàm postea valiturum sit novum, & mutuatarius ob necessitatem, vel aliam similem causam vetus triticum accipiat cum pacto reddendi novum; tunc enim Usura committitur, & tenetur mutuans mutuatario restituere augmentum illud valoris novi tritici, nisi mutuatarius ex mera sua liberalitate vellet beneficium istud mutuanti rependere, quod non est præsumendum. Ita *citt.* Ratio est, quia tantundem excedit sortem; cons. hoc casu ex vi mutui jam aliquid supra sortem acciperetur.

66 Quæritur 10. utrùm mutuans, certò, vel probabiliter prævidens, triticum, vel vinum postea minus valiturum, licitè, & sine usura pacisci possit, ut, postquam diminutio hæc pretii evenerit, mutuatarius ei plures scaphas tritici, aut vini urnas sibi reddat, usque dum adæquent valorem tritici, aut vini præsentem? ℟. affirmativè: idque verum est, sive mutuans id, quod dat, aliàs venditurus, aut consumpturus fuisset, sive servaturus in tempus, quo decresceret pretium. Ita Molin. *tr. 2. D. 311. n. 7.* Less. *tr. 2. c. 20. n. 146.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 13. n. 9.* Lugo *D. 25. cit. sect. 7. n. 114.* Pirhing *n. 52. ℣. certùm videtur tertiò.* Præpos. Frising *cons. 15. n. 386.*

67 *Neque obstat*, quòd in hoc casu mutuans plus recipiat, quàm dederit, e. g. quatuor frumenti scaphas, aut vini urnas, cùm tantùm dederit duas; quia solùm materialiter plus accipit, non autem formaliter, quòd ex hypothesi tantum tunc valeant quatuor scaphæ, aut urnæ, quantum antea, cùm mutuum datum est, valebant duæ: ex quo patet, nihil accipi ultra sortem, sed potiùs à mutuante provideri, ut fors integra sibi reddatur. *Conf.* potest quis vendere suum triticum pretio nunc currente, eo pacto, ut solutio pretii fiat tempore, quo triticum minus valebit. ergo poterit etiam mutuari ea lege, ut reddatur triticum in ea quantitate, in qua æquabit pretium ejus nunc currens. Ponitur autem pretium quatuor scapharum tempore solutionis æquare pretium duarum scapharum tempore mutuationis, ergo poterunt tunc quatuor scaphæ peti pro duabus nunc mutuatis.

68 *Ex quo sequitur*, Contractum hunc ex parte esse Mutuum, ex parte non esse. Non est propriè mutuum, si nomine mutui intelligatur obligatio reddendi tantundem in eadem specie; quia redditur plus, sed in eodem pretio, & valore: ac proinde erit potiùs Contractus innominatus ex mutuo imperfecto, & inchoata permutatione. Mutuum verò erit, si per hoc intelligatur obligatio reddendi in specie, & in eadem quantitate formali, seu pretio, & æstimatione, quamvis quantitas materialis, seu mensura sit major. Lugo *n. 115.* Pirhing *n. 55.*

69 Porrò ut licitè ineatur talis contractus, duo sunt observanda. 1. ut sicut mutuans plures mensuras recipit, quàm dedit, si valor tritici decrevit, ita contrà, si valor crevit, pauciores recipiat; alioquin

quin in tali contractu non servaretur æqualitas. Lug. Pirh. *l. citt.* 2. ut liberum sit mutuatario reddere mutuum etiam antè, quàm pretium tritici creverit, vel decreverit; aliàs imponeretur obligatio pretio æstimabilis, si teneretur exspectare variationem pretii. Lug. *n. 116.* Pirhing *n. 56.*

Quæritur 11. ad quid reddendum 70
obligetur mutuatarius, quando inter ipsum, & mutuantem non est expressè conventum, ut restitutio fieri debeat in eadem mensura, an verò in eodem valore, & pretio? R. distinguendo: Vel enim tempore contractûs nondum prævidebatur postea augendum pretium, aut minuendum, vel hoc prævidebatur. *Si primum*, præsumitur intentio contrahentium fuisse, ut juxta naturam, & conditionem mutui res mutuata reddatur in eadem specie, mensura, ac bonitate, sive pretium postea creverit, sive decreverit, prout supponi videtur *l. vinum 22. ff. de reb. credit.* Lug. *D. 25. cit. sect. 7. n. 122.* Pirh. *hic n. 58.*

Si secundum, Lugo *l. cit. n. 123.* pu- 17
tat iterum distinguendum. Nam si prævisum fuit, quòd postea decresceret pretium, seu valor rei mutuatæ cum damno solius mutuantis: & tunc satis est, si mutuatarius reddat triticum v. g. in æquali mensura, seu quantitate, & bonitate, in qua accepit; quia mutuans, si aliud non expressit, censetur voluisse mutuare juxta naturam puri mutui, & decrementum valoris liberè condonâsse. *Si verò vice versa* prævisum fuit, quòd pretium tritici tempore solutionis crescet, non debet regulariter mutuatarius obligari ad reddendum in eadem mensura, sed satisfaciet, si reddat in minore, & tanta, quæ æquet valorem tritici, quem hoc habebat mutui accepti tempore. *Ratio est*, quia mutuans, si prævidit augmentum pretii, non potuit licitè exigere, ut triticum reddatur in eadem mensura, ut dictum est *n. 53.* & esto, quòd mutuans illicitè voluisset, ut redderetur in eadem mensura; tamen mutuatarius ad id non teneretur, sed potest petere, ut contractus talis injustus reducatur ad æqualitatem; rejecto onere illo, quod illicitè ipsi ex vi mutui imponi non potuit.

Quæritur 12. an Chirographa; & 72
debita immatura emi sine Usura possint minore pretio, quàm sit summa debita? R. hanc Quæstionem examinavi *Libr. 3. Tit. 17. n. 110.* & 111. ubi usus sum distinctione: Vel enim debitum, quod venditur, dubium est; aut tale, quod sine lite, difficultate, molestiis, expensis obtineri non potest; vel contrà est liquidum, & periculo molestiâ, difficultate, lucro cessante &c. caret. *Si posterius*, non potest minoris emi; quia debitum liquidum 1000. fl. non valet minus, quàm 1000. cùm sola dilatio, nulli periculo conjuncta, valorem non minuat. igitur si pro eo non dantur 1000. sed 900. vel 905. jam pretium est inæquale, & injustum: consequenter committitur Usura palliata, cùm idem sit, acsi emptori venditor credidisset 900. recepturus ab eo 1000. Reiffenstuel *hic n. 105.*

Si prius, hujusmodi Chirographa, 73
& debita emi minoris possunt; quia ob incommoda enarrata etiam minoris æstimantur, quòd in æstimationem Chirographi etiam ipsa veniant. Reiffenstuel *n. 102. Procedítque* hoc probabiliùs etiam casu, quo solus venditor difficultatem hujusmodi, & molestias in obtinendo debito, & solutione ejusdem sentit, Emptor verò talis debiti illud facillimè, & sine ullis expensis integrum possit acquirere, quòd apud debitorem, v. g. Principem, vel Magnatem in speciali sit gratia, vel magnâ apud ipsum merita habeat, vel aliàs extraordinariâ industriâ acquirendi polleat &c. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 361. n. 10.* Less. *l. 2. de Just. c. 21. n. 76.* Reiffenstuel *hic n. 104.* Ratio est, quia debiti valor non ex statu, & qualitate emptoris, sed ex communi æstimatione desumendus est. secundùm communem æstimationem autem, & seclusâ gratiâ, seu favore Principis debitoris debitum hujusmodi minùs valet. ergo &c.

Excipitur, si debitor sit Princeps, & 74
emptor Chirographi sit Præfectus ærarii, Principis, aut alius Officialis, cujus officium est ex ipsius ærario præstare solutionem; tunc enim Emptio Usuraria, aut saltem injusta esset ferè, sicut esset, si ab ipso Principe pro 100. solvendis post annum, anticipatò solverentur tantùm 90. Molin. *tr. 2. D. 361. n. 11.* Salas *de Usur. dub. 27. n. 8.* Less. *c. 21. n. 78.* Wiestner *hic n. 57.* Reiffenstuel *ibid. n. 105.*

Quæritur 13. an Usurarium sit *Pa-* 75
ctum Anticreseos, vi cujus creditor rei fructiferæ, v. g. prædii sibi oppignorati fructus lucratur, & nihilominus sortem integram recipit. R. affirmativè. Ita Abb. *in c. 1. n. 2. h. tit.* Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 3.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 17.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 6. § 1. n. 1.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 9. §. 1. pr.* Carpzov. *pract. crim. q. 92. n. 68. & 69.* Canis. *de Usur. c. 5. n. 15.* Vivian. *in c. 1. h. tit. & in c. 8. eod. pr.* Begnudell. *V. Usura n. 13.* Præposit. Frising. *cons. 15. n. 404.* Vallens. *hic §. 1. n. 3. fin.* Engl *n. 17.* Reiffenstuel *n. 109.* Patet ex *c. cùm contra 6. de Pignor. c. plures 1. c. quoniam 2. c. conquestus 8. h. tit.* secundùm quos textus ejusmodi fructus, deductis tamen expensis, & æstimatione laboris, imputandi in sortem sunt: imò si debitum adæquent, debitum omnino extinguitur, prout dictum est *Libr. 3. tit. 21. n. 39.*

76 *Ratio verò* quòd hoc modo Usura committatur, est, quia Usura committitur non solùm, quando expressè aliquid ex vi mutui quotannis ultra sortem datur, sed etiam quando sub pallio alterius Contractûs, vel Pacti aliquid æstimabile pretio ob dilatam solutionem accedit sorti, quidquid illud sit, sive fructus, sive res alia, ut pensio ex domo. Ita autem accedunt sorti fructus rei oppignoratæ, nisi in sortem computentur. ergo debent computari in sortem vel restitui debitori, ne committatur usura. Pirhing *hic n. 86. not. 1. & n. 98. pr.* Juri Canonico concordat Jus Civile *l. fructus 1. & duab. seqq.* ubi Imperatores clarè constituunt, ut fructus pignoris in sortem imputentûr.

77 *Dubium est*, an pignoris fructus percipi à creditore etiam nequeant in favorem piæ causæ? Affirmativa videtur colligi ex *c. conquestus 8. h. tit.* & *c. insinuatione 1. de Feud.* ubi statuitur, quòd Ecclesia lucretur fructus feudi, pro mutuo sibi oppignorati à Vasallo. *Conf.* causæ piæ non minùs favorabiles sunt, quàm causa Dotis. atqui maritus non tenetur computare in sortem fructus possessionum sibi oppignoratarum pro Dote nondum soluta, ut patet ex *c. salubriter 16. h. tit.* ergo &c.

78 Sed tenenda est negativa cum Covar. *l. 3. var. c. 1. n. 8.* Tholos. *l. 2. de Usur. c. 8. à n. 16.* Gonzal. *in c. super eo 4. h. tit. n. 4.* Wiesln. *hic n. 47.* Reiffenstuel *ibid. n. 116.* Patet ex dictis *n. 7. & seqq.* ubi ostensum est, quòd Usuræ repugnent Juri naturali, & Divino: conf. neque intuitu causæ piæ licitæ fieri possunt, ut colligitur ex *c. super eo cit.* & ratione, quia non facienda mala, ut eveniant bona, neque eleemosynæ largiendæ de fœnore, & Usuris *can. non est putanda 27. caus. 1. q. 1.* & *can. nolite 1. caus. 14. q. 5.*

79 Ad Argumentum, in contrarium allatum, dico, id speciale esse in Feudo, quòd dominus Feudi, sibi à Vasallo oppignorati, fructus non teneatur computare in sortem, si interea non præstentur à Vasallo servitia ratione illius debita, ut dictum est *Libr. 3. Tit. 21. n. 4.* *Ad Conf.* possessionum, pro Dote sibi oppignoratarum, fructus in sortem maritus non computat, quia quamdiu Dos non solvitur, jus habet exigendi aliquid æquivalens, ex cujus fructibus onera Matrimonii sustineat toto tempore, quo caret Dote, quod ex dispositione *c. salubriter cit.* sunt fructus provenientes ex pignore.

80 Quæritur 14. an Usuraria iniquitate careant *Montes Pietatis?* Montes Pietatis dicuntur æraria, aut granaria, piorum hominum liberalitate constituta, ad sublevandas necessitates indigentium, quibus ex his certa quantitas pecuniæ, aut frumenti, receptis pignoribus, concedi mutuò solet, ea lege, ut si præfixo tempore debitum non solvant, vendantur pignora, & ex eorum pretio Mons pietatis sortem creditam, & modicum quid ultra sortem recipiat, residuum verò reddatur debitori. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 8. pr.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 11.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 3. §. 9. n. 1.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 12. pr.* Engl *hic n. 15. q. 3.* Pirhing *n. 99.* Reiffenstuel *n. 119.* Vocantur *Montes*; quia ibidem pauperes, quasi in monte, refugium quærunt, ne à fœneratoribus, aut creditoribus opprimantur. Titulum *Pietatis* assumpserunt indè, quòd opus maximè pium reputetur, pauperibus, in necessitate constitutis, subvenire. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 115.*

Acriter in hos Montes invehitur cum aliis Acatholicis Carpzov. *pract. crim. q. 92. à n. 4.* & improbant illos etiam ex Catholicis Cajet. *in Comment. de Mont. Piet. c. 1.* & Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 6.* existimantes, modum hunc mutuandi ab Usuraria labe excusari non posse, ex ratione, quòd non adsit ullus titulus, vi cujus ultra sortem aliquid, etiam modicum, accipi, vel peti possit. 81

Sed negandum est, quòd quidquam Usurariæ iniquitatis contineant. Ita Navar. *Man. c. 17. n. 123.* Tolet. *l. 5. Summ. c. 38.* Valent. *2. 2. D. 5. q. 23. p. 4. fin.* Azor *c. 8. cit. ¶. Secunda opinio.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 325. n. 3.* Laym. *c. 16. n. 11.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 24. n. 2.* Tambur. *§. 9. cit. n. 2.* Wading. *dub. 12. n. 1.* Haun. *tom. 3. de I. & I. tr. 9. n. 439.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 433.* Pirhing *hic n. 106.* Engl *n. 16.* Wieltner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 121. & seqq.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 117.* Nam 1. Montes istos licitos esse, & ab omni Usura immunes, definitum est sub Leone X. *in Concil. Later. sess. 10.* 2. idem senserunt Summi Pontifices Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Julius II. 3. accedit *Trid.* quod *sess. 22. c. 1. 9. & 10.* Montes istos inter opera pietatis recenset.

82 *Ratio est*, quia quod ultra sortem exigitur, non exigitur vi mutui, sed ob alios titulos, quorum complures DD. afferunt. Præcipui apud Wading. *dub. 12. n. 3.* tres sunt. 1. obligatio, quam habent Præfecti Montis, dandi cuilibet de communitate mutuum, quoties petierint, ac propterea habendi semper paratam pecuniam, quæ obligationes sunt magno pretio æstimabiles, ut adeò nemo gratis illas teneatur subire. 2. labor, & sollicitudo in custodiendis pignoribus, quæ si perierint, aut deteriora fiant culpâ etiam levi detentoris, Præfectis Montium pereunt, & ipsi tenentur de suo reparare debitori omne damnum, quod incurrit ex Pignore

gnore sive perdito; sive deteriorato: & proinde Præfectus Montis non solùm tenetur satis munire domum contra casus fortuitos, sed etiam pignora; cùm omnis generis acceptentur, sæpè explicare, purgare &c. quæ iterum magni laboris, & curæ sunt; cons. gratis ad illa nemo tenetur. Quare cùm hujusmodi Præfecti, & Ministri ipsorum laborent in utilitatem Mutuatariorum, meritò ab istis petitur, ut ad ipsos sustentandos succurrant. Id ergo, quod ultra sortem exigitur, exigitur in illorum justum salarium; cons. non deest titulus. Et sic patet Responsio ad Argumentum contrarium.

84 Quæritur 15. quid sit *Cambium*, & an Campsores, dum occasione Cambii lucrum faciunt, de Usura sint condemnandi? ℟. *Cambium* est negotiatio, quâ pecunia pro pecunia cum moderato lucro permutatur. Quod duplici modo fieri solet: *uno* quando Mercatori, sive Campsori pecunia unius formæ, & materiæ, v. g. sestertii pro alterius formæ, aut materiæ e. g. pro aureis nummis numeratur: quod Cambium *Reale*, vel *Manuale* dicitur. *Altero*, quando Campsori pecunia in uno loco, e. g. Ingolstadii numeratur, ut reddatur v. g. Romæ, aut Viennæ; vel quando à Campsore pecunia hic accipitur, ut ei, vel negotiorum ipsius gestori restituatur alibi: quod Cambium *Locale*, & quia ordinariè per Litteras fit, per quas Campsor suo Correspondenti mandat, ut Campsario certam pecuniæ summam, quam iste Campsori solvit, alibi numeret, vel eidem jam numeratæ solutionem accipiat, *Cambium per Litteras* appellatur, eâque usu receptissimum cum magna utilitate itinerantium, ne pecunias magno incommodo, & periculo suo secum deferre cogantur. Sylv. *V. Usura 4. q. 6.* Covar. *de vet. numm. collat. c. 7. n. 4.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 398. à n. 4.* Engl *hic n. 24. ℣. est autem.* König *n. 10.* Wiestner *n. 58.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 83. & 84.*

85 Hoc lucri genus DD. quidam retulerunt inter Usuras. Sed melius ab hac labe illud absolvunt, Sylv. *V. Usura 4. q. 7. & 8.* Navar. *Man. c. 17. à n. 282. & l. 3. cons. 3. n. 2. & 3. de Empt. & Vendit.* Molin. *D. 399. n. 1. & seqq.* Leff. *l. 2. de Just. c. 23. à n. 7.* Lym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 12. fin. & c. 19. n. 3. & 6.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 449. & seqq.* Pirhing *hic n. 53.* Engl *n. 24.* König *n. 10.* Wiestner *n. 58.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 89.* nec immeritò, cùm non desint tituli, ob quos ultra pecuniam permutatam tali casu aliquid exigi possit.

Talis autem titulus in Campsoribus, 84
publica authoritate constitutis, est obligatio comparandi, & paratam semper habendi pecuniam sortis diversissimæ; in aliis, qui proprio motu talem negotiationem suscipiunt, est. 1. lucrum ex aurea, vel argentea moneta expensa cessans, vel damnum inde emergens. 2. commoditas negotiationis, quam habet una pecunia e. g. aurea præ alia, quòd faciliùs deferatur aliò, alibi pluris valeat, & quævis res eâ facilè comparentur. 3. labor in pecuniis numerandis, in scribendis litteris, in Rationibus faciendis. 4. sumptus faciendi in famulos peritos, & impensæ, ac pericula in pecuniæ ex uno loco in alium trajectione. 5. æstimatio unius pecuniæ præ alia ob ejus raritatem, antiquitatem, puritatem &c.

Quæritur 16. an Usuram sapiant, qui 87
Ollam, ut dicunt, *fortunæ* exponunt, cujus ea Lex est, ut quot quis v. g. denarios numerat ejus domino, tot ex ea schedas, & quod eis descriptum est, tollat, sorte omnino incerta, támque varia, ut aliquando, qui schedam unicam pro unico denario accepit, scyphum aureum, vel aliam pretiosam mercem reportet; contrà, qui pro 100. denariis totidem schedas extraxit, præter risum, & ludibrium nihil referat.

Videtur hoc pactum, si non propter 88
intentionem lucri ultra sortem capiendi usurarium, saltem ob similitudinem cum lusu alearum, & inæqualitatem inter pecuniam collatam, & rem extractam illicitum, & injustum esse. Sed immeritò: quia non est mutuum; cons. Usura esse non potest. Deinde etiam non est Lusus, sed Emptio, quâ, quia non res extracta, sed spes cum pari jacturæ periculo conjuncta emitur, de inæqualitate mercis, & pretii damnari nequit, sicut damnari nequit de simili inæqualitate, qui jactum retis emit, licèt fortè contingat, ut captura sit decuplo major, & æstimabilior pretio.

Quare dicendum, eos qui hujusmo 89
di Ollam fortunæ exponunt, neque Usuriæ, neque alterius inæqualitatis reos agi posse, nisi fraus aliqua, & dolus intervenial; nam his intervenientibus, injustitia subinde committitur: & hinc ad loci Magistratum pertinebit; circumspectè examinare schedas, in Urna positas, vel ponendas. *Canis. de Usur. c. 4. n. 8.* Pirhing *hic n. 50.* Engl *n. 19.* Wiestner *n. 59.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 119. & 120.*

§. III.

Causæ, ob quas occasione Mutui accipi potest aliquid ultra sortem.

SUMMARIUM.

90. *Causæ, ex quibus occasione mutui accipi aliquid ultra sortem potest.*
91. *Quid sint Usuræ moratoriæ?*
92. *Quid Compensatoriæ?*
93. *Quid intelligatur nomine Damni emergentis?*
94. *Vel Lucri cessantis?*
95. *Quando censeatur esse periculum Sortis?*
96. &c. *An Usuræ moratoriæ sint licitæ?*
103. &c. *Quid requiratur ad earundem licentiam?*
107. *Quando solvendæ sint?*
108. *An titulo damni emergentis accipi aliquid ultra sortem possit?*
109. &c. *Quando?*
111. &c. *An istud deduci in pactum possit?*
113. &c. *Requisita, ut ex hoc titulo possit aliquid ultra sortem accipi?*
118. *An peti aliquid ultra sortem possit ratione lucri cessantis.*
119. &c. *Quando?*
121. &c. *An possit obligatio ista deduci in pactum?*
123. &c. *Requisita, ut ratione Lucri cessantis aliquid accipi ultra sortem possit?*
127. &c. *Utrum ratione periculi in recuperanda sorte possit aliquid exigi ultra sortem?*
131. &c. *An Usurarium sit accipere aliquid ultra sortem ob periculum sortis in se susceptum?*
136. &c. *Vel pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus?*
141. &c. *Aut pro obligatione solvendi à Fidejussore suscepta?*
144. &c. *Utrum in Germania, sc'uso omni alio titulo, accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat?*
146. &c. *Quomodo accipientes excusari ab Usura possint?*
149. &c. *An 5. pro 100. exigi valeant, si ista mutuatario concedantur retenta facultate post semestre repetendi sortem?*
153. *An licitum sit accipere 6. pro 100, ubi consuetudo ista accipiendi viget?*

90 QUæritur 1. ex quibus causis accipi aliquid ultra sortem licitè occasione Mutui possit? R. plures enumerari. 1. in pœnam culpabilis moræ, quâ mutuatarius solutionem mutui ultra tempus, cum mutuante conventum, differt. 2. ob damnum emergens. 3. ob lucrum cessans. 4. ob periculum sortis amittendæ. 5. ob sortis periculum à mutuante in se susceptum. Quæ accipiuntur ex primo capite, Usuræ *Moratoriæ*, seu *Punitoriæ* appellantur; quæ ex capitibus reliquis, *Compensatoriæ*, sive *Restauratoriæ*.

91 *Usuræ moratoriæ*, seu *punitoriæ* ergo sunt, quando aliquid ultra sortem Creditori solvitur in pœnam moræ, in restitutione creditæ sortis commissæ, ut si mutuatarius, quòd credita 100. constituto tempore non restituerit, in pœnam moræ, sive dilatæ ultra tempus solutionis teneatur solvere quinque, vel decem. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 3. ỳ. quartò*, Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 2. §. 1. n. 5.* Wading. *D 6. de Contract. dub. 6. pr.* Begnud. *V. Usura n. 2.* Vallens. *hic §. 2. n. 3.* Pirhing *n. 5. ỳ. tertiò*, König *n. 5.* Reiffenst. *n. 11. & 78.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 17.* Potéstque Usura hæc esse triplex, Legalis, Judicialis, & Conventionalis. *Prima* constituitur à Lege, Statuto, vel consuetudine illis æquivalente; *Secunda* à Judice ad instantiam Creditoris, accusantis moram Debitoris; *Tertia* mutuo consensu, seu conventione contrahentium. Sylv. *V. Usura 1. n. 28.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 317. n. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 12.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 16. n. 1.* Pirhing *n. 51.* Reiffenst. *n. 78.* Wiestner *n. 16.* Begnud. *l. cit. n. 3.*

92 *Usura Compensatoria*, sive *Restauratoria* est, quod ultra sortem exigitur, non vi mutui, sed ratione interesse ipsius Creditoris, scilicet ob Damnum emergens, Lucrum cessans, periculum sortis amittendæ &c. Azor *c. 3. cit. ỳ. quartò*, Tambur. *n. 5. cit.* Wading *dub. 6.* Begnud. *n. 2.* Vallens. *n. 3.* Pirhing *n. 5. ỳ. tertiò.* König *n. 5.* Reiffenstuel *n. 11. & 66.* Magnif. P. Schmier *n. 17.*

93 Porro *Damni emergentis* nomine denotari solet jactura, quam creditor ratione mutui dati patitur in rebus suis, quas jam habet, v. g. si mutuò det pecuniam, ad reparandas ædes, quæ ruinam minantur, aut ad frumentum; tempore abundantiæ emendum, destinatam: indéque fiat, ut ædes corruant, & pro frumento majus pretium expendendum sit. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 4. pr.* Tambur. *tr. 1. cit. c. 3. §. 3. n. 1.* Engl *n. 4. ỳ. interesse damni*, Pirhing *n. 31.* König *n. 5.* Magnif. P. Schmier *n. 94.*

94 *Lucri cessantis* nomine à DD. intelligitur incrementum bonorum, quod quis sa-

facturus fuisset, si pecuniam mutuò non dedisset; e. g. si Mercator ex 1000. mutuò datis, dum restituantur, interea lucraturus fuisset 100. vel 50. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8. pr.* Tambur. §. *3. cit. n. 2.* Engl *n. 4. pr.* Pirhing *n. 31.* König *n. 5.* Schmier *n. 94.*

95 *Periculum sortis* tunc dicitur, quando ob lubricam mutuatarii conditionem, quia v. g. est homo pauper, decoctor, parùm fidus &c. est justus timor, ne eum solvendi facultas deficiat, aut solutio sine magnis molestiis, & sumptibus non recuperetur.

96 Quæritur 2. an Usuræ moratoriæ sint licitæ? *Certum est 1.* Lege, Statuto, vel consuetudine posse imponi pœnam, creditoribus à mutuatariis exsolvendam, si debitum ad tempus constitutum culpabiliter non solverint; quia hujusmodi pœnæ constitutio nihil habet iniquitatis, imò conducere potest ad accuratiorem observantiam initorum Contractuum. Sylv. *V. Usura 1. q. 28.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 317. n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 12.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 16. n. 3.* Pirhing *hìc n. 51.* Wiestner *n. 17.* Reiffenstuel *n. 79.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 110.* Et hac ratione videmus in Contractibus bonæ fidei, post moram ab alterutra parte commissam, à Lege inductam obligationem præstandi Usuras, licèt desuper nulla præcesserit conventio *l. mora 32. §. in bonæ 2. ff. de Usur. & fruct.*

97 *Certum est 2.* si hujusmodi pœna Lege, vel consuetudine statuta non sit, eam in casu particulari imponi posse per sententiam Judicis, à Creditore implorati; quia, debitoris culpâ suppositâ, etiam ipsa iniquitate caret, & impositio ipsius contractuum firmitatem, ac Reip. rectam gubernationem promovet. *DD. citt.*

98 *Dubium* ergo tantùm est de pœna Conventionali. Voluerunt aliqui universim, sive debitor sit in mora solvendi, sive non, ejusmodi pœnæ impositionem, & exactionem injustam, & usurariam esse: & videtur hoc probari 1. ex *l. pœnam 44. ff. de Usur. & fruct.* & rescripto Gordiani Imp. *l. cùm allegas 15. C. de Usur.* quibus Legibus pœna conventionalis reprobatur. 2. ex paritate cum pacto Legis Commissoriæ, reprobato per *c. significante 7. de Pignor. & Hypoth.* & *l. fin. C. de Pact. pignor.* 3. ex ratione, quia nemo potest alteri imponere pœnam, quam teneatur subire, nisi Superior. ergo &c.

99 Sed melius respondetur distinguendo: Vel enim solutio, sive pecuniæ creditæ restitutio nullâ debitoris culpâ dilata est, vel cum culpa ejusdem. *Si primum*, satis convenit inter DD. pœnæ appositionem, & exactionem eo casu injustam esse, ut rectè. Sylv. *V. Usura 1, q. 28.* Navar. *Man. c. 17. n. 215.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 317. n. 8.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 131.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 16. n. 7.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 3. §. 5. n. 4.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 3. n. 4.* Pirhing *hìc n. 52.* Wiestner *n. 19.* Reiffenstuel *n. 84.* & colligitur ex *c. significante cit.* & *l. trajectitiæ 23. ff. de O. & A.* Ratio est, quia pœnæ exactioni locus non est, nisi culpa adsit; nam quod culpâ caret, in damnum vocari non debet *c. cognoscentes 2. de Constit.* & *l. sancimus 22. C. de Pœnis.* *Excipitur*, si mutuatarius ad solvendum culpâ suâ impotentem se reddidit, quia dilapidando bona sua id secuturum advertit, aut facilè advertere potuit; tunc enim non solvere est voluntum in causa culpabili, & conf. si in termino non fiat solutio, pœna debetur. Molin. *n. 8. cit. fin.* Less. *n. 132.* Palao *n. 7.* Tambur. *n. 5. & 6.* Pirhing *n. 52.*

100 *Si secundum*, pœna conventa absque Usuræ labe exigi potest. Gloss. *fin. in c. conquestus 8. h. tit.* Abb. *in c. suam 9. de Pœn. in 6.* Sylv. *V. Usura 1, q. 28.* Scot. *4. dist. 15. q. 2. §. de secundo articulo.* Navar. *c. 17. cit. n. 215.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 11.* Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 3. col. 2.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 6. q. 5.* Molin. *n. 8. cit. fin.* Less. *n. 128.* Bonac. *p. 2. D. 3. p. 7.* Salas *de usur. 21.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 12.* Palao *p. 16. n. 5.* Tambur. *n. 3.* Wading. *tit. 3. n. 1.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 441.* Præpos. Friging. *conf. 15. n. 414.* Zœs. *hic n. 11.* Pirhing *n. 51.* König *n. 14.* Wiestner *n. 19.* Reiffenstuel *n. 80.* Begnud. *V. Usura n. 55.* Ratio est, quia hoc casu pœnæ appositio, & exactio nullo Jure prohibita invenitur, imò satis clarè permittitur *c. dilecti 4. de Arbitr. l. trajectitiæ cit.* & *l. si pacto 15. C. de Pact.*

Proceditque hoc, etiamsi ex mora 101 Creditori nullum emergat damnum, ut contra Scot. *l. cit.* Major. *in 4. dist. 15. q. 23. aliàs 31.* Graff. *p. 1. Decis. l. 2. c. 106. n. 12.* Aragon. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 2.* & alios VV. docent DD. *citt.* quia adjicitur non tam ad damnum cavendum, quàm ad firmationem Contractûs. *Neque obest*, quòd hoc modò accipiatur aliquid ultra sortem: quia talis pœna, quæ ultra sortem exigitur, non solvitur ex vi mutui, sed ob moram, & culpam non solvendi mutuum; peccat enim debitor, qui est in mora culpabili, contra Justitiam retinendo alienum, seu alteri debitum: ac proinde dignus est pœnâ, sicut & illi contrahentium conventione pœna apponi solet, qui à Contractu resilierit.

Neque contrarium evincitur ex Ar- 102 gumentis *n. 98.* allatis in contrarium. *Ad 1, per l. pœnam*, & *l. cùm allegas citt.* solùm repro-

reprobatur pœna conventionalis, quæ modum culpæ, & taxam, Legibus, & moribus definitam, excedit. *Ad 2.* Pactum Legis Commissoriæ solùm prohibetur in casu, quo Pignus committitur, sive debitor sit in culpa, sive non; nam si solvenda sit pœna, & committatur Pignus casu, quo debitor culpabiliter moram trahit, universim non est illicitum, prout dictum est. *Libr. 3. Tit. 21. à n. 48.* *Ad 3.* solus Superior potest invitum obligare ad pœnam; sed privatus potest alterum obligare consentientem, imò tunc per suum consensum seipsum obligat, sicut in aliis Contractibus.

103 Dub. 1. quid requiratur, ut pœnæ appositio, & exactio labe Usuræ careat? R. quatuor DD. exigunt. 1. ut ea non apponatur in fraudem Usurarum, sive ad istas ejus pallio obtegendas, sed ideo tantùm, quòd eam apponens pecuniam creditam ad præfixum tempus velit simpliciter habere; hoc enim si in pactum deducat, & debitor non observet, creditori facit injuriam, & committit culpam obnoxiam, pœnæ, ex conventione solvendæ. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 6. q. 5.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 317. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 130.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 16. n. 6.* Salas *de Usur. dub. 21. ¶. tertiò.* Brunnem. *in l. cùm allegas 15. C. de Usur. n. 4.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 3. §. 5. n. 2.* Vallens. *hic §. 3. pr.* Pirhing *n. 52.* König *n. 14.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 83.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 413.* Begnudell. *V. Usura n 55.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 111.*

104 2. Ut solutioni non præfigat terminum nimis brevem, sive talem, intra quem scitur illam verisimiliter à debitore exhiberi non posse; quia tali casu præsumeretur magis intendi pœnæ lucrum, quàm solutio ad præfixum tempus facienda. Molin. *n. 6. cit.* Less. *n. 130.* Lugo *D. 25. de Just. sect. 6. §. 2. n. 111.* Pirhing *n. 52.* König *n. 14.* Reiffenstuel *n. 86.* Wiestner *n. 22.* Schmier *n. 111. cit.*

105 3. Ut mora non solùm culpabilis sit, sed etiam notabilis, & pœna proportionata culpæ; quia aliàs iterum præsumeretur in fraudem appositæ. Azor *q. 5. cit.* Molin. *n. 8.* Less. *n. 134.* Palao *n. 8. & 9.* Tambur. *n. 9.* Vallens. *pr. cit.* Pirhing *n. 52.* Wiestner *n. 22.* Reiffenstuel *n. 85.* Schmier *n. 111.* Plerumque autem dilatio unius diei, vel etiam hebdomadæ non est censenda mora notabilis, ut pœna exigi debeat, *Less. Pal. l. cit.* Addit *Lessius*, hic spectandam qualitatem negotii, & morem Provinciæ, putátque, si concessum est spatium sufficiens, & intra illud solutio facta non sit, posse peti pœnam à debitore, etiamsi vel unum diem excesserit, si Juris rigore uti velit mutuator.

4. Ut partè debiti soluta, non exigatur tota pœna, sed pars tantùm, ea nimirum, quæ parti debiti nondum solutæ proportione respondeat. Gloss. *in c. sicut 9. V. persolutis de Pœn.* Abb. *ibid. n. 1.* Gutier. *p. 3. de Juram. c. 17. n. 6.* Azor *q. 5. cit.* Molin. *n. 9.* Less. *n. 133.* Palao *n. 10.* Tambur. *n. 9.* Pirhing *n. 52.* Wiestner *n. 23.* Præpos. Frising. *n. 413.* Schmier *n. 111.* quod tamen intelligendum, quando pars soluta mutuanti utilis est, ut notat Palao *l. cit.* 106

Addunt aliqui 5. ut ex impositione pœnæ non sequatur scandalum; quia aliàs foret contra Charitatem proximi. Molin. *n. 7.* Pirhing *n. 52.*

Dub. 2. an Usuræ moratoriæ solvendæ sint ante sententiam? Satis convenit inter DD. Legalem, & Judicialem pœnam non deberi ante sententiam Judicis. Differunt quoad Conventionalem; nam aliqui cum Adrian. *quodl. 6. art. 2. concl. 2. illat. 3.* putant, nec pœnam conventionalem necessariò solvendam in foro conscientiæ, antequam debitor illius per sententiam Judicis cogatur. *Contrà* ante sententiam condemnatoriam eam deberi, contendunt. Sylv. *V. pœna n. 14.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 11.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 6. q. 5.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 135. & 136.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 16 n. 5.* Wiestner *n. 24. hic.* Qui tamen neque ipsi satis concordes inter se sunt; nam aliqui cum *Palaò* requirunt sententiam declaratoriam culpæ: alii etiam ante istam solvendam esse à debitore existimant, saltem postquam exacta à creditore fuerit. Optimè monet Less. *n. 136. fin.* quoad hoc spectandam esse consuetudinem; si verò de hac sententia condemnatoria non requiratur, pœnam deberi ante sententiam, ad solam partis requisitionem. 107

Quæritur 3. an titulo damni emergentis exigi aliquid ultra sortem possit? Negat Scot. *in 4. dist. 15. q. 2. art. 3.* ex ratione, quia mutuans, qui damnum ex mutuo passurus est, non tenetur mutuum concedere, ideóque si concedere vult, obligatur gratis concedere, cùm misericordia non debeat vendi. 108

Sed tenenda est affirmativa, & dicendum, posse titulo damni emergentis aliquid exigi ultra sortem, sine Usuræ labe. Ita S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.* Sylv. *V. Usura 1. q. 19.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 4. pr.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 314. n. 7. & 8.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 20. n. 69. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8. ¶. alterum.* Palao Wading *de Contract. tr. 30. D. 4. p. 15. n. 1.* *D. 6. dub. 7. tit. 1. n. 1.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 433.* Vallens. §. *1. hic n. 4. ¶. additum.* Pirhing *n. 32.* Engl *n. 4. ¶. interesse damni.* König *n. 13.* Reiffenstuel *n. 67.* Præpos. Fri-

Friſing. *conſ. 15. n. 356.* Begnudell. *V. Uſura n. 48.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 95.* & recepta paſſim ſententia. *Ratio* clara eſt, quia mutuanti licet ſe præſtare indemnem & curare, ut beneficium ſuum non ſit ſibi damnoſum. *Conf.* quia Uſura eſt lucrum ex mutuo. In hoc autem caſu nullum lucrum accedit mutuatario, ſed tantùm evitatur ejus damnum.

Ex quo patet ad Argumentum *Scoti*; nam tali caſu non venditur miſericordia, ſeu mutuum, quod ex miſericordia dari gratis debet, ſed jactura mutui, quæ pretio æſtimabilis eſt.

109 Dub. 1. quando mutuatarius pro damno emergente ratione mutui ſatisfacere mutuanti ſit obligatus? R. intereſſe, an damnum evenerit mutuanti poſt lapſum termini ad ſolutionem præſtandam præfixi, adeóque ob moram mutuatarii; an verò ante terminum ſolutioni præfixum, conſ. ſine mora ipſius mutuatarii. *Si primum*, mutuatarius ex contractu mutui tacitè obligatur ad compenſationem iſtius damni, etiamſi hoc in pactum non ſit deductum, neque creditor interpellaverit illum de ſolvendo; quia ipſa dies interpellat pro homine, Menoch. *de arbitr. caſ. 119. n. 13.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 20. n. 69.* Begnudell. *V. Uſura n. 53.* Pirhing *hic n. 33.* Ratio eſt, quia omittendo ſolutionem tempore conſtituto eſt cauſa damni, ideóque tenetur ad illius compenſationem. *Excipitur*, niſi mutuatarius ſine omni ſua culpa factus ſit impotens ad ſolvendum, ut quia incendio res ejus perierunt, vel ob aliud infortunium in tantam paupertatem inciderit, ut non poſſit ſolvere, quin ſe conjiciat in extremam, vel gravem neceſſitatem. Leſſ. *c. 20. cit. n. 70.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 1. n. 2.* Pirhing *n. 33. cit.*

110 *Si ſecundum*, Mutuatarius ad reſarciendum damnum ſine mora, & culpa ſua Creditori eveniens non tenetur, niſi id in pactum deductum fuerit, ſaltem de ſolvendo aliquid ultra ſortem; alioquin ſibi imputare debet mutuans, quòd de eo non caverit. *Conf.* quia fortaſſe mutuatarius noluiſſet cum eo onere mutuum accipere, neque id fortaſſe expediebat. Ita S. Thom. *q. 13. de malo art. 4. ad 14.* Sot. *l. 6. de Juſt. q. 1. art. 3.* Navar. *Comment. de Uſur. 14. q. 4. n. 46.* & *Man. c. 17. n. 21.* Mo in. *tr. 2. de Juſt. D. 314. n. 11.* & 12. Leſſ. *l. 2. c. 20 n. 77.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 1. n. 2.* Pirhing *hic n. 34* Præpoſ. Friſing. *conſ. 15. n. 360.* *Excipitur*, quando mutuans coactus fuit ad mutuandum; tunc enim poteſt exigere intereſſe damni emergentis, etiamſi in contractu mutui nihil de eo pactum conventum fuerit; nam damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. *Reg. 88. in 6.*

Dub. 2. utrùm licitè, & ſine uſu- 111
ra ab initio cum mutuatario pactum expreſſum inire mutuans poſſit de ſolvendo aliquid ultra ſortem vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis, vel ratione ipſius damni, ſi quod evenerit, etiamſi mutuatarius in mora ſolvendi non fuerit? R. affirmativè. Ita S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 314. n. 7.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 20. n. 72.* Caniſ. *de Uſur. c. 1. n. 7.* Card. de Lug. *tom. 2. de I. & I. D. 25. ſect. 6. n. 72.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 1. n. 2.* Haun. *tom. 3. de I. & I. tr. 9. n. 387.* Pirhing *hic n. 33.* Begnud. *V. Uſura n. 48.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 98.* & communiter DD. cæteri.

Ratio eſt, quia illa pecunia, ut be- 112
ne advertit *Leſſ. l. cit.* quæ mihi neceſſaria eſt ad aliquod damnum impediendum, non ſolùm mihi valet, quanti ipſa nudè conſiderata æſtimatur, ſed etiam quanti eſt carere tali damno; non enim res tantummodo æſtimatur ſecundùm ſeipſam, ſed etiam quatenus domino eſt cauſa certi boni conſequendi, vel mali vitandi: & hinc tali caſu licitè vendi poteſt pluris, quàm per ſe valeat, cùm in ipſa illud etiam commodum vendi cenſeatur. *Conf.* quia æquitas non patitur, ut quis ex beneficio mutui damnum reportet. ergo poteſt à mutuante damnum hoc æſtimari, & pro eo peti compenſatio per pactum expreſſum.

Dub. 3. quid requiratur, ut licitè 113
paciſci mutuans cum mutuatario poſſit de aliquo ultra ſortem ſolvendo ratione damni emergentis, vel periculi ejus impendentis? R. 1. requiritur, ut mutuum revera ſit cauſa damni, ita, ut aliàs non eveniret, v. g. ſi domus Titii indigeret reparatione, nec habeat alias pecunias ad eam reparandam, niſi quas mutuas dedit Cajo, tunc mutuum eſt cauſa damni, & tali caſu, ſi rationabiliter timeat Titius, tale damnum ſibi ex pecuniis mutuò datis eventurum, pro ratione damni, vel periculi illius poteſt aliquid ultra ſortem à Cajo exigere. *Secus eſt*, ſi Titius haberet alias pecunias, quibus ædes ſuas reparare poſſet, vel ſi amicus eidem Titio ſtatim offerret pecunias alias ad eam reparandam; tunc enim damnum ipſi nullum proveniret ex mutuo. Azor *p. 3. l. 5. de Uſur. c. 4. poſt pr.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 20. n. 73.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 15. n. 6.* Pirhing *hic n. 34.* Reiffenſtuel *ibid. n. 69.* Præpoſ. Friſing. *conſ. 15. n. 357.*

2. Ut mutuans præmoneat mutua- 114
tarium de damno emergente; nam fortè nollet cum tali onere mutuum accipere. Azor *l. cit. q. 3.* Leſſ. *n. 73. cit.* Palao *n. 4.* Tamb. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 3.* Pirhing *n. 34.* Reiffenſtuel *n. 69.* Præpoſ.

Friſing. *n. 358.* **Excipitur**, niſi mutuans ad mutuandum fuiſſet coactus; nam coactio illa eſt implicitus conſenſus ad omnia damna, quæ mutuans ex mutuatione patitur, compenſanda. Tambur. *l. cit.* Imò, ut Leſſ. *n. 74.* Tambur. & Pirhing *l. citt.* advertunt, etiam caſu, quo nulla intervenit coactio, ſi damnum emergens, vel periculum illius certum ſit, non opus eſt, ut exprimatur exceſſum peti propter damnum emergens, ſed ſufficit, ſi fiat pactum de exceſſu aliquo pecuniæ dando ſupra ſortem; quia regulariter non retardaretur mutuatarius à contractu mutui, etiamſi ſciret, juſto titulo exceſſum ſupra ſortem exigi. Addit tamen idem *Tambur.* & *Pirhing*, tutius eſſe exprimere cauſam exigendi aliquid ultra ſortem, tum ad vitandum ſcandalum, & periculum, ne aliquando mutuans accuſetur de Uſura, tum ad aſſecurandum debitum, quia mutuatarius facilè renuet ſolvere mutuò acceptum, ſi putet illud Uſurarium eſſe.

115 3. Ut ratione damni emergentis non exigatur pretium, niſi quod æquale ſit damno, vel periculo damni; nam plus exigens committit injuſtitiam, etſi non propriè Uſuram, ut notat Tambur. *l. cit. n. 4.* Pirhing *n. 40.* Reiffenſtuel *n. 69.* Quia verò incerta plerumque eſt quantitas damni, quòd ex mutuo alteri dato eventurum eſt mutuanti, hinc perpenſis omnibus cauſis, & circumſtantiis concurrentibus, arbitrio boni viri æſtimatio eſt facienda, ut monent DD. *citt.*

116 4. Ut hoc intereſſe ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis non ſolvatur ſtatim à mutuatario tempore mutui accepti, ſed primùm poſtea. Hinc ſi Titius mutuet Cajo 1000. fl. cum pacto, ut ratione intereſſe, ſive lucri ceſſantis, aut damni emergentis ſolvat 100. & iſtos 100. mox detrahat Titius, Cajo non niſi 900. numerando, committit Uſuram; quia ex 100. illico detractis nullum ipſi poteſt lucrum ceſſare, vel damnum emergere: ſicque ſub hoc prætextu exigens intereſſe, manifeſtam committit injuſtitiam, & Uſuram ſaltem palliatam. Reiffenſtuel *hic n. 70.*

117 5. Ut mutuans non cogat mutuatarium paciſci de periculo damni potiùs, quam de damno, ſed relinquat ipſius arbitrio; etſi enim periculum illud damni probabiliter eventuri ſit ab initio pretio æſtimabile, quamvis minori, quàm ipſum damnum, non poteſt tamen mutuans mutuatarium cogere, ut pro ipſo periculo aliquid promittat, ſed ſufficit, ſi mutuatarius paratus ſit reſarcire damnum omne, quod eventus patefecerit, quippe cùm hoc modo mutuans jam ſervetur indemnis. Quodſi tamen mutuatarius malit paciſci pro periculo ad certum pretium mutuanti ſolvendum, quàm prò incerto damno manere in ancipiti, poteſt mutuans acceptare pactum: & tunc quamvis damnum poſtea non evenerit, poterit tamen conventum exigere; quia periculum, quod in gratiam mutuatarii ſubiit, eſt pretio æſtimabile. Leſſ. *c. 20. cit. n. 76.*

Quæritur 4. an peti, vel accipi ali- 118
quid ultra ſortem poſſit ratione lucri ceſſantis? **Certum eſt**, ſiquis per vim, metum, vel dolum injuſtè cogatur ad mutuandum, ideóque lucrum ei ceſſet, quia amittit occaſionem lucrandi ſuâ pecuniâ, quâ volebat vel cenſum, vel domum, vel agrum fructiferum emere, vel negotiatione licitâ aliud lucrum quærere, tunc poſſe ipſum exigere lucrum ceſſans, & petitum debere ipſi à mutuatario compenſari, etiamſi illud in pactum deductum non fuerit. Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 315. n. 1.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 20. n. 79.* Lugo *tom. 2. D. 25. ſect. 6. n. 86.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 15. n. 10.* Pirhing *hic n. 36.* Ratio eſt, quia qui tali modo invitus dat mutuum, injuſtè privatur lucro, adeóque damnum patitur, ergo is, qui cauſam talis damni injuſtè dedit, ad illius reparationem tenetur, etiamſi illud in pactum non ſit deductum. **Conf.** à pari cum eo, qui furatus eſt mercatori pecuniam, quam paratam habebat ad negotiandum; nam fur iſte non tantùm tenetur pecuniam ablatam reſtituere, ſed etiam compenſare lucrum, quo furando pecuniam Mercatorem injuſtè privavit.

Dubium 1. eſt, an ſiquis ſponte 119
mutuum dedit, ad certum tamen terminum, quo reddendum ſit, & mutuans ex eo, quòd mutuatarius ad temporis præfixum non ſolvat, lucrum perdat, ratione hujus lucri ceſſantis poſſit aliquid exigere ultra ſortem? Negârunt olim plures Canoniſtæ *in c. fin. h. tit.* apud Covar. *l. 3. var. c. 4. n. 5.* quibus favere videtur D. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. & q. 13. de malo art. 4. ad 14.* Durand. *in 3. diſt. 33. q. 2. ad 1.* Abul. *in Matth. 25. q. 284. ad 1.* & *q. 227.* Scot. *in 4. Diſt. 15. q. 2. art. 3.* & inclinat Sot. *l. 6. de Juſt. q. 1. art. 3. conc. 4.* eò quòd lucrum non ſit cenſendum ceſſare, niſi mutuans à lucro cohibeatur.

Sed dicendum, hoc caſu mutuan- 120
tem jure poſſe exigere à mutuatario, ut iſte ſibi lucrum ceſſans reſarciat, ſaltem ſi moram fecerit in ſolutione mutui. Ita cum communi. Molin. *tr. 2. de Juſt. D. 315. n. 5. & 6.* Leſſ. *c. 20. n. 79.* Lugo *D. 25. ſect. 6. n. 86.* Palao *p. 15. n. 3.* Pirhing *n. 37.* Idque verum eſt, tametſi de hoc pactum explicitum non intervenerit; quia hoc ipſo, quòd terminus ſolutioni mutui præfixus ſit, vi taciti pacti tenetur mutuatarius ad intereſſe, quo mutuans ob mo-

moram mutuatarii privatur. Et procedit etiam, quamvis absque culpa mutuatarii solutio mutui tunc non fiat, vel quia solvendo non fuit, vel ob aliam causam, quæ tamen ex parte mutuantis non proveniat, nisi mutuatarius ad extremam necessitatem sine sua culpa sit redactus. *Molin. Pirh. l. citt.*

111 Dub. 2. an interesse lucri cessantis possit à creditore statim tempore dati mutui in pactum deduci? R. affirmativè. Ita Sylv. *V. Usura 1. q. 19.* Cajet. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.* Navar. *Man. c. 17. n. 211.* Covar. *l. 3. var. c. 4. n. 5.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. q. 1.* Less. *c. 20. dit. n. 80.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 10.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 2. n. 3. & 4.* Engl *hic n. 13.* Ratio est quia quod justè possum exigere, possum etiam in pactum, & obligationem expressam deducere. *Conf.* quia non minùs lucrum ratione mutui cessans est pretio æstimabile, quàm damnum emergens ex mutuo: imò siquis paratam habeat pecuniam certam ad negotiandum, ex quâ probabiliter sperat, se intra annum lucraturum 100. aureos, longè plus æstimabit lucrum istud in spe, quàm jacturam, seu damnum minus v. g. 20. aureorum, quod in illa pecunia cum æquali probabilitate incurrere posset, ergo sicut licitum est pacisci cum mutuatario de damno illo emergente, ità & de lucro cessante, cùm carentia lucri damnum quoddam æstimetur.

112 Neque pactum hoc Usurarium, aut id, quod hac ratione ultra sortem exigitur, vel accipitur, est vera Usura, sed exigitur, & accipitur tanquam interesse, prout notat Gloss. *in can. quoniam 3. caus. 14. q. 4.* arg. *l. socium, qui 60. ff. pro Socio*, ibi: *Usuras quoque eum præstare debere, Labeo ait, sed non quasi Usuras, sed quòd socij interfit, moram eum non adhibuisse.* Accedit ratio; quia aliud est mutuum, aliud lucrum cessans, vel damnum emergens ratione mutui dati. licèt ergo mutuum debeat dari gratis, sicque ex ipso mutuo secundùm se spectato nihil possit ultra sortem exigi, bene tamen potest exigi, ut lucrum indè verè vocetur interesse arg. *l. un. C. de Sent. quæ pro eo &c. & l. si commissa 13. ff. rem ratam haberi &c.* ibi, *Si commissa est stipulatio, ratam rem dominum habiturum, in tantum competit, in quantum meâ interfuit, i. e. quantum mihi abest, quantúmque lucrari potui.* Reiffenstuel *hic n. 68.*

113 Dub. 3. quid requiratur, ut lucri cessantis nomine aliquid possit exigi? R. 1. requiritur, ut spes lucri certa, vel admodum probabilis sit; aliàs æstimari non debet, juxta Bartol. *in l. un. C. de sent. quæ pro eo &c. n. 25.* Gutier. *de Juram. p. 1. c. 8. n. 4.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 15. n. 5.* ideóque petenti lucrum probare incumbit, quòd, si haberet pecuniam, quam mutuam dedit, certò lucraturus foret; aliàs non obtinebit.

114 2. Debet cessationis causa esse ipsum mutuum, ut fit, si Titius pecuniam à se destinatam negotiationi, aut emptioni rei fructiferæ, subtrahat illi destinationi, ut mutuet eam Cajo, & ita amittat spem illius lucri; nam si relicta illa negotiatione propter datum mutuum, se mutuans conferat ad aliam rationem lucrandi per artificium, vel aliam industriam, & ita compenset totum lucrum negotiationis, non poterit ratione lucri cessantis quidquam exigere; quia per mutuum non cessat ipsi lucrum absolutè. *Excipitur*, si ratio illa lucrandi esset molestior, aut lucrum foret minus; nam tunc posset mutuans æstimare molestiam, vel diminutionem lucri, & pro ea compensationem exigere. Less. *c. 20. n. 85.* Palao *n. 5.* & apud hos alii.

115 3. Debet mutuatario à mutuante manifestari spes lucri, quod ex mutuatione cessabit, & ejus compensatio in pactum deduci; nam si in pactum ab initio hoc interesse non deduxerit, ex pòst facto non potest illud aliter ab invito debitore petere, quàm si iste in mora fuerit, i. e. interpellatus à creditore (qui voluit alibi honestum lucrum quærere, vel damnum emergens præcavere) non solverit; aliàs enim debitor rectè excipiet, quòd, si sciviſſet, tanti creditoris ob mutuatam pecuniam interesse, vel pecuniam ab ipso non fuisset mutuò accepturus, vel certè interpellatus illico soluturus. Palao *n. 4.* & alii apud istum. *Excipitur* quando mutuum ad certum tempus contractum est; nam lapso illo tempore, si debitor non solverit, hoc ipso sine alia interpellatione constituitur in mora, cùm dies interpellet pro homine, ut de damno emergente dictum est *n. 109.*

116 4. Non debet exigi lucrum integrum, quod probabiliter speratur, sed quanti æstimatur spes ejusdem prudentis arbitrio; quia spes non tantùm valet, quantùm res ipsa. Hinc 1. deducendæ sunt expensæ, quas mutuans fecisset in negotiatione; quia lucrum tantùm illud censetur, quod remanet, deductis expensis. 2. quando lucrum est dubium vel in se, quia periculo subjacet, vel quoad ipsum mutuantem, quia nondum erat in voluntate firmâ negotiandi, cùm nesciret occasiones superventuras, multò minus accipere potest, idque judicio experti. 3. longitudo, vel brevitas temporis, sub quo fortè præfigitur redditio mutui, multùm prodeit, vel obest ad decernendum lucrum; nam breviore tempore producta negotiatio minùs fructificat, quàm lon-

giore. Tamb. *l. 3. Decal. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 13.*

127 Quæritur 5. utrùm ratione periculi in recuperanda sorte possit aliquid exigi ultra sortem? Negant generaliter Navar. *Man. c. 23. n. 81.* Sot. *l. 6. de Just. q. 14. art. 1. ad 1.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 39. n. 30.* Reginald. *l. 25. c. 12. fin.* Rebell. *l. 9. de Just. q. 12.* & inclinat Wading. *D. 6. de contract. dub. 7. tit. 4. n. 1.* cum Begnud. *V. Usura n. 54.* Nituntur 1. *c. in civitate 6. h. tit.* ubi Pontifex definit, Usuram esse vendere aromata pluris ad creditum, quàm præsenti pecuniâ valent, quod tamen verum non esset, si ob periculum pretii pretium augeri posset. 2. si liceret aliquid exigere ratione periculi, creditoribus præberetur occasio palliandi Usuras, cùm ejusmodi periculum frequenter adsit, vel fingi possit adesse. 3. eidem periculo, cui sors, etiam exponitur ejusdem auctarium. igitur etiam pro isto licebit exigere aliquid, & sic procedetur in infinitum. 4. sic posset creditor pro periculo amittendæ sortis recipere fructus pignoris, & hos non computare in sortem. 5. similiter posset mutuans non acceptare cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, quam mutuatarius exhiberet, & velle, ut sibi periculum solvat.

128 Sed dicendum, nisi aliunde sufficienter caveatur periculum sortis, posse mutuantem à mutuatario ratione istius periculi aliquid petere ultra sortem. Ita S. Thom. *Opusc. 73. de usur. q. 10.* Sylv. *V. Usura 1. q. 34.* Azor. *p. 3. l. 5. de Usur. c. 6. q. 1.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 318. n. 4.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 111.* Salas *de usur. dub. 22. n. 3.* Filliuc. *tr. 34. n. 97.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 9. pr.* Bonac. *D. 3. de contract. q. 3. p. 5.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 17. n. 3.* Tambur. *de Contract. l. 9. tr. 1. c. 3. q. 6. n. 2.* Zoes. *hic n. 3.* Pirhing *n. 45.* Engl *n. 14.* König *n. 15.* Wiestner *n. 31.* Reiffenst. *n. 72.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 102.* modò verum, & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatæ, & periculum hoc judicio prudentum tanti valeat, quanti id æstimat mutuans, qui pro eo aliquid ultra sortem petit.

129 Ostenditur 1. quia non tantùm in Jure Civili *l. periculi 5. pr.* & §. *in his 1. ff. de nautic. fœn.* sed etiam Jure Canonico *c. in civitate 6. h. tit.* ob periculum, quòd res tempore solutionis minus sit valitura, permittitur aliquod augmentum in pactum deduci. 2. quia exponere res suas periculo in gratiam alterius est quid pretio æstimabile, atqui hoc periculum non sequitur necessariò ex mutuo. ergo non est obligatio illud gratis subeundi; nam sola actio mutui gratis ex obligatione præstari debet. 3. quia creditor habet jus à debitore, sive mutuatario exigendi assecurationem per pignora, & fidejussores; & propterea si eam non præstet, exigere ab ipso valet aliquid æquivalens, quale est modicum illud, quod additur ultra sortem. 4. fidejussor, qui non multùm differt à mutuante, ratione periculi, quod fidejubendo subit, potest aliquid exigere *l. hoc jure 19. §. Labeo 1. ff. de Donat.* 5. etiam in aliis contractibus ob susceptum periculum aliquid exposcere concessum est, eò quòd pretio sit æstimabile res suas exponere periculo, ut adeò in mutuo, quod per se tantùm ordinatur in utilitatem mutuatarii, sine absurdo contrarium dici nequeat.

130 Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad 1.* eo textu Alexander III. solùm damnat perversum animum merces pluris vendendi propter dilatam solutionem, ut *in c. cit.* cum Gloss. *V. comparant* notant Abb. *n. 2.* Canis. *de usur. c. 3. n. 2.* & passim Interpretes. *Ad 2.* non pro quovis leviss imo, sed probabili, & inter homines æstimabili periculo, quale non ita frequens est, aliquid licet exigere. *Ad 3.* auctarium, etiam ut periclitans, esse potest sufficiens compensatio sortis non recipiendæ. *Ad 4.* exretento pignore jam cessat periculum amittendæ sortis. igitur ad hoc compensandum non possunt recipi fructus pignoris. *Ad 5.* similiter, data cautione fidejussoria idonea, periculum tollitur; cons. tunc mutuans debet esse contentus, neque potest aliquid exigere ultra sortem.

131 Quæritur 6. an, si mutuatario, qui cum pecunia mutuata trajecturus est mare, vel iturus ad nundinas per loca prædonibus infesta, sortis assecurationem præstet creditor, & illius periculum in se suscipiat, ratione istius periculi iste petere aliquid ultra sortem possit? Obstare videtur *c. fin. h. tit.* ubi dicitur eum, qui aliquid hoc casu exigit, censendum Usurarium.

132 Sed dicendum, posse creditorem hoc casu pro periculi magnitudine, & gravitate aliquid sine Usuraria iniquitate exigere, & acceptare etiam casu, quo pecuniæ mutuatæ deferuntur salvæ. Ita S. Thom. *Opusc. 73. de Usur. q. 9.* Sylv. *V. Usura 1. q. 35.* Covar. *l. 3. var. c. 2. n. 4.* Azor. *p. 3. l. 5. de usur. c. 6. q. 4.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 318. n. 4.* Fachin. *l. 2. contr. c. 48.* Laym. *l. 3 tr. 4. c. 16. n. 9. pr. & n. 13.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 116.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 18. n. 2.* Canis. *de usur. c. 4. n. 6.* Card. de Lugo *tom. 2. de Just D. 25. sect. 6. n. 77.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 5. per totum*, Barbos. *in c. fin. cit. n. 2.* Pirh. *hic n. 44.* König *n. 15.* Wiestner *n. 34.*

133 *Ratio est*, quia in tali casu sunt duo actus distincti: unus est contractus mutui; & pro hoc nihil exigitur, neque exi-

exigi potest absque Usura? alter est contractus Assecurationis, quam aliàs mutuanti deberet præstare mutuatarius, nunc autem mutuans præstat mutuatario, cum hoc pacíscens, ut si pecunia mutuata in mari, vel in via pereat, sibi pereat, & mutuatarius, ejúsque hæredes nihil restituere teneantur. atqui talem Contractum assecurationis nemo obligatur gratis inire. ergo &c. *Conf. 1.* ejusmodi assecuratio est pretio æstimabilis, & pro ea præstanda aliquid exigere licet tertio ex communi DD. sensu. igitur etiam creditori mutuanti. *Conf. 2.* Usura fit exigendo aliquid ultra sortem ex vi mutui. hoc autem non fit in proposito, ubi aliquid ultra sortem exigitur ratione periculi à mutuatore suscepti. ergo &c.

Ex quo colligitur, non esse Pactum 134 Usurarium siquis mercator, naviganti trans mare cum mercibus, dat 100. aureos, cum pacto ut si navis pereat, nihil omnino reddat mercator; si verò maneat salva, reddat ipsi 125. aureos. Navar. *l. 5. conf. 23. b. tit.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 10.* Pirhing *hic n. 49. coroll. 2.* Ratio est, quia lucrum illud accipitur ratione periculi, quod in se suscipit mutuans, & non vi mutui.

135 Neque obstat *c. fin. cit.* quia ut cum *citt.* advertit Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 107.* in illum textum irrepsit mendum, & pro *Usurarius est*, legendum, *Usurarius non est censendus*: quod colligitur ex verbis sequentibus, *Ille quoque non debet Usurarius reputari*; nam si priorem Contractum Pontifex habuisset pro Usurario, pro particula *Quoque* melius usus fuisset adversativâ *Verò*, *contrà* &c. Alii cum Fagn. *in c. fin. cit. n. 21.* Wading. *D. 6 de Contract. dub 7. tit. 5. n. 2.* Illsung. *tr. 4. D. 2. n. 433.* Engl *hic n. 15. ỳ. si verò*, König *n. 15. fin.* Reiffenstuel *n. 75.* volunt, ibi sermonem esse de eo, qui non aliter velit mutuare, nisi cum tali pacto susceptionis periculi in se, sícque sub spe lucri ultra sortem recipiendi; talis enim gravat debitorem cogendo illum, ut pactum ineat de periculo, quod ipsemet in se suscipere, vel datis pignoribus, aut fidejussoribus à creditore avertere voluisset: cons. in foro externo Ecclesiastico, quod de internis non judicat, Usurarius censendus est. *In foro externo*, inquam; nam in interno, & coram DEO, modò revera non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere pretium periculi in se suscepti, Usurarius non est. Reiffenstuel *l. cit.*

136 Quæritur 7. an Usurarium sit aliquid ultra sortem accipere, & de eo paciscí ratione carentiæ pecuniæ, seu pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. annum? *Ratio dubitandi est*, quia qui mutuò dedit v. g. pecuniam, potest illam repetere, quando voluerit, modò non statim repetat; quia tunc frustra mutuâsset. si ergo se obliget, quòd intra annum nolit repetere, poterit pro tali obligatione, quippe quæ pretio æstimabilis est, aliquid accipere.

Sed respondendum est affirmativè. 137 Ita Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 308. n. 10. & 11.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 126.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8. ỳ. cæteri*, Tambur. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 6. n. 2.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 5. n. 4. ỳ. secunda ratio.* Card. de Lugo *tom. 2. de Just. D. 25. sect. 3. n. 17. & seqq.* Pirhing *hic n. 25.* Reiffenstuel *ibid. n. 87. & 88.* *Ratio est*, quia obligatio carendi pecuniâ, & non repetendi mutuum ad tempus est intrinseca, & essentialis mutuo, sicut ergo non potest sine Usura aliquid accipi pro mutuo, cùm debeat esse gratuitum, ita nec pro obligatione ad non repetendum illud sive ad longum, sive ad brevius tempus; alioquin esset merum precarium.

Conf. 1. ex mutuo mutuatarius ad 138 plus non obligatur, quàm ut tantum det, quantum accepit. hoc facit, qui pro 100. transacto tempore, ad quod mutuò dati sunt, dat alios 100. ergo &c. *Conf. 2.* Pactio de non repetendo mutuo intra annum nihil aliud est, quàm mutuum prorogatum, seu extensio gratuiti beneficii ad longius tempus. ergo adhuc sistitur præcisè intra terminos mutui; cons. nihil pro tali extensione exigi potest. *Conf. 3.* siquis à principio mutuâsset v. g. ad mensem, & postea prorogaret tempus solutionis ad alium mensem, non posset pro ista prorogatione aliquid exigere ultra sortem, quia est quasi duplex mutuum: ergo nec potest aliquid exigi ultra sortem, si initio mutuum sit constitutum ad bimestre, ad annum &c. Certè si ratione ejusmodi prorogationis liceret aliquid exigere, facilè tolli omnis Usura posset; posset enim mutuum initio tantùm dari ad hebdomadam, vel diem, & dein prolongando tempus aliquid exigi ultra sortem.

Ad Rationem dubitandi. mutuatarius 139 jam sufficienter compensat obligationem non repetendi, dum solvens mutuum dat mutuanti facultatem utendi pecuniâ solutâ in perpetuum. Deinde licèt obligatio non repetendi mutuum ante annum superaddat aliquid supra mutuum in communi, non tamen superaddit supra hoc mutuum in specie, seu in individuo; adhuc enim sistitur præcisè in ratione mutui. *Dices:* Mutuans, dum mutuum dat sub obligatione illud intra annum non repetendi, se privat interea potestate cum illa pecunia negotiandi, ỵ. etiam mutuatarius solvendo mutuum constituto tempore se

se simili potestate privat, & quidem in perpetuum. igitur jam fit debita compensatio, vel si talis non fieret ob lucrum cessans, ob hoc, ut dictum est à *n. 118.* liceret accipere aliquid ultra sortem, non tamen præcisè ratione temporis prorogati.

140 Multò minùs regulariter accipi potest aliquid ultra rem mutuò datam ob onus, seu laborem numerandi pecuniam dandam in mutuum, ut bene advertunt Navar. *Man. c. 17. n. 209.* Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 2. q. 4.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 7.* Pirhing *hic n. 7. fin.* Ratio est, quia pecunia mutuari non potest, nisi numeretur, & numeratio fit in bonum utriusque, accipientis, & dantis, ut tantundem reddatur, quantum datum est, & neuter fraudetur. Accedit, quia labor ille numerandi ordinariè exiguus est: quodsi notabilis foret, pretium accipi posset, non vi mutui, sed tanquam merces laboris, sive operæ mutuatario locatæ.

141 Quæritur 8. an sicut ob periculum sortis mutuans, ita ob susceptam obligationem solvendi pro debitore principali fidejussor paciscì de aliquo sibi dando possit? *Certum est* peti aliquid posse, quando fidejussio periculosa est; quia tale periculum est pretio æstimabile.

Dubium autem est, quando non est periculosa, & quando nullum timetur periculum, ne fidejussor teneatur solvere pro debitore principali. Quo casu Covar. *l. 3. var. c. 2. n. 6.* cum aliis putat, nihil posse accipi à fidejussore. Sed Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 319. n. 2. circ. med.* putat etiam hoc casu esse licitum aliquid accipere, & exigere, tametsi parum admodum.

142 *Rationem* dat, quia obligatio illa, quam in se suscipit fidejussor, est pretio æstimabilis, non solùm quando verisimiliter timet, se coactum iri ad solvendum pro debitore principali, sed etiam quando nihil tale timet, non secus, ac pretio æstimabilis est obligatio molendi in mutuantis molendino, esto, mutuatarius in alio molendino eadem mercede posset molere, nec difficilius ipsi sit accedere ad molendinum mutuantis, quàm ad alia: & hinc sicut propterea illicitum est, & Usurarium dare mutuum, ut mutuatarius in molendino mutuantis molat, ita illicitum, & Usurarium est dare mutuum ea conditione, ut mutuatarius pro ipso fidejubeat, ut dictum est *n. 45.* atqui pro eo, quod pretio æstimabile est, pretium peti potest, ergo &c. Accedit, quia ordinariè fidejussio aliquod periculum continet, licèt illud non semper prævideatur. igitur pro hoc periculo semper aliquod pretium justè potest accipi, majus, vel minus, prout majus, vel minus est periculum.

Atque hinc in arbitrando pretio, 143
quod in rigore fas est accipere, ut quis fidejussor existat, attendenda est tum quantitas debiti, tum periculum majus, vel minus, quòd fidejussor pro debitore solvet, item major, vel minor spes, quòd debitor in eventu, quòd fidejussor pro eo solvat, resarciet id, quod à fidejussore pro ipso solutum est: & si aliquid amplius acceptum fuerit, talis acceptio quidem non erit Usuraria; quia tale pretium non accipitur pro mutuo, ne virtuali quidem, in tali casu: erit tamen injusta, ideóque incrementum illud restituendum erit debitori, si solvit. Molin. *l. cit. fin.*

Quæritur 9. utrùm in Germania, 144
secluso omni alio titulo, accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat? *N.* distinguendo inter forum externum, & internum. *In foro externo*, non tantum licitum est pacisci, & exigere annuos quinque pro sorte principali, seu summa capitali 100. fl. sed datur etiam Actio contra debitorem, illos solvere morantem, aut recusantem, etiamsi Creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum sortis principalis, nec alium titulum justum alleget. Ita unanimis, & certa per Germaniam, teste P. Reiffenstuel *hic n. 57.* patétque ab experientia quotidiana, quâ constat dictos 5. fl. pro 100. datis in pactum passim deduci, exigi, & dari, nec non per actionem repeti, & acquiri, etiamsi nullus ex præfatis, vel alius allegetur justus titulus. *Ratio est*, quia in foro externo Germaniæ præsumitur adesse unus ex præfatis, vel alius justus titulus exigendi annuos 5. pro 100. & ex hac præsumptione conceditur non solùm, quòd absque ulla pœna exigi possint, sed etiam per Judicem mandatur, ut solvantur 5. pro 100. prout patet ex *Recess. Spirens.* & allegatis ex eo verbis formalibus *n. 10. ad 4.*

In foro interno autem accipiens 5. 145
pro 100. mutuò datis, si nullum habeat ex præfatis, aut alium justum titulum, usurarius est. Engl *hic n. 10.* Wiestner *n. 38.* Reiffenstuel *n. 58.* Sequitur ex dictis *n. præc.* nam Lex, & consuetudo Imperii fundatur in præsumptione tituli justi: atqui lex, in præsumptione fundata, locum in foro conscientiæ non habet, quando non se habet ita res, prout præsumitur; quia in hoc foro præsumptio cedit veritati. ergo &c. *Conf.* si nullo ex præfatis, vel alio justo titulo existente, liceret in foro conscientiæ annuatim exigere 5. pro 100. mutuò datis, tunc liceret id vel vi consuetudinis, vel ob publicam authoritatem Supremi Principis ex suprema, quâ pollet, potestate, & dominio alto, ob bonum publicum id concedentis, alia enim justa causa ab illicito excusans, allegari non potest.

atqui

atqui ob nullam harum causarum licet. ergo &c. *Prob. Min.* non enim licet *vi consuetudinis*; quia, ut *n. 7.* dictum est, Usuræ merè lucratoriæ sunt contra Jus Divinum, & Naturale, contra quod nulla consuetudo prævalere potest. *Non ob authoritatem Supremi Principis id concedentis*; quia, ut *n. præc.* ostensum est, in Imperio pactum de reddendis quinque annuis pro centum solùm approbatur ex præsumptione justi tituli, Leges verò Romanæ antiquiores, si Usuras approbârunt, per Jus Canonicum correctæ sunt; imò correctione non indigebant; quia cùm Princeps authoritate sua non possit licitum facere, quod per Jus Divinum, & Naturale illicitum est, tale Decretum, aut Lex in seipsa est irrita.

146 Quæritur 10. an ergo omnes illi, qui pro 100. mutuò datis exigunt 5. annuos, & allegare non possunt titulum aut lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi sortis, Usurarii sint, & in statu peccati mortalis existant? Affirmare hoc ex eo videtur difficile; quia aliàs innumeri in Germania, & Rom. Imperio etiam præclari, docti, & DEUM timentes viri, non tantùm Sæculares, sed etiam Ecclesiastici condemnari deberent Usurariæ iniquitatis, cùm constet, plurimos passim sine scrupulo exigere, & accipere 5. annuos pro 100. etiamsi nec periculum sortis adsit, quippe istâ per sufficientem Hypothecam, Pignus, aut Fidejussionem assecuratâ, nec damnum emergens, aut lucrum cessans patiuntur, cùm dederint pecuniam, quæ futura apud ipsos fuisset merè otiosa.

147 *Respondeo*, etiam dato, quòd ita dantibus nullum damnum emergat, nec lucrum cesset, aut periculum sortis immineat, acceptionem, & exactionem quinque pro centum justificari posse, si dicatur, quòd hoc casu non celebretur Mutuum, sed vel contractus Societatis, quo unus dat pecuniam, alter interponit operam suam cum pacto, ut pro rata lucrum inter ipsos dividatur; vel contractus Emptionis Venditionis, quo ematur census annuus 5. pro 100. expositis tanquam pretio. *Dices*: In Contractu Emptionis Venditionis unus habet pretium, & alter mercem, in nostro casu secus contingit; nam dans 100. post quam per 20. ex. gr. annos percepit annuatim 5. adeóque alios 100. soluto contractu recipit etiam sortem, quam exposuit tanquam pretium. *Sed facilè* Argumentum hoc solvi potest, si dicatur Contractui Emptionis Venditionis accedere Pactum de retrovendendo, ita, ut Titius e. g. dicat Cajo: *Ego tibi do 100. & pro his emo à te jus percipiendi annuatim partem fructuum aut realium, aut industrialium, quos singulis annis percipis ex fundis, vel industria tua, & hoc jus tamdiu mihi competet, quamdiu illud non redemeris à me, reddito eodem pretio' quod ego tibi pro jure hoc dedi.* Quod si fiat, Titius primò accipit jus percipiendi 5. tanquam mercem & Cajus 100. tanquam pretium; soluto, autem contractu Titius reddit mercem, & Cajus reddit pretium: sicque fit, ut non uterque, sed unus pretium semper habeat, alter verò mercem.

Urgebis: Multi, præsertim indocti, & rudiores de alio Contractu ineundo non cogitant, quàm de mutuo, igitur hi saltem condemnari Usurariæ iniquitatis, & peccati mortalis debebunt, quando pro 100. accipiunt annuos quinque: quod tamen faciunt sine scrupulo. R. hos imprimis excusari per bonam fidem, & ignorantiam invincibilem: deinde cùm videant passim in Imperio peti 5. pro 100. & hanc acceptionem, & petitionem approbari ab Imperatoribus, & Summis etiam Pontificibus, præsumi debent habere intentionem generalem celebrandi Contractum, quem licitè possunt. non possunt autem licitè percipere velle 5. pro 100. præcisè vi mutui, ergo ex vi Contractûs Societatis, aut Emptionis Venditionis, ut dictum est: & sic per intentionem generalem corrigunt errorem particularem, quo putant 5. istos se accipere ex vi mutui. Cæterùm si absit ignorantia invincibilis, & 5. annui petantur præcisè ex vi mutui, excludendo omnem alium Contractum licitum, omnino concedendum foret, eos omnes, qui ita accipiunt 5. sive multi, sive pauci sint, Usurarios esse, & in statu peccati mortalis existere. 148

Quæritur 11. an 5. pro 100. exigi valeant, si ista mutuatario concedantur, retenta facultate sortem, sive 100. credita post semestre repetendi? *Certum est*, quòd Creditor cum debitore pacisci possit de pecunia credita restituenda intra certum tempus qualecunque, quod ipsi placuerit, adeóque non tantùm intra annum sed etiam post semestre, aut brevius tempus. Abb. *in c. fin. de Precar. n. 11.* Mozz. *de Contract. col. 7. n. 4.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 299. n. 5. & 6.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 2.* Wiestner *hic n. 40.* Ratio est, quia quilibet rerum suarum moderator, & arbiter est *l. in re mandata 21. C. Mandat.* ita, ut in earum traditione apponere conditiones valeat, quas vult, modò sint honestæ, & à Jure non reprobatæ *l. in traditionibus 48. ff. de Pact.* atqui conditio restituendi post certum tempus pecuniam mutuatam non est inhonesta, aut à Jure improbata ergo &c. 149

Dubium igitur solùm est, utrum si creditor pecuniam, ex tali pacto concessam, post semestre ex pacto constitutum repetat, ultra illam exigere possit quinque? *Ratio dubitandi* est: quia qui sibi 150

reservat jus repetendi pecuniam creditam post semestre, eam concedere videtur, donec se offerat occasio eâ utendi cum lucro. igitur eo tempore, pro quo eam dat mutuò, interesse solùm commentitium est; consratio petendi aliquid ultra sortem exspirat.

151 Sed distinguendum est: Vel enim post semestre cum forte quinque illa intendit percipere integra, vel duo cum dimidio. *Si primum*, in neutro foro excusabitur ab Usura, nisi revera eidem ex. 100. creditis intra semestre cessaret lucrum quinorum, quia exigeret plus, quàm consuetudo indulget. *Si secundum*, ob præsumptionem supra adductam excusabitur in foro externo, imò etiam in interno, posito, quòd tantum lucri interea eidem cesset; quia in foro interno attenditur ad rei veritatem.

152 Addidi etiam in priori distinctionis membro, *Nisi revera lucrum eidem cesset*; quia per *Recessum Spirensem n. 10.* allegatum non prohibetur mutuans plus petere eo casu, ut patet *ex §. 152.* ibi, da dem Creditori solche fünff Gulden nit annemblich / sonder er vermeinen wolte / tam ex lucro cessante, quàm damno emergente, ein mehrers zufordern / daß ihme alsdann sein gantz Interesse zu deduciren / gebürlich zuquidiren ꝛc. unbenommen seyn solle ꝛc. Struv. *Exercit. 27. thes. 49. fin.* Magnif. D. Dominic. de Bassis *Semicent. qq. forens. contr. 36. n. 13.* Wiestner *hic n. 41.*

153 Quæritur 12. an si in Provincia aliqua vigeat inter mercatores vel alios consuetudo, vel Statuto inductum sit, ut ratione lucri cessantis petantur 6. pro 100. ut in Austria, & Saxonia, hoc observari possit? ℟. posse observari: sed ad alios, quàm inter quos inductum est, & in alias Provincias, quàm pro quibus inductum est, extendi non debet; quia hujusmodi Statuta, & Consuetudines contrariæ sunt Juri publico, cons. ut odiosæ sunt restringendæ potiùs, quàm extendendæ *Reg. odia 15. in 6.* Magnif. D. de Bassis *l. cit. n. 10.* Wiestner *n. 42.*

§. IV.

De Emptione Censûs.

SUMMARIUM.

154. *Diversa Censûs acceptio, & definitio.*
155. *Modi, quibus ille constitui potest.*
156. *Alius est Reservativus, alius Consignativus.*
157. *Discrimen Reservativi ab Emphyteusi.*
158. *Emptitius alius est Realis.*
159. *Alius Personalis.*
160. *Discrimen inter istos.*
161. *Quid sit Census mixtus?*
162. &c. *Aliæ Censûs divisiones.*
165. &c. *An permitti, & ab Usura absolvi possit Census Emptitius realis?*
173. &c. *Et qualis?*
180. &c. *An licita sit etiam Emptio Censûs personalis, inspecto Jure naturæ?*
188. &c. *Quid de hoc statutum Jure Ecclesiastico?*
191. &c. *An licita sit Emptio Censûs Vitalitii, vel ad certum tempus?*
195. &c. *Quænam alia pacta adjici possint Constitutioni Censûs Emptitii?*
200. &c. *Conditiones Jure naturali requisitæ ad licitam Constitutionem Censûs emptitii.*
205. &c. *Conditiones requisitæ per Jus Ecclesiasticum.*
209. &c. *Notanda circa has conditiones.*
212. &c. *Super qua re possit constitui Census?*

154 QUæritur 1. quid sit *Census*, & quot modis constitui possit? ℟. Nomen *Censûs* dupliciter potest accipi: *primò*, & minùs propriè pro ipsa Pensione pecuniaria, vel fructuaria, singulis annis solvenda; *secundò*, & magis propriè pro Jure ejusmodi Pensionem annuam ex re, vel persona alterius percipiendi. Navar. *Comment. de usur. n. 69.* Azor. *p. 3. l. 10. de Cens. c. 4. q. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 2.* Rebell. *p. 2. de oblig. Just. l. 19. q. 1.* Salas *tr. 3. de Cens. dub. 1. n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 1.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 1. n. 1. & 2.* Pirhing *hic n. 65.* Wiestner *n. 60.* Reiffenstuel *n. 126.* Porro, qui jus percipiendi ejusmodi Pensionem habet, *Censualista*; sive *Creditor*; qui verò obligationem solvendi illam, *Censuarius*, sive *Debitor* vocari solet, ut cum *citt.* monent Tann. *tom. 3. de Just. D. 4. n. 112.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 287.*

155 Potest autem hujusmodi Census, & solet variis modis constitui, ex quibus usitatissimi sunt quinque, videlicet Legato, Donatione, Transactione, Condemnatione, & Emptione: ac proinde quinque sunt species Censûs, Legatarius, Donatarius, Transactitius, Pœnalis, & Emptitius: De quatuor prioribus latè Palao *l. cit. p. 2. & quatuor seqq.* Quintus modus, quia Usuræ speciem refert, hujus est loci. Emptio Venditio, quâ constituitur, *Contractus Cen-*

Censualis vocatur, & definiri potest, quòd sit conventio, qua jus percipiendi reditus annuos, ex re, vel industriâ personæ provenientes, emitur, & venditur. Engl *hic n. 21.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 58.*

156 Quæritur 2. quotuplex sit Census in genere? R. alius est Reservativus, alius Consignativus. *Reservativo* dominium rei plenum, scilicet tam directum, quàm utile, transfertur in Censuarium, reservata solùm pensione, ex fructibus ex illa provenientibus, vel pecuniariâ quantitate annuatim solvenda *l. fin. C. de rer. permut.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 445.* Pirhing *hic n. 66.* Reiffenstuel *ibid. n. 129.* *Consignativo* dominus rei tam directum, quàm utile dominium retinet, & alteri consignat, seu concedit jus exigendi, & percipiendi ex ea annuam pensionem fructuariam, vel pecuniariam. Illsung, Pirhing *l. citt.* Reiffenstuel *n. 130.*

157 *Reservativi* hodie rarus est usus, frequentior verò Emphytevseos, cui licèt ille affinis sit, differt tamen ab illa, quòd per Emphytevsin transferatur dominium solùm utile, per Censum Reservativum autem etiam directum: & hinc etsi Emphytevta, Canonem per biennium vel triennium non solvens, dominium utile amittat *c. fin. de Locat.* & *l. in Emphyteuticariis 2. C. de Jur. Emphyt.* Censuarius tamen, Pensionem non solvens, dominium utrumque retinet, sed Pensiones solùm extantes solvere tenetur *arg. c. constitutus 6. ¶. cùm autem de Relig. Domib.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 5.* Haun. *tom. 4. tr. 10. n. 288.* Pirhing *hic n. 66.* Wiestner *n. 61.* Reiffenstuel *n. 128.*

158 Quæritur 3. quotuplex sit Census Emptitius? Frequentissimè Census Consignativus acquiritur Emptione: & hinc *Emptitius* appellatur. Dividitur autem 1. in Realem, & Personalem. *Realis* est, qui constituitur in certa aliqua re fructifera v. g. agro, vinea, domo, ex quibus debetur, quemcunque habeat possessorem, quòd ad hunc cum re transeat obligatio solvendi pensionem instar Servitutis, donec fuerit redempta, velut si Titius à Sempronio emat reditus, & proventus, quos ipse quotannis ex horto suo percipere solet, & potest. Azor. *p. 3. l. 10. de Censib. c. 3. divis. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 18. n. 1. & 2.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 7. n. 5.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 445.* Pirh. *hic n. 66. ¶. Census Consignativus.* Engl *n. 22.* Reiffenstuel *n. 131.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 59.*

159 *Personalis* autem, qui constituitur in certa aliqua persona, obligata ad solvendam annuam pensionem, ex industria, arte, opificio, aut aliunde, non designatis unâ, vel pluribus rebus certis, ex quibus ea sit præstanda, licèt aliquando ad debiti solutionem obtinendam in re aliqua certa Creditori Hypotheca constituatur. Less. *n. 7.* Laym. *n. 2.* Haun. *n. 292.* Wiestner *n. 62.* Magnif. P. Schmier *n. 60.* cum reliquis *suprà.*

Discrimen inter Censum Realem, 160
& Personalem hoc statuitur, quòd ille pereunte re, in qua constitutus est, pereat: iste maneat, etiam pereunte re, quæ in securitatem Hypothecata, & Creditori obligata est; quia principaliter in hoc censu obligatur persona. Pirhing *l. cit.* Utilitas Hypothecæ, Censui personali adjectæ, hæc est, quòd si persona ad Censum solvendum impotens fiat, exigi pensio ex re Hypothecata, etiam alienata, possit; idcirco enim obligatur in Hypothecam, ut securitatem habeat Creditor. Wiestner *l. cit.*

Addunt aliqui tertiam Speciem, sci- 161
licet *Censum mixtum*, qui videlicet constituitur super re, & super persona immediatè: cujus is est effectus, ut etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata: quod secus est in Censu merè reali, ubi, ut *n. præc.* dictum est, re ex parte, vel in totum pereunte, perit simpliciter Census ex parte, vel ex toto. Reiffenstuel *n. 132.*

Dividitur 2. Census in Pecuniarium, 162
& Fructuarium. *Census Pecuniarius* est, qui in pecunia; *Fructuarius*, qui in fructibus solvendus est: quod duplici modo fieri potest; nempe in quantitate certa, & stabili, ut quando singulis annis solvendi sunt quinque floreni, vel duæ scaphæ frumenti; vel in quantitate incerta pro quantitate fructuum, ut quando solvenda est quarta pars fructuum colligendorum. Priori modo constitutus Census dicitur *certus*, & *Determinatus*; posteriori *incertus*, & *indeterminatus*, quia quantitas ejus pendet ex indeterminato eventu; cùm enim incertum sit, quot colligendi sint fructus, incertum etiam erit, quot fructus quarta illa pars continebit. Palao *p. 7. cit. n. 6.* Illsung *n. 445.* Pirhing *n. 66. divis. 3.* Wiestner *n. 62.*

Dividitur 3. in Perpetuum, & 163
Temporalem. *Perpetuus* nullum terminum habet, sed ex se in perpetuum durat: & propterea nec morte venditoris, nec morte emptoris, vel alterius cujuscunque finitur, sed obligatio pensionem designatam solvendi ad hæredes Venditoris, sive Debitoris, & jus illam exigendi ad hæredes Emptoris, sive Creditoris transit. *Temporalis* verò absolvitur tempore, eóque vel certo, & determinato, ut si ad 10. vel 20. annos constitutus sit, vel incerto, & indeterminato, ut quando constitutus est ad vitam unius, vel alterius: & siquidem constituatur ad Vitam Censualistæ *Vitalitius* appellatur. Palao *n. 7.* Illsung, *n. 445.* Pirhing *n. 66.*

divis. 2. Wiestner *n. 63.* Reiffenstuel *n. 135.*

164 Dividitur 4. in Redimibilem, & Irredimibilem. *Redimibilis est*, qui redimi potest: quod potest fieri tripliciter, *ex parte Debitoris*, si liceat, restituto pretio, se obligatione Census solvendi liberare; *ex parte solius Creditoris*, si iste possit, Censu resignato, repetere pretium; & *ex parte utriusque*, si tam Debitor, restituto pretio, à Censu liberari, quàm Creditor, resignato Censu, pretium possit repetere. Potestque huic potestati redimendi Censum adjici pactum, ut vel redimi possit quocunque tempore in perpetuum, vel solùm intra certum tempus, ita, ut hoc lapso non amplius extingui queat, Azor. *p. 3. l. 10. de Censib. c. 3. divis. 4.* Palao *n. 8.* Pirhing *l. cit. divis 4.* Engl *n. 22. ℣. uterque.* Wiestner *n. 65.* Reiffenstuel *n. 135.* Magnif. P. Schmier *n. 61. & 62. Irredimibilis* verò est, qui neque debitore pretium restituente, neque creditore id sibi restitui petente, invito altero, tolli potest, licèt utroque volente redimi semper possit, *Pirhing*, *Wiestner*, *Schmier l. citt.*

165 Quæritur 4. an permitti, & ab Usura absolvi, possit Census Emptitius realis? Dixi *Emptitius* scilicet Consignativus, per Emptionem constitutus; nam *certum est*, licitum esse Censum reservativum: ut probat exemplum Josephi Proregis Ægypti, & communiter affirmant DD. teste Reiffenstuel *hic n. 136. Certum est 2.* posse sine periculo Usuræ, aut alterius labis constitui etiam Censum consignativum per Legatum, Donationem, Transactionem, Condemnationem.

166 *Difficultas* solùm est de Censu Emptitio, & in hac quidem Quæstione de Reali; nam Emptiones Censuum, sive Censualium redituum omni tempore nonnihil visas esse suspectas, & ad instar clypei pro subterfugiendis Usuris adinventas, rectè cum aliis notat Fagnan. *in c. in civitate 6. h. tit. n. 19.* Et quidem hujusmodi Emptionem iniquam, & Usurariam esse contendunt Henriq. *quodl. 1. q. 39.* & *quodl. 8. q. 24.* Salicet. *in Auth. ea lege C. de usur. fin.* Hotoman. *l. 2. obs. c. 15.* & citantur pro hac sententia *Joan. Andr. Innoc. Ant. Butrio*, & *Alex. de Nevo*, tametsi non apertè illam docuerint.

167 *Fundantur* autem hujus Sententiæ Patroni 1. quia Usura secundùm omnes DD. est pecuniam præsentem dare pro majore illius quantitate reddenda in futurum, hoc autem facit emptor Censûs realis, nam si redimibilis sit, pro 100. nunc datis post annum recipit 105. si irredimibilis, post 20. annos, intra quos successivè recepit totam Summam creditam, pergit pro 100. annuatim percipere 5. 2. non tantùm mutuum verum, sed etiam fictum, sive interpretativum Usuram inducit *c. ad nostram 5. de Empt. c. illo 4. de Pignor. c. in civitate 6. h. tit.* atqui hujusmodi mutuum intervenit in contractu Censuali, nam sicut in Contractu mutui tenetur debitor restituere pecuniam ejusdem generis, & quantitatis, ita etiam in hoc contractu, si venditor velit Censum à se constitutum redimere. 3. proprius, & primarius pecuniæ usus est, ut per eam res cæteræ æstimentur, non verò, ut ea sit sui ipsius æstimatio, prout contingere videtur in Emptione Censûs, saltem quo emitur pensio pecuniaria. 4. ex contractu Censuali multa mala oriuntur; nam multi, ne incurrant pœnas Usurarum ex mutuo, confugiunt ad hunc Contractum, indéque certius lucrum interdum quæritur, quàm si ad Usuras pecuniam suam dedissent. atqui quod unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti *Reg. 84. in 6.* 5. in contractu Emptionis Venditionis debet esse æqualitas inter mercem, & pretium. atqui ista non datur in Censu, præsertim redimibili ex utraque parte, vel perpetuo; quia in priori singulis annis solvuntur 5. pro 100. usquedum, reddito pretio, Census redimatur: in posteriore solutio pensionum continuatur, adeò, ut successu temporis Pensiones duplo, triplo, & ultra pretium datum excedant.

168 Sed dicendum, novum Censum tam pecuniarium, quàm fructuarium constitui, eumque absque Usuraria, & omni alia iniquitate posse. Ita *Abb. in c. 6. h. tit. n. 6.* Sylv. *V. Usura 2. q. 12. dict. 2.* Navar. *Comment. de Usur. notab. 12. n. 69.* Covar. *l. 3. var. c. 7. n. 2.* Felician. de Solis *l. 1. de Censib. c. 7.* Azor. *p. 3. l. 10. de Censib. c. 4. q. 3.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 385 n. 8.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 13.* Salas *de Censib. dub. 2. n. 3.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 3.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 10. n. 2.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 446.* Pirhing *hic n. 67. & 68.* Wiestn. *n. 66. ℣. his tamen.* Reiffenstuel *n. 137.* cum TT. & JCtis modernis plerisque: & sumitur ex *Const. Extr. 1. & 2. int. comm. de Empt. & Vendit.* ubi disertè approbatur Census Realis, si in ejus emptione observetur pretium consuetudine, vel Statuto taxatum, quod in Germania nostra sunt 100. pro 5.

169 Et quidem quòd licitus sit *Census realis fructuarius*, probatur ex eo, quia potest quis emere totum prædium, & jus percipiendi omnes fructus; item potest quis emere Usumfructum, remanente dominio directo penes Venditorem. ergo potest etiam quis emere jus percipiendi partem fructuum ex prædio alieno, hoc autem fit in reali Contractu Censuali fructuario, in quo intervenit vera Emptio Ven-

Venditio; nam res, quæ venit, & emitur, est jus percipiendi fructus, vel partem fructuum, quod Venditor Censûs tribuit, & obligatio præstandi annuum Censum, sive Pensionem fructuariam ex prædio suo, quam in se suscipit, pretium verò est certa pecuniæ quantitas, quæ pro eo Jure, & obligatione susceptâ datur.

170 Quod verò etiam permissus sit *Census realis pecuniarius*, sequitur ex modò dictis; quia quando Pensio pecuniaria, & fructuaria, æquales in valore sunt, cùm pecunia recipiat æstimationem rerum omnium, is, qui pensionem pecuniariam emit, idem fecisse censetur, acsi emisset fructuariam ejusdem valoris, licitus autem est Census realis fructuarius. ergo & pecuniarius. Deinde qui emit Censum fructuarium, potest postea hunc permutare cum pecuniario, ita, ut deinceps debitor loco fructuum teneatur annuatim solvere certam pecuniæ summam, quæ æquivaleat valori, seu æstimationi fructuum. ergo idem potest fieri ab initio per unicum contractum, qui duobus æquivaleat.

171 *Conf. 1.* de Censu reali in genere; nam Usura non committitur, præterquam in mutuo, atqui in Censu nullum intervenit mutuum, sed verus Contractus Emptionis Venditionis; quia Censuarius sub certa pecunia vendit ipsi Censualistæ jus percipiendi partem fructuum ex prædio, vel industria sua. ergo. &c. 2. quia potest quis in bonis suis, vel industria personæ suæ constituere alteri jus percipiendæ pensionis titulo donationis. ergo etiam titulo emptionis; quia quod emitur, non minoris valet, quàm id, quod donatur. 3. licitè emitur partus, & fructus futurus *l. nec emptio 8. p. 2. ff. de contr. empt.* item Ususfructus, sive jus percipiendi fructus prædii alieni *l. necessariò 8. pr. ff. de peric. rei vendit.* & cæteræ Servitutes v. g. itineris, aquæductûs &c. *§. fin. Inst. de Servit.* ergo etiam Census realis, qui est quædam quasi Servitus, & pars aliqua Ususfructûs.

172 Neque contrarium probant Argumenta *n. 167.* allata. *Ad 1.* vi Contractûs Censualis non emitur ipsa pecunia, sive præsens, sive futura, tanquam merx, sed jus præsens percipiendi suo tempore pecuniam, quod jus non minùs, ac alia jura incorporalia, emi, & vendi potest. Nec contra naturam Emptionis est, quòd jus hujusmodi non statim, sed primùm in futurum currat, cùm etiam jus percipiendi futuros fructus agri, vineæ &c. emi valeat *l. nec emptio vit.* *Ad 2.* imprimis retorquetur argumentum in Emptione Venditione cum pacto de retrovendendo, ubi emptor justè recipit fructus, donec refundatur pretium. Deinde lata disparitas est intra Mutuum, & Contractum Censualem; nam in Mutuo principalis obligatio est ad reddendam sortem: in Contractu Censuali autem obligatio principalis est ad solvendam pensionem annuam, & pretium retineri potest, quamdiu solvitur pensio. Quòd verò soluto Contractu, & jure ad pensionem annuam restituto, etiam reddi debeat pretium, pro hoc jure expensum, mirum esse non debet; quia tanti hoc jus valet, quando venditori retrovenditur, quanti valebat, quando ab hoc primò fuit emptori venditum. *Ad 3.* pecunia in hoc casu non est æstimatio sui ipsius, sed juris ad pensionem pecuniariam, aut fructuariam, quod emitur, & venditur. *Ad 4.* Regula allegata locum duntaxat habet, quando quid principaliter prohibetur per Legem; secus est, si tantùm prohibetur quoad certum modum: Sic etsi hæreditas relinqui alteri per pactum nequeat, relinqui tamen per Testamentum potest *l. hæreditas 5. C. de Pact. convent.* & *l. licet 19. C. de Pact.* igitur licèt prohibitum sit capere lucrum ultra sortem ex Mutuo, non tamen prohibitum erit ex Contractu Emptionis Venditionis, cujusmodi revera est Contractus Censualis. *Ad 5.* argumentum probat, illicitè emi agrum, vel domum certo pretio; quia fructus ex agro, & pensiones ex domo locatâ percipiendi intra paucos annos pretium agri, vel domûs superaturi sunt: si ergo hoc non obstante, dominium totius agri, vel domûs licet emere minore pretio, quàm sint fructus, & pensiones ex illo, vel illa percipiendæ, multo magis licebit minore pretio emere Censum in tali agro, vel domo, cùm Census iste sit solùm pars illius Juris, quod in dominio retinetur, & minus sit habere Censum etiam perpetuum, & irredimibilem in re, quàm ejus dominium. Cæterùm inæqualitas inter mercem, & pretium in hoc contractu satis evitatur, vel compensatur tum ob periculum amittendi & pretium, & Censum casu, quo res Censui subjecta perit; tum ob molestias, & expensas, quas Censualista sæpenumero pati debet pro perceptione Censûs; tum propter advenientem aliam impossibilitatem denuo recipiendi pretium, quo forsan emptor indigeret ad facienda lucra, & vitanda damna.

Quæritur 5. quisnam Census realis 173
constitui, & emi licitè possit? R. hic distinguendum esse inter Jus naturale & Jus positivum humanum. nam Jure naturali præcisè spectato, licitè emi, vendique potest Census tam irredimibilis, quàm redimibilis, & hic, sive sit redimibilis ad arbitrium solius Venditoris, sive ex parte utriusque tam venditoris, quàm emptoris, dummodo Census eo pretio ematur, quod consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ re-

ceptum est, ut 5. fl. annui reditus emantur pro 100. Ita Gabr. *in 4. dist. 15. q. 12. art. 2. concl. 4.* Medin. *q. 15. de reb. per usur. acquis. §. quæ de pacto.* Less. *l. 2. de J. c. 21. n. 55. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 5.* Engl *hic n. 22.* Pirh. *n. 71.* Reiffenst. *n. 140.*

174 Et quidem de *Censu reali redimibili ex parte Venditoris* ratio est; quia hic nulli suspicioni, vel præsumptioni Usuræ obnoxius est, cùm etiam aliæ venditiones cum pacto redimendi ad arbitrium venditoris permissæ sint *l. si fundum 2. C. de Pact. int. Empt. & Vendit.* Imò hic modus constituendi pensionem approbatur etiam per Jus positivum humanum; nam tales sunt Census, quos permittunt Pontifices, ut infrà *n. 178.* dicetur.

175 De *Censu redimibili ex parte Emptoris* ostenditur; nam si illicitus esset ejusmodi Census, ideo esset, quia in eo includeretur mutuum. atqui in hoc contractu non includitur mutuum, ne quidem palliatum; nam in mutuo periculum rei mutuatæ in mutuatarium transit, contrà in Censu periculum Censûs ad Emptorem spectat: item in Contractu Censuali lucrum proficiscitur ex re frugifera; in mutuo autem, si Usuram contineat, lucrum quæritur ex re sterili. *Conf.* quia in venditione aliarum rerum potest adjici pactum redimendi ex parte solius emptoris; & nominatim Ususfructus in re aliena immobili constitui potest ea conditione, ut non tantùm liceat venditori, restituto pretio, jus fruendi annuum redimere, sed etiam fas sit emptori, cesso fruendi jure, agere ad restitutionem pretii, ergo hoc modo etiam constitui potest Census.

176 *De Censu utrinque redimibili* patet 1. quia Contractus ex conventione legem accipiunt *Reg. Contractus 23. ff.* & *Reg. 85. in 6.* 2. quia pactum redimendi ex parte utriusque apponi potest aliis emptionibus, ut dictum est *Libr. 3. Tit. 17. à n. 37.* 3. quia onus pretium remisso Censu reddendi compensari ad æqualitatem potest solvendo pretium majus pro Censu. Et hoc omnino fieri debet hoc casu, sicut contrà illud minui debet, quando Census est redimibilis solùm ex parte venditoris; quia in priori casu majus, & speciale onus imponitur venditori, quod cùm pretio æstimabile sit, meritò in pactum sortis, seu pretii computatur. Hinc fieri potest, ut quando celebratur Contractus Censualis cum pacto redimendi ad arbitrium solius Venditoris, unius annui floreni reditus emantur tantùm pro 17. & sex annui pro 100. cum tamen casu, quo celebratus est cum pacto reciproco redimendi ad arbitrium utriusque, ex recepta Germaniæ consuetudine, unius floreni annui reditus ematur pro 20. & quinque annui pro 100. Laym. *c. 18. cit. n. 6.* Pirhing *n. 72.*

177 De *Censu irredimibili* duplex ratio est, quæ ostendit illum esse licitum, & Usuraria iniquitate carere. 1. quia ita vendi potest Ususfructus. ergo etiam Census, qui est pars quædam Ususfructûs; nam quod juris est in toto quoad totum, hoc etiam est de parte quoad partem *l. quæ de tota 76. ff. de R. V.* 2. quia onus Venditori impositum, ut Census nequeat redimi, aucto pretio compensari potest, ut rectè observant Card. de Lug. *de J. & J. D. 27. sect. 7. n. 111. fin.* Pirh. *n. 69.* Wiestn. *n. 69.* Reiffenstuel. *n. 141.*

178 Porro hactenus dicta de licentia Censûs realis, ut *n. 173.* monui, procedunt saltem, spectato Jure naturali; nam de Jure positivo humano distinguendum est. Et quidem Emptio Censûs redimibilis ex parte Venditoris hoc Jure permittitur, ut patet ex *Extrav. 1. & 2. int. com. de Empt. & Vendit.* nec non ex *Const. S. Pij V.* incipit *Cùm onus de Censib. edit. 14. Calend. Febr. 1568.* ubi Censûs ejusmodi constitutio, & emptio apertè approbatur. Contrà Emptio Censûs irredimibilis, & redimibilis ex parte utriusque rejicitur, ut patet ex *Const citt.* & *Const. Caroli V. Imp. editâ in Comitiis Augustanis 1548. & 1550.* non quidem ex ea ratione, quòd ex naturâ rei contineant Usuram, ut nonnulli crediderunt, sed propter periculum Usurariæ intentionis, quæ propter defectum æqualitatis, ac pretii diminutionem in foro externo facilè præsumitur. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 6.* Wading. *D. 6. de Contract. dub. 8. §. 3. n. 1.* Carpzov. *pract. crim. q. 92. n. 64.* Engl *hic n. 22. §. verum quidem*, Pirhing *n. 72. not. 3.* Wiestner *n. 69.* Reiffenstuel *n. 142.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2 n. 68.*

179 Quia verò uterque Census, scilicet tam irredimibilis, quam redimibilis ex utraque parte non adversatur Juri Divino, & naturali, sed soli humano, contra Jus humanum autem valida, & licita sit consuetudo *C. fin. de Consuet.* hinc uterque Contractus licitè, & validè celebrari poterit in eo loco, ubi præfatæ Constitutiones vel non sunt usu receptæ, vel per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam quoad hoc abrogatæ, ut cum aliis notat Reiffenstuel *n. 143.* modò ut dictum est *n. 176. & 177.* augeatur hoc casu pretium, & sic inæqualitas illa, quæ impositione oneris non redimendi in Censu irredimibili, & pretium acceptum reddendi in redimibili ex parte utriusque Venditori imponitur, ad æqualitatem reducatur. Reiffenst. *n. 144.* Schmier *n. 69.*

180 Quæritur 6. an licita, & honesta sit etiam Emptio Censûs personalis, inspecto naturæ Jure? *Certum est*, quòd Census personalis non potuit constitui in persona li-

libera, ita ut, si non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subjicere, sicut prædium potest vendi, & vindicari; quia liber homo non potest pignori dari *c. lator. 2. de Pignor.* jus autem Censûs est majus jure Pignoris: item non potest homo liber in servitutem redigi ob debita. Pirhing *hic n. 74.*

181 *Dubium* hic tantùm est de eo Censu personali, vi cujus Creditor, sive Emptor Censûs solùm acquirit jus percipiendi annuam Pensionem (cui interdum ad securitatem accedit jus Hypothecæ in omnibus bonis debitoris) in Debitore verò, seu Venditore, tantùm oritur obligatio personalis illam pensionem solvendi (& in bonis obligatio Hypothecaria) sicut Emptor rei alicujus contrahit obligationem personalem solvendi pretium, de quo in Contractu conventum est. Et quidem ejusmodi Censum constitui posse ob periculum sortis, damnum emergens, & lucrum cessans, satis patet ex dictis *à n. 108.* modò serventur conditiones ibi descriptæ.

182 An verò Usuraria labe immunis sit emptio Censûs secundùm se, & quando nullum timetur damnum emergens, lucrum cessans, vel sortis periculum, controversia est inter DD. Tanquam injustam, & usurariam illam improbant. Navar. *comment. de usur. n. 8.* Gutier. *l. 2. pract. q. 177. n. 7.* Valasc. *de Jur. Emphyt. q. 32. à n. 10.* Fachin. *l. 2. contr. c. 44.* & alii magni nominis DD.

183 *Fundantur* triplici Argumento. 1. Quia hoc modo facilè palliari Usuræ possent; nam his intenti, cùm videant, se ex vi mutui accipere ultra sortem non posse aliquid, finem hunc obtinerent emptione Censûs personalis: & sic præcludetur via mutuationi, Usuris aperietur. 2. Quia talis Contractus reipsa non differt à Contractu mutui Usurario; nam Usurarius, & mutui Contractus est, quando aurum ex auro nascitur *can. sicut 8. §. interdum dist. 47.* hoc autem fit in Emptione Censûs personalis, cùm emendo jus exigendi pensiones, emisse quis censeatur ipsas pensiones. 3. Aliàs qui nunc dat 100. per ista 100. posset emere 200. postea per partes, & successivè tradenda.

184 Sed melius contractus iste, spectando solum Jus naturale, neque Usurarius, neque injustus est. Ita Abb. *in c. 6. h. tit. n. 7.* Felic. de Solis *l. 1. de Censib. c. 8. à n. 4.* Sot. *l. 6. de Just. q. 6. art. 1. concl. 4.* Covar. *l. 3. var. c. 7. n. 5. v. ego sanè.* Azor. *p. 3. l. 10. c. 5. q. 1.* Decian. *cons. 3. n. 70. vol. 1.* Gail. *l. 2. obs. 7. n. 13.* Leff. *l. 2. de Just. q. 22. n. 18.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 7.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 11. n. 2.* Illsung *tr. 4. D. 2. n. 446.* Engl. *hic n. 22.* B. 2. Wiestner. *n. 72.* Reiffenstuel. *n. 72.* Magnif. P. Schmier *p. 2. c. 2. de delict. n. 70. &c.* & inclinat Pirhing. *hic n. 75.* qui licèt putet contrariam sententiam speculativè probabiliorem esse, tamen cùm in multis Provinciis, ut in Germania, Belgio, & Gallia, observetur contrarium addit sententiam istam non facilè debere damnari, cùm tot viri docti, & religiosi faciant.

Sumitur ex dictis de Censu reali: & 185
Confirmatur ulterius 1. quia Emptor Censûs personalis minùs securus est de recipiendis Pensionibus annuis, quàm emptor Censûs realis. Igitur si jure naturæ illicita non est emptio Censûs realis, etiam illicita non erit emptio Censûs personalis. 2. Obligatio solvendi singulis annis determinatam pensionem imponi personæ potest Lege, vel Statuto; sic enim Decimæ personales sunt introductæ. Sed quod Lege statuitur, potest etiam statui conventione partium. 3. Persona gratis obligare se potest ad solvendam partem lucri, ex personæ suæ industria percipiendi, ergo etiam obligare se ad istud potest, accepto pretio.

Proceditque hoc, etiamsi temporis succes- 186
cessu pensiones perceptæ excedant pretium; neque enim (ut contendebat *Molina*) pretium acceptum cumulo pensionum debet æquale esse, ut bene notat Palao *l. cit. n. 2.* quia pensiones, per longa tempora distributæ, ob incommoda, & difficultates, quæ frequenter in earum recuperatione intervenire solent, minoris æstimantur, quàm si præsentes essent, ut adeò, quamvis minùs sit pretium, quàm omnis pensionum cumulus, adhuc illud istis possit æquale esse. Et esto, fingatur, in aliquo casu nullum incommodum, vel difficultatem futuram, non obinde infertur, minoris emi non posse; quia ad honestatem emptionis satis est, quòd frequenter ex difficultates, & incommoda intercedant, quibus inspectis, Leges statuerunt justum pretium illarum pensionum esse minorem summam numeratam.

Neque contrarium probatur ex Ar- 187
gumentis *n. 183.* allatis. Ad 1. nego Usuris aperiri viam, aut mutuationi præcludi; nam cùm Census non possit constitui, nisi ad longum tempus, nemo cordatus pecuniam suam in Censum concederet pauperi, non habenti bona Hypothecanda pro pensionibus, & ipsa sorte; sed potiùs vellet minorem quantitatem pro breviori tempore mutuare. Periculum verò palliandi Usuras hic nullum est, cùm Usuræ non fiant, nisi in mutuo. *Ad 2.* magna disparitas est inter Emptionem Censûs, & mutuum cum pactò solvendi aliquid ultra sortem; nam 1. in mutuo lucrum præcisè petitur ex pecunia, re per se sterili; in emptione Censûs petitur ex re fructifera, seu industria venditoris. 2. In mutuo pecunia

da-

datur pro jure exigendi succeſſivè penſiones annuas, quod ab ipſis penſionibus, quoad ſingulos annos ſucceſſivè ſpectatis, diſtinguitur. 3. Si perſona, ad penſionem obligata, intereat, aut nequeat ampliùs ex induſtria propria lucrum ſibi comparare, jus exigendi penſionem annuam prorſus extinguitur; contrà jus mutuum repetendi manet, etiamſi res mutuata conſumpta ſit. 4. Si res Cenſualis propter ſterilitatem, vel aliam cauſam tantos fructus non proferat, ut integræ penſioni ſufficiant, non tenetur debitor, ſeu venditor Cenſûs ſolvere totum Cenſum, niſi antecedentium, vel ſubſequentium annorum fertilitas talem ſterilitatem compenſet: cujus ratio eſt, quòd hic Contractus Emptionis ſit, & emptione perfecta, periculum, in re empta contingens, ad emptorem pertineat *tot. tit. ff. de peric. & commod. rei vendit.* at quocunque modo, & causâ res mutuata nullum attulerit fructum mutuatario, reſtitui nihilominus mutuum mutuanti debet. 5 Denique in Cenſu ex parte emptoris non redimibili non poteſt pretium, venditori numeratum, ipſo diſſentiente, ab emptore repeti, ſicut tamen repetere ſummam principalem poteſt Creditor ex mutuo, licèt diſſentiat mutuatarius. *Ad 3.* iterum negatur paritas; nam, ut ſæpius dictum, in Emptione Cenſûs jus percipiendi penſiones, non ipſæ penſiones emuntur. *Dices:* qui ſe obligat ad aliquid dandum pro pretio, quod nunc accipit, non poteſt vendere jus ad rem illam, quin ſimul vendat ipſam rem dandam; alioquin quoties venditur triticum, poſtea tradendum, pro pretio, non venderetur triticum, ſed jus ad illud. *R.* Nego iterum paritatem; nam quando triticum venditur, venditur res certa, & determinata: quando verò penſiones annuæ, cùm acquiſitio illarum ex dubiis eventibus, iiſque valde frequentibus pendeat, ipſæ penſiones emi nequaquam cenſentur, cùm pretium emptionis venditionis debeat eſſe certum.

188 Quæritur 7. an Emptio Cenſûs perſonalis ſit licita etiam de Jure Eccleſiaſtico? *Certum eſt* eſſe illicitam. *Dubium* ſolùm eſt, ex quibus Juris Eccleſiaſtici textibus probentur eſſe illicitæ. Allegant nonnulli *Extrav. 1. & 2. int. comm. de Empt. & Vendit.* Ubi approbantur ſoli Cenſus, qui Conſtituuntur in re immobili frugifera pro pretio, approbato loci conſuetudine, cum libera facultate eum Cenſum, reſtituto pretio, redimendi, & ea conditione, ut re pereunte, extinguatur Cenſus, etiam pretio non reſtituto.

189 *Sed dicendum*, ex his textibus nihil probari, cùm aliud ſit approbari Cenſus reales, & aliud improbari perſonales. Primum per *Conſtit. cit.* factum eſt, non ſecundum. Imò Nicolaus V. & Gregorius XIII. *in ſuis Conſtit. de Cenſib.* expreſsè affirmant, perſonam in Cenſu obligari poſſe, & obligationem perſonæ eſſe præcipuam, tametſi bona aliqua in ſecuritatem ſolutionis aſſumantur Hypothecæ, aut Pignoris jure.

Quare meliùs Navar. *Comment. de uſur. n. 78.* Sot. *l. 6. de Juſt. q. 5. art. 1.* Covar. *l. 3. var. c. 7. n. 6.* Molin. *l. 2. de Juſt. D. 389. n. 4. & 5.* Palao *tr. 30. D 6. p. 11. n. 3.* Pirh ng *hic n. 82.* Wieſtner *n. 74.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 79.* & alii plerique prohibitionem Cenſûs perſonalis deſumunt ex *Conſt. S. Pii V.* incipit *Cùm onus 14. Calend. Febr. 1568.* & conditionibus in hac requiſitis ad honeſtatem Cenſûs emptitii; nam inter cæteras conditiones, ut videbimus *n. 207. & ſeqq.* Sanctus hic Pontifex requirit, ut Cenſus conſtituatur in re fructifera, non quavis, ſed immobili, certâque, & nominatim deſignata, conf. per eam *Conſtit.* Cenſus emptitius perſonalis non eſt licitus, ſaltem in iis locis, ubi Conſtitutio hæc eſt uſu recepta, & viget.

Quæritur 8. utrùm licita ſit Emptio Venditio Cenſûs temporalis, ſive ad tempus incertum, v. g. ad vitam ementis, qui Cenſus *Vitalitius* dicitur, ſive ad certum tempus v. g. ad 10. & 20. annos? Non defuerunt, qui hanc Conſtitutionem, præſertim Vitalitii improbaverunt. Quorum fundamentum poteſt eſſe 1. quia hæc Conſtitutio Cenſûs non eſt tam emptio, & venditio, quam quædam ſpecies ſortium aleæ, ſeu fortunæ à Jure reprobata, cùm æquali lucro, aut jacturæ ſe contrahentes exponant. 2. Quia non videtur eſſe æqualitas inter pretium, & mercem, cùm fieri poſſit, ut ſucceſſu temporis, penſiones ſimul ſumptæ pretium datum altero tanto, & magis excedant. 3. Cenſus, ad vitam ementis conſtitutus, præbet occaſionem captandæ mortis ejus, cujus vitâ finitur. 191

Sed dicendum, utroque modo Cenſum Emptitium conſtitui poſſe. Et quidem, quòd conſtitui poſſit ad tempus incertum, e. g. vitam ementis, concedunt Covar. *l. 3. var. c. 7. n. 3.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 388. n. 2.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 22. n. 40. & 41.* Salas *tr. de Cenſib. dub. 5. n. 2.* Palao *tr. 30 D 6. p. 13. n. 2.* Pirhing *hic n. 70.* cum S. Thom. *Opuſc. de uſur. 73. p. 1. c. 9.* Ratio eſt, quia jus ad penſiones annuas percipiendas, interim dum aliquis vivit, juſto pretio æſtimari, vendíque poteſt. *arg. Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* ubi permittitur Prælato, exigente neceſſitate, vel utilitate Monaſterii, vendere annuum reditum alicujus poſſeſſionis ad vi- 192

tam

tam alicujus ; & ita passim Ususfructus ad vitam Usufructuarii æstimatur, & venditur *l. necessariò 8. §. fin. ff. de peri. & commod. rei vendit.* ergo etiam licebit annuum reditum, etiam pecuniarium, pro vita alicujus vendere, & emere.

193 Quòd verò Census Emptitius etiam constitui possit ad tempus certum, e. g. ad 10, vel 20. annos, tenent Covar. *l. cit. n. 4.* Cajet. *V. Usura fin.* Navar. *Man. c. 17. n. 230. & comment. de Usur. n. 71.* Less. *c. 22. dit. n. 42.* Pirhing. *n. 70. ff. de Censu.* cum aliis. Et quidem si Census sit *realis*, nullum esse videtur dubium ; sicut enim emi potest jus percipiendi fructus, seu emolumenta ex re fructifera aliena in perpetuum, ita etiam ad certum annorum numerum: nam si aliquid obstaret, obstaret, quòd successu temporis pensiones excessuræ sint pretium, hoc autem non obstat ; quia etiam in Censu perpetuo excedunt. Si verò loquamur de Censu *personali*, majus est dubium, idem tamen dicendum videtur, quod de reali ; quia non potest dari sufficiens ratio, cur communi æstimatione, vel Principum lege non possit Juribus personalibus imponi certum aliquod pretium, quod spectatis circumstantiis justum sit. si autem hoc fieri potest, simile pretium imponi poterit etiam conventione partium.

194 Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad 1.* Constitutio censûs ad tempus incertum non est contractus sortis, aleæ, seu fortunæ, sed est vera emptio juris ad fructus incertos. *Ad 2.* ex hac ipsa incertitudine provenit, quòd pretium, quo emitur talis Census, licèt minus sit, quàm omnes pensiones simul sumptæ, justum nihilominus sit ; multa enim sunt, quæ jus istud ad pensiones in futurum exigendas faciunt minùs valere, quàm valeant ipsæ pensiones, tum ob commoditatem pecuniæ præsentis, quâ emens se privat, tum ob incertitudinem vitæ ejus, super quem Census est constitutus, tum denique quia variis modis accidere potest, ut intra tantum tempus nihil percipi possit: quæ omnia suadent, cùm lucrum illud supra sortem sit merè fortuitum, hoc jus emi posse minore pretio. *Ad 3.* periculum illud captandæ mortis alienæ non oritur ex ipso contractu, sed per accidens ex malitia venditoris ; & si propterea illicita esset constitutio Censûs vitalitii, etiam illicita foret promissio, vel donatio domûs, aut fundi post mortem donantis: quod tamen falsum est ; nam in sola renuntiatione hæreditatis viventis periculum istud à Jure præsumitur.

195 Quæritur 9. quænam alia pacta addi possint constitutioni Censûs emptitii? R. potest Census 1. ita constitui, ut redimi possit intra certum tempus e. g. 10. annos non autem postea ; vel contrà, ut intra illud tempus non possit redimi, postea verò redimere illum liceat ; quia licitum est emere Censum absolutè irredimibilem, ergo etiam licebit emere irredimibilem sub certa conditione, qualis est in casu quæstionis, modò tamen tantò magis augeatur pretium venditionis, quantò magis restringitur venditori potestas redimendi Censum ad suum arbitrium ; tantò enim minus valet hoc jus, quantò magis potestas ista restringitur, & tanto plus valet, quantò magis ampliatur. Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 51. & duob. seqq.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 9.* Pirhing *hic n. 72. not. 2.*

196 2. Probabiliter defenditur, & toleratur Contractus Censualis realis utrinque redimibilis, adjecto etiam pacto assecurationis in perpetuum, nempè, ut si res censui subjecta fortuito casu pereat, id non emptoris, sed venditoris damno accidat, & hic nihilominus obligatus sit pensionem solvere, vel super alia re fructifera Censum constituere : modò tamen onus hoc venditori impositum ipsi prudentis arbitrio debitè compensetur augendo pretium Censûs, vel quod in idem recidit, minuendo pensionem solvendam. Less. *n. 66.* Laym. *n. 10.* Pirhing *n. 73.* Ratio est, quia tale pactum assecurationis potest addi etiam aliis contractibus v. g. Commodato, Depositi, Mutuo, nempe ut periculum rei non ad commodantem, vel deponentem juxta Contractûs naturam, sed ad commodatarium, depositarium &c. spectet, ut constat ex *c. un. de eo commodat. & l. depositum 1. §. sæpe evenit. 35. ff. Depos.* Neque verò tale pactum est contra naturam Contractûs, sed præter illam ; quia manente ejus substantia, obligat ad aliquid, ad quod naturâ contractûs Censualis non obligat, sicut fit in Emptione, Venditione, cui additur pactum de retrovendendo. Less. *n. 67.* Pirhing *n. 73.* Quodsi tamen Census realis cum pacto assecurationis institutur, vel continuetur cum persona, quæ nullos habet reditus ex re fructifera, Usurarius erit ; quia tunc reipsa idem est, acsi mutuò daretur cum pacto solvendi quotannis aliquid supra sortem ; licèt id sub nomine, & specie Censûs, velut sub pallio occultetur. Laym. *n. 14.* Pirhing *n. 73. fin.*

197 3. Licitè contractui Censûs præfertim reservativi additur pactum, ut si per biennium, vel triennium culpâ debitoris soluta non sit pensio, res censui subjecta cadet in commissum, & in pœnam negligentiæ efficiatur domini Censûs, quia tale pactum implicitè continetur in Contractu Emphyteutico, cui Contractus Censualis ex aliqua parte similis est. Less. *n. 68.* In Contractu consignativo addi pactum

istud non potest, nisi ex æquo compensetur, aucto pretio Censûs arbitrio prudentis Less. *l. cit.* qui *n. seq.* addit posse absque augmento pretii addi pactum, ut si debitor per biennium non solverit suâ culpâ pensionem, contractus resolvatur, & Censuarius teneatur restituere pretium; quia pactum Legis Commissoriæ, tali modo Contractibus adjectum, permissum est, prout dictum est *Libr. 3. Tit. 17. à n. 52.*

198 4. Licitè additur pactum, ut debitor Censûs non possit vendere rem Censui subjectam, non requisito priùs illo, qui Censum in ea habet, sicut in contractu Emphytevtico; quia fieri posset, ut hujusmodi venditione gravaretur ille, cui Census debetur, si scilicet res illa alienaretur in potentiorem, & multis privilegiis instructum, à quo difficulter obtineri posset solutio pensionum. Neque ob tale pactum debet augeri pretium, cùm emptor ejus appositione non specialiter gravetur Less. *n. 71.*

199 5. Licitè additur pactum, ut Census non possit redimi per partes; nam etiam in cæteris rebus, cùm aliquid venditur cum pacto, ut liceat eodem pretio redimere, non censetur venditor habere jus redimendi per partes, quippe qui modus redimendi posset cedere in grave incommodum emptoris. Et hinc nisi expressè convenerit, ut liceat per partes redimere, vel nisi Jura, aut consuetudines id concedant, non poterit venditor, nolente emptore, sic redimere; sed tenebitur redimere totum simul, sicut totum simul vendidit.

200 Quæritur 10. quænam conditiones requirantur Jure naturali, ut licita, & honesta sit emptio Censûs? R. 1. requiritur, ut constituatur in re fructifera; ex qua pensio suo tempore debita sive immediatè, sive mediatè, ut fit, cùm pecunia ex agro solvenda est, solvi possit. Medin. *de usur. q. 12.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 339. n. 12* Less. *l. 2. c. 22. n. 21.* Pirhing *hic n. 78.* Wiestner *n. 21.* Reiffenstuel *n. 148.* Unde debet ita esse fructifera, ut ordinariè sufficientes fructus ferat ad Censum annuum integrè solvendum, deductis expensis, & labore in fructibus colligendis; alioquin si res singulis annis pauciores fructus reddat, quàm sit Census, eatenus Census reputabitur impositus super re infructifera. Azor. *p. 3. l. 10. de usur. c. 6. q. 1.* Molin. *l. cit.* Pirhing *n. 78.*

201 2. Ut jus percipiendi Censum annuum ematur pretio justo, approbato Lege, vel consuetudine, aut ubi ista deficiunt, taxato per arbitrium virorum prudentum: cujusmodi pretium in Imperio Romano ex *Const. Carol. V. in Comitiis Augustanis 1548.* editâ in Censu perpetuo, sive ex parte solùm venditoris redimibili sunt 100. pro 5. In aliis locis, ubi certa quantitas definita non est, pretia Censuum pro varietate temporum, & aliarum circumstantiarum varia sunt, sicut & aliarum rerum, quæ pretio vulgari venduntur. Unde fit, ut nunc infimo, nunc medio, nunc summo pretio vendantur. Navar. *Comment. de usur. n. 104.* Less. *c. 22. cit. n. 103.* Pirhing *n. 79.* Wiestner *n. 75.* Reiffenst. *n. 149.*

202 3. Ut casu, quo res Censualis, citra culpam tamen Censuarii, perit, secluso speciali pacto assecurationis, etiam pensionis solvendæ obligatio extinguatur; & quidem tota, si res tota pereat, aut in perpetuum fiat infrugifera; secundùm partem autem, si res Censualis ex parte pereat, aut infrugifera reddatur. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 391. n. 3.* Tann. *tom. 3. de Just. D. 4. q. 7. dub. 4. n. 121.* Less. *l. cit. n. 88.* Pirhing *n. 80.* Wiestner *n. 76.* Reiffenstuel *n. 150.* Ratio est, quia quælibet res per se loquendo perit domino suo. sed Censualista, sive recipiens pensionem est dominus juris, quod habet ad pensionem ex re censuali percipiendam, quod jus, pereunte re, in qua constitutus est Census, simul perit cum re, cui inhæret. ergo ipsi Censualistæ, sive Emptori Census peribit. Eodem modo extinguitur Census personalis, si persona ad percipiendum lucrum fiat inhabilis, vel amittat bona, ut ad Censum solvendum impotens fiat. Wiestner *l. cit.*

203 4. Ut res, ex cujus fructibus, vel reditibus annuis solvendus est Census, Creditore, sive Censualista inscio, vel invito, non alienetur in eum, à quo Censûs solutio vel simpliciter, vel sine difficultate obtineri nequit; quia hac ratione Censualistæ jus deterius redderetur, Sot. *l. 6. de Just. q. 5. art. 3* Tann. *l. cit. n. 122.* Pirhing *n. 81.* Wiestner *n. 77.* Reiffenst. *n. 151.*

204 5. Ut non exigatur, vel in pactum deducatur solutio anticipata, obligando Venditorem, seu Censuarium, ut pensionem, pro primo anno debitam, statim solvat, aut patiatur sibi illam de pretio numerato detrahi; quia hoc modo in effectu Venditori non numeraretur totum pretium ad liberum ejus usum. Less. *l. cit. n. 81.* Molin. *D. 390. n. 10.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 16. n. 9.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 330.* Wiestner *n. 78.* Excipitur, si talis solutionis præstandæ onus alia ratione compensaretur; quia hoc modo pactum de anticipata solutione Juri naturæ non adversaretur. Less. *l. cit.* cum aliis.

205 Quæritur 11. quæ conditiones ad licitam emptionem Censûs requirantur Jure Ecclesiastico? R. *in Extrav. Martin. V. & Calisti III. de Empt. & Vendit. int.*

int. comm. approbati sunt Contractus Censuales initi sub his conditionibus. 1. ut res certa immobilis, & fructifera designetur, cui Census imponatur. 2. ut illa sola maneat obligata pro solutione Censûs, non autem persona aut alia ejus bona. 3. ut pretium justum solvatur secundùm temporis qualitatem. 4. ut illud solvatur statim præsenti pecunia. 5. ut liberum sit venditori redimere Censum sive totum simul, sive per partes. 6. ut idem venditor ad redimendum Censum non adstringatur. 7. ut si res super qua constitutus est Census, pereat, ipse quoque extinguatur. 8. ut pensiones non superent æstimationem fructuum rei, in qua Census est constitutus.

106 Verùm hæ Conditiones, ut Covar. *l. 3. var. c. 7. n. 5. & 6.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 386. n. 4.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 75.* Tann. *D. 4. q. 7. dub. 4. n. 123.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 15. n. 2.* Wiestner *hic n. 82.* & alii ab his *citt.* advertunt, à Pontt. memoratis non requiruntur ut necessariæ ad justitiam Censûs (ut quidam opinati sunt) sed duntaxat affirmatur, Census eos, qui hasce conditiones habent, justos esse, & licitos; de hoc enim consulti erant. Unde ex *citt. Extrav.* statui nequit, quæ conditiones ad justitiam Censuum sint necessariæ: imò Sot. *l. 6. de Just. q. 5. art. 1.* censet, nullam illarum esse necessariam, præter illam justi pretii, & ut venditor ad Censûs redemptionem non cogatur.

107 Itaque, ut cognoscatur, quando licita sit emptio Censûs, considerandæ sunt conditiones præscriptæ à *S. Pio V. Const. edita 1596.* nam has Sanctus hic Pontifex jubet observari in Contractu Censuario, ita, ut sine illis initum decernat habendum pro irrito, & fœneratitio. Constitutionem istam, & conditiones in ea requisitas explicant. Navar. *Comment. de usur. n. 84. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 77. & seqq.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 16. à n. 1.* Sunt autem universim conditiones quatuordecim.

108 Et 1. quidem, ut Census constituatur in re fructifera, immobili, certa, & nominatim designata: ubi proinde vetatur Census personalis. 2. ut pretium, sive pecunia, quâ ejus percipiendi jus emitur, numeretur in ipso Contractu Censuali coram Tabellione, seu Notario, & testibus, ut hi ejus recepti fidem facere possint. 3. ut non fiant, aut in pactum deducantur anticipatæ solutiones, i. e. ut venditor non cogatur solvere pensionem, nisi pro rata temporis elapsi. 4. ut Censuarius, seu Venditor non obligetur directè, vel indirectè ad præstandos casus fortuitos, ad quos aliàs ex natura contractûs non tenetur: ubi prohibetur Pactum assecurationis alioquin jure naturæ permissum, ut dictum est *n. 202.* 5. ut idem Censuarius rem Censui subjectam liberè, & sine ulla Laudemii, seu quinquagesimæ partis solutione valeat alienare. 6. ut cùm eadem res venditur, aliis Emptoribus, Retractûs jus non habentibus, præferatur Censualista, ejúsque pretium, & conditiones, quibus ea vendenda est, denuntientur, & de ejus emptione deliberandi spatium menstruum concedatur. 7. ne pacto obligetur Venditor Censûs, ut casu, quo moram fecerit in pensione solvenda, rem Censui subjectam, aut partem ejus amittat, vel aliam certam pœnam solvat; quamvis jure naturæ teneatur compensare damna, quæ ex dilatione solutionis Emptori, seu domino Censûs obvenerint: sed hoc priùs in pactum deduci non potest, ob fraudem Usurariam, quamvis postea tanquam debitum exigi possit. 8. ut Census jam constitutus non augeatur, vel novus constituatur super eadem re ex pensionibus jam debitis, & nondum solutis, vel in posterum solvendis: secus, si fuerint solutæ; nam ex pecuniæ numeratæ additione Census augeri potest. 9. ut non fiat pactum, vi cujus solutio onerum pertineat ad venditorem, quæ ex natura Contractûs ad eum non spectabant. 10. ne pacto obligetur Venditor, ut pereunte, vel inutili reddita re Censui subjecta, Census nihilominus totum solvat. 11. ut Censuarius eo, quo constitutus est, pretio Census possit redimere, dummodo bimestri antè Censualistam præmoneat. 12. ut idem Censuarius ullo pacto ad Censûs redemptionem non adstringatur, nisi postquam de redemptione a se facienda Censualistam monuerit; tunc enim ad eum intra annum redimendum compelli potest. Ex quo sequitur. 13. ut Census omnes deinceps constituendi perpetui sint, seu irredimibiles ex parte ementis, quamvis ex parte vendentis semper sit libera facultas redimendi, nisi Census irredimibilis justo pretio sit comparatus. 14. ut pretium Censûs semel constitutum non possit augeri, vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens: quod intellige, si hoc fieret in gravamen vendentis; hic enim semper eodem pretio potest Census extinguere, quo vendidit. Videantur AA. *n. præc. citt.*

Quæritur 12. quid sit notandum circa Conditiones, per *Bullam Pij V. cit.* requisitas? 109 R. 1. eæ non extenduntur ad Contractus initos ante illam Bullam editam, sed solùm post illam ineundos. Item non extenduntur ad eos Census, qui fiunt per Donationem, Dotis constitutionem, Legatum, Fideicommissum, vel aliam ultimam Voluntatem. Navar. *Comment.*

de Usur. n. 98. Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 96.* Pirhing *n. 84.* Omnes tamen Contractus, qui fiunt per modum Venditionis, & Emptionis, in quibus Census constituitur super alia forma, quàm quæ in *cit. Bulla* præscribitur, censentur Usurarii: nempe saltem quoad præsumptionem fori externi, etsi fortè à parte rei non sint Usurarii Less. *n. 97.* Pirhing *l. cit.*

211 2. Ubi *Constitutio Pij V. cit.* usu recepta est, Contractus, sine his conditionibus initi invalidi sunt, ut patet ex *Bulla cit.* Ex quo sequitur, quòd pensiones, per ejusmodi contractum constitutæ, non possint recipi, etiam in conscientia. Unde ante omnem sententiam tam ipsum pretium, quod datum est ad Censum constituendum, quàm pensiones, siquæ receptæ sunt, restitui debent, cùm nullus adsit titulus perseverandi in Contractu, utpote irrito, & invalido. Cui verò restitutio fieri debeat, distinguendum est; nam ante sententiam restitui possunt danti, post sententiam declaratoriam vindicare illa sibi fiscus potest per verba *Bullæ cit.*

212 3. In iis locis, in quibus Bulla hæc non est promulgata, vel usu recepta, prædictæ conditiones, si Jure naturali non sint necessariæ, non obligant in conscientia. Patet autem eam in pluribus locis receptam non esse. De Gallia, Belgio, & Germania nostra testantur Less. *c. 22. cit. n. 99.* Tann. *D. 4. q. 7. dub. 4. n. 131.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 316.* Pirhing *n. 75.* Wiestn. *n. 84.* Reiffenst. *n. 156.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 81.* Pro Hispania, ne ad alias, quàm quæ Juris naturalis, & Divini sunt, conditiones observandas adstringatur, supplicante Philippo II. ab ipso S. Pio V. dispensatum perhibent Gutier. *pract. l. 2. q. 177. fin.* Felician. de Solis *l. 1. de Censib. c. 7. n. 2.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 15. n. 6.* Quod maximè verum est de Censu constituto super re immobili; nam emptio Censûs personalis, præsertim redimibilis ex parte emptoris, propter periculum intentionis, ac fraudis Usurariæ, sub pallio Contractûs Censualis facilè latentis, dissuadenda videtur. Wiestner *n. 81.*

212 Quæritur 13. super qua re constitui Census possit? *R.* 1. Jure naturæ constitui Census potest etiam in persona, modò ea possit, & velit suâ operâ & industriâ tantum lucrari, quantum sufficit ad pensionem ex lucris solvendam; alioquin Census esset inutilis, nec pretio æstimabilis. Medin. *de usur. q. 11.* Less. *l. 2. de Just. c. 22. n. 21.* Pirh. *n. 78. v. denique.*

213 2. Potest constitui Census non tantùm in re immobili, sed etiam in mobili, aut se movente, quibus uti possumus, salvâ earum substantiâ, & quæ utiles, ac fructuosæ sunt, modò tales sint, ut non statim consumentur post primum illarum usum; nam si statim primo usu consumantur, ut sunt frumentum, vinum, oleum &c. in ijs Census non potest constitui. Azor. *p. 3. l. 10. de usur. c. 5. q. 4.* Pirhing, *n. 78. cit.* Item potest etiam constitui in pecunia, modò ea sit negotiationi exposita, ut possit fructum ferre, cùm ex se sit sterilis. Pirhing *l. cit.*

214 3. Potest quis Censum constituere in bonis suis omnibus, ita, ut ex illis quotannis certa pensio præstari Emptori debeat, modò ita imponatur, ut pereuntibus ex parte bonis, etiam Census ex ea parte pereat. Azor *c. 5. cit. q. 5.* Pirhing *l. cit.* Quod intelligendum est, si pereat sine culpa Censuarii; nam si culpâ illius res destructa sit, aut infructuosa reddita, tenetur is reddere pretium Censûs, vel illum super alia re immobili constituere. Less. *n. 91.* Pirhing *n. 80. in fin.* Deinde intelligi hoc debet, quando res Censui subjecta in perpetuum facta est infructuosa; nam si ad tempus solùm, uno, vel altero anno nullos fructus ferat, tum tota adhuc pensio annua à Censuario, sive domino fundi solvenda est, modò reliquis annis tantum ferat, quantum ad pensionem solvendam sufficit, vel etiam amplius, ita, ut damnum sterilitatis alio anno compensetur. Tann. *tom. 3. de Just. D. 4. q. 7. dub. 4. n. 121.* Less. *n. 88.* Pirhing *n. 80.* & patet ex recepta consuetudine, juxta quam Census, constitutus in agris, quotannis ex iis solvitur, licet isti secundo, aut tertio quolibet anno quiescant & non colantur, ac propterea nullum afferant fructum.

215 4. Potest etiam super ipsum Censum novus alius constitui Census. Pirhing *n. 78.* Debet autem Census ille, super quo fundatur alius Census, esse perpetuus, & irredimibilis; alioquin si esset redimibilis, eo redempto, periret Census in eo fundatus, vel maneret personalis. Azor *l. 10. de usur. c. 7. q. 11.* Less. *n. 77.* Pirhing *n. 78. fin.* Plura de Censibus videri possunt *Libr. 3. Tit. 39. n. 1. & seqq.*

§. V.

§. V.

De Anatocismo, sive Usuris Usurarum.

SUMMARIUM.

216. *Quid sint Usura Usurarum & Anatocismus?*
217. *Usuræ Usurarum illicitæ sunt, si lucratoriæ merè sint.*
218. *Secus, si Compensatoriæ.*
219. *Ex Usuris jam solutis capiendæ.*
220. *Quid, si nondum solutæ sint? Argumenta Sententiæ affirmantis.*
221. *Deciditur negativè.*
222. *Solvuntur Argumenta contraria.*

216 QUæritur 1. quid sint *Usuræ Usurarum, & Anatocismus?* R. *Usuræ Usurarum* vocantur lucrum, quod ex lucro Usurario non soluto ultra hoc, & sortem exigitur à Creditore. v. g. Titius 1000. pro 50. annuatim solvendis credidit Cajo, Cajus hos 50. anno elapso non solvit: hinc Titius in annum sequentem à Cajo ratione eorundem 1000. petit 50. & ratione 50. primo anno non solutorum florenos duos, & dimidium. *Anatocismus* appellatur, cùm Usuræ in sortem vel stipulatione, vel sententiâ rediguntur. Calvin. *Lexic. V. Anatocismus* ex Gottefred. *ad l. 3. C. de usur. rei judic.*

217 Quæritur 2. an licitæ sint *Usuræ Usurarum?* R. distinguendo: nam si *Lucratoriæ* merè sunt, non minùs, quàm ipsæ Usuræ, vi mutui solvendæ, imò magis, quàm istæ Jure Divino, & Naturali illicitæ sunt, ut patet ex dictis *suprà n. 7. & seqq.* imò etiam Civili, prout patet ex *l. placuit 29. ff. de usur. l. ut nullo 28. C. eod. l. improbum. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. præses 27. ff. de re judic.* Vallens. *hic §. 3. n. 6.* Carpzov. *pract. crim. q. 92. n. 79.* Begnudel. *V. Usur. n. 61.* Reiffenst. *n. 26.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 56.*

218 Si non merè Lucratoriæ sint, sed exigantur non vi mutui, sed alterius justi tituli, v. g. damni emergentis, aut lucri cessantis ex Usuris debitis non solutis, Jure naturali quidem, & Divino præcisè spectato, exigi licitè possunt, Jure tamen positivo per *citt.* & alias Leges reprobantur, & ita quidem, ut licèt promissæ sint, non tamen debeantur, & solutæ Condictione indebiti repetantur *l. si non sortem 26. §. supra duplum 1. ff. de Condict. indeb.* Reiffenstuel *hic n. 29.*

219 Quæritur 3. an hujusmodi Usuræ exigi etiam nequeant ex Usuris redactis in sortem, quem credendi modum diximus *Anatocismum vocari?* *Certum est*, si Usuræ compensatoriæ, vel moratoriæ jam perceptæ debitori denuo credantur, ratione illarum alias Usuras Compensatorias, aut moratorias peti posse; quia tali casu verè evadunt fors, & constituunt aliquod principale debitum. Wiestner *hic n. 85.* Reiffenstuel *ibid. n. 30. & 31.*

220 *Dubium est*, quando nondum solutæ sunt. Et quidem eas debitori sub obligatione solvendarum Usurarum Compensatoriarum denuo credi posse, defendunt aliqui ex sequentibus Argumentis, 1. quia non apparet, quare solutæ possint reddi debitori, & in novum mutuum converti; non autem possint ante solutionem ei relinqui, & ut vocant, brevi manu ipsi credi. Mævius *p. 4. decis. 213.* 2. quia Pragmatici, teste Fabr. *de Error. pragm. Decad. 20. Error. 1.* passim volunt, quòd casu, quo debitor, facta Usurarum condemnatione, & taxatione, taxatam quantitatem non solvit præfixo tempore, ex tunc Usuræ ex Usuris, quasi in sortem redactis, debeantur. 3. quia ut Gaill. *l. 2. obs. 7. n. 5.* Brunnem. *in l. fin. C. de usur. n. 2.* Prænob. D. de Bassis *Semic. Contr. 38. n. 6. & 11.* docent, ita brevi manu in sortem redigi mutuo consensu possunt Census ex Contractu Censuali debiti, & nondum soluti, ergo etiam Usuræ saltem Compensatoriæ, debitæ ex mutuo.

221 *Sed dicendum*, Anatocismum esse illicitum; conf. Usurarum, ita redactarum in sortem, Usuras licitè non posse exigi. Ita contra Mævium *p. 4. decis. 213.* meritò docent Roderic. *de redit. ann. l. 3. c. 7. n. 27.* Brunnem. *in l. ut nullo 28. n. 2. C. h. tit.* Struv. *Exerc. ad Pandect. 27. thes. 51.* Stryck. *Us. mod. Pandect. tit. de Usur. §. 18.* Carpzov. *pract. crim. q. 92. n. 87.* Wiestner *hic n. 87.* Reiffenstuel *ibid. n. 28.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 56.* Patet ex *l. si non sortem. 26. §. supra duplum 1. ff. de Condict. indeb. & præcipuè l. ut nullo 28. C. h. tit.* ubi Justinianus Imp. decernit, *nullo modo licere cuiquam Usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum Usuras stipulari.* Ratio est, quia accessio accessionis, fructuum fructus, servitutis servitus, & lucri lucrum de Jure non datur.

222 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* negatur paritas; quia multò facilius Creditor dat mu-

mutuò pecuniam non visam, quàm actu receptam; & debitor promptiùs promittit Usuras Usurarum, quàm solvat: & hinc per Anatocismum debitores alieno ære facilè opprimuntur. Brunnem. *n. 2. cit.* *Ad 2.* Usuræ etiam rei judicatæ, quæ ratione Usurarum non solutarum percipiebantur, sublatæ sunt ab Imper. *l. sancimus 3. C. de usur. rei judic.* ubi statutum, ut Usuræ ex sorte tantùm, & non ex priore Usura, licèt in condemnatione cum sorte deductæ sint, imposterum debeantur. *Ad 3.* ut Usuræ Usurarum Jure Civili, ita Census Censuum per *Constitutionem Pij V.* prohibiti sunt, ut patet ex *Conditione 8.* inter *n. 208.* allatas: unde in iis saltem Provinciis, in quibus Constitutio ista usu recepta est, Census non soluti in sortem redigi, eorúmque Usuræ non possunt exigi. Ubi *Constitutio* hæc recepta non est, Census non soluti redigi in sortem possunt: ex quo tamen non sequitur, quòd redigi in sortem possint etiam Usuræ non solutæ ob duplicem disparitatem: *prima* est, quia Census ex vero Emptionis Venditionis, Usuræ ex Mutui contractu solvuntur, qui titulus cùm à priore sit prorsus diversus, idcirco Decreta, quæ Census permittunt redigi in sortem, non rectè applicantur Usuris. *Altera*, quia lucrum, quod vi mutui percipitur, accessorium est sorti creditæ; contrà Census principale est, cùm in Emptione Censûs constituat mercem, quæ emitur.

§. VI.

De Usurarum promissarum solutione, & solutarum Dominio.

SUMMARIUM.

223. &c. *An Mutuatarius teneatur solvere Usuras merè Lucratorias, promissas Usurario?*
225. &c. *An solutarum Usurarius acquirat dominium?*
233. &c. *Quid dicendum de rebus, ex pecunia vel alia re Usuraria comparatis ab Usurario?*

223 QUæritur 1. an Mutuatarius teneatur solvere Usuras merè Lucratorias promissas, & Usurarius possit solutas retinere? R. *Ad 1.* distinguendo: Vel enim mutuatarius illas simpliciter promisit solvere, vel etiam cum Juramento. *Si primum*, non obligatur ad illarum solutionem: *si secundum*, obligatur quidem ex Virtute Religionis ob Juramentum ad eas solvendas, solutas tamen potest repetere, ut constat ex *c. debitores 6. de Jurejur.* & notant Vivian. *in c. 13. h. tit. pr.* Vallensl. *hic §. 4. n. 2.* Reiffenstuel *ibid. n. 161. & 162.* *Ex quo sequitur*, debitori petenti remissionem Usurarum promissarum, vel restitutionem solutarum non posse à Creditore, sive Usurario opponi Exceptionem Juramenti præstiti à debitore, sive solvente Usuras, quo juravit se soluturum Usuras, aut solutas non repetiturum; quia non obstante hoc Juramento, potest Usurarius cogi, ut remittat Juramentum, si nondum solutæ Usuræ sunt, vel ut eas restituat, si sint solutæ, prout constat ex *c. ex administrationis 1. de Jurejur.* & *c. tuas 13. h. tit.* Pirhing *hic n. 179.* Reiffenstuel *n. 162. & 164. ibid.*

214 *Ad 2.* respondetur negativè: sed Usurarius Usuras solutas tenetur restituere in utroque foro, ut patet ex *c. administrationis 1. de Jurejur.* & *c. cùm tu 5. &c. h. tit.* quia fœnerator æquiparatur furi, & raptori *can. siquis Usuram 10. caus. 14. q. 4.* igitur sicut isti ad rei alienæ ablatæ, ita ipse quoque ad percepti lucri Usurarii restitutionem obligabitur. Sylvest. *V. Usura 6. q. 2. dict. 1.* Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 16.* Valensl. *hic §. 4. n. 1.* Engl. *ibid. n. 26.* Pirhing *n. 101.* Reiffenstuel. *n. 171.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 129.* Ratio generalis est, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *c. cùm tu cit.* & *Reg. peccatum 4. in 6.* Quòdsi tamen repetens Usuras, etiam ipse Usuras exercuit, ab Usurario in foro externo repelli potest per Exceptionem, ita, ut non audiatur, quousque ipse Usuras restituat, *c. quia frustra 14. h. tit.* Sylv. *V. Usura 9. q. 4. ℣. nona.*

Quæritur 2. utrùm fœnerator Usu-225 rarum sibi solutarum acquirat dominium? *Certum est*, non acquirere, si mutuatarius non habeat voluntatem transferendi dominium in fœneratorem, sed solùm velit pecunias illas dare exteriùs propter fidem datam: quia non obligatur transferre dominium, sed potiùs habet jus repetendi. Card. de Lugo *tom. 2. D. 25. sect. 11. n. 204.* Illsung. *tr. 4. D. 2. n. 442.* Pirhing. *hic n. 18.* Ratio est, quia sola traditio sine interno consensu in alienationem non sufficit ad obtinendum dominium.

Certum est 2. si res, per Usuram ac-226 ceptæ, consistant in numero, pondere, vel mensura, ut est pecunia, frumentum, vinum, &c. & ea permisceantur cum rebus ejus-

ejusdem generis, sive similibus Usurarii justè acquisitis, ita tamen, ut non possint amplius discerni, tunc earum dominium est translatum in Usurarium; quia modus acquirendi dominium est per admixtionem rei cum alia ejusdem generis, prout constat ex §. *Si duorum 29. Inst. de rer. divis.* & *l. si alicui 78. ff. de solut.* & hoc modo rei furtivæ dominium acquiritur etiam à fure *l. si alicui cit.* Sylv. *V. Usura 6. q. 1.* Azor. *p. 3. l. 5. de usur. c. 11.* §. *penult.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 156.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 7. coroll. 1.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 7.* §. *1. n. 3.* Wading. *simil. tr. D. 6. dub. 15.* §. *2. fin.* Begnudeli. *V. Usura n. 19.* Pirhing. *hic n. 18.* Reiffenst. *ibid. n. 166.*

227 *Dubium est*, quando mutuatarius habet expressum animum, transferendi dominium, & nulla facta est permixtio Usurarum cum rebus Usurarii justè acquisitis. Quo casu dominium Usurarum acquiri ab Usurario, sed revocabile, & inefficax, ita, ut Usurarius teneatur restituere, quidquid accepit, docent Gloss. *in can. siquis 10. caus. 14. q. 4.* Paludan. *in 4. dist. 15. q. 1. art. 5.* Navar. *Man. c. 17. n. 265.* Lugo *tom. 2. de Just. D. 25. sect. 11. n. 206.* cum aliis, & inclinare videtur Pirhing. *hic n. 20.* Rationem dant, quia adest ex parte solventis Usuras absoluta, & efficax voluntas transferendi dominium, ut supponitur; solvit enim illas ex pacto, & conventione: & quamvis voluntas illa secundùm quid sit involuntaria, quia necessitate coactus solvit usuras, quòd sinè illis mutuans mutuare nolit, tamen simpliciter est voluntaria, & libera; nam propterea etiam, quæ ob metum, etiam gravem, & injustè incussum, dantur, transeunt in dominium accipientis, licèt cum obligatione restituendi.

228 Sed melius hoc negant S. Thom. *2. 2. q. 78. art. 3. ad 3.* Sylv. *V. usura 6. q. 1.* Angel. *V. eod. q. 20.* §. *18.* Gabr. *in 4. dist. 15. q. 11. art. 1. fin.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 6.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 326. n. 7.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 158.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 7. coroll. 1.* Palao *tr. 30. D. 6. p. 25. n. 2.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 15.* §. *2. n. 1.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 7.* §. *1. n. 8.* Begnudeli. *V. Usura n. 19.* Wiestner *hic n. 93.* Reiffenst. *ibid. n. 167.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 122.*

229 *Ratio est*, quia ad acquirendum verum dominium non sufficit traditio, sed requiritur justus titulus, ex quo facta traditio est *l. nunquam 31. pr. ff. de acquir. rer. domin.* atqui hic in Usurarum traditione apertè desideratur; non enim titulus iste potest esse ipse contractus mutui; quia hoc obligationem solvendi, aut jus exigendi aliquid ultra sortem non inducit. Non debitoris sive mutuatarii promissio; quia hæc invalida est *c. debitores 6. de Jurejur.* non denique rem promissam tradentis voluntas; quia hic in creditorem plus non intendit transferre, quàm quod ei debetur, & ipse solvere tenetur ex Justitia.

230 *Conf. 1.* quia si fœnerator acquireret dominium Usurarum sibi solutarum, saltem debile, sufficeret, si restitueret solam æstimationem lucri cessantis, & fructus, quos ex re fructifera, in Usuram soluta, mutuatarius percepturus fuisset. Atqui istud non sufficit; nam fœnerator restituere etiam debet fructus, quos ipse percepit, licèt mutuatarius illos non fuisset percepturus, prout dicetur *n. 273.* ergo &c. *Conf. 2.* non minus requiritur ad transferendum dominium rei Usurariæ, quàm requiritur ad transferendum jus, quod habet ad illam, sed hoc non intendit transferre mutuatarius, quod adhuc retinet, ergo multò minùs dominium, quod majus est, quàm jus ad rem.

231 *Ex quo sequitur*, cùm in Usurarium non sit translatum dominium Usurarum, si loco pecuniæ detur ipsi à mutuatario hortus, vel domus, aut alia res fructifera, eam ab illo restituendam mutuatario cum fructibus omnibus ex ea perceptis; quia eos percepit ex re alterius. Deinde si res extet, debere præferri omnibus Creditoribus mutuatarium, qui potest agere rei vindicatione ad rem suam obtinendam, & pari loco esse cum Depositoribus. Wading. *l. cit. n. 3.*

232 Ad Argumentum adversæ sententiæ. voluntas mutuatarii transferendi dominium in Usurarium insufficiens est non ob defectum voluntarii, cùm sit absolutè libera, sed quia per illam non intenditur, ut Usuræ datæ absolutè cedant in dominium Usurarii, sed solùm, ut sint ipsius, quatenus ipsi debentur, & non aliter; neque enim Usuras dans voluit illas donare, sed dare, quantum Justitiæ ratio permittit, nec plus à se abdicare, quàm ex Justitia debeat. Less. *l. cit. n. 159.* Zoes. *hic n. 23.* Hinc disparitas est cùm metum passo; nam hic verè, & absolutè vult transferre dominium rei, quam metu cogitur dare.

233 *Quæritur 3.* an pari modo fœnerator etiam non acquirat dominium rerum, pecuniâ, vel alia re Usuraria comparatarum? *Ratio dubitandi est*, quia si radix infecta, etiam rami: ergo quidquid acquiritur ex re Usuraria, est Usurarium, & restituendum. *2.* nullus debet ex iniquitate sua referre commodum. Ergo nec Usurarius ex re Usuraria. *3.* Res empta ex pecunia Usuraria succedit loco pecuniæ, seu pretii.

Sed

234 Sed distinguendum est: Vel enim res Usuraria est pecunia, vel res alia. *Si pecunia*, & ex hac fœnerator rem aliquam emit, aut alio modo *e. g.* ludendo, negotiando &c. comparavit, dominium istius rei ipsi fœneratori acquiritur, postquam res illa est ipsi tradita; ideóque non tenetur iste eam restituere mutuatario, quamvis restituere debeat pecuniam, quam per Usuram accepit, & omne lucrum cessans, & damnum emergens mutuatario. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. Sylv. *V. Usura* 6. *q.* 2. *dict.* 2. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 13. *v. opinio secunda.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 327. *n.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 161. Tambur. *l.* 9. *de contract. tr.* 1. *c.* 7. §. 1. *n.* 13. Pirh. *hic n.* 21. Engl. *n.* 29. Reffenst. *n.* 169. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 126. & colligitur apertè ex *l. qui aliena* 2. *C. Si quis alteri, vel sibi*, &c.

235 *Ratio est*, quia hujusmodi lucra non sunt fructus pecuniæ, quæ ex se sterilis est, sed proveniunt ex propria industria, & diligentia Usurarii: ideóque ipsi acquiruntur. *Conf.* à pari: Sic enim sibi acquirit Depositarius, quod emit ex pecunia apud se depositа *l. si ex ea* 6. C. *de rei vindicat.* Fur, quod acquirit ex pecunia furtiva; quia quod ex re furtiva acquiritur, furtivum non est, *l. qui vas* 48. *fin. ff. de furt.* Uxor, quod suo proprio nomine emit ex pecunia viri defuncti pertinente ad filium *l. si pecuniâ* 1. *C. siquis alteri, vel sibi* &c. Artifex, qui per instrumenta artis, ablata artifici alii, labore, vel industriâ suâ lucratus aliquid est, licèt omnes isti pecuniam, vel rem alienam acceptam, & omne lucrum cessans, ac damnum emergens teneantur restituere.

236 *Dices*: Talis Contractus est involuntarius ex parte emptoris; si enim sciret rem, quæ ipsi venditur, Usurariam, & alienam, vel saltem alteri restituendam esse, nollet eam emere, ergo est irritus. atqui ex Contractu irrito non transfertur dominium. ergo Usurarius etiam non acquirit dominium rei, ex pecunia, vel re usuraria comparatæ. *Sed respondetur*, eum quidem aliquo modo esse involuntarium, & secundùm quid, cùm ex errore, & ignorantia procedat; quia tamen hic error non est circa substantiam rei, sed circa conditionem quandam extrinsecam, & accidentalem, non est ipso Jure talis Contractus irritus, etsi emptor, postquam rei veritatem comperit, possit Contractum rescindere, & repetere pretium. Less. *n.* 163. Pirh. *n.* 21. *fin.*

237 Si verò res Usuraria sit alia quædam res, quàm pecunia, distinctio altera est adhibenda, & videndum, an quæratur de fructibus illius rei, an de pretio redacto ex ejus venditione. *Si primum*, fructus ex ea re percepti non ad fœneratorem, sed ad dominum rei spectant; quia quælibet res domino suo fructificat §. *fiquis à non domino* 35. *Inst. de rer. divis.* *Si secundum*, licèt dominium rei sic venditæ in emptorem non transferatur *l. ex empto* 12. *ff. de act. empt.* fœnerator tamen fit dominus pretii, ab emptore ejus domino accepti pro re sic vendita, quamvis ad evictionem teneatur emptori. Azor. *pr.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 12. Molin. *D.* 327. *cit. n.* 7. Less. *n.* 163. Pirhing *hic n.* 23. Wiestner *n.* 96. Necesse tamen est, ut emptor bona fide res illas emerit, nesciens esse alienas; alioquin si sciret, Contractus foret irritus, adeóque tunc Usurarius neque acquireret dominium pretii *l. si in emptione* 34. §. *item si* 3. *ff. de contrab. empt.*

238 Ad Argumenta *n.* 233. allata facilis est responsio. *Ad* 1. lucra parta ex pecunia, vel re Usuraria non sunt veluti rami ipsius pecuniæ; quia non oriuntur ex ea, sed ex industria Usurarii. *Ad* 2. Usurarius non refert lucrum ex Usura per se, sed ex propria sua industria, quamvis interveniente Usura: neque est iniquum, ut quis interdum ex aliquo actu pravo, & illicito lucrum temporale consequatur, ut patet in actu meretricio. *Ad* 3. quòd pecunia succedat in locum rei, procedit in hæreditate, fideicommisso, & dote, non autem generaliter in aliis rebus quibuscunque. Azor *c.* 12. *cit. fin.* Molin. *n.* 8. Pirhing *n.* 23. *fin.*

§. VII.

§. VII.

De Usurarum Restitutione.

SUMMARIUM.

239. &c. *Ad quid teneatur Usurarius Mutuatario ob solutas sibi Usuras?*
241. &c. *An, & quando ad restitutionem teneatur Usurarius solùm mentalis?*
248. &c. *Utrùm ad restitutionem Usurarum compelli possint etiam Judæi?*
251. &c. *Et Hæredes Usurariorum?*
255. &c. *Qua actione isti compelli possint?*
258. &c. *An deficiente uno ex pluribus hæredibus, unus teneatur in solidum?*
263. &c. *Quinam, & quo pacto cooperantes teneantur ad restitutionem?*
269. &c. *Cui restitui Usuræ debeant?*
272. &c. *Quænam restitui debeant ab Usurario?*
275. &c. *An restitutio fieri debeat etiam ex rebus in tertium aliquem alienatis?*
279. &c. *An bona Usurarii sint tacitè Hypothecata pro solvendis Usuris?*
282. &c. *Causæ excusantes à restitutione Usurarum?*
286. &c. *An Usurarius habeat beneficium cessionis bonorum, ut alii debitores?*
290. &c. *An pro Usuris restituendis conventus possit appellare?*

239 QUæritur 1. ad quid teneatur Usurarius Mutuatario, qui Usuras eidem solvit? R. tenetur ad restitutionem ejus, quod iniquè accepit. Si, quod accepit usurariè, sit pecunia, & hac pecuniâ Usurarius comparavit sibi fundum, vel alia bona, bonorum quidem istorum acquirit dominium, ut dictum est *n. 234.* tenebitur tamen satisfacere aliter Mutuatario. Quòdsi verò non habeat alia media huic satisfaciendi propter Usuras, cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio Usuras malè acceptas compensare *c. cùm tu 5. h. tit.* Engl
240 *hic n. 29.*

Si verò talia bona jam in tertium alienata sunt, contra hunc tertium possessorem probabiliùs debitori nulla actio competit: non personalis; quia cum eo nihil contractum fuit: nec etiam realis Hypothecaria; quia non habemus Legem, quæ Hypothecam in tali casu concedat: nisi fortassis debitor, cum quo Usura exercita est, pupillus, aut minorennis fuerit, qui aliàs in re, ex pecunia sua comparata, tacitam Hypothecam habet *l. idémque 7. ff. qui potior. in pignor.* vel Ecclesia, quæ Jure minoris utitur *c. requisivit 1. de in integr. restit.* vel nisi alienatio in tertium facta in fraudem debitoris sit, quòd creditor Usurarius sciverit se aliunde debitori, per Usuras læso, non posse satisfacere; tunc enim res alienata revocabitur secundùm ea, quæ traduntur *tot. tit. ff. quæ in fraud. credit.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 6.* Engl *hic n. 30. fin.*

241 Quæritur 2. an ad restitutionem obligetur Usurarius etiam solùm mentalis? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate cum Simonia, quæ si mentalis duntaxat sit, solâ pœnitentiâ sine obligatione restituendi expiatur *c. fin. de Simon.* S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 6.* & alij tam TT. quàm Canonistæ; & dictum est *suprà Tit. 3 n. 308.*

Sed distinguendum est inter quin- 248
que casus. *Primus est*, quando mutuator intendit aliquid accipere tanquam pretium mutui, seu tanquam debitum ex pacto mutui, & mutuatarius etiam dat tanquam debitum ratione mutui: quod fieri potest, quia ex signis, vel nutibus novit mutuantem intendere, & velle lucrum ex mutuo, vel saltem, quia aliunde sine externo pacto notam habet indolem mutuantis, quòd nolit gratis, & sine lucro mutuare. Hoc casu ex parte mutuantis intervenit peccatum Usuræ, & is tenetur ad restitutionem. Pirhing *hic n. 135. v. secundus casus.* Ratio est, quia datum, & acceptum est lucrum ultra sortem ratione mutui; & mutuatarius non intendit illud lucrum donare gratis, sed solùm tanquam debitum ex vi mutui, ergo cùm non fuerit debitum, injustè illud recepit mutuator; cons. restituere debet. Et de hoc casu videtur loqui *c. consuluit 10. h. tit.*

2. Quando mutuatarius, quod dat, 248
dat merè gratis, liberaliter, & quasi non debitum, & mutuator tanquam gratis, merè liberaliter, & titulo mutui indebitum accipit. Hoc casu nulla committitur Usura, etiam mentalis; cons. mutuans ita datum accipiendo non peccat, neque ad restitutionem tenetur. Sylv. *V. Usura 6. q. 3.* Azor. *p. 3. l. 5. de usur. c. 17. q. 1.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 2. n. 2.* Reiffenstuel *hic n. 91.* Ratio est, quia hoc casu nec datur, nec accipitur aliquid ultra sortem ex vi mutui, quod ad Usuram requiritur.

3. Quando mutuatarius dat lucrum, 244
ultra sortem, tanquam pretium ex mutuo debitum, sed mutuans bona fide illud accipit, tanquam datum gratis, & merè liberaliter, eò quòd nullum pactum de lu-

lucro præcesserit. Hoc casu mutuans, postquam novit id lucrum sibi datum esse tanquam debitum ex mutuo, tenetur statim illud restituere, simul cum fructibus extantibus, ex lucro illo perceptis: quia datio fuit mixtè involuntaria, ideóque insufficiens ad transferendum dominium in accipientem, vel acquirendum jus ad rem, cùm defuerit ex parte dantis animus, sive voluntas donandi. Sylv. *V. usura 6. q. 4.* Tamburin. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. n. 14.* Pirhing *hic n. 138.* Dixi *cum fructibus extantibus*; nam fructus, quos perseverante bona fide consumpsit (idem dicendum de ipso lucro, quod tali occasione accepit, si illud, bona fide durante, consumpsit) non tenetur restituere, nisi ex eo aliquid penes accipientem remanserit. Sylv. *l. cit.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 306. n. 2. §. tertius*, Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 46.* Pirhing *l. cit.* Ratio est, quia tunc obligatio restituendi non oritur ex injusta acceptione, sed tantùm ex re accepta.

245 4. Quando mutuans, accipiens aliquid ulta sortem, dubitat, quo animo mutuatarius id dederit, num ex gratitudine, aut liberaliter, ac proinde plenè voluntariè, an verò mixtè involuntariè tanquam ex mutuo debitum. Hoc casu distinguendum est, an cum dubio isto acceperit ita datum mutuator, an verò dubium postea primùm supervenerit. *Si primum*, peccatum usuræ mentalis committit mutuans, & tenetur ad restitutionem, sicut is, qui dubia fide cæpit possidere rem alienam. *Sylv. Tambur. Pirhing l. cit. Si secundùm*, tenetur mutuator inquirere, ut tollatur dubium adeóque petere à mutuatario, quâ intentione id dederit: si verò is mortuus, aut longè absens sit, & dubium perseveret, ex circumstantiis judicandum erit, quali intentione mutuatarius dederit, ut si dives sit, vel pauper, liberalis, vel parcus, sive avarus; nam priore casu præsumi potest, liberaliter, & gratis fuisse datum; posteriore tanquam debitum ex mutuo, ideóque restituendum erit. Molin. *D. 305. n. 6.* Pirhing *l. cit.* Quòdsi verò etiam ex circumstantiis desumi nil possit, Molin. *l. cit.* putat restituendum esse ei, à quo acceptum fuit. Sed probabiliùs retinere potest, sicut quivis alius bonæ fidei possessor, cùm in dubio melior sit conditio possidentis: præsumetur ergo id, quod datum est, datum esse gratuitò, & non tanquam ex mutuo debitum. Lug. *D 25. sect. 4. n. 32.* Pirh. *l. cit.*

246 5. Quando mutuatarius aliquid supra sortem dat gratis, & liberaliter, credens mutuantem hoc nolle exigere vi mutui; sed mutuator id ignorans accipit animo, & intentione Usuraria, tanquam datum ex obligatione ratione mutui, nullo tamen præcedente pacto. Hoc casu mutuans, quamdiu conscientiam erroneam non deponit, ratione istius tenetur restituere acceptum, à parte rei tamen talis mentalis Usurarius non tenetur ad ullam restitutionem, sed postquam scit gratis, & liberaliter sibi datum, id retinere potest, quamvis peccaverit intentione Usuraria accipiendo. Sylv. *V. Usura 6. q. 7.* Molin. *D. 306. n. 9. & 10.* Less. *c. 20. n. 42.* Lugo *n. 33.* Pirhing *n. 139.* Ratio est, tum quia mutuatarius habuit animum absolutè donandi, ut ponitur in casu, adeóque transtulit dominium in accipientem; tum quia accipiens non retinet injustè alienum; accepit enim domino non invito, quippe qui sponte, & gratis dedit. igitur licèt peccârit contra justitiam affectu, non tamen peccavit effectu; conf. ad restitutionem non obligatur. *Neque obstat*, quòd per donationem non transferatur dominium in accipientem, nisi post acceptationem donationis, quæ hoc casu videtur deficere, quia non vult accipiens illud titulo donationis accipere, sed solùm tanquam debitum. *Sed dicendum*, non deficere hunc animum; nam accipiens virtualiter ita est constitutus, ut velit acceptare, & sibi acquirere, quod datum ei est, omni meliori modo, quo poterat. Deinde etsi Mutuans priùs ne virtualiter quidem, & implicitè acceptâsset ut donum, si tamen postea intelligat, sibi datum esse à mutuatario gratis, & liberaliter, semper poterit illud acceptare, quamdiu donatio prior non est revocata: idque satis est ad transferendum dominium rei sibi datæ. Molin. *l. cit.* Less. *n. 43. & 44.* Lugo *n. 33.* Pirhing *n. 140.*

Ad rationem dubitandi n. 241. allatam. 247 tunc solùm Mentalis Simoniacus absolvitur ab obligatione restituendi, quando temporale pro spirituali offertur merè gratuitò, ut ferè fit; nam si offeratur cogente necessitate, quia aliàs Beneficium Ecclesiasticum v. g. non est obtenturus, etiam ipse ad restitutionem ejus, quod accepit, tenetur Suar. *de Simon. c. 59. n. 52.* Gonzal. *in c. fin. de Simon. n. 14.* Vallens. *hic §. 4. n. 3.* Wiestner *ibid. n. 98.* Unde ex hoc argumento potiùs confirmatur nostra Sententia.

Quæritur 3. utrùm ad restitutionem 248 Usurarii lucri obligari possint etiam Judæi? *Ratio dubitandi* est, quia *c. quanto 18. h. tit.* tantùm jubentur compelli ad restituendas *graves*, & *immoderatas Usuras.* ergo per argumentum à sensu contrario ad moderatas restituendas non sunt compellendi. *Conf.* quia Judæi non sunt subditi Ecclesiæ.

Sed tenenda est affirmativa. Ita 249 Gaill. *l. 2. obs. 5. fin.* Vivian. *in c. 12. pr. & in c. 18. h. tit.* Canis. *de usur. c. 7. n. 3.* Valens.

lens. *hic* §. 4. *n.* 1. Pirh. *n.* 107. König *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 172. Begnudell. *V. Usura n.* 6. & 17. & apertè deciditur *c. post miserabilem* 12. *h. tit.* & *Ordin. Polit. de Anno* 1577. *tit.* 20. §. 6. qua ipsa *Ordinatione*, ut omni fraudi obviam iretur, cautum quoque est §. 3. ut Judæi pecuniam, Christianis mutuatam, non Hebraicâ, sed Germanicâ linguâ coram Magistratu loci conscribant, & adjiciant, quid, & quando crediderint, qualéque pignus acceperint. Ratio est, quia quidquid sortem excedit, vi mutui injustè exigitur, ac detinetur. quod autem injustè detinetur, obnoxium restitutioni est. ergo &c. *Conf.* quia non convenit eos melioris conditionis esse, quàm Christianos, sicut neque stultos, quàm peritos, seu prudentiores *l. Servius 4. ff. quod vi, aut clàm.*

250 Ex quo patet ad *Rationem dubitandi*; nam immoderatum est, quò injustè exigitur. *Ad Conf.* Usuræ lucratoriæ non tantùm Jure Ecclesiastico, sed Divino, & Naturali prohibitæ sunt. atqui ad Jus Naturale, & Divinum obligantur etiam infideles. ergo tenebuntur illas restituere; & ad hoc compelli possunt, si domicilium inter Christianos habent: imò Principibus Christianis, in quorum territorijs degunt, præcipi potest, ne tolerent injustitias, & injurias, quas Judæi inferunt Christianis. *Gloss. in c. post miserabilem cit. V. Principes*, Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *à n.* 5. Wiestner *hic n.* 100.

251 Quæritur 4. an ad Usuras restituendas teneantur, & compelli possint etiam Hæredes Usurariorum? *Certum est* teneri, & compelli posse ad restitutionem illarum saltem juxta vires hæreditatis, prout disertè traditur *c. tua nos 9. h. tit.* Ratio est, quia hæ res non fuerunt defuncti; ac proinde nec hæredis esse possunt, ne alieno scelere ditescat.

252 *Dubium* est, an ultra vires hæreditatis, ac proinde deficientibus aliis bonis, ab Usurario relictis, teneantur restitutionem facere ex propriis bonis, & patrimonio? Affirmativam defendit Covar. *l. 3. var. c. 3. n.* 7. & desumit hoc ex *c. tua nos cit. c. fin. de sepultur.* & *c. in literis 5. de Raptor.* & hinc dicit, eos saltem teneri de Jure Canonico.

253 Sed verùs in foro conscientiæ non tenentur; imò ne quidem in foro externo, si Inventarium confecerint. Ita Abb. *in c. 9. h. tit. n.* 11. Sylv. *V. Usura 6. q.* 10. *dict.* 4. Azor *p. 3. l. 5. de usur. c.* 18. *q.* 11. Vivian. *in c. 9. cit. v. sed dices.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr.* 1. *c. 9. §. 3. n.* 2. Wading. *simili tr. D. 6. dub.* 14. §. 6. *pr.* Haun. *tom. 3. de I. & I. tr. 9. n.* 461. Zoes. *hic n.* 26. Pirhing *n.* 110. *not.* 4. Wiestner. *n.* 102. Reiffenstuel. *n.* 174. Magnif. P. Schmier *R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.*

p. 2. de Delict. c. 2. *n.* 130. Ratio est, quia non est faciendum divortium inter Jus Canonicum, & Civile, nisi hoc constet ex aliquo textu. talis autem textus nullus invenitur, ut mox videbimus.

Nam 1. *c. tua nos cit.* potiùs con- 254
firmat nostram sententiam; quia ibi dicitur, Usurariorum hæredes filios ad restituendas Usuras ea districtione obligari, sicut eorum parentes. Hi autem non obligabantur ultra facultates, quas hæredibus reliquerunt. ergo nec hæredes eorum ultra istas obligabuntur. 2. *c. fin. cit.* ne verbo quidem fit mentio de Usuris, aut satisfactione pro ullo alio crimine facienda ultra vires hæreditatis. 3. *c. ex litteris* generatim solùm dicitur, quod hæredes ejus, qui aliis injuriam cum damno intulit, sint compellendi ad satisfaciendum *juxta facultates suas*, h. e. defuncti, ut interpretatur. Gloss. *ibid. V. facultates*, & patet ex ratione adjecta, *ut sic à peccato valeat liberari*, ad quod solùm exigitur, ut in restitutionem impendantur facultates relictæ.

Quæritur 5. qua actione conveniri 255
hæredes Usurarii defuncti possint? *Certum est*, non posse conveniri actione merè pœnali ad solvendam pœnam, quam incurrit defunctus ob delictum; quia hoc morte defuncti exspiravit. Covar. *l. 3. var. c. 3. n.* 7. Molin. *tr. 2. de Just. D. 332. n. 2.* Pirhing. *hic n.* 110. Supereſt igitur, ut conveniri solùm possint ad compensandum damnum, à defuncto per Usurariam iniquitatem illatum. Possúntque isti sub iisdem pœnis compelli ad restituendas Usuras, per quas compelli poterat defunctus, prout sumitur ex *c. tua nos 9. h. tit.* ibi, *Et sunt districtione cogendi.* Abb. *ibid. n.* 4. Molin. *n. 2. cit.* Pirhing. *n.* 110. *not.* 3.

Et hinc per Rescriptum, impetra- 256
tum à Papa, vel alio Principe contra Usurarium ad restituendas Usuras, potest etiam conveniri hæres ipsius, etiam re adhuc integra, i. e. si nulla adhuc repetitio Usurarum ab Usurario facta sit, maximè si tempore dati Rescripti adhuc vixit Usurarius; quia hæres censetur eadem esse persona cum defuncto, ut colligitur ex *c. significavit 36. de Rescript.* Abb. *in c. 9. cit. n.* 5. Pirh. *l. cit.* & regulare est dogma, quòd sicut actiones activæ defuncti transeunt ad hæredes, ita & passivæ, h. e. sicut hæredes possunt agere ad persecutionem, sive compensationem damni, illati in bonis defuncti ab aliis; ita vicissim etiam ipsi conveniri possunt propter delictum defuncti ad compensandum damnum ab eo illatum in bonis alterius. Wading *de Contract. D. 6. dub.* 14. §. 6. *pr.*

Porro obligatio ista restituendi hæ- 257
redes premit, etsi res Usuraria ad eos in natura non pervenerit, nec per illam hæ-

reditas illorum aucta sit, ut post Canis. *de usur. c. 7. n. 4.* bene advertit Engl *hic §. 3. n. 3.* Reiffenstuel *n. 175.* quia de Jure Canonico Hæredes ad exonerationem conscientiæ tenentur pro viribus hæreditatis satisfacere cunctis illis, quibus per defunctum damnum illatum est, etiamsi ex tali damno hæreditas aucta non sit *arg. c. fin. de sepult. & c. in litteris 5. de Rapt.* Et quia res ista concernit salutem animæ, & ipsa ratio naturalis dictat, ut injustè læsus satisfactionem capiat ex bonis hæreditatis, etiam forum Civile huic dispositioni Juris Canonici accommodare se debet. Reiffenstuel *l. cit.*

258 Quæritur 6. utrùm deficiente uno ex pluribus hæredibus, inter quos divisa hæreditas est, vel deficientibus cæteris, unus in solidum teneatur? Affirmant Gloss. *in c. tua nos 9. V. cogendi h. tit.* Navar. *Man. c. 17. n. 278.* Salas *tr. de usur. c. 43.* & alii præsertim Veteres. Fundantur in *c. cit.* verbis: *Filii ad restituendas usuras eâ sunt districtione cogendi, quâ parentes sui, si viverent, cogerentur.* Et additur: *Idipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum.* atqui parentes usurarii ad restitutionem Usurarum tenentur in solidum. ergo &c. *Conf.* quia sic anima defuncti, plena restitutione facta, certiùs ac citiùs à peccatis liberatur, & cavetur, ne bona iniquè parta hæredibus prosint.

259 Sed meliùs tenetur negativa, quam etiam defendunt Abb. *in c. 9. cit. n. 6.* Sylv. *V. usura 6. q. 10. Dict. 2.* Cajet. *tom. 2. Opusc. tr. 8. c. 5.* Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 18. q. 11.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 332. n. 4.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 175.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 9. § 3. n. 3.* Haun. *tom. 3. de l. & I. tr. 9. n. 464.* Pirh. *hic n. 111.* Wiestner. *ibid. n. 103.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 131.* Ratio est, quia ex communi Regula inter hæredes pro rata dividuntur tam bona à defuncto relicta, quàm obligationes, & debita, nisi aliud exprimatur in Jure. atqui nullo Jure expressum est, quòd singuli hæredes in solidum teneantur. ergo &c.

260 *Proceditque* hoc multò magis in Legatariis; quia ad hos personalia defuncti debita non transmittuntur *l. hæreditas 62. ff. de R. J.* Molin. *n. 4. cit.* Less. *n. 176.* Tambur. *n. 6.* Pirhing. *n. 113.* Wiestner *n. 104.* Quod intelligendum est, si hæreditas, solutis ex ea Legatis, & deductâ etiam Legitimâ, seu Quartâ Falcidia hæredibus debitâ, adhuc sufficiens maneat ad solvendas Usuras, & reliqua debita defuncti. Secus est, si non sufficiat: tunc enim tenentur etiam Legatarii contribuere, servata proportione; quia ante omnia Legata debent deduci debita, & istis solutis, etiam Quarta Falcidia, & quod reliquum est, dandum est Legatariis Less. *n. 177.*

Præterea à doctrina *n. 259.* traditaduæ aliæ fieri Exceptiones debent. 261

1. Si res aliqua Usuraria in specie apud aliquem cohæredum extet: nam hæc à quovis possessore illius, etiam Legatario, & mortis causâ donatario restitui debet domino; quia est aliena, vel saltem danti debita, & ita semper clamat pro domino. Molin. *n. 4. cit. fin.* Less. *n. 174.* Tambur. *n. 5.* Pirh. *n. 112.* Wiestn. *n. 105.* 2. Si ante divisionem hæreditatis hæredum culpâ factum est, quò minùs Usuræ restituerentur; tunc enim, si omnes fuerunt in culpa, omnes, si unus illorum, ille obligabitur ad restitutionem illarum in solidum ex delicto proprio. Tambur. *n. 4.* Pirhing *l. cit. Except. 2.* Wiestn. *n. 165.*

Ad textum in contrarium allega- 262
tum ex dispositione illius *cap.* defuncti hæredes, ut ipse defunctus, ad restitutionem Usurarum tenentur in solidum simul sumpti, non singuli; nam singuli defunctum repræsentant tantùm in parte, quæ ipsos contingit: & hinc obligationes defuncti in singulos transeunt tantùm secundùm partem. *Ad Conf.* satis cavetur, ne iniquè parta hæredibus prosint, si solvant respondentem portioni suæ portionem Usurarum.

Quæritur 7. quinam, & quo pacto 263
cooperantes ad Usuras exigendas, vel solvendas teneantur ad restitutionem? R. Distinguendo; nam aliqui eorum se tenent ex parte Usurarii mutuantis, alii verò ex parte Mutuatarii Usuras solventis. *Priores*, si sint causa efficax, cur Usuræ exigantur, & solvantur, vel potiùs cur mutuum non detur gratis, & sine Usuris, peccant graviter, & obligantur ad restitutionem, saltem secundo loco, & tunc, quando Usurarius non vult, vel non potest restituere. *Posteriores* ad restitutionem non obligantur, quamvis aliquando peccent ratione scandali, sicut aliquando peccat ipse Mutuatarius mutuum sub Usuris accipiens. Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 18. pr.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 331. n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 178. & 184.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 26. n. 1.* Pirhing *hic n. 114.*

Quare per se loquendo non peccant, 264
neque ad restitutionem tenentur 1. famuli, qui recipiunt pignora, eáque asservant. 2. Qui numerant pecuniam. 3. Qui referunt omnia in Libros rationum. 4. Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecuniâ egent, & adducunt ad Usurarium; hi enim potiùs beneficium præstant, quàm injuriam inferunt: nec est in eorum potestate, ut Usurarius det pecuniam sine Usura.

5. Qui

5. Qui pecuniam suam apud Usurarium deposuerunt; nam hi jure suo utuntur: conf. non peccant contra Justitiam, modò non suadeant Usurario, ut usuras exigat. Sæpe tamen hi peccant contra Charitatem, si prævideant Usurarium his pecuniis fœneraturum; quia præbent ei materiam ad exercendas Usuras: quod intellige, nisi ob necessitatem, vel utilitatem suam deponant. 6. Qui Usuras nomine Mutuatarii solvunt, vel ejusdem nomine mutuum sub Usuris accipiunt, si hoc faciant ipso sciente, & volente: secus, si is graviter fuerit invitus. Ratio horum omnium est, quia posteriores isti se tenent ex parte mutuatarii; priores ex parte mutuantis quidem, sed ad exercitium Usuarium non influunt efficaciter. Videantur Azor *c. 18. cit. q. 2.* Less. *n. 184.* Palao *n. 5.* Pirhing. *n. 114. & 116. coroll. 3.*

265 *Contrà* ad restitutionem in defectum Usurarii in solidum obligantur 1. Principes, & domini temporales, qui Lege, vel Statuto decernunt, vel per præceptum, aut per sententiam compellunt subditos debitores ad Usuras promissas solvendas, vel etiam, cùm Usuræ solutæ repetuntur, prohibent, aut impediunt, ne restituantur. Sylv. *V. usura 9. q. 22.* Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 18. q. 4.* Molin. *D. 331. n. 5.* Less. *c. 20. n. 179.* Palao *p. 26. n. 6.* Pirh. *n. 115.* Secus est, si prædicti solùm permittant exerceri Usuras ad majora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes, nec in peccato participantes; tunc enim non censentur esse causa efficax Usurarum. Sylv. *V. usura 7. q. 11.* cum *citt.* Videantur dicta *n. 11. & seqq.*

266 2. Qui consulit, & persuadet alicui, ut sub Usuris mutuet, aliàs gratis mutuaturo, vel in proposito mutuandi sub Usuris confirmat; quia consilio suo est causa damni, mutuatario illati. Secus est, si consilium det, mutuo jam sub Usuris accepto, ita, ut nihil fecerit ad Usuras acquirendas; iste enim ad restitutionem etiam in defectum mutuantis non tenetur. Sylv. *V. usura 7. q. 2.* Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 4. fin.* Navar. *Man. c. 17. n. 267.* Azor *c. 18. q. 1.* Molin. *n. 2. & 3.* Less. *n. 178.* Pal. *n. 3.* Pirh. *n. 116. coroll. 2.*

267 3. Notarius faciens scienter Instrumentum, in quo sub specie licti contractûs, sive sub nomine alterius debiti palliantur Usuræ, ita, ut ex eo postea reipsa mutuatarius cogatur solvere Usuras: quod procedit, si invito, & non consentiente Mutuatario Instrumentum confecit: secùs, si ipso volente, & petente; quia tunc non fit ipsi injuria. Sylv. *l. cit. q. 7.* Azor. *q. 6.* Molin. *n. 6.* Less. *n. 189.* Palao *n. 7.* Pirhing. *coroll. 4.* Hinc rarò contingit, ut Notarius teneatur ad restitutionem; quia non facit Instrumentum, nisi volente Mutuatario: peccat tamen semper mortiferè talia Instrumenta conficiendo; quia facit contra juramentum suum, quod Notarii, dum munus illud suscipiunt, facere solent. Less. *l. cit.* Similiter non tenetur Notarius ad restitutionem, quando Instrumentum expressè continet Contractum Usurarium, & hic in Instrumento exprimitur, qualis est, nam ex vi talis Instrumenti non possunt exigi Usuræ. *Excipitur*, nisi alicubi consuetudo, vel statutum iniquum esset, quo cogantur Mutuatarii ad solvendas Usuras. Pirhing *l. cit.* cum reliquis *suprà*. Porrò quod de Notario dictum hic est, etiam intelligi debet de testibus, qui interveniunt in tali Instrumento; quia hoc sine testibus non valet. Sylv. *q. 9.* Molin. *n. 7.* Palao *n. 8.* Pirh. *l. cit.*

4. Judices, Procuratores, & Advo- 268
cati, quorum patrocinio, & ope in Judicio, & extra scienter exiguntur Usuræ, vel non restituuntur, cum repetuntur. Sylv. *q. 10.* Less. *n. 179.* Palao *n. 6.* Pirhing *n. 117. coroll. 5.* Idem est de Mediatoribus, si causa sint, cur mutuans non gratis, sed sub Usuris mutuet. Sylv. *q. 3.* Azor *q. 8.* Pirhing *l. cit.*

5. Famuli Usurarii, qui domini sui nomine cum Mutuatario Contractum ineunt deducendo in pactum, ut Usuras solvat, vel eum cogunt, & urgent ad eas solvendas. Sylv. *q. 14.* Molin. *n. 8.* Less. *n. 181.* Palao *n. 9.* Pirhing *coroll. 6.*

6. Tutores, Curatores, Administratores, & negotiorum gestores, qui nomine pupillorum, vel eorum, quorum negotia gerunt, mutuant sub Usuris. Sylv. *q. 4.* Azor *q. 10.* Molin. *n. 8.* Pirhing *coroll. 7.*

Quæritur 8. cui restitui Usuræ de- 269
beant? R. debent restitui illis, à quibus fuerunt extortæ. Si verò isti non supersint, aut inveniri nequeant, restitui debent eorum hæredibus, sive ex Testamento, sive ab intestato sint successores. Quòdsi nec isti extent, debent erogari pauperibus, vel Ecclesiis, aut aliis piis locis. Sylv. *V. usura 6. q. 12.* Vivian. *in c. 5. b. tit. pr.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 9. §. 4. n. 1. & 2.* Gonzal. *in c. cùm tu 5. b. tit. n. 5.* Begnudell. *V. usura n. 14.* Engl *hic n. 27.* König *n. 17.* Pirhing *n. 102. not. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 134.* & sumitur ex *can. nemo 4. caus. 14. q. 5. & c. cùm tu cit.* Nunquam autem debent Usuræ dari pauperibus, quamdiu fieri potest restitutio ei, à quo sunt extortæ; quia Justitia exigit, ut suum cuique reddatur. Gloss. *in c. cùm tu cit. V. non superstitibus fin.* Pirhing. *hic n. 102. not. 2.*

Quodsi ille, cui debent restitui 270
Usuræ, sit longè absens, interest, an sciatur,

ubi habitet, vel hoc ignoretur. *Si ignoretur*, vel sciatur quidem, sed ad eum mitti, quod pro restitutione Usurarum solvendum esset, non potest, restitutio rursum pauperibus fieri debet *arg. c. cùm sit 16. de Judæis*, nisi spes sit de ejus adventu; tunc enim obsignabitur, & deponetur. Tholos. *l. 3. de usur. c. 12. n. 3.* Pirhing. *l. c. Si sciatur*, ubi habitet, & Usuræ possint ad eum mitti, debent mitti. Gloss. *V. cit.* Begnudell. *n. 14.* Pirhing. *l. cit.* & quidem suis sumptibus, si Usurarius discessit à loco, ubi Usuras extorsit; alioquin verò expensis absentis, si illi, à quibus extortæ Usuræ sunt, recesserunt à loco illo. Abb. *in c. cit. n. 9.* cum *Begnudell. Pirhing &c.* Si autem sumptus itineris Usuræ summam excedanti, debet dari pauperibus, ut volunt *Gloss. Pirh.* | *l. citt.* quamvis contrarium teneat Tholos. *l. cit. c. 13. n. 6.* quod satis probabile est in casu, quo ipse Usurarius solvere expensas debet; quia id sibi imputare Usurarius debet, quòd sumptus majores sint, quàm valeat res restituenda, cùm damnum sentiat ex sua culpa.

271 Si facta restitutione pauperibus, vel Ecclesiis in casibus suprà positis, postea compareat is, à quo extortæ Usuræ sunt, vel hæres illius, distinguendum est. Nam si Usurarius, qui restituit Usuras, priùs diligenter inquisivit de persona ejus, qui solvit Usuras, vel ejus hæredis, ut inveniret, non tenetur ampliùs ad aliam restitutionem; quia bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur, ut dicitur *Reg. 83. in 6.* Si verò non adhibuit diligentiam debitam, tenebitur nihilominus debitoribus, à quibus Usuras accepit, vel eorum hæredibus restituere; quia non debebat aliena pauperibus erogare *c. ficut 6. §. eos insuper de Homicid.* Tholos. *l. cit. n. 15.* Pirhing. *n. 103. not. 4.* Begnudell. *l. cit. n. 15.*

272 Quæritur 9. quænam restitui debeant ab Usurario? R. 1. restitui debent omnia, quæ ex pacto, vel conventione ratione mutui supra sortem accepit. Secus est, si datum sit non intuitu mutui, & sine pacto, aut conventione, ut sunt ea, quæ à mutuatario data sunt gratis, & merè liberaliter, aut in recognitionem beneficii per mutuationem accepti. Item illa, quæ à mutuante accepta sunt ratione ejus, quod interest, sive ratione damni emergentis, lucri cessantis, vel ratione pœnæ Legalis, aut Conventionalis; quia hæc ad Usuras prohibitas non pertinent, ut dictum est *supra*. Tholos. *l. 3. de usur. c. 9. n. 1.* Pirhing *hic n. 128.*

273 2. Si res fructifera mutuanti data pro Usuris sit, debent etiam restitui fructus percepti, & quos mutuatarius percepisset, si rem illam retinuisset; quia percepti sunt à malæ fidei possessore. Deducere tamen potest expensas necessarias, factas in iis fructibus colligendis, & conservandis; nam has deducere etiam prædo potest. Pirh. *l. cit. V. secundò.* Imò probabiliter etiam restituere Usurarius debet fructus illos, quos ipse percepit, quamvis dominus rei illos non fuisset percepturus vel ob casum fortuitum, vel ob negligentiam suam, quia v. g. domum datam non locâsset pro pensione, vel agrum non coluisset, quam tamen locavit, vel coluit Usurarius; quia satis est, quòd sint fructus rei restitutioni obnoxiæ, & percepti ab Usurario. Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 15.* Pirhing *l. cit.* quamvis aliqui apud Tholos. *l. cit. n. 5.* putent, saltem in foro conscientiæ tales fructus non esse necessariò restituendos. Quidquid de his fructibus sit, in id communiter DD. conveniunt, quòd Usurarius non teneatur restituere fructus, quos neque ipse percepit ob negligentiam suam, nec dominus rei ob suam negligentiam percepisset; quia non apparet, ex quo capite teneatur: non ratione rei acceptæ; quia de his fructibus nihil percepit: non ratione injustæ acceptionis; quia cùm neque dominus rei illos fructus percepturus fuisset, hic per hoc Usurarii factum nullum est passus damnum.

274 3. Usurarius restituere etiam debet omne damnum, quòd mutuatarius passus est propter solutionem Usurarum, puta, si, ut posset Usuras solvere, coactus est vendere domum, vel agrum vilius, vel accipere mutuum sub aliis Usuris. Azor *l. cit.* Tholos. *n. 6.* Pirhing *V. tertiò.* Imò & lucrum cessans ipsi mutuatario ex eo, quòd solverit Usuras, cui causam Usurarius dedit. Zoes. *hic n. 28.* Pirhing *l. cit.*

275 Quæritur 10. an restitui Usuræ debeant etiam ex rebus, ab Usurario in tertium aliquem alienatis? R. distinguendo: Vel enim sunt res ipsius Mutuatarii, Usurario pro mutuo nomine Usurarum datæ, vel sunt res propriæ ipsius Usurarii. *Primi generis* res, qualescunque illæ sint, si in specie extent, restitui debent, ad quemcunque, & quocunque titulo pervenerint, quamvis per talem alienationem ipse Usurarius non sit factus impotentior ad solvendum suis creditoribus. Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 14. dict. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 165.* Pirhing. *hic n. 130.* Ratio est, quia cùm ipse Usurarius non habeat dominium talis rei, non potest illud quocunque titulo transferre in aliam adeóque qui illam accepit, tenetur ad ejus restitutionem.

276 Quoad *secundi generis bona* interest, an Usurarius adhuc solvendo sit ex aliis suis bonis, vel non. *Si primum*, non debent res tales à tertio illo, in quem ab Usurario alienatæ sunt, restitui, etiamsi Usurarius post Contractum fiat impotens ad re-

sti-

stituendum Usuras. Azor *c. 14. cit. dict. 2.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 329. n. 8.* Less. *c. 20. dit. n. 167.* Pirh. *n. 131.* Ratio est, quia hæ res non sunt alienæ; neque etiam aliis obligatæ pro Usuris, prout dicetur *n. 279.* ergo Usurarius validè earum dominium in tertium transfert: præterea alienatio ista non est facta in fraudem creditorum, utpote quibus, ut ponitur, adhuc satisfieri poterat ex aliis Usurarii bonis. igitur etiam injusta non est.

277 *Si secundum*, videndum est, an accipiens sciverit Usurarium per talem alienationem fieri impotentem ad restituendas Usuras, an verò probabiliter ignoraverit. *Si prius*, tunc Jure Civili cogetur accipiens restituere, etiamsi res non extet ampliùs, neque ex ea factus sit locupletior; quia mala fide consumpsit. Azor *l. cit.* Molin. *n. 10.* Less. *n. 169.* Pirh. *n. 132.* modò tamen à Creditoribus bona illa, aut illorum valor petantur intrà annum à die scientiæ alienationis in ipsorum fraudem effectæ: secus, si intra annum non petantur, aut petantur elapso jam anno; nam tunc neque in conscientiæ foro ad ullam restitutionem tenetur. Molin. *l. cit.* Dixi, *Jure civili* seu in foro externo; nam in foro conscientiæ attendendum, an accipiens induxerit Usurarium ad donandum, vel alienandum, an verò iste sponte donaverit: *si induxit*, etiam in foro conscientiæ restitutionis obligatio accipientem stringit; *si verò Usurarius donavit sponte*, in hoc foro accipiens non tenebitur restituere, etiamsi sciat per hoc Usurarium fieri impotentem ad solvendum. Less. *n. 168.* Pirhing *l. cit.* & ratio est, quia in *priori* casu est causa, cur alter cum præjudicio Creditoris velit donare, non verò in *posteriori*.

278 *Si posterius* contingat, & accipiens probabiliter ignoravit, Usurarium per talem alienationem fieri impotentem ad restituendas Usuras, tunc quocunque titulo bona illa acceperit, non tenebitur talem rem restituere accipiens; quia Contractus est validus, & ipse Usurarius nulla Lege inhabilis factus ad transferendum dominium. Molin. *n. 9.* Pirhing *n. 132.* *Proceditque* hoc etiam in foro externo; neque enim hoc casu Creditoribus datur Actio ad rescindendum Contractum, ut expresè habetur *l. quod autem 6. §. hoc edictum 8. ff. quæ in fraud. credit.* *Excipitur*, nisi Usurarius sciens per talem alienationem se fieri impotentem ad restituendas Usuras, bona illa alienaverit titulo lucrativo; tunc enim accipiens teneretur in foro utroque tam externo, quàm conscientiæ ea restituere, quæ accepit, si extent, vel si bona fide consumpsit, quatenus illis factus est locupletior, modò hoc à Creditoribus petatur intra annum à die scientiæ alienationis in fraudem ipsorum factæ. Molin. *n. 9. cit.* Pirhing *n. 132.*

Quæritur II. an bona Usurarii sint 279
tacitè Hypothecata, vel realiter obligata mutuatario pro solvendis Usuris? Videtur hoc inferri ex *c. cùm tu 5. h. tit.* ubi jubentur bona Usurarii vendi, & ex iis solvi Usuræ, ut Usurarius, à pœna, & peccato, quod eas accipiendo incurrit, liberetur.

Sed dicendum, non esse tacitè Hypothecata: procedítque hoc, etiamsi sint empta ex pecunia Usuraria, & sive titulo oneroso, sive lucrativo pervenerint ad tertium. Ita Sylv. *V. Usura 6. q. 5.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 6.* Azor *p. 3. l. 5. de Usur. c. 13. V. tertia opinio*, Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 329. n. 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. n. 167.* Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. c. 7. §. 2. n. 6.* Pirhing *hic n. 105.* Ratio est, quia talis Hypotheca non oritur ex natura rei, neque ullo Jure Civili, vel Canonico est constituta.

Conf. 1. ex *c. tua nos 9. h. tit.* ubi 280
non dicitur, quòd omnes, ad quos bona Usurarii pervenerunt, cogendi sint ad restituendas Usuras, sed filii, & alii hæredes, etiam extranei, ergo illi, ad quos illa pervenerunt titulo singulari v. g. venditionis, non possunt compelli ad dimittenda illa, ut ex iis restituantur Usuræ; quia non sunt hæredes. possent autem compelli, si bona illa essent tacitè Hypothecata pro Usuris; quia cum onere suo transirent, ergo &c. *Conf. 2.* quia non expediebat talem Hypothecam in bonis illis constituere, utpote qua illaquearentur conscientiæ hominum, & absterrerentur à Contractu cum Usurariis celebrando. quippe qui scirent, quæcunque ab ipsis acciperentur, sive titulo oneroso, sive lucrativo, realiter obligata esse pro solvendis Usuris, ad quoscunque devenirent, adeóque esse restitutioni obnoxia. *Conf. 3.* quia si bona Usurarii tacitè Hypothecata essent pro Usuris, tunc illa etiam quando ex titulo oneroso v. g. per venditionem translata sunt in alium, possent ab eo vendicari, cui usuræ sunt restituendæ. non autem possunt, nisi casu, quo illa accipiens scivit Usurarium tali alienatione fieri impotentem ad restituendas usuras, ut dictum est *n. 277.* ergo &c. Si titulo lucrativo alienata sint, possunt quidem illa in casu exceptionis *n. 278.* positæ vendi à Judice, non tamen stricto Jure, sed ex quadam æquitate: quod iterum probat, nullam in illis constitutam esse tacitam Hypothecam; nam vi istius possent vendi stricto Jure, cùm Hypotheca det jus reale in re Hypothecata.

Ad textum in contrarium allega- 281
tum dico, *c. cit.* non loqui de bonis acquisitis ex pecunia Usuraria, postquam ab usurario in alium tertium alienata sunt; quia

post-

postquam alienata sunt, non amplius usurarius potest ex iis usuras solvere: sed sermo est tantùm de illis bonis quæ adhuc manent, & extant apud ipsum usurarium. Et quidem hæc restitutioni obnoxia sunt, non quòd tacitè Hypothecata sint pro restitutione Usuræ, sed quia quamdiu sunt apud Usurarium, obligatione personali ipsius Usurarii sunt obstricta pro restitutione usuræ. & hinc obligatio ista in aliam personam, nisi hæres sit, nequaquam transit.

282 Quæritur 12. quænam causæ excusent Usurarium à restituendis Usuris? R. 1. excusatur ob inopiam suam, si videlicet ipse (vel ejus hæres, si Usurarius jam defunctus sit) manifestè non sit solvendo, nec habeat, unde restituere possit; tunc enim nullâ pœnâ cogi potest ad restituendum *c. cùm bis 5. ℣. illi autem h. tit.* quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit *c. olim 16. de restit. spoliat. l. nam is 6. ff. de dol.* & is, qui nihil habet, nihil dare potest *can. Daibertum 24. caus. 1. q. 7.* Vivian. *in c. 5. pr. h. tit.* Engl *hic n. 28.* Pirhing *n. 103. not. 5.* Reiffenstuel *n. 179.* Begnudell. *℣. usura n. 15.* Si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerint, tenentur restituere, & satisfacere *arg. c. Odoardus 3. de solut.* Gloss. *in c. cùm tu cit. V. facultatibus,* Pirhing *l. cit.*

283 2. Excusatur si liberaliter ei à mutuatario fuit remissa hæc obligatio; nam talis remissio, si sponte, & sine fraude sit facta, valida est. Gloss. *in Reg. peccatum 4. V. restituatur in 6.* Covar. *ibid. p. 2. pr. n. 5.* Canis. *de usur. c. 7. n. 5.* Zoes. *hic n. 40.* Pirhing *ibid. n. 118.* Ratio est, quia etiam in aliis debitis sive Civilibus, sive Criminalibus liberè potest creditor remittere debitori jus suum quoad privatum suum interesse, cùm quilibet sit rerum suarum moderator, & arbiter *l. in re 21. C. mandat.* nisi in casibus, in quibus jus remissioni resistit eámque prohibet, ut in casu *c. statutum 11. §. si quid autem de Rescript. in 6.* & *c. exigit 2. de censib. eod.*

284 3. Si is, qui Usuras etiam ipse extorsit ab aliis, repetat Usuras à se solutas, & hoc per modum Exceptionis opponat is, à quo repetuntur Usuræ; nam priùs restitutionem earum petens non auditur, quàm ipse restituerit Usuras, quas ab aliis noscitur accepisse, & extorsisse *c. quia frustra 14. h. t.* ubi ratio datur, *quia frustra Legis auxilium invocat, qui committit in Legem:* & nemo potest improbare mores, quibus ipse infectus est *l. in arenam 11. C. de inoffic. testam.* Sylv. *V. Usura 6. q. 6.* Pirhing *hic n. 121.* Imò si pater Actoris, vel alius, cujus ipse est hæres, extorserit Usuras, repetens à se solutas priùs non audietur, quàm satisfecerit, prout decernitur *c. Michael 17. h. tit.* Abb. *ibid. n. 2.* Pirhing *hic n. 125. & 126.* Et hoc procedit, etiamsi nihil ad ipsum hæredem pervenerit; quia non convenitur ex delicto, sed ex quasi Contractu *l. un. C. ex delict. defunct.* ad compensationem damni illati: idque utroque Jure, etiam Civili, Gloss. *in c. Michael cit. V. pater.* Abb. *ibid. n. 5.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 7.* Pirh. *l. cit. ℣. quintò.*

285 *Excipi* tamen aliqui casus debent, in quibus repetens Usuras audiri debet, etiamsi ipse priùs Usuras à se extortas non restituerit. Et 1. quidem, si fuit auditus, & admissus ad agendum, nulla opposita Exceptione; tunc enim non amplius potest excipi. Debétque Exceptio ista, quia Dilatoria est, opponi ante litis contestationem, & probari intra octo dies *arg. c. pia 1. de Except. in 6.* Host. *in c. quia frustra cit. fin.* Abb. *ibid. n. 9.* Tholos. *l. 2. c. 12. n. 5.* Pirhing *n. 124. not. 3.* 2. Si postquam exceptum est contra Usurarium repetentem Usuras, & denuntiatum publicè à Judice, ut, qui tali solverit Usuras, veniat, & restitutionem illarum petat, nemo compareat, qui petat; tunc enim procedet repetitio Usurarum ab actore interposita, non obstante Exceptione. Sylv. *V. Usura 6. q. 7.* Tholos. *l. cit. n. 3.* Pirhing *not. 4.* 3. Si Actor Usuras repetens non sit solvendo; tunc enim sufficit præstare cautionem, & audiri debet, ut postea alii restituat *arg. cùm olim 16. de restit. Spoliat.* Sylv. Pirh. *l. citt.* Similiter sufficiet cautio pignoratitia, aut fidejussoria, si is, cui debetur, consentiat; quia tunc satisfactum intelligitur *l. si rem 9. §. omnis 3. ff. de Pignor. act.* Gloss. *in c. quia frustra cit. V. restituerit,* Host. *ibid.* Pirhing. *l. cit.* 4. Si Actor Usuras nomine alieno repetat; nam si Clericus nomine Ecclesiæ & procurator nomine principalis eas repetat, audiri debet, etiamsi Usuras, quas ipse extorsit, nondum restituerit. Abb. *n. 3.* Pirhing *l. cit. ℣. quartò.*

286 Quæritur 12. an Usurarius habeat beneficium Cessionis bonorum, sicut alii debitores, ita, ut non possit conveniri post cessionem in solidum, sed tantùm, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, quantum facere potest, salvis alimentis necessariis juxta *l. is qui 4. ff. de cession. bonor.* Tres sunt sententiæ. *Prima* cum Gloss. *in c. cùm tu 5. V. in facultatibus* negat, ex ratione, quia hoc beneficium cessionis datur tantùm iis, qui casu fortuito ad inopiam redacti sunt, non verò illis, qui ex delicto condemnati ad restituendum; & nemo debet beneficium consequi, ex quo pœnam meretur *l. ne ex dolo 12. ff. de dol. mal. & l. non fraudantur 134. §. nemo 1. ff. de R. J.*

287 2. Alii cum Abb. *in c. cùm tu cit. n. 10. & 11.* Joan. Andr. *ibid. n. 9.* Begnudell. *V. Usura n. 16.* distinguunt: nam in

in *foro pœnitentiali* putant Usurarium etiam post cessionem bonorum teneri ad restitutionem omnimodam; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & nemo ex alieno vivere debet: non verò teneri in foro contentioso, & Judiciali externo, nisi quatenus facere potest, sicut alius, qui cessit bonis.

288 3. Denique alii existimant, quòd nec in foro conscientiæ ab Usurario repeti possint Usuræ integræ, nisi deducto eo, ne egeat, si bonis omnibus cedat; quia beneficium Cessionis bonorum concessum est Lege Civili, non in præsumptione, sed in veritate fundata: ideóque dispositio illius servanda est etiam in foro conscientiæ; & in summa necessitate omnia sunt communia.

289 Ex his sententiis prima, ut Pirhing *hic n. 104. ℣. alii dicunt* advertit, spectato Juris rigore, est verior, tertia tamen mitior, & æquior. Potéstque satis commodè responderi ad Fundamentum primæ; nam dici potest, obligationem restituendi Usuras non tam oriri ex delicto, sed potiùs ex quasi contractu. Esse autem nimis inhumanum videtur propter debitum privare aliquem etiam alimentis necessariis. *Ad axioma* in eodem *Argumento* dico, satis gravari Usurarium pro debito, si propterea cedat bonis.

Quæritur 13. an conventus pro Usu- 290
ris restituendis, appellare possit ad effugiendam restitutionem? R. si sit Usurarius manifestus, non posse appellare, prout decernitur *c. quàm perniciosum 11. h. tit.* Idque non est specialiter statutum in odium Usuræ, sed quia nec alius quilibet criminosus auditur appellans à condemnatione criminis *c. cùm sit 5. §. fin. de appellat.* Intelligi autem hoc debet, quando Appellatio est manifestè frivola. Pirhing *n. 127. hic.*

Secus dicendum, si Appellatio sit in- 291
terposita ex justa causa, ut quia conventus dicit, se non accepisse Usuras ab eo, qui petit eas restitui, & tamen condemnatur; vel si admittantur ejus testes ad reprobandos testes, dicentes ipsum accepisse Usuras; vel si alio modo gravetur: nam gravato, quamvis criminoso, non est deneganda Appellatio, sicut nec alia defensio, quæ est Juris naturalis *c. ut debitus 59. de Appellat. c. inter dilectos 11. de Excess. Prælat.* Gloss. *in c. 11. cit. V. setueri*, Abb. *ibid. n. 2.* Pirhing *n. 127. fin.*

§. VIII.

De Judice criminis Usurarum, ejus Probatione, & Pœnis.

SUMMARIUM.

292. &c. *Quis sit Judex criminis Usurarum?*
296. &c. *Quis Usurarius manifestus?*
299. &c. *Modi, quibus probatur aliquis esse Usurarius manifestus?*
304. &c. *Pœna Usurariorum.*
310. &c. *Requisita, ut pœnæ hæ contrahantur.*
313. &c. *An valeat Testamentum conditum ab Usurario, saltem quoad relicta, ad causas pias?*
316. &c. *An Testamentum, ab Usurario conditum, convalescat, si deinde Usuras restituat, vel cautionem præstet de restituendo?*
320. &c. *Quid si post restitutas Usuras, & cautionem de restituendo præstitam, condito Testamento, iterum Usuras exerceat?*
322. *An valeat Testamentum, conditum ab Usurario, qui desiit quidem exercere Usuras, sed eas ante mortem non restituit, nec cautionem præstitit de restituendo?*
323. *An Testamentum Judæorum, qui sunt notorii Usurarii sit nullum.*
324. *An etiam alii Contractus, vel actus vitientur per additum pactum Usurarium?*

292 QUæritur 1. quis sit Judex Criminis Usurarum? Satis convenit inter DD. si Jus sit liquidum, & de facto duntaxat quæstio sit, Usurarum causam esse mixti fori, ac proinde cognitionem sæculari quoque Judici competere.

Controversia est, quando est quæstio de Jure, v. g. an Contractus, quem celebratum esse constat, Usurarius sit, vel non. Gloss. *in c. cùm sit 8. V. malefactores de for. compet.* Clar. §. *Usura n. 8.* Azor. *p. 3. l. 5. de usur. c. 18. pr.* & alii apud Fa. R. P. Schmalzgrueber *L. V. T. I.* rin. *prax. crim. tit. 1. q. 8. n. 134.* volunt cognitionem competere soli Judici Ecclesiastico. Moventur 1. textu *c. quoniam 2.* & *præter ea 7. h. tit.* ubi in Laicos Usurarios dicitur districtione Ecclesiastica procedendum, & Excommunicationis ferenda sententia. 2. *clem. 2. de Judic.* ubi causa Usurarum Ecclesiasticis accensetur. 3. *ratione:* quia in ejusmodi quæstione agitur de peccato, cognoscere autem, an actus peccaminosus sit, ad solius Ecclesiæ Judicium pertinet *c. novit 13. ℣. non enim de*

Judic. c. per Venerabilem 13. ℣. rationibus igitur. Qui fil. legit.

293 Sed dicendum, cognitionem hanc esse mixti fori, & competere tam Judici Sæculari, quàm Ecclesiastico. Sylv. *V. Usura 9. pr.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 1.* Menoch. *de Arbit. c. 398. n. 4.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 333. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 140.* Canis. *de Usur. c. 9. n. 4.* Pirhing. *hic n. 142.* Reiffenst. *ibid. n. 193.* Begnudell. *V. usura n. 35.* quod probatur triplici Argumento. 1. quia talis cognitio Judici Ecclesiastico soli nusquam, bene autem & sæculari attribuitur per *c. post miserabilem 12. h. tit.* neque ibi distinguitur inter quæstionem Juris, & facti. 2. quia Usura plus Spiritualitatis non continet, quàm homicidium, furtum, adulterium, & cætera crimina, quæ Justitiæ, & Juris naturalis præceptis adversantur. ergo sicut horum, ita & Usurarum cognitio ad Judicem sæcularem saltem cumulativè pertinet. 3. quia defacto Usuræ etiam Sanctionibus Imperialibus, & Regiis passim reprobantur, & causæ illarum in foro Sæculari tractantur, ut adeò, si non ex alio capite, saltem ex consuetudine cognitio de isto crimine Judici Sæculari competat.

294 *Excipitur 1.* quando perpetua, & Legali Sanctione statuendum esset, an pactio, vel Contractus aliquis Usurarius, aut aliàs injustus, & peccaminosus sit, vel non sit; nam doctrinam, fidelium mores spectantem, firmiter declarare soli Papæ concessum à Christo est verbis, *Pasce oves meas.* Joan. *21. v. 18. Excipitur 2.* si alicubi Usuræ profanis Legibus non essent prohibitæ, nec à Sæculari potestate coërcerentur; nam in his locis causarum Usurariarum cognitionem soli Judici Ecclesiastico competere observat Lugo *tom. 2. de J. & J. D. 25. sect. 11. n. 250. Excipitur 3.* ubi consuetudo eam cognitionem Curiæ Sæculari ademit. Lugo *l. cit.* Pirh. *n. 142.* Wiestner *n. 115.*

295 Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad 1. & 2.* iis textibus solùm probatur, quòd crimen istud non sit fori Sæcularis tantùm, quia coërceri etiam pœnis Ecclesiasticis potest. *Ad 3.* adhibenda est distinctio *n. præc.* insinuata; nam etsi ad Judicem Ecclesiasticum solum pertineat, generali, & Legali definitione decernere, ac definire, an aliquid peccatum sit, vel non; in casu tamen particulari, quando quæritur, an hic, vel ille Contractus injustus, & Legibus contrarius sit, non apparet, cur cognoscere, & judicare nequeat Curia sæcularis.

296 Quæritur 2. quomodo probetur quis esse Usurarius manifestus? R. Usurarius manifestus, sive notorius potest quis esse duplici modo, scilicet notorietate Juris, & facti. *Priori modo* notorius Usurarius est, qui tanquam talis condemnatus, aut confessus in Judicio, vel legitimis testimoniis, aut aliis argumentis convictus est. *Posteriori* ille, qui sub Usuris mutuum publicè, sive in omnium conspectu, etiam semel, vel domi suæ quibusvis ad se accedentibus assiduè, & frequenter dedit, ut de hoc publicè constet. Sylv. *V. Usura 9. q. 1.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 4.* Menoch. *de arbitr. cas 235. à n. 9.* Azor *p. 3. l. 5. de usur. c. 19. ℣. quæres.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 3. ℣. manifestus,* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 327.* Wiestner *hic n. 106.* Reiffenstuel *ibid. n. 183.*

Dixi, *etiam semel*; nam si publicè exercita Usura sit, non requiritur pluribus actibus hoc fuisse factum, ut Usurarius manifestus quis dici possit, sed sufficit, si unus talis actus exercitus sit. Ita Navar. *Man. c. 17. n. 280.* Azor *c. 19. cit. ℣. quæres.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 333. n. 2.* Begnudell. *V. Usura n. 14.* Pirhing *hic n. 143.* Neque etiam necessarium est, ut in mutuo formali quis Usuras exerceat, sed satis est, si in mutuo virtuali, sive implicito, ut si quis rem vendat supra justum pretium rigorosum seu summum ob dilatam ad tempus solutionem. Sylv. *V. usura 9. q. 2. Molin. Azor. Pirh. l. cit.* & coligi videtur ex *c. ad nostram 5. de Empt.* 297

Porro probatio istius criminis difficilis admodum est; nam propter tot titulos, pro Usura coloranda allegari solitos non facilè deprehenduntur, aut convincuntur fœneratores de crimine: hinc rarissimè sunt manifesti, & pœnæ in foro externo subjecti. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 140.* 298

Modi, ex quibus probari Usurarius manifestus potest, varij sunt. Et 1. quidem ex evidentia facti, siquis palam, omnibus videntibus, sub Usuris mutuet in ipso foro, aut domi suæ frequenter, & assiduè; nam ob ipsam actuum frequentiam censetur Usurarius manifestus. Sylv. *V. Usura 9. q. 1. dict. 2.* Menoch. *de arbitr. cas. 235. n. 9. & 16.* Mascard. *de Probat. concl. 1426. n. 3.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 328.* quamvis addant, requiri sententiam quandam Declaratoriam Judicis. Menoch. *n. 11.* Mascard. *n. 7.* Pirhing *n. 144. ℣. jam verò.* 299

2. Per Confessionem propriam in Judicio factam, quâ fateatur se sub Usuris sæpius, publicè, vel domi frequenter mutuâsse. Sylv. *l. cit. dict. 1.* Menoch. *n. 20.* Mascard. *n. 8. & 10.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 3.* Pirhing *l. cit. ℣. secundò.* Vel etiam per Confessionem extra Judicium factam coram Sacerdote, qui est Judex illius quoad forum animæ, vel Notario, aut saltem coram testibus, ita, ut ad plurium notitiam pervenerit. Gloss. *in c. quanquam 2. V. manifesti junct. addit. in 6.* 300

Sylv.

Sylv. *l. cit. dict.* 3. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 4. *ỳ. tertiò*, Menoch. *l. cit. n.* 21. Mascard. *n.* 11. Pirh, *l. cit.*

301 3. Per legitimos, & idoneos testes saltem duos, vel tres, qui testentur se sæpius vidisse hunc mutuò dantem sub Usuris: quales sunt, qui nullum commodum vel principaliter, vel in consequentiam ex mutuo, sub Usuris dato, sperare possunt. Menoch. *n.* 22. *& 2. seqq.* Pirhing, Wadingus *l. citt.* Quòd si isti deponant solùm de fama, & opinione communi, testando, quòd audiverint apud omnes, vel majorem partem populi, indicium quidem faciunt, non tamen probationem plenam: hinc ut plenè probatum ab his censeatur Usuræ crimen, accedere alia debent adminicula, quibus probatio integretur. Sylv. *l. cit. q.* 3. Menoch. *n.* 27. Mascard. *concl.* 1425. *n.* 28. *& 2. seqq.* Pirhing *ỳ. quartò.*

302 4. Per conjecturas, & indicia, dummodo illa sint aperta & evidentia *c. cùm in Diœcesi 15. h. tit.* Sylv. *q.* 3. *cit.* Pirhing *n.* 145. quia cùm crimen hoc secundùm dicta *n.* 298. difficilis probationis sit, ad illud probandum etiam admittuntur conjecturæ, & indicia, si tamen gravia sint, & cum delicto moraliter certò conjuncta. Porro Argumenta, seu indicia, quæ cum fama publica sufficiant ad convincendum, & publicandum per Judicem Usurarium manifestum, sunt, si vendebat merces cariore pretio ob dilatam solutionem, secundùm dicta *n.* 53. *& seqq.* si emit res cum pacto de retrovendendo majore pretio aut fructibus sibi retentis *c. ad nostram 5. de Empt. c. illo 4. de Pignor.* vel quia reperiuntur apud illum instrumenta Usuraria; vel quia alias publicè renuntiavit Usuris. Joan. Andr. *in c. 15. cit. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 6. Pirhing. *n.* 146. *not.* 2. *ỳ. porro*, Begnudell. *V. Usura n.* 27.

303 5. Ex libris rationum; quia tales Libri, etsi non probent pro scribente *l. instrumenta 5. l. rationes 6. & l. seq. c. de Probat.* probant tamen contra ipsum scribentem, & quidem eum esse Usurarium manifestum, si ex hujusmodi Rationibus frequentia actuum detegatur. Sylv. *q.* 3. *cit.* Menoch. *n.* 30. Mascard. *concl.* 1426. *n.* 14. Pirhing. *n.* 147. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 328. Possúntque Usurarii, & eorum hæredes ad libros istos edendos compelli per Censuram Ecclesiasticam *Clem. un. §. ceterùm h. tit.* vel si nihilominus reluctentur, licebit adhibere vim ingrediendo ipsorum domos, & arcam frangendo; quia cùm ad edendas Rationes suas teneantur, quibuscunque modis licitis potest fieri compulsio, Abb. *in Clem. cit. n.* 12. Pirhing. *l. cit.* Neque creditur Usurario, etiam jurato, si dicat se non habere rationes, vel illas se amisisse, nisi probet se illas amisisse casu fortuito v. g. incendiô, vel ruinâ. Pirhing, *l. cit.*

Quæritur 3. quæ sint Usurariorum pœnæ? R. plures utroque Jure in hos constitutæ sunt. 1. incurrunt Infamiam *can. infames* 2. §. *porro fin. caus.* 3. *q.* 7. *c. inter dilectos* 11. *de Excess. Prælat. l. improbum* 20. *C. ex quibus caus. infam. irrog.* Sylv. *V. Usura* 9. *q.* 4. *pr.* Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 19. *ỳ. prima*, Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 1. *&* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 186. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 21. Carpzov. *pract. crim. q.* 92. *n.* 32. Wading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. § 5. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 30. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 5. Engl *n.* 50. *fin.* Pirhing *n.* 148. König *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 184. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 334. Begnudell. *V. Usura n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 137. Quod procedit non tantùm de iis, qui quantitatem à LL. determinatam excedunt, sed etiam, qui Usuras intrà terminos à Jure Civili permissos exercent, ut probabiliùs post *Gloss. Cyn. Salicet.* & *alios* docent Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 398. *n.* 30. Salas *de Usur. dub.* 47. *n.* 2. Palao *l. cit. n.* 2. ex quo enim Leges Civiles Usurarium afficiunt infamiâ, censendæ sunt omnem Usurarium reprobatum afficere, maximè cùm omnis Usurarius Lege tam Pontificia, quam naturali, & Divina, & Civili recentiori reprobetur. Infamia tamen hæc, si Usurarii respiscant, & usuras restituant, ex æquitate saltem Canonica cessat, ut notant Bald. *in l. Cassius 17. fin. ff. de Solut.* Felin. *in c. 1. de Probat. n.* 19. Matth. de Afflict. *sing.* 196. Salas *l. cit. n.* 1. Wiestner *n.* 108.

304

2. Neganda ipsis est Absolutio Sacramentalis, Eucharistiæ Sacramentum, Sepultura Ecclesiastica, nec admittendi sunt ad oblationes, præsertim illas, quæ inter Missarum Solennia fiunt, nisi pœnitentes pro facultatum suarum possibilitate Usuras restituerint, vel de restituendis cautionem præstiterint *c. quia in omnibus* 3. *h. tit. c. quanquam* 2. *eod. in* 6. Abb. *in c.* 3. *cit. n.* 1. Sylv. *l. cit. ỳ. secunda, & seqq.* Azor *ỳ. secunda*, Molin. *n.* 3. *&* 4. Less. *n.* 186. *& seqq.* Laym. *n.* 21. Carpzov. *n.* 32. Palao *n.* 6. 7. *&* 8. Vallens. *n.* 5. Engl *n.* 32. *&* 34. Pirhing *n.* 152. *& seqq.* König *n.* 17. Reiffenst. *n.* 187. Præposit. Frising. *n.* 324. *& seqq.* Begnud. *n.* 21. Magnif. P. Schmier *n.* 139. Quodsi aliquis Clericus Usurarium manifestum admiserit ad Ecclesiasticam Sepulturam, ipso facto excommunicatur *Clem.* 1. *de Sepult.* à qua Excommunicatione non debet absolvi, quousque arbitrio Episcopi satisfecerit. Palao *n.* 8.

305

3. Fiunt Irregulares, & promoveri nequeunt ad Ordines *can. maritum* 2. *dist.* 33. *& can. seditionarios* 8. *dist.* 46. & ad Be-

Beneficia; vel Officia Ecclesiastica *can. de Petro 4. dist. 47. inter dilectos* 11. *de Excess. Prælat.* Less. *n. 186.* Laym. *n. 21.* Pirhing *n. 149.* Reiffenstuel *n. 186.* Præpos. Frising. *n. 334. fin.* Schmier *n. 138.* Item si Clerici sint, suspenduntur, & hac pœna non proficiente, omnino deponuntur à Beneficio, & Officio Ecclesiastico legitimè obtento; si verò sint Laici, excommunicantur. *can. siquis 5. dist. 47. c. præterea 7. h. tit.* Host. *in summ. n. 10.* Molin. *n. 2.* Palao *n. 4.* Vallens. *n. 6.* Engl *n. 31. & 32.* Pirhing. *n. 149. & 150.* König *n. 17.* Wiestner *n. 110.* Reiffenstuel *n. 186.* Præpos. Frising. *n. 342.* Begnud. *n. 21.* Schmier *n. 138.* poterit tamen Episcopus post restitutionem Usurarum factam, & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare *c. at si Clerici 4. §. de Adulteriis de Judic.* Gloss. *in c. præterea cit. V. suspendas*, Azor *c. 19. cit. ℣. prima*, Laym. *n. 21.* Palao *n. 5.* Quare poterit illum sic damnatum habilem reddere ad Beneficia obtinenda, & retinenda, quæ habet; non verò ad recuperanda, quibus privatus est absolutè, si ea alii collata sint, cùm Episcopus jus alteri quæsitum non possit tollere. Palao *l. cit.*

307 4. Contrahunt Intestabilitatem activam, ita, ut eorum Testamenta, & aliæ ultimæ Voluntates non valeant, iisque nemini interesse liceat: nisi priùs Usuras restituerint, & de iis restituendis cautionem idoneam præstiterint *c. quanquam 2. h. tit. in 6.* Sylv. *V. restitutio 6. q. 1. & V. Usura 9. q. 4. ℣. septima*, Navar. *Man. c. 17. n. 280.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 6.* Molin. *l. cit. n. 13.* Less. *n. 188. ℣. sexta*, Laym. *n. 21.* Palao *n. 8. ℣. insuper.* Wading. §. *4. n. 1.* Carpzov. *n. 32.* Vallens. *n. 6.* Pirh. *n. 156. 160. & 161.* Engl *n. 35.* König *n. 17.* Wiestner *n. 111.* Reiffenstuel *n. 189.* Præpos. Frising. *n. 333.* Begnudell. *n. 21.* Schmier *n. 136.*

308 5. Puniuntur amissione sortis, alicubi totius, alibi alicujus partis ejusdem, quæ in Germania est pars quarta, & cum Usuris, ex ea perceptis, fisco cedit, ex *Constitutione Maximiliani I. 1500. Caroli V. 1548. Augustæ*, & *Rudolphi II. 1577. Francofurti* editis, & promulgatis. Gaill. *l. 2. obs. 4. n. 1.* Canis. *de Usur. c. 9. n. 5.* Modestin. Pistor. *p. 2. q. 97. n. 8.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 5.* Carpzov. *q. 92. cit. n. 23. & 28.* Pirhing. *n. 172.* Wiestner *n. 113.* Reiffenst. *n. 188.*

309 6. Præter has pœnas etiam aliis arbitrariis, & extraordinariis puniri possunt à Judice tam Ecclesiastico, quàm Sæculari, præsertim verò pecuniariâ, ut in eo, in quo peccârunt, multentur. Tholos. *l. 3. de Usur. c. ult. n. 4. & 7.* Vallens. *hic §. 4. n. 4.* Pirhing *n. 172.* & interdum etiam fustigationis, relegationis, & carceris. Marant. *p. 6. Specul. n. 114. & seqq.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 2.* Clar. §. *Usura n. 5.* Menoch. *de arbitr. cas. 398.* Carpzov. *q. 92. cit. n. 29.* nam fœneratores improbi, dolosè exigentes, quod eis non debetur, incidunt in crimen stellionatûs *l. stellionatûs 3. ff. stellionat.* cujus pœna est arbitraria *l. stellionatûs 2. & l. seq. §. pœna 2. ff. eod.*

Quæritur 4. quinam Usurarii pœnas hactenus recensitas contrahant? R. contrahuntur ferè tantùm ab Usurariis manifestis *c. cùm in Diœcesi 15. h. tit.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 334. n. 5.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 30. n. 16.* Wading. *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 3. pr.* Haun. *tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 467.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 340.* Begnudell. *V. Usura n. 21.* Schmier *p. 2. de Delict. c. 2. n. 139.* Engl *hic n. 25.* Pirhing. *n. 15.* Wiestner *n. 106.* Possunt tamen etiam non manifesti à Judice tam Ecclesiastico, quàm Sæculari pro qualitate delicti affici pœnâ arbitrariâ; quia ad rectam Reip. gubernationem pertinet, ut is, qui delictum probatus fuerit commisisse, plecti possit, tum ne iterum delinquat, tum ne alii ex hoc ansam delinquendi sumant. Palao *l. cit.* 310

Quare, ut pœnæ Juris locum in Usurario habeant, requiritur 1. ut sit Usurarius manifestus. Quinam autem pro tali habendus sit, dictum est, *n. 296.* 2. desideratur sententia Judicis declaratoria, quòd aliquis sit Usurarius manifestus seu notorius *arg. c. cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.* Ratio est, quia, ut *n. 298.* dixi, propter varium & speciosum interesse adinventum, Usuraria iniquitas adeò facilè declinatur, aut palliatur, ut eam semel, iterúmque exercuisse, ne dicam, frequentissimè, rarò aliquis convincatur. 3. necesse est, ut lucrum actu, & effectivè perceperit ex contractu Usurario; quia si non percepit, non punitur pœnâ saltem ordinariâ, licèt Contractum Usurarium celebraverit, & celebrâsse convictus sit, quippe qui nondum censetur esse opere ipso plenè perfectus. Ugolin. *de usur. c. 26.* Mantic. *de tacit. p. 1. l. 8. tit. 24.* Farin. *prax. crim. q. 163.* Begnudell. *V. usura n. 21.* 311

Porro tam à culpa, quàm à pœna, & obligatione restituendi immunem se aliquis reddere potest, si loco mutui emat Censum percipiendi v. g. annuos 5. pro 100. vel si id faciant, aut facere intendant per tacitum, vel expressum Contractum Societatis, ut fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, & lucrum honestum quærit, ita, ut iste præstet industriam, ille verò pecuniam ea conditione, ut de lucro, quod ex sorte principali acquiritur, tribuatur pars subministranti pecuniam v. g. annuatim quinque de quo vide *suprà n. 146. & duos seqq.* 312

Quæ-

313 Quæritur 5. an valeat Testamentum, ab Usurario notorio conditum, saltem quoad relicta ad causas pias? Conveniunt DD. non valere, quando Usurarius, qui tale Testamentum condidit, decessit impœnitens; quia Testamentum ejus est ipso Jure irritum *c. quanquam 2. fin. b. tit. in 6.* cons. idem est, ac si de rebus suis omnino nullam dispositionem fecisset. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 334. n. 11.* Pirhing *hic n. 161.*

314 Si verò signis pœnitentiæ editis decessit, ea valere affirmat Sylv. *V. Usura 9. q. 7. ỳ. quantum*, Covar. *l. 3. var. c. 3. fin.* Molin. *D. 334. cit. n. 11.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 338.* Begnudell. *V. Usura n. 23.* Pirhing. *l. cit.* etiamsi Usurarius, qui Testamentum condidit, non restituerit, nec idoneè caverit de restitutione facienda, & Testamentum sit nullum quoad reliqua: idque ex æquitate, & favore piæ causæ.

315 Contrarium tenent Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c. 9. §. 1. dub. 8. n. 32.* Lugo *tom. 2. de Just. D. 24. sect. 4. n. 70.* quia id contra expressa verba Legis Canonicæ, sine sufficienti fundamento asseritur. Verùm hoc solùm probat non valere, spectato rigore Juris; secus de æquitate.

316 Quæritur 6. an si Usurarius manifestus condat Testamentum, non restitutis Usuris, nec idonea cautione præstita de iis restituendis, adeóque Testamentum sit ipso Jure nullum, sed postea ante mortem restituat, vel cautionem de restituendo præstet, Testamentum convalescat? Videtur non convalescere; quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *Reg. 29. ff.* & non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit *Reg. 18. in 6.* item quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest *Reg. 210. ff.* & hinc invalidum manet Testamentum, ab impubere conditum, etiam pubertate adveniente; & factum à filiof. vel Servo, subsequente emancipatione, vel manumissione.

317 Sed tenenda est affirmativa, quam etiam defendunt Gloss. *fin. in c. quanquam 2. h. tit. in 6.* Sylv. *V. usura 9. q. 6.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 9. ỳ. duodecimò.* Tholos. *l. 3. de Usur. c. 14. n. 4. & seqq.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 334. n. 14.* Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c. 9. §. 1. dub. 8. n. 33.* Salas *de usur. dub. 47. n. 10.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 30. n. 11.* Lugo *tom. 2. de Just. D. 24. sect. 4. n. 71.* Pirhing *hic n. 163.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 337.* Begnudell. *V. Usura n. 24.*

318 *Ratio est 1.* quia causa Testamenti est favorabilis, ideóque pro illo, & in ejus favorem resolvendum est *c. fin. de sent. & re judic.* 2. quia Testamentum non tam pendet à tempore, quo conditur, quàm à tempore mortis Testatoris, quia morte confirmatur *Hebr. 9.* & *c. cùm Martha 6. ỳ. cæterùm de celebr. Miss.* ejusmodi autem Testamentum ante mortem Testatoris habuit omnia necessariò requisita ad ejus valorem. 3. quia voluntas testatoris ambulatoria est usque ad ultimum vitæ spiritum, & ita ex arbitrio ejus mutari, & revocari, vel confirmari potest *l. quodsi 4. ff. de adim. Legat.* igitur sicut Usurarius potest testamentum validè factum post cautionem idoneam, revocare, ita & invalidè conditum ob omissam cautionem, eâdem præstitâ, velut nova voluntate confirmare. 4. quia quando causa confirmans supervenit, id, quod ab initio fuit nullum, confirmatur ex jure superveniente *l. si rem 29. ff. de Pign. act.* & exemplum est in alienatione rei minoris, factâ invalidè sine Decreto Judicis, quæ confirmatur, si minor, superveniente ætate majore, id ratum habuit *l. si fine C. si major factus &c.*

319 *Ad Argumentum contrarium* imprimis regula ibi allegata, ut notat Tholos. *l. cit. n. 7.* tantùm procedit in contractibus inter vivos, qui statim debent valere, & suspendi non possunt; non autem in Testamentis, & ultimis Voluntatibus, quæ suspenduntur, & ex tempore futuro effectus eorum pendet. Imò neque in actibus inter vivos universim procedit hæc Regula: sed cum Dyno in *Reg. 18. in 6. n. 8. & seqq.* distinguendum est; Vel enim durat causa impediens, aut cessavit. *Si primum*, Regula illa est simpliciter vera. *Si secundum*, interest, an supervenerit causa confirmans, vel non supervenerit. *Si non supervenit*, iterum non convalescit actus ab initio invalidus. *Si supervenit*, Regula non habet locum. In casu autem nostro supervenit actus confirmans, scilicet voluntas testatoris non impedita: cons. Testamentum ejus convalescit, non ob solum temporis lapsum, sed interveniente alio actu confirmante. Similiter distinguendum est, cùm dicitur, quòd Institutio inutilis, & invalida non possit tractu temporis convalescere; nam hoc solùm verum est, quando defectus est in substantialibus Testamenti, ut siquis simpliciter sit prohibitus à factione Testamenti: secus est, si solùm sit defectus in accidentalibus, quæ extrinsecè tantùm impediunt, ut omissa cautio; tunc enim, ablatis hujusmodi accidentalibus impedimentis, confirmari potest Institutio, quæ ab initio fuit nulla, ut notant Joan. Andr. *in c. quanquam cit. n. 13.* Tholos. *l. cit. n. 7. fin.* Pirh. *n. 164.*

320 Quæritur 7. an si Usurarius manifestus, cùm Testamentum condere vellet, restituit quidem Usuras, vel saltem de ijs restituendis idoneam cautionem præstitit, sed post conditum Testamentum iterum non publicè, sed occultè exercuerit Usuras,

Testamentum ejus valeat? Negant valere Abb. *in c. quia in omnibus 3. n. 10. h. tit.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 9. ¥. decimò*; tum quia præsumitur cautio ista, & pœnitentia ficta fuisse; tum quia non videtur destitisse, qui iteravit: & nova delicta repetita etiam repetitâ pœnâ plectenda sunt *c. ea, quæ 1. de Pœnis.* Id tamen difficile videtur Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c. 9. dub. 8. n. 33.* & dubitat etiam Abb. *l. cit. n. 11.* quia cùm talis per occultam repetitionem criminis Usurarum non fiat manifestus Usurarius, non videtur Testamentum propterea debere annullari, præsertim cùm pœna hæc sit restringenda.

§21 Quare dicendum videtur, quòd in foro conscientiæ non valeat Testamentum, si ex reditu ad Usuras appareat pœnitentia fuisse ficta: secus, si ficta non fuit, sed verisimiliter creditur absque fictione sincerè & animo restituendi præstitisse cautionem; tunc enim ex eo, quòd secretè usuras postea iterum exerceat, non redditur invalidum Testamentum. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 334. n. 15.* Palao *tr. 30. D. 4. p. 30. n. 11.* Lugo *D. 24. sect. 4. n. 71.* Pirhing *hic n. 168.* Si tamen postea probetur, quòd talis post conditum Testamentum, & præstitam cautionem iterum Usuras exercuerit, nec illas restituerit, tanquam Usurarius manifestus fiet intestabilis. Tholos. *de Usur. l. 3. c. 14. n. 2.* Pirhing *l. cit.*

§22 Quæritur 8. an, si quis ante, vel post conditum Testamentum Usuras exercuit, sed postea desinat eas exercere, non tamen restituit, seu cautionem præstitit ante mortem, Testamentum ejus sit validum? ℟. negativè. Ita Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 9. ¥. nonò.* Clar. §. *Testamentum q. 26. n. 4.* Tholos. *c. 14. cit. n. 12.* Pirh. *n. 165.* Ratio est, quia manente ratione, & fine Legis, manet etiam ejus dispositio: atqui ratio Legis, & finis pœnæ per eam statutæ, quâ decernitur irritum esse Testamentum Usurarii, & hic prohibetur testari est restitutio Usurarum, ut per eam Usurarius consequi absolutionem à peccato possit *c. cùm tu 5. h. tit.* ergo quamdiu non est satisfactum, debet remanere pœna. *Conf.* quia non ideo minùs dicitur Usurarius, quia de facto Usuras exercere.

Quæritur 9. an Testamenta Judæorum, qui sunt notorii Usurarii, sint nulla? Valida esse existimant *Sylv. Clar. Azor*, & alii apud Barbos. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 10.* Sed probabiliùs sunt invalida, si sine cautione præstita de Usuris restituendis, sint condita; quia licèt Judæi, & alii Infideles quoad Spirituales pœnas non sint subjecti Ecclesiæ, quoad temporales tamen pœnas, & quoad Contractus subjiciuntur Jurisdictioni Principum, in quorum terris degunt. Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 9. ¥. septimò*, Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 334. n. 12.* Lugo *D. 24. sect. 4. n. 70.* Pirhing *n. 167.*

Quæritur 10. an si mutuo, vel alii Contractui per se licito & Jure non reprobato adjectum sit pactum Usurarium, Contractus hic vitietur? ℟. non vitiari Contractum, sed solum pactum, quod proinde pro non adjecto habetur; quia utile per inutile vitiari non debet, maximè si utile ab inutili separari possit. *Reg. 37. in 6.* & ibi *Dynus*; pacta enim sunt velut accidentia, quæ possunt abesse sine corruptione substantiæ, cui adhærent. Gaill. *l. 2. obs. 4. n. 6. & seqq.* Tholos. *l. 3. de Usur. c. ult. n. 7. §. 12. & seqq.* Secus est, quando ipse Contractus principalis est illicitus, & Jure reprobatus: nam tunc ille, & omnia pacta ipsi adjecta essent nulla, & inutilia; quia corruente principali, tanquam fundamento, necesse est corruere etiam omnia accessoria. *Reg. cùm principalis 178. ff.* & *Reg. accessorium 42. de R. J. in 6.* Gaill. *l. cit. n. 10.* & *obs. 5. n. 14.* Tholos. *l. cit.* Pirhing. *n. 172. ¥. alterum.*

TITU-

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1. *Crimen falsi Furto simillimum est.*
2. *Falsi triplex acceptio.*
3. *Definitio.*
4. &c. *Requisita ad Crimen falsi.*
9. *Est crimen gravissimum.*
10. *Publicum, & exceptum.*
11. 12. *Divisio ejus in Species subjectas.*
13. *Dicto committitur à Teste, Advocato, & Judice.*
14. &c. *Modi, quibus contingere Crimen falsi potest circa testimonium.*
17. &c. *Pœna Testis falsi.*
21. *Pœna Advocati.*
23. 24. *Et Judicis committentis falsum.*
25. &c. *Modi, quibus Crimen falsi committitur Scripto.*
29. &c. *Pœna falsarii Litterarum Apostolicarum.*
32. &c. *Quinam pœnas istas incurrant?*
36. 37. *An pœnas istas incurrat etiam ille, qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid?*
38. &c. *Aut qui Litteras Apostolicas radit in una syllaba, vel paucis Litteris?*
42. &c. *Vel qui eas corrigit ad mentem Papæ?*
45. &c. *Modi, quibus crimen falsi committitur facto.*
49. &c. *Quinam censeantur falsarii Monetæ?*
51. &c. *Pœna illorum.*
56. 57. *Pœna tondentium, radentium, aut tingentium Monetam.*
58. &c. *Pœna cudentium monetam justam authoritate propria.*
61. *Quid dicendum de iis, qui Monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico?*
62. &c. *Modi, quibus falsi crimen committitur Usu.*
63. &c. *Pœna istorum.*

1 POst crimen Furti, & Usurariæ iniquitatis sequitur de *Falsi crimine*; nam Usurarii plerumque utuntur falsitate ad extorquendas Usuras illicitas, & Crimen falsi furto simillimum, si non pro specie furti habendum est, ut putat Damhouder, *prax. rer. crim. c. 119. n. 1.* Subdolum enim, inquit *ibidem*, & occultum furandi genus est, rem aliquam falso, malitioso, & excogitato animo corrumpere, & falsitatis fuco decipere.

2 Quæritur 1. quid sit *Falsum*, & *Falsitas*? R. Falsum potest accipi tribus modis, largissimè, largè, & strictè. Farin. *prax. crim. q. 150. n. 7.* *Largissimè* sumptum est omne id, quod non est verum, etiamsi non procedat ex fraude, vel dolo alicujus *l. si is 13. §. utrum 3. ff. de reb. dub.* *Largè* sumptum est mutatio Veritatis cum dolo facta, quamvis alteri ex hoc nullum enascatur præjudicium: & in hac significatione Falsum sub se comprehendit quodvis mendacium, licèt illud in Crimen falsi non incidat. Bartol. *in l. quid sit falsum 23. ff. de Leg. Corn. de fals.* Schneidevvin. *in §. 7. Inst. de publ. Judic. n. 2.* Farin. *q. 150. cit. n. 7.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 3.* *Strictè*, & *propriè* acceptum est tantùm illud, quod Lege Cornelia de falsis coërcetur, seu quando falsitas committitur cum dolo simul, & damno alterius. In quo sensu

3 *Falsum*, seu *Falsitas* definitur communiter, quòd sit *fraudulosa imitatio, vel potiùs immutatio veritatis, facta in præjudicium alterius*, prout sumitur ex *Novell. 73. pr.* & notat Gloss. *ibid. V. imitatio*, junct. Gloss. *mera lit. C.* Gloss. *in §. 7. V. falsum Inst. de publ. Judic.* Sylv. *V. falsarius n. 1.* Tholos. *Synt. l. 36. c. 1. n. 2.* Mynsing. *in §. 7. cit. n. 15.* Schneidevvin. *ibid. n. 2.* Damhoud. *pract. rer. crim. c. 122. n. 2.* Carpzov. *q. 93. cit. n. 5.* Haun. *tom. 6. de l. & l. tr. 2. n. 174.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 1.* Engl *n. 1.* Pirhing *n. 1.* König *n. 1.* Wiestner *n. 2.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 74.*

4 Dub. 1. quid requiratur ad Falsi crimen? R. tria requiruntur. 1. ut immutetur, & pervertatur veritas. *Novell. 73. pr.* nisi enim veritas mutetur, & pervertatur, falsum non committitur, etsi dolus adhibitus fuerit: & hinc si testis doloso animo sub specie falsi verum deponat, h. e. si putet se falsum dicere, & hoc intendat, quod tamen reipsa est verum, animo quidem peccat, & conscientiam lædit; quia verò corpus veri delicti non adest, ejusmodi testis, ut falsarius, coërceri non potest *l. quid sit falsum 23. ff. de Leg. Corn. de fals. Novell. 73. pr. cit.* Carpzov. *q. 93. cit. n. 9.* König *hic n. 9.*

5 2. Ut immutatio hæc dolo malo, sive animo veritatis corrumpendæ, & proximi decipiendi fiat *l. pœna 1. l. impuberem 22. pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* & *l. nec exemplum 20. C. eod.* Ideo, qui dicit falsum, quod putat esse verum, falsi crimine non tenetur; quia *ream linguam non facit, nisi mens rea*, ut loquitur *S. Augustinus* relatus *can. homines 3. fin. caus. 22. q.*

22. q. 2. Nec sufficit dolus præsumptus, sed verè illum adfuisse probari debet; quia in dubio error potiùs, quàm dolus in crimine falsi præsumitur *l. quòd adhibitus 5. C. de his, qui, sibi adscrib. l. dolum 6. C. de dol. mal.* Carpzov. *q. 93. n. 7.* König *hic n. 8.* Begnudell. *V. falsitas n. 19.*

6 3. Ut ea immutatio afferat, vel saltem afferre alteri possit nocumentum, etsi hoc fortasse impediatur *l. siquis 6. ff. l. qui falsas 6. & l. si falsos 8. C. ad Leg. Corn. de fals.* Et hinc, qui sine alterius læsione mentitur, si mendacium hoc etiam aptum non fuit lædere in his circumstantiis, pœnâ falsi non tenetur *l. quid sit falsum 23. ff eod.* Sylv. *V. falsarius n. 1.* Car. §. *falsum n. 35.* Mascard. *de probat. concl. 739. n. 12.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 70. n. 3.* Scaccia *de Judic. l. 2. c. 8. n. 524.* Damhoud. *prax. rer. crim. c. 122. n. 10.* Farin. *q. 150. n. 291.* Carpzov. *q. 93. n. 10.* Barbos. *in c. 1. b. tit. n. 5.* Haun. *tr. 2. cit. n. 174.* Vallens. §. *1. n. 2.* Pirhing *n. 1.* König *n. 10.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 2.* Begnudell. *l. cit. n. 20.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 75.*

7 Dixi autem, *Vel saltem afferre alteri possit nocumentum*; sufficit enim nocere posse falsitatem, etiamsi, ne nocumentum actu ipso contingat, impediatur; quia potentia actui proxima habetur pro actu ipso Caball. *resol. crim. casu 144. n. 3. & seqq.* Petr. Theodor. *Colleg. crim. D. 8. Thes. 3. lit. B.* ubi porro infert, producentem falsos testes, etiamsi horum depositiones ipsi non profuerint, nec adversario nocuerint, si nocere tamen potuissent, pœnâ falsi teneri. Quod Carpzov. *l. cit. n. 13.* concedit quoad pœnam extraordinariam, & mitiorem; sicut enim in aliis delictis conatus mitiori pœna coërcetur, etiamsi ad actum proximum pervenerit, ita & falsarius nocere cupiens, si factum ipsius damnum non sequatur, pœnâ aliquâ mitiori plectendus erit.

8 4. Requirunt aliqui, ut Lege aliquâ statutum sit, talem immutationem veri esse punibilem pœnâ falsi; ideo enim post Legem Corneliam de falsis tot Constitutiones, & SCta sunt prodita, ut casus Lege Cornelia non expressi supplerentur, & ad falsorum classem redigerentur *l. Divus 15. ff. de Leg. Corn. de fals.* & *l. non omnia 1. ff. de publ. Judic.* Vallens. §. *1. n. 2.* König *n. 11.* Sed meliùs hoc requisitum omittitur; quia nusquam expressa Legis Corneliæ vel alterius notatio requiritur, variisque modis Crimen falsi committitur, etiamsi expressa determinatio Legis deficiat; sufficit enim generalis notatio Legis Corneliæ, quæ omnem dolosam veritatis immutationem, in præjudicium alterius factam, puniri jubet *arg. l. pœna 1. & l. quid sit falsum 23. ff. de Leg. Corn. de fals.* Constitutiones, & SCta, quæ postea prodita sunt, idcirco sunt prodita, ut de reliquis non expressis casibus ex ratione identitatis faciliùs judicium ferri, iique ad crimen falsi applicari possint, ut bene notat. Carpzov. *n. 15.*

Dub. 2. quale crimen sit crimen falsi? 9

R. 1. est crimen enorme, & gravissimum, adeò, ut illud homicidio, & veneficio gravius, & detestabilius esse quidam existiment apud Farin. *prax. crim. q. 150. n. 12.* quibus tamen rectè contradicit Pract. Conrad. *Rubr. de falsar. n. 24.* 13
Farin. *l. cit. n. 13.* Carpzov. *q. 93. n. 2.* Nullúmque est crimen, quod ita vituperet famam, & statum hominis, sicut est crimen falsi, ex quo propterea perditur Nobilitas, & Nobilitatis privilegium. Marsil. *Rubr. ff. ad Leg. Corn. de fals. n. 17.* Castro *cons. 130. n. 1. post pr. ℣. nam est gravissimum l. 1.* Afflict. *decis. 404. n. 3.* Farin. *n. 15.* qui tamen *n. seq.* cum *Affliction* notat, per crimen falsi hujus reum non fieri facto ipso infamem.

2. Est crimen publicum, ita, ut 10
quilibet de populo possit de illo accusare, etiamsi sui nihil interfit §. *item Lex Cornelia de falsis 7. Inst. de Publ. Judic.* Clar. §. *falsum n. 1.* Molin. *de J. & J. tr. 2. D. 70. n. 2.* Pirhing *hic n. 1. ℣. porro*, König *ibid. n. 1.* Begnudell. *V. falsitas n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 74.*

3. Est crimen exceptum, & propterea in generali remissione, & dispositione non comprehenditur. Tholos. *Synt. l. 36. c. 4. Rubr. de mutat. nom. n. 8. ℣. quod non censetur remissum.* Menoch. *de arbitr. cas. 306. n. 11.* Farin. *l. cit. n. 14.* Pirhing *n. 1. cit.*

Dub. 3. quotuplex sit Crimen Falsi? 11

R. 1. Dividitur in Verum, & 14
quasi tale. *Verum est*, quod Lege Cornelia de falsis notatur, ut quod committitur circa testimonia, testamenta, & nummos *l. pœna 1. §. sed & si 2. l. filius 14. l. Divus 15. pr. & §. planè 1. l. impuberem 22. §. qui liberti 8. & duob. seqq. & l. lege Cornelia 30. ff. de Lege Corn. de fals. Quasi tale* dicitur, quod Lege Cornelia de falsis non notatur, sed aliis constitutionibus Principum, & SCtis vindicatur, ut siquis rationes, instrumenta falsaverit *l. pœna cit. §. qui in rationibus 4. l. lege Cornelia 9. §. pœnâ 3. l. eos qui 27. §. de impudentia 2. ff. eod.* König *hic n. 2.*

Dividitur 2. in Personale, & Reale, 12
Personale est, quod circa personam committitur, ut mutatio nominis, suppositio partûs, testium subornatio, Judicis corruptio. *Reale*, quod committitur circa res: éstque vel *Verbale*, quod fit verbis; vel *Scriptum*, quod fit scripturâ; vel *simpli-*

pliciter reale, quod fit facto, aut usu, vel potiùs abusu rei, dum res ipsa falsatur, aut falsatâ dolo malo quis utitur in nocumentum alterius. Ex quo sequitur Dividi 3. posse Falsum ratione modi quadruplicis, quo potest, & solet committi, in id, quod fit dicto, scripto, facto, & usu. Host. *in summ. hic n.* 2. Mascard. *de Probat. concl. 739. n. 16.* Menoch. *de arbitr. cas. 316. n.* 1. Damhoud. *pract. crim. c.* 119. *n. 3.* Farin. *q. 150. n. 6.* Vallens. *hic §. 1.* Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 1. Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n.* 2.

13 Quæritur 2. quando Crimen falsi committatur dicto? R. committitur maximè in Judicio à triplici personarum genere, à Teste ab Advocato, à Judice. A *Teste*, dum hic scienter, ac dolosè dicit falsum testimonium, & supprimit verum *c. falsidicus 1. b. tit. l. qui falsò 16. ff. de testib. l. pœna 1. pr. l. falsi 20. l. eos qui 27. pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* Ab *Advocato*, dum dolo malo causâ Clientis sui proditâ, & dissimulatis probationibus propriis, vel admissis probationibus, & Exceptionibus falsis, partem adversam juvat, & suam ab ista patitur vinci *l. prævaricator 1. pr. ff. de Prævaricat. l. accusatorum 1. §. calumniari 1. ff. ad S. C. Turpill.* A *Judice*, dum ex malitia, vel munere corruptus, dolosè, atque ex proposito, contra Leges, & Constitutiones Principum injustam sententiam profert *l. pœna cit. §. sed & si Judex 3. ff. de Leg. Corn. de fals.* Clar. §. *falsum n.* 5. Damhoud. *prax. rer. crim. c.* 121. *n.* 8. Wesenbec. *ff. ad Leg. Corn. de fals. n.* 6. Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 46. & seqq.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 180.* Engl. *hic n.* 2. Pirhing *n. 3. & 8. fin.* König *n.* 7. Wiestner *n. 4. & 7.* Reiffenstuel *n. 3. 7. & 8.*

14 Dub. 1. quot modis circa testimonium contingere possit Crimen falsi? R. 1. falsi crimen committitur, quando Testis scienter, & dolosè in Judicio dicit falsum testimonium, ut dictum est *n. præc.* Quodsi testis unum dixerit extra Judicium, & ejus contrarium in Judicio, magis creditur id, quod in Judicio dixit, propter Religionem Juramenti, & authoritatem Judicii. *Sed* an propterea tanquam falsarius puniendus sit, controversum est apud DD. Bartol. *in l. eos qui 27. ff. de Leg. Corn. de fals. n. 8.* affirmat. Negat post *Baldum.* Clar. §. *falsum n.* 5. Menoch. *de arbitr. cas. 312. n.* 2. & alii communius. Engl *hic n. 6.* distinguit; nam si per hoc, quòd testis, extra Judicium à litigante interrogatus, falsum dixerit, litigans deceptus Actionem instituit, transactionem recusavit, expensas Judiciales fecit, putat procedere sententiam *Bartoli*, eò quòd tunc intervenerit mutatio veritatis cum dolo, & tertii detrimento. *Contra* existimat locum habere sententiam *Baldi, Clari*, & sequacium in casu, quando tantùm in communi conversatione, nihil cogitans de alicujus interesse, falsum dixit; quia falsum non committitur sine intentione nocendi: quare tunc solùm tanquam mendax, non verò tanquam falsarius puniendus erit.

2. Falsi crimen committit testis occultando veritatem. 15 Tunc autem occultando veritatem censetur falsarius, quando interrogatus à Judice sub certo articulo, dicit, se nihil scire, vel se non recordari, cùm debeat verisimiliter recordari: item si per malitiam, & dolum respondet versutè, & obscurè, ut sic veritatem occultet; vel quando juravit se cum pura veritate dicturum, quod ad propositum scit, & nihilominus eam tacendo suppressit. Abb. *in c. falsidicus 1. b. tit. n.* 3. Farin. *prax. crim. q. 67. à n. 224.* Vivian. *in c. cit. & falsus*, Fagnan. *ibid. n. 5.* Barbos. *n. 6.* Wagnereck *ad Rubr. tit. eod. not. 3.* Pirhing *hic n. 4.* Reiffenstuel *n. 4. & 6.* Dixi, *Quando interrogatus &c.* Secus est, quando interrogatus non est; tunc enim non tenetur de crimine falsi, quando non dixit veritatem; nam testis non debet esse verbosus, & aliquando melius est tacere verum, quàm illud propalare, licèt quis nunquam debeat falsum dicere. Vivian. *l. cit. in fin.* Fagn. *n. 6.* Addidi, *Quando juravit se dicturum, quod ad propositum scit*: secus est, quando juravit solùm simpliciter, se ad interrogata responsurum; tunc enim, si non interrogatus taceat, non tenetur crimine Falsi. Farin. *l. cit.*

3. Crimen falsi in testimonio dicendo committit, qui testem subornat, vel donis, aut pretio corrumpit ad dicendum falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicut & qui utitur dicto testis falsi. Clar. §. *falsum. n. 3. 4. & 14.* Pirhing *n. 4. not. 2.* Reiffenstuel *n. 5.* Imò falsi reus est testis, qui pecuniam accipit ad testimonium dicendum, vel non dicendum, etiamsi falsum in Judicio non deponat *l. pœna 1. §. sed etsi 2. ff. de Leg. Corn. de fals.* neque enim pro testimonio, etiam vero, dicendo pecuniam ex pacto accipere licet, cùm quilibet obligatus sit ad testimonium veritati perhibendum *can. nolite 86. caus. 11. q. 3. can. non sanè 15. caus. 14 q. 5. & tot. tit. de testib. cog.* Accedit, quia talis agit contra juramentum proprium, quo juravit se nec prece, nec pretio adductum deponere. Hippol. de Marsil. *ad l. 1. n. 6 ff. de Leg. Corn. de fals.* Harppr. *ad §. 7. Inst. de publ. Judic.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 49. & seqq.* Engl *hic n. 4.* Eundem tamen à pœna ordinaria falsi excusant, &

mitiùs pro Judicis arbitrió puniendum existimant Menoch. *de arbitr. caſ. 310. à n. 5.* Clar. *§ falſum n. 13.* Carpzov. *l. cit. n. 50.* Engl *n. 4. cit.* Pirhing *n. 8.* eò quòd in proprietate verborum vix poſſit dici falſum committere, cùm veritatem non immutet, ſi, quod ſupponitur, de cætero verum teſtimonium dixerit. Imò ſi procul ad Judicium evocetur, & ibi moram facere debeat, cum diſpendio rei familiaris, licitè aliquid accipit, & petit teſtis in compenſationem itineris facti, laborum, vel expenſarum, aut lucri domi neglecti *c. ſtatutum 11. §. pro ferendo de Reſcript. in 6.*

17 Dub. 2. quæ ſit pœna teſtis falſum deponentis in Judicio vel ſupprimentis veritatem? R. Jure Canonico incurrit infamiam *can. conſtituimus 9. cauſ. 3. q. 5.* & ſi Clericus ſit, deponendus, & ad agendam pœnitentiam in Monaſterium detrudendus *can. ſi Epiſcopus 7. diſt. 50.* vel ad ærumnoſum carcerem, aut ad triremes eſt condemnandus, juxta dicenda *Tit. 37.* ſi tamen falſum ſcienter, & dolosè circa ſubſtantialia cauſæ, & cum alieno, eóque gravi præjudicio fuerit dictum, Diaz *pract. crim. can. c. 97. n. 1.* Clar. §. *falſum n. 9.* Menoch. *caſ. 306. n. 22. & ſeqq.* Pirhing *hic n. 5.* Wieſtner *n. 6.* Reiffenſt. *ibid. n. 29.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 81.* nam ſi falſum commiſit tantùm circa accidentalia, vel ſine præjudicio tertii, pœna eſt arbitraria, ut cum *Claro* notat P. Pirhing *n. 6. limit. 2.* P. Reiffenſtuel *l. cit.*

18 Jure Civili olim hujusmodi teſtis falſi, uti & cæterorum falſariorum, ſi nobilis eſſet, pœna ordinaria erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; ſi perſona vilis, damnatio ad metallum; ſi ſervus, ultimum ſupplicium §. *item Lex Cornelia de falſis 7. Inſt. de publ. Judic. l. pœna 1. §. fin. ff. de Leg. Corn. de falſ. l. ſiquis 38. §. qui vivi 7. ff. de pœnis.* Menoch. *de arbitr. caſ. 306. n. 1. & ſeqq.* Tholoſ. *Synt. l. 36. c. 3. n. 4. & c. 5. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 150. n. 19. & ſeqq.* Vallenſ. *hic §. 2. n. 1.* Pirhing *n. 2.* König *n. 13.* Reiffenſtuel *n. 26. & 27.* Sed quia pœna deportationis hodie non eſt in uſu, & pœna publicationis bonorum correcta eſt per *Auth. bona damnatorum C. de bon. proſcriptor.* ideo hodie pœna Falſi eſt arbitraria, & major, vel minor pro caſuum, & circumſtantiarum varietate. Gloſſ. *in l. pœna cit. §. fin. V. eorum* Clar. §. *falſum n. 5. & 31.* Farin. *q. 150. cit. n. 21.* Carpzov. *q. 99. à n. 16.* Franc. Joſeph. de Angelis *tr. crim. p. 1. c. 50. n. 10.* Vallens. *n. 1.* Engl. *n. 6.* Pirhing *n. 2.* König *n. 13.* Reiffenſtuel *l. cit.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 80.* ita, ut quandoque pœna pecuniaria, quandoque corporalis, quandoque etiam capitalis, ſive mortis imponi poſſit, ſi falſitas ſit magna, vel ſæpius iterata, *l. ubi falſi 22. fin.* ibi, *Supplicio capitali, ſi id exigat magnitudo commiſſi* C. *ad Leg. Corn. de falſ.* Diaz. *pract. crim. can. c. 20. n. 1.* Farin. *n. 24.* Carpzov. & König *l. citt.*

In Imperio diſtinguitur inter Teſtem, qui falſum juravit in cauſa Civili, & inter eum, qui falſum juravit in cauſa criminali. *Ille* parti perjurio læſæ tenetur de omni damno, & intereſſe, & redditur infamis, atque inſuper ex recepta conſuetudine amputari ei ſolent duo digiti, quos in præſtatione Juramenti erexit. *Conſt. crim. Carol. V. art. 107. Iſti* per *art. cit.* & *art. 68.* conſtituta eſt pœna talionis ſive eadem, quam ſubire, probato crimine, debuiſſet accuſatus, ad imitationem Legis Divinæ. *Deut. 19. v. 19.* & 21. & meritò; nam ut *c. falſidicus 1. b. tit.* dicitur, *Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius; primùm DEO, cujus præſentiam contemnit; inde Judici, quem mentiendo fallit; poſtremo innocenti quem falſo teſtimonio ladit.* 19

Porro ut pœnæ falſi ordinariæ locus ſit, ex communi DD. requiritur 1. ut, qui falſitatem dicitur commiſiſſe, directè de hoc crimine accuſatus, & convictus, vel in Jure confeſſus ſit; nam ſi incidenter ſolùm de eo conſtet, ut quia contra ipſum productum in teſtem oppoſita fuit Exceptio falſitatis, & probata, tantùm repellitur à teſtimonio, non verò per hoc infamis redditur, vel alia pœna ipſi imponitur, quamvis deinde agi directè de falſo poſſit. Diaz *pract. crim. can. c. 97. n. 1.* Pirhing *hic n. 6. limit. 1.* 2. procedi adversùs falſi reum debet per viam accuſationis; nam ſi proceditur tantùm per viam Inquiſitionis, pœna ejus extraordinaria duntaxat eſt *c. inquiſitionis 21. de Accuſat.* Menoch. *de arbitr. caſ. 313. n. 1.* Pirhing *limit. 5.* 3. falſitas debet commiſſa eſſe circa ſubſtantialia cauſæ; nam ſi tantùm circa accidentalia, & extrinſeca cauſæ commiſſa ſit, iterum extra ordinem ad arbitrium Judicis puniendus eſt, prout notavi *n. 17.* 4. falſitas debet eſſe nociva; nam ſi nemini præjudicet, rurſum locus eſt pœnæ extraordinariæ tantùm, Menoch. *caſ. 306. n. 22.* Clar. §. *falſum n. 35.* Pirhing *limit. 3. 5.* falſitas debet eſſe commiſſa ſcienter, & dolosè; nam ſi abſque dolo per errorem, vel ignorantiam teſtis in Judicio falſum dixerit, à pœna excuſatur: niſi ignorantia culpabilis ſit; tunc enim punitur pro ratione culpæ. Clar. §. *cit. n. 33.* Pirhing *limit. 4.* 6. addunt aliqui, quòd ad incurrendam pœnam falſi neceſſarium ſit, ut teſtis falſum deponens interpoſuerit Juramentum de veritate dicenda. Sed me-

20

liùs

liùs hoc negatur ; nam etsi non juraverit testis, falsa tamen est ipsius depositio : unde sufficit, si adsint requisita cætera, *Clar. n.* 11. Pirhing *limit. 6.*

22 Præterea notabile est, quòd de Jure Civili testem, coram se falsum deponentem, punire Judici permissum sit, etiamsi ille aliàs non sit de Jurisdictione ipsius Judicis, sed aliunde evocatus *l. nullum 14. C. de testib.* quia delictum tribuit Jurisdictionem in delinquentem *l. quæstiones 1.* junct. *auth. quâ in provincia. C. ubi de crim. ag. oport.* Idem dicendum de eo, qui hujusmodi testem falsum subornavit ad dicendum falsum, Clar. §. *falsum n. 4.* quia subornans, & subornatus sunt correlativa, & dispositum de uno Correlativorum censetur etiam dispositum de altero eorum. *Excipitur*, nisi ejusmodi testis falsus, vel subornans illum sit Clericus, & Judex, coram quo falsum deposuit, sit Laicus ; nam etsi iste in causa Civili cognoscere possit de falsitate, quam Clericus coram eo commisit, non tamen ad effectum eundem puniendi, sed tantùm ad expediendam causam, quæ coram ipso controvertitur. Aliud est si Laicus falsum deposuit coram Judice Ecclesiastico ; nam hic puniri potest ab utroque Judice, Ecclesiastico, & Sæculari, & erit inter illos locus præventioni. Clar. *n.* 15. Ratio disparitatis est, quia Clericus non potest prorogare in se Jurisdictionem Judicis Laici, potest autem Laicus in se prorogare Jurisdictionem Judicis Ecclesiastici.

23 Dub. 3. quæ sit Pœna Advocati, & Judicis, qui Criminis Falsi rei sunt? R. *Advocatus* olim obnoxius erat pœnæ S. C. Turpilliani. Hodie tenetur ad reparationem damni, per hoc crimen parti læsæ illati, & emolumenti, ipsius malitiâ intereuntis ; & insuper arbitrio Judicis pro diversitate personarum, & circumstantiarum jubetur puniri fustigatione, carcere, numellis, vel relegatione. *Const. crim. Carol. V. art.* 115. Matth. Stephan. *ibid.* Carpzov. *q. 93. n. 48.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 180.* Wiestner *hic n. 7.* cum aliis.

24 *Judex* olim obnoxius erat pœnis exilii, vel capitis *l. Lex Julia 7. §. fin. ff. ad Leg. Jul. repetund.* Clar. §. *fin. q. 73. n. 2.* Menoch. *de arbitr. cas. 342. n. 9.* Wiestner *hic n. 8.* Reiffenstuel *ibid. n. 31.* Hodie pro qualitate personæ Judicis, partis læsæ, & damni, per sententiam injustam illati, puniri solet aliquando exilio, vel relegatione temporanea, aliquando privatione Officii, vel confiscatione bonorum aliquando aliis, etiam mortis, pœnis. Menoch. *l. cit. à n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 111. à n. 4.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 55.* Wiestner, & Reiffenstuel *l. citt.*

Jure Canonico Judex Ecclesiasticus, qui contra conscientiam, & Justitiam, per sordes, h. e. prece, pretio, præmio, gratiâ, odio corruptus in gravamen partis judicavit, ultra æstimationem litis huic præstandam, incurrit pœnam suspensionis à Divinis, & si his, ea suspensione durante, se ingesserit, Irregularitatem, prout statuitur *c. cùm æterni 1. de sent. & re jud. in 6.* & notavi *ad Libr. 2. Tit. 27. n. 112.*

Quæritur 3. quando Crimen Falsi committatur *Scripto?* R. hoc modo 25 Crimen Falsi committit, qui scienter, & dolo malo Testamentum, vel aliud Instrumentum falsum scribit, signat, recitat, subjicit; qui signum adulterinum facit, sculpit, exprimit; qui in Instrumento, vel Testamento in sui, vel alterius gratiam notabilem aliquam falsitatem dolo malo admiscet, prout facit, qui in Testamento sibi adscribit Legatum, aut Fideicommissum ; qui aliena Instrumenta, Rationes, tabulas, in parte aliqua substantiali, & considerabili radit, immutat, lacerat, vel supprimit; qui alienum Chirographum, manum, vel sigillum imitatur, & debitum, vel quid simile, in sui favorem, & alterius detrimentum scribit: de quibus §. *item Lex Cornelia de falsis 7. Inst. de Publ. Judic.* & *l. pœna 1. cum seqq. ff. de Leg. Corn. de fals.* Clar. §. *falsum n. 19.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 62. & seqq.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Vallens. *hic* §. *1. n. 3.* Pirhing *n. 36.* König *n. 7.* Wiestner *n. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 77.* Pœna hujus falsitatis de Jure Civili est deportatio, & omnium bonorum publicatio cum infamia, prout de Testibus falsis dictum est *n. 18. suprà:* de consuetudine verò arbitraria pro qualitate personarum, & quantitate damni; quod etiam approbavit *Constit. crim. Carol. V. art.* 112.

Huc etiam quidam referunt illos, 26 qui privatas alicujus Litteras desigillant, & aperiunt. Verùm licèt hoc sine peccato, & injuria illorum, ad quos Litteræ pertinent, regulariter fieri nequeat, plerumque tamen DD. censent, non esse illis pœnam ordinariam falsi, sed aliam mitiorem, & arbitrariam infligendam : nisi aperiens Litteras apertas ostenderit Adversario, vel Testamentum clausum, aut alias Litteras publicas, sigillo publico Magistratûs munitas, aperuerit ; cùm enim crimen falsi inter delicta publica numeretur, ejus pœna ordinaria ratiùs locum habet, quando potiùs privatæ personæ, quàm publicæ authoritati, & paci Reip. illata injuria est. Sylv. *V. falsarius q. 1.* Clar. §. *falsum n. 26.* Farin. *q. 150. n. 127.* Carpzov. *q. 93. n. 70.* Engl *hic n. 11.* Dixi *Regulariter* ; nam aliquando sine injuria

privatæ alterius litteræ aperiuntur, puta, si id fiat jure belli, aut justæ defensionis causâ contra inimicum insidias molientem; vel ad impediendum peccatum alterius, ut si Prælatus, parens, paterfam. præceptor, & similes suorum Religiosorum, filiorum, subditorum litteras aperiant, rationabiliter metuentes, ne quid mali in iis contineatur; vel si id in Regulis Ordinis Religiosi cautum sit, ut antea Superior litteras ad Religiosum missas legerit, quàm eæ tradantur illi, cui inscriptæ sunt. Sylv. *l. cit.* Molin. *tr. 4. de J. & J. D. 36. n. 2. & seqq.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 2.* Engl *hic n. 12.* Pirh. *ibid. n. 37. ỳ. deinde.*

27 Magis huc referendi sunt Mendici Falsarii, qui in Litteris mentiuntur casum fortuitum incendii, morbi, deterioratio-nis, aut similem, ut stipem publicam emendicent, hominésque decipiant, inque hunc finem Litteris, & Sigillis alienis abutuntur: quos pœna fustigationis aut relegationis perpetuæ plectendos esse rectissimè scribit Heig. *p. 2. q. 27. n. 21.* Coler. *p. 1. decis. 179. n. 3.* Petr. Theodor. *Colleg. crim. D. 8. thes. 2. lit. E.* Carpzov. *q. 93. n. 72. & seqq.* Eâdem pœna afficiendi sunt iidem Mendicantes, si non ut falsarii, saltem ut stelliones, & impostores, qui licèt Litteris, & Sigillis alienis non abutantur, morbos tamen, vulnera, aut defectus naturæ simulant, iisque prætextibus pecunias colligunt, cùm membra habeant sana, & integra. Damhoud. *prax. rer. crim. c. 110. n. 55. & 56.* Heig. *l. cit. n. 26.* Carpzov. *n. 75. & seqq.*

28 Præcipuè verò secundùm SS. Canones falsi crimen Scripto committunt Falsarii Litterarum Apostolicarum: cujusmodi censentur esse, qui Litteras ejusmodi falsas conficiunt; qui confectis Sigilla falsa, aut etiam vera, sine ejus, ad quem spectat, consensu apponunt; qui in Litteris, Apostolica authoritate confectis, radendo, abluendo, aut aliis modis tollunt, vel addunt aliquid, quo earum sensus immutetur *c. licèt 5. h. tit.* Item illi, qui ejusmodi Litteras ex alterius, quàm Papæ, vel Officialium, ab hoc deputatorum manibus recipiunt *c. dura 4. eod.* Porro *Litteræ Apostolicæ* hic vocantur quæcunque Rescripta, Bullæ, Brevia, tam gratiam, quàm Justitiam concernentia, quæ nomine Papæ expediuntur; & Supplicationes, quæ ipsi offeruntur, & ab eo vel S. R. E. Vice Cancellario, eorúmque vices gerentibus, aut de mandato Papæ signantur. *Contrà*, pro talibus non reputantur Litteræ S. Congr. Cardd. Sacræ Pœnitentiariæ, Datarii, Legati à Latere, vel Nuntii à Sede Apostolica missi, Episcopi, & similium. Navar. *Man. c. 27. n. 62.* Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 42.* Bonacin. *de Censur. D. 1. q. 7. n. 1.* Wiestner *hic n. 11.*

Dub. 1. quas pœnas incurrant Falsarii Litterarum Apostolicarum? 29
Ỳ. 1. ipso facto incurrunt Excommunicationem reservatam Papæ *c. ad falsariorum 7. h. tit.* & *Bull. Cæn. can. 6.* Extenditur etiam ad fautores, & defensores illorum; nam & isti ipso facto Excommunicationem incurrunt, quamvis non reservatam. Fagnan. *in c. ad falsariorum cit. n. 24.* Barbos. *ibid. n. 4.* Gonzal. *in c. 3. eod. n. 7.* Engl *hic n. 9.* Pirhing *n. 22. & 25.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 33.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 82.* Quoad recipientes Litteras Apostolicas ab alio, quàm de manibus Papæ, & Officialium ejus Excommunicatio in desuetudinem abiit, ut *l. cit.* advertit Barbos. *n. 2.*

2. Iidem, si Clerici sint, omni 30
Officio, & Beneficio Ecclesiastico perpetuò privantur: & si falsi crimen per se exercuerint, degradandi, & Curiæ Sæculari tradendi sunt, ut de falsitate legitimè convicti secundùm Leges puniantur *c. ad falsariorum cit.* Per eandem potestatem Sæcularem puniuntur etiam Laici rei istius criminis *c. cit.* Clar. §. *falsum n. 24.* Fagnan. *l. cit. n. 45.* Barbos. *n. 9.* Wagnereck *ibid. in Summ.* Vallens. *hic §. 2. n. 2. ỳ. de Jure verò Canonico.* Pirhing *n. 22. & 26.* König *n. 14.* Wiestner *n. 12.* Schmier *n. 82.* Puniri autem debent à Judice Sæculari eâdem pœnâ, quâ falsantes Rescriptum Principis, quæ est supplicium capitale, seu pœna mortis, propter magnitudinem criminis *c. ubi falsi 22. C. ad Leg. Corn. de falsi.* Idque speciale est in hac specie falsitatis, cùm aliàs crimen falsi regulariter pœnâ mortis non plectatur. Gloss. *in c. 7. cit. V. legitimæ.* Host. *ibid. V. eod.* Abb. *ad c. cit. n. 8.* Farin *prax. crim. q. 151. n. 4.* ubi ait ita passim servari, Pirhing *n. 26. cit.* Addidi, *si crimen falsi per se ipsos exercuerint*; nam qui non per seipsum, sed per alium falsavit Litteras Apostolicas, hanc pœnam Degradationis, & traditionis Curiæ Sæculari non incurrit; quia *in c. 7. cit.* expressè restringitur ad eos, *qui per se vitium falsitatis exercuerint.* Fagn. *ibid. n. 42. & 43.* Pirhing *n. 26. cit. ỳ. verùm.*

3. Qui Litteras Apostolicas falsas 31
scienter impetrant, aut iis utuntur, si Laici sint, ipso facto excommunicantur; si Clerici, Officiis, & Beneficiis sunt spoliandi *c. ad falsariorum cit. ỳ. qui verò.* Innoc. *ibid. V. spolientur*, Host. *V. eod.* Joan. Andr. *n. 4.* Fagn. *n. 4. & 38.* Barbos. *n. 1.* Wagnereck *l. cit.* Pirhing *n. 27.* Wiestner *n. 12. cit.*

4. Qui litteras ejusmodi, ab aliis falsificatas, se habere cognoscunt, easque intra

tra 10. dies non destruunt, aut resignant, Excommunicationis pœnæ per sententiam ferendæ, & postquam lata est, Papæ reservatæ obnoxii sunt, etiamsi iis non sint usi, neque habuerint animum utendi *c. dura 4. §. adjicientes h. tit.* Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *n. 1. & 2.* Vivian. *n. 2. cit. ỳ. cæterùm*, Pith. *n. 12. & 13.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 33.*

32 Dub. 2. quinam pœnas istas incurrant? ℟. 1. incurrunt illas tantùm Clerici falsantes Litteras Apostolicas: non item falsantes Litteras Imperatoris, vel alterius Principis; quia *c. ad falsariorum 7. h. tit.* solùm loquitur de falsantibus Litteras Papæ, & in pœnis benignior pars est eligenda. *Reg. 49. in 6.* Fagnan. *in c. cit. n. 16.* Pirhing *hic n. 24.* & ratio est, tum quia delictum Clerici falsantis Litteras Papæ gravius est, quàm falsantis Litteras Principis Sæcularis, ratione eminentioris Dignitatis Pontificiæ *arg. solitæ 6. de major.* tum quia Clericus non est subditus Imperatori, sed Papæ. longè autem gravius est delictum commissum in personam Principis, cui delinquens est subditus, quàm in extraneum, cui non est subditus *l. omne 6. §. qui manus 1. ff. de re milit.* Et hinc Clericus falsans Litteras Imperatoris non videtur esse tradendus Curiæ Sæculari, ut notat Farin. *prax. crim. q. 151. n. 22.* Multò minùs in pœnas *c. ad falsariorum cit.* incidunt falsarii Litterarum Episcopi, vel etiam Nuntiaturæ Apostolicæ: quod plerique ob rationis identitatem extendunt etiam ad falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ; quia non sunt Litteræ Papæ, sed ejus Commissarii, constituti vivæ vocis Oraculo. Navar. *Manual. c. 27. n. 62.* Diaz *pract. crim. can. §. falsarii c. 120. in addit. §. & nota fin.* Fagnan. *in c. cit. n. 24.* Pirhing *hic n. 24.* Quamvis contrarium quoad falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ teneant plures DD. apud Farin. *l. cit. n. 24.*

33 2. Pœnas Decretalis *cit.* non incurrunt Episcopi, & Prælati istis Superiores, falsantes Litteras Apostolicas; tum quia in pœnalibus non comprehenduntur, nisi de illis expressa fiat mentio *c. quia periculum 4. de Sent. Excomm. in 6.* tum quia non possunt privari, vel deponi sine speciali mandato Papæ *can. dudum 9. cauf. 3. q. 6.* Fagnan. *in c. ad falsariorum cit. n. 56.* Pirhing *n. 29. fin.* Incurrunt tamen Excommunicationem latæ sententiæ per *Bullam Cœnæ cas. 6.* ubi Excommunicatio generaliter fertur in omnes, adeóque etiam in Episcopos, iisque Dignitate superiores. Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 44.* Fagn. *l. cit. n. 57.* Pirh. *n. 31.*

34 3. Cæteri Falsarii Litterarum Apostolicarum, etiam occulti incurrunt pœnas istius Decretalis; & quidem eas, quæ ipso jure infliguntur, ut pœna Excommunicationis, & privationis Officiorum, ac Beneficiorum, incurrunt, eo ipso, quòd crimen commissum est, sive criminaliter, sive civiliter actum fuerit. Quoad pœnas autem quæ per Judicem infliguntur, ut est pœna Degradationis, & traditionis Curiæ Sæculari, distinguendum est; nam si civiliter solùm agatur de isto crimine, illas falsarii non incurrunt, sed solùm si criminaliter, & ubi de hoc crimine convicti fuerint: neque tunc interest, an per viam accusationis, an inquisitionis actum contra eosdem sit. Abb. *in c. ad falsariorum cit. n. 8.* Fagnan. *ibid. n. 62. & duob. seqq.* Pirhing *n. 29.*

35 4. Ad pœnas Decretalis istius incurrendas probabiliùs sufficit, siquis unica tantùm vice falsaverit Litteras Papæ. *Neque* obstant verba ejusdem Decretalis, ibi, *Qui --- vitium falsitatis exercent;* quia verbum *Exercere* in dispositione pœnali in unico actu verificatur, ut patet ex *§. item Lex Julia de Adulteriis 4. Inst. de Publ. Jud.* Farin. *q. 151. n. 31.* ubi ait ita practicari, Palao *tr. 29. D. 3. p. 7. n. 2.* Fagnan. *in c. cit. n. 27.* Barbos. *ibid. n. 7.* Pirhing *n. 25. not. 3.*

36 Dub. 3. an ejusmodi Falsariorum pœnas incurrat etiam ille, qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid, ex quo nullum, aut leve damnum parti, aut fisco infertur? *Ratio dubitandi* est, quia falsificatio interdicitur ob damnum, quod sequitur ex falsitate. igitur si sequatur nullum, aut leve, excusabit à culpa, & conf. à pœna gravi.

Sed probabilius etiam iste pœnas falsariorum incurrit. Ita Alterius *l. 2. D. 7. c. 2. §. cùm enim.* Farin. *prax. crim. q. 151. n. 12.* Bonacin. *de Censur. D. 1. q. 7. p. 2 n. 5.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 7. n. 4.* Pirhing *hic n. 18.* Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *n. 33. fin.* Addit tamen Farin. *l. cit. n. 10 ỳ. adde*, in Litteris Justitiæ non facilè præsumi falsitatem; quia generale principium est, quòd dolus, fraus, & falsitas non præsumatur ex modica utilitate.

37 Ratio autem Responsionis est, quia falsatio ejusmodi Litterarum prohibita sub pœnis prædictis est non tam propter damnum, quod inde sequitur, quàm propter injuriam, & contemptum supremæ authoritatis, à qua hujusmodi Litteræ veniunt; & ut omnis occasio falsitatis in his evitetur: quod maximè patet ex Litteris Gratiæ, Dispensationibus, & Indulgentiis, concessis à Sede Apostolica, quæ in nullius damnum cedunt, & tamen si tales Litteræ falsificentur, pœnæ Juris incurruntur. Ex quo patet ad rationem dubitandi *n. præc. aliatam.*

38 Dub. 4. an easdem pœnas incurrat etiam, qui Litteras Apostolicas radit in una Syllaba, vel paucis Litteris, si hoc fiat in loco non suspecto? *Rationem dubitandi* facit *c. fin. h. tit.* ubi Litteræ hujusmodi, rasuram continentes, pro falsis non habentur. *Sed respondendum* est distinguendo, an rasura facta sit in Curia ab hujus Officialibus, an extra Curiam ab impetrante, vel utente.

Si primum, quocunque in loco, etiam suspecto, rasæ sint, si constet in Curia rasas esse, propter hoc tamen falsæ esse non censentur, ut notat Host. *in c. ex Litteris 2. de fid. Instrum. n. 5.* Abb. *in c. fin. cit. n. 4.* Vivian. *ibid. circ. med.* Fagnan. *n. 6. ℣. primò*, Pirhing *hic n. 18.* Wiestner *ibid. n. 14.*

39 *Si secundum*, quacunque in parte licèt minima illa sit, rasæ sint, falsæ fiunt, & ipse radens tanquam falsarius Excommunicationem reservatam contrahit. Fagnan. *n. 8. col. citt.* Excipiunt Navar. *Man. c. 27. n. 62.* Sayr. *l. 3. c. 10. n. 11.* & alii apud Palao *p. 7. cit. n. 3.* si hujusmodi rasurâ non immutatur sensus Litterarum à Papa intentus; nam tunc radentem ob parvitatem materiæ à pœnis falsariorum relatis excusant. *Neque obstat*, quod in privilegiis, summo Pœnitentiario concessis, contentum erat, ut posset absolvere ab Excommunicatione, quæ ex mutatione verborum incurritur, litteræ sensu non mutato; quia ante Clementem VIII. in hac clausula Bullæ Cœnæ addebant Pontifices, *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram &c.* quæ verba postmodum omissa sunt, utpote non inducentia mutationem, quæ falsitatem constituat. Palao *l. cit. fin.*

40 Dub. 5. quid dicendum, quando dubium est, an rasio in, vel extra Curiam, ab aliquo istius Officiali, an ab alio facta sit? ℟. distinguendo: nam si rasio facta sit in loco suspecto, Litteræ sic rasæ habebuntur pro falsificatis; quia præsumentur rasæ per impetrantem, vel utentem. *Contrà* verò, si rasæ sint in loco non suspecto: nam si paucæ litteræ in tali loco rasæ sint, per hujusmodi rasuram falsitatis suspicio non inducitur; quia præsumetur facta per Officiales Curiæ. Abb. *in c. fin. h. tit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 20.* Wiestner *hic n. 15.* Quinam autem locus suspectus sit, explicatum est *Libr. 2. Tit. 22. n. 101.*

41 Prædicta autem procedunt, quando Litteræ Apostolicæ redditæ sunt apertæ: secus, si clausæ; quia tunc non nocet rasura, in quocunque loco sit facta. Gloss. *in c. licèt 5. V. tenuem h. tit.* Fagn. *l. cit. n. 21.* Pirhing *n. 19.* nisi character in loco rasuræ esset valde difformis Scripturæ reliquæ, præsertim si rasura esset magna, & notabilis, & in loco suspecto, nec fieret mentio intus de correctione facta; tunc enim præsumeretur falsitas intervenisse. Fagnan. *n. 22.* Pirhing *l. cit.*

Dub. 6. an pœnas memoratas incurrat etiam is, qui Litteras Apostolicas juxta mentem Papæ corrigit, ut si petita sit dispensatio in impedimento Affinitatis, & Notarii errore consanguinitas, vel pro Diœcesi Eystettensi Ratisbonensis expressa sit? Affirmant Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 47.* Alterius *l. 5. D. 7. c. 2. prop. 2.* quia verè immutat sensum Litterarum Apostolicarum; & licèt Papæ mens fuerit concedere gratiam, non tamen voluit, ut à Notario commissus error per alium corrigatur. 42

Sed quamvis omnino cavendum sit ne correctio tali casu fiat authoritate propria, sed potiùs per Notarios, & Officiales Curiæ, casu tamen, quo propria authoritate est facta, probabiliter pœnæ falsariorum à sic emendante non incurrentur, ut rectè Sayr. *l. 3. Thesaur. c. 30. n. 12.* Reginald. *l. 9. n. 288.* Bonacin. *D. 1. q. 7. p. 2. n. 7.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 7. n. 5.* Dian. *p. 9. tr. 7. resol. 15.* Wiestner *hic n. 16.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 2. n. 83.* quia hujusmodi immutatio non est propriè falsificatio, cùmt falsum tollat, & Litteras veras reddat: & hinc etiam videtur conformis intentioni, & concessioni Papæ. 43

Ex quo patet ad Argumentum Sententiæ contrariæ. *Neque inferas*, hoc modo licitum fore, etiam novas Litteras fabricare, si factæ à mente Papæ discordent. Negatur enim Illatum. Disparitas est, quia Litteræ sic, ut hactenus dictum est, correctæ, cùm intentioni Pontificis conformes sint, & revera à Papa datæ, veræ, non falsæ sunt appellandæ. Secus est de iis Litteris, quæ ex integro factæ de novo sunt; nam ista, utpote à Pontifice non expeditæ, suppositiæ sunt & falsæ. 44

Quæritur 4. quando crimen falsi committi censeatur *Facto*? ℟. facto crimen falsi committunt 1. qui alicui alienum partum supponunt *l. qui falsum 21. §. accusatio 1. ff. de Leg. Corn. de fals.* ubi etiam statuitur, quod accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione tollatur: ita tamen, ut de hoc crimine non quilibet de populo, sed tantum parentes, & alii, quorum ratione hæreditatis, aut alimentorum interest, agere permittantur *l. Lege 30. §. de partu 1. ff. eod.* Engl *hic n. 14.* Hujus criminis reus, præterquam quòd restituere teneatur omnia damna inde secuta legitimis aliàs hæredibus, 45

bus, vel quibuscunque aliis, idque in foro conscientiæ ante omnem sententiam. Pirhing *hic n. 45.* etiam graves pœnas alias incurrit. Et quidem si criminaliter agatur, pœna supponentis falsum partum juxta *l. si partus 1. C. ad Leg. Corn. de falsi.* est capitalis: quod aliqui apud Farin. *q. 150. n. 241.* interpretantur de pœna mortis. Alii verò rectiùs intelligunt de pœna deportationis, in cujus locum hodie successit fustigatio. Menoch. *de arbitr. cas. 306. n 3.* Farin. *l. cit. n. 242.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 28* siquidem per pœnam capitalem non solùm ultimum supplicium, sed & interdictionem aquæ, & ignis, vel deportationem intelligi, satis & luculenter probatur ex §. *publicorum 2. Instit. de publ. Judic.* Adeóque pœna hujus delicti erit fustigatio, non habito respectu personæ, quæ partum alienum supposuit, an parens fuerit necne, modò supponens damnum per hoc intulerit alteri, & sic cum injuria, & noxa alterius quicquam extorserit, vel extorquere, atque assequi voluerit. Carpzov. *l. cit. n. 29.*

46 2. Qui diversis Contractibus rem eandem duobus vendit *l. qui duobus 21. ff. de Leg. Corn. de falsi.* nam hic falsi pœnâ tenetur, prout sta uitur *l. cit.* quamvis mitiùs puniri debeat. Farin. *q. 150. n. 229.* ex generali Regula, quòd delinquens in contractu semper mitiùs puniatur, quàm delinquens in maleficio. Dixi, *rem eandem duobus vendunt*: aliter res se habet in eo, qui rem eandem duobus donat, vel duobus oppignorat, cùm ad utrumque debitum non sit sufficiens, aut qui vendit rem alteri obligatam; nam hi non tenentur pœnâ falsi, sed puniuntur crimine Stellionatûs, ut notat Farin. *l. cit. n. 220. & seqq.* nisi in hujusmodi Contractibus falsum dicant, ut puta, donatorem non alteri donâsse, venditam, vel obligatam rem alteri non obligâsse; tunc enim ex hac falsa assertione, pœnâ falsi tenentur. Farin. *n. 227.* Effugit autem pœnam falsi rem eandem duobus vendens 1. si primus emptor nondum solvit conventum pretium. 2. si venditor secundo emptori rem venditam non tradidit. 3. si fassus est rem alteri esse venditam, & promisit, quòd velit illam ab onere hoc subievare. 4. si ante sententiam pœnituerit. 5. si Juribus, punientibus vendi ionem ejusdem rei duobus factam, sit derogatum. Farin. *n. 228. & seqq.*

47 3. Qui pondera, aut publicè probatas vini, frumenti, aut cujuslibet rei mensuras corrumpunt *l. hodie 32 §. si venditor 1. ff. de Leg. Corn. de falsi.* in quos Jure Canonico 30. dierum pœnitentia in pane, & aqua decreta *c. ut mensuræ 2. de Empt.* Jure Civili communi præter ordinariam pœnam falsi ad duplum restituendum, nec non ad Insulam damnantur *l. Hodie §. cit.* Menoch. *de arbitr. cas. 317.* Molin. *tr. 2. D. 701. n. 10.* Damhoud. *prax. rer. crim. c. 123. n. 2.* Petr. Theodor. *Colleg crim D. 3. thes. 12. lit. F.* Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 78.* Pirhing *hic n. 45.* Reiffenstuel *ibid. n. 34.* In tota ferè Ge mania horum falsariorum pœna est arbitraria carceris, fustigationis, relegationis, & aliquando etiam mortis pro gravitate, & frequentia delicti, ac damni per id illati, conformiter ad *Const. cr. Carol. V. art. 115.* Carpzov. *l. cit. n. 10.* Engl *hic n. 14.*

4. Qui mer ibus adulterinam, aut 48
minùs utilem materiam admiscent: quorum pœna est arbitraria, ut dictum est de positis *n. præc.* & statutum in *Carolin. art. 113. cit.* Molin. *D. 701. cit. n. 6.* Petr. Caball. *ref. crim. c. 8. n. 3. & 4.* Matth. Stephan. *ad Carol. art. 115. cit.* Carpzov. *n. 86.* Wiestner *n. 17.*

5. Qui terminos, & limites agrorum dolosè mutant: horum pœna iterum est arbitraria pro qualitate delicti, & personæ, in corpore, vel pecunia inferenda. *Const. crim. cit. art. 114.* Engl *n. 14.*

6. Et omnium maxime hoc Crimine tenentur falsarii monetæ *l. quicunque 8. & seqq. ff. de Leg. Corn. de falsi.* De his ulteriùs.

Dub. 1. quinam censeantur falsarii 49
monetæ? R. tales juxta *Const. crim. Carol. V. art. 111.* sunt 1. qui propria authoritate monetam cudunt, etiamsi illa sit justi ponderis, & mensuræ; quia jus cudendi Monetam numeratur inter Regalia, ut patet ex *l. 2. feud. tit. 56.* junct. *l. siquis 2. C. de falsi. monet.* Accedit, quòd ad justam monetam non sufficiat materiæ bonitas, sed insuper requiratur publica forma, seu signum publicum *arg. l. origo 1. ff. de contrab. Empt.* Ubi pecunia dicitur *materia formâ publicâ percussa.* hæc autem forma publica vel deest, vel falsò fingitur in moneta privata authoritate cusa, cùm illam sine consensu Principis citra falsum adhibere nemini permissum sit *arg. l. falsi 13. & l. qui nomine 25. ff. de Leg. Corn. de falsi.* Clar. §. *falsum n. 37.* Carpzov. *pract. crim q. 93. n. 94.* Wagnereck *in Extrav. un Joan. XXII. not. 3. b. tit.* Engl *hic n. 15.* Pirhing *n. 40.* Wiestner *n. 18.* Reiffenstuel *n. 21.*

2. Qui monetæ, publica authorita- 50
te cusæ, justum pondus diminuunt, illam tondendo, radendo, scindendo &c. *l. quicunque 8. ff. de Leg. Corn. de falsi.* Clar. *n. 37. cit.* Carpzov. *n. 94.* Engl *n. 15.* V.

15. ℣. *secundò*, Pirhing *n. 40. ℣. præterea*, Wieſtner *n. 18.* Reiffenſtuel *n. 22.*

3. Qui monetam adulterinam cudunt, fingúntque ex falſa materia v. g. cupro, vitro, ſtanno, aut veræ materiæ, puta, auro, argento æs ſtannum, aut aliam materiam admiſcent, vel nummos falſos tingunt, ut appareant aurei, vel argentei &c. *l. lege 9. ff. de Leg. Corn. de falſ. l. creditor 102.* ibi, *Pecunia quaſi erosa ff. de Solut.* Clar. *n. 37.* Carpzov. *l. cit. & q. 42. n. 21.* Engl Pirhing, Wieſtner *l. citt.*

51 Dub. 2. quâ pœnâ plectendi ſint falſarii monetæ? De Jure Canonico, & circa Eccleſiaſticos non habetur in Corpore Juris ſpecialis pœna, in ſingulis iſtis caſibus conſtituto: erit proinde arbitraria, quæ aliquando ad pœnam Depoſitionis extendi poterit, *arg. c. ad audientiam 3. h. tit.* Neque contrarium probatur ex *Extr. un. Joann. XXII. h. tit.* ubi pœna Excommunicationis Pontifici reſervatæ lata eſt in illos, qui monetam Regis Franciæ falſificant quia hoc videtur eſſe ſpeciale aliquod privilegium Regi Franciæ à Pont. memorato datum: & ideo pœna hæc probabiliter non eſt numeranda inter pœnas generales falſariorum. Gloſſ. *in Extr. cit. V. ad Regnum prædictum*, Barboſ. *ibid. & tr. de Offic. Epiſc. alleg. 50. n. 188.* Engl *n. 15.* Pirhing *n. 42.*

52 Jure Civili diſtinguendum eſt inter caſus *n. 49. & 50.* relatos. Et quidem illis, qui Monetam adulterinam ex falſa, aut vitiata materia cudunt, pœna ignis (cui ferè ſtrangulatio præmitti ſolet) decreta eſt à Conſtantino Imp. *l. ſiquis 2. C. de falſ. monet.* ibi, *ſiquis nummos falſa fuſione*, i. e. ex adulterina materia *fomaverit*, - - - *flammarum exuſtionibus mancipetur:* quod confirmavit Carolus V. *Conſt. crim. art. 111.* Clar. §. *falſum n. 37.* Carpzov. *q. 42. n. 15. & 22.* Engl *hic n. 15.* Pirhing *n. 41.* Quod intellige, ſi nummos à ſe ita cuſos expenderit; nam ſi non expendit, flammarum exuſtionibus mancipandus non eſt, ſed gladio, ſeu truncatione capitis puniri debet. Carpzov. *l. cit. n. 91. & ſeqq.* cum aliis.

53 *Et extenditur* hæc ignis pœna 1. non tantùm ad eos, qui Imperatoris, ſed etiam, qui Principum inferiorum, Civitatum, aliorúmque Statuum Imperii numiſmata falſificant, ex vitioſa materia hæc efformantes, & expendentes, ut notant Menoch. *de arbitr. caſ. 316. n. 9. & 29.* Matth. Steph. *ad Carolin. art. 111. cit. ℣. cæterum circa infligendam*, Carpzov. *q. 42. n. 37.* Neque obſtat *l. ſiquis cit.* quæ illos demum flammarum exuſtionibus mancipari jubet, qui Imperatoris monetam ex vitioſa materia cudunt; quia Imperatoris ibi duntaxat fit mentio, quòd jus monetæ eo tempore alii, quàm Imperatori non competierit. Accedit, quia etiam moneta Principum, & ſtatuum Imperii pro moneta Imperatoris Romani eſt reputanda, utpote à quo cæteri jus monetæ in Imperio acceperunt.

Extenditur 2. non tantùm ad eos, 54
qui ſpecies graſſioris monetæ fabricant, ſed etiam qui monetam minoris valoris, puta Groſſos, Cruciferos, & id genus alia numiſmata ex vitioſa materia cudunt; quia Imperator in *Conſt. crim. ad art. 111.* generaliter loquitur: & confirmatur ex *Receſſu Imperii de anno 1559.* §. Wir ordnen/ ſetzen/ und wollen/ ꝛc. ibi und Fälſchung aller alten/ und neuen guten Müntzen ꝛc. *Excipit* Carpzov. *q. 42. cit. n. 53. & ſeqq.* eos, qui minimi valoris falſam monetam cudunt, ut nummos quadrantes, obulos; nam iſtos cum *Boſſio*, *Menochio*, *Deciano* extraordinariâ ſolùm pœna fuſtigationis aut relegationis afficiendos exiſtimat, ſi ſemel, aut bis, & paucos formaverint; quia ſicut in aliis criminibus, ita etiam in hoc puniendo qualitas, & quantitas rei, in qua commiſſum eſt, ſpectari debet *l. aut facta 16. §. qualitate 6. & §. ſeq. ff. de Pœn.*

Extenditur 3. ut pœnâ ignis ple- 55
ctendi ſint non tantùm ii, qui propriis manibus monetam ex materia vitioſa cudunt, ſed & qui aliis cudentibus, & falſificantibus favorem, conſilium, vel auxilium ſcienter dant, ſtando in excubiis, ignem ſufflando, domum, aut prædium eis concedendo, in quo illam cudant, vel alio modo delictum promovendo *l. quoniam 1.* junct. *l. ſiquis 2. C. de falſ. monet.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 702. n. 2.* Carpzov. *q. 42. n. 66.* Pirhing *hic n. 41.* ex generali doctrina, quòd præſtans auxilium, & opem in aliquo crimine ex propoſito, & conventione præcedente, teneatur pœnâ delicti iſtius ordinariâ.

Dub. 3. quæ ſit pœna illius, qui 56
tondet, aut radit monetam, vel tingit auro, ſcilicet, ut aurea appareat? ℟. Jure communi Civili, ſi homo liber ſit, beſtiis ſubjiciebatur; ſi verò mancipium, pœna ejus erat ſupplicium ultimum *l. quicunque 8. ff. de Leg. Corn. de falſ.* Hodierno Jure pœna iſtius criminis arbitraria eſt, nequaquam verò pœna ignis, prout de tinctoribus monetæ docet Carpz. *q. 42. n. 83.* & confirmat ex *Conſtit. crim. Carol. V. art. 111.* & *l. ſiquis 2. C. de falſ. monet.* ubi ignis ſupplicio puniri jubentur tantùm illi, qui falſa fuſione nummos formant, i. e. qui nummos cudunt ex falſa materia, aut qui aliud metallum auro, & argento admiſcent:

quod

quod certè ij non faciunt, qui nummos jam fabricatos deaurant; aliud enim est fabricatio, aliud tinctura.

57 Quòd verò hodie pœnâ arbitrariâ afficiendi sint, qui monetam radendo, tondendo, & mutilando, justum pondus diminuunt, patet ex *Carolin. art.* III. *cit.* ubi dispositum est, ut qui hujus delicti rei esse noscuntur, in vincula conjiciantur, & pro commissi gravitate corporis pœnâ, vel si leviùs peccârint, multâ pecuniariâ coërceantur. Carpz. *q. 43. n. 32.* Neque interest, an nummi rasi, vel tonsi sint aurei, vel argentei; licèt enim Ulpianus *l. quicunque 8. ff. de Leg. Corn. de falsi* solùm meminerit de aureis, tamen ad argenteos etiam pœnam falsi extendendam suadet identitatis ratio, præsertim postquam *Carolin. art.* III. *cit.* generaliter, de omni moneta, absq; differentia aureorum, vel argenteorum, nummorum, concepta est. Imò arbitrariâ pœnâ probabiliùs puniri potest, qui rasit, vel mutilavit pecuniam, justum pondus excedentem, eam reducendo ad justum pondus, ut cum *Menochio*, & *Bocero* docet Carpzov. *q. 43. cit. n.* 33. *& seqq.* ob generalitatem *l. quicunque cit.* quæ non distinguit inter nummos, qui justum excedunt pondus, & eos, qui pondus habent legitimum.

58 Dub. 4. qua pœnâ puniendus sit, qui propria authoritate cudit monetam, etsi justi ponderis sigillo tamen publico abutens? Hos ignis supplicio comburendos existimant Gloss. *in l. 2. V. obnoxii C. de falsi. monet.* Farin. *prax. crim. q. 115. n. 20.* Bocerus *tr. de Jur. monet. c. 5. n. 4.* allegans ad hoc *art.* III. *Constit. Carolin. cit.* ibi: Welche falsche Müntz machen / zeichnen ꝛc. die sollen nach Gewohnheit mit dem Feuer vom Leben zum Todt gestrafft werden. Sed si verba ista probè & exactè ponderentur, satis clarum est, in iis non nisi de nummis ex vitiosa materia formatis agi; nam verbum zeichnen / ut cum Gem. Rem. *in Nemes. Carol. art.* III. *cit.* advertit Carpzov. *pract. crim. q. 43. n. 26.* referendum est ad subjectum antecedens, monetam scilicet falsam, ex plumbo, stanno, aut alia materia vitiosa, fabricatam, ut sensus sit, eos flammarum exustionibus mancipandos esse, qui monetam ex vitiosa materia vel ipsimet fabricant, vel fabricatam signant, permutant, expendunt.

59 Quare dicendum, istos nequaquam mortis supplicio, sed arbitrariâ solummodo pœnâ plectendos esse; quia certum supplicii genus adversùs istos nuspiam statutum est: quando autem certa Legibus statuta pœna non est, arbitraria dicitur esse animadversio. *Conf.* imprimens signum alienum suæ monetæ committit falsi crimen, ut innuunt verba *Carolin. art.* III. ibi, wann einer betrieglicher Weiß eines anderen Zeichen darauff schlägt ꝛc. atqui pœna criminis falsi, ut dictum est *n. 18.* arbitraria hodie est. ergo &c. Similiter arbitrariâ pœnâ, scilicet carceris, fustigationis, relegationis, vel pecuniariâ pro ratione delicti puniendus est, qui suum Sigillum monetæ à se cusæ imprimit, absque privilegio à Cæsarea Majestate impetrato, ut patet ex verbis *Carolin. art.* III. *cit.* ibi, Oder auch ohne habende Freyheit münzet / ꝛc. Carpz. *l. cit. n. 20. & 29.*

Præter prædictas pœnas is, qui falsam monetam cudit, etiam justi ponderis, ac materiæ, incurrit reatum peccati mortalis; quia in re gravi Juri Principis præjudicat: & tenetur restituere emolumentum, quo Principem injustè privavit: quin & illis, quibus damnum inde provenit, ut quia illa interdicta fuit &c. resarcire illud tenetur in foro utroque, interno, & externo. Similiter falsam monetam cudens, detrahendo de justo pondere, vel puritate metalli, vel illam tondens, radens, aut tingens compensare debet omne damnum, quod singuli passi sunt, si constare possit de illis in particulari; alioquin pauperibus in totum restituendum erit. Sylv. *V. falsarius q. 6. n. 7.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 702. n. 10. & 11.* Pirhing. *hic n. 44.* 60

Dub. 5. quid dicendum de iis, qui monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico? Videtur ex hoc, si rite confectum sit, Moneta cudi sine crimine falsi posse; quia nummi ex eo cusi verè aurei sunt, & idcirco falsæ monetæ adnumerari nequeunt. 61

Sed quidquid sit, an verum aurum effici per artem possit, quod Albertus M. *l. 3. miner. c. 9.* Delrio *l. 1. Disquis. Mag. c. 5. sect. 4.* & alii DD. concedunt; S. Thom. *in 2. dist. 7. q. 3. art. 1. ad 5.* Comitol. *l. 3. respons. moral. q. 33. n. 2.* cum aliis negant, Joannes XXII. *Extrav. un. int. comm. h. tit.* ejusmodi auro uti, & ex eo monetam cudi severè prohibuit, quòd Alchimistæ ferè adulterinum aurum obtrudant; & si verum aliquando excoquant, in eo plurimum veri argenti decoquant. Pirhing *hic n. 43.* Engl *ibid. n. 16.*

Quæritur 5. quomodo falsi crimen committatur Usu? R. Usu, vel potiùs abusu falsi criminis reatum contrahunt 1. qui nomen, vel cognomen, genus, vel parentes sibi fraudulenter, & dolosè in alterius præjudicium, & damnum mutaverit *l. falsi 13. pr. ff. de Leg. Corn.* 62

de falſ. Neque intereſt, utrùm quis alterius nomen falsò aſſumat, ut pro eo haberi poſſit, vel proprium nomen diſſimulet in damnum tertii. Carpz. *pract. crim. q. 93. n. 34. & 35.* König *hic n. 6.* Dixi *fraudulenter, & in alterius damnum*; nam mutare nomen, & cognomen ſine aliqua fraude libero homini licitum eſt, ſi nullum inde cuipiam præjudicium fiat. Felin. *in proœm. Gregor. n. 36.* Menochius *de arbitr. caſ. 318. n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 150. n. 137. & 144.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Carpzov. *l. cit. n. 33.* Engl *hic n. 13.* Pirhing *n. 45.* Reiffenſtuel *n. 10.* & expreſsè habetur *l. un. C. de mutat. nomin.*

63 2. Qui illicitis, h. e. alienæ familiæ &c. inſignibus uſus eſt. *l. eos, qui 27. §. fin. ff. de Leg. Corn. de falſ.* in quo genere peccant plebeji, qui utuntur Galeis apertis; quia hæc Doctoralem, Equeſtrémque Dignitatem inſigniunt. Lymn. *Jur. publ. l. 6. c. 16. n. 43.* Item illi, qui Doctoris titulum ſibi falsò aſſumunt, cùm tales non ſint: quod cum Carpzov. *q. 93. cit. n. 37.* tum credo verum eſſe, ſi talis actum aliquem faciat Doctori convenientem: ſecus, ſi verbo tantùm Doctorem ſe jactet; ſolis námque verbis, non ſubſecuto aliquo effectu, mendacium quidem committitur, at non falſum *l. quid ſit falſum 23.* & *ibi* Bartol. *ff. de Leg. Corn. de falſ.* Quod idem dicendum de iis, qui Nobilis, Comitis, vel alterius Dignitatis titulo abutuntur, ut in falſi crimen tunc incidant, ſi cum damno, vel jactura alterius hanc Dignitatem ſibi arrogantes, actum ejusmodi Dignitati convenientem celebrent, eóque modo homines fallant, ut qui facit ſe Comitem Palatinum, cùm talis non ſit, & creat Notarios, legitimat Spurios &c. Carpzov. *l. cit. n. 38.* Aut ſiquis Nobilem, ex inſigni, aut præclara familia oriundum ſe profitetur, & ab aliis ejusdem, vel alterius familiæ Nobilibus eo nomine pecuniam, vel aliud quiddam emendicat, aut alio modo eosdem fallit, lucro, & commodo ſuo, alicrúmque damno. Carpzov. *l. cit.* Graviùs adhuc peccant, qui ſe Clericos, & Sacerdotes fingunt, & ſub hoc nomine Divina celebrant: de quibus ex inſtituto agetur *Tit. 28. per totum.* Item qui ſe fingit nondum baptizatum, aut confirmatum, & ea Sacramenta ſacrilegè iterat, ut pecuniam à Patrinis ſuis obtineat, ob graviſſimum crimen Sacrilegii, quod crimini falſi adjungunt.

3. Qui propoſita edicta dolo malo corrumpunt *l. hodie 32. ff. de Leg. Corn. de falſ.* qui falſo diplomate vias commeant *l. eos qui 27. §. fin. ff. eod.* item qui falſas Leges, vel Conſtitutiones, Authoritates &c. dolosè allegant *l. fin. ff. eod.* 64

4. Et præcipuè, qui adulterinam monetam colligunt, & expendunt.

Dubitatur, quæ ſit falſariorum iſtorum pœna? R. in tres priores relatos tribus *num. præced.* nulla certa conſtituta eſt pœna; unde arbitraria erit, ſcilicet carceris, relegationis, fuſtigationis &c. pro qualitate admiſſi falſi, & damni dati. Carpzov. *pract. crim. q. 93. n. 38.* 65

Quoad ultimo loco poſitos diſtinguendum eſt, an quis ſcienter, & dolosè hoc fecerit, an ignoranter. *Si ſecundum*, nullam incurrunt pœnam, cum nullam incurrerint culpam. Menoch. *de arbitr. caſ. 316. n. 55.* Wieſtner *hic n. 24. Si primum* intereſt, an hujusmodi nummi cuſi ſint ex materia proba, & juſta, an contra ex adulterina: nam in *priori* caſu pœna illorum eſt arbitraria; *in poſteriori* in ipſos perinde, ut in cudentes, pœna ignis à Carolo V. *art. 111. cit.* eſt conſtituta: quæ tamen Conſtitutio, ſaltem ſi ejusmodi monetæ expoſitio ſine magno Reip. damno, & non diu exercita ſit, Tribunalium uſu & praxi alicubi multùm, & meritò eſt mitigata. Carpzov. *pract. crim. q. 42. n. 99. & ſeqq.* Wieſtner *hic n. 23.* 66

Præter has pœnas expendens falſam monetam tenetur ad reſtitutionem ei, qui ultimus damnum ſenſit: neque excuſatur per hoc, quòd illam ab alio per errorem & deceptus acceperit; quia error ipſius non debet alteri nocere, & fatis eſt, quòd regreſſum habeat contra eos, à quibus accepit: novum enim peccatum committeret alios innocentes decipiendo. Et hæc reſtitutionis obligatio non tantùm ſtringit eos, qui hujusmodi Monetam falſam ſcienter, & dolo malo expenderunt; ſed etiam illos, qui ignoranter, & bona fide, poſtquam adverterint fuiſſe falſam, licèt durante ignorantiâ excuſentur. Sylv. *V. falſarius n. 8.* Navar. *Man. c. 17. n. 167.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 170. fin.* Wagnereck *in extrav. un. Joan. XXII. not. 1. &* 2. Pirh. *hic n. 44. fin.* Engl *ibid. n. 17.* 67

TITU-

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1. *Ordo doctrinæ.*
2. *Definitio Superstitionis.*
3. *Ejus Divisio.*
4. *Quomodo peccetur per cultum falsum?*
5. *Quomodo per Cultum Superfluum?*
6. *Quid sit Divinatio?*
7. &c. *Quot modis contingat?*
11. *Quid sit Superstitio vanæ observantiæ?*
12. *Quot modis fiat?*
13. *Quale peccatum sit?*
14. *An, & quale peccatum sit Divinatio?*
15. 16. *An, & quale peccatum sit Astrologia Judiciaria?*
17. *Quid prænuntiari possit ex avium volatu, vel garritu, motibus animalium?*
18. *Vel hominis?*
19. *Aut ejus vocibus?*
20. 21. *An & quando Superstitiosa sit conjectura ex hominum partibus, & manuum lineis?*
22. 23. *Vel ex somniis?*
24. *Quid sit Sortilegium, & quotuplicis generis dentur Sortes?*
25. 26. *Quid sint Sortes Divisoriæ, & utrùm sint licitæ.*
27. &c. *In quibus casibus licitæ sint?*
32. &c. *Quænam Conditiones ad hoc requirantur?*
34. *Quid sint Sortes Consultoriæ?*
35. *An licitæ sint?*
36. *Quomodo in iis peccetur?*
38. 39. *Prohibentur in Electionibus ad Dignitates & Beneficia Ecclesiastica.*
40. 41. *Quo Jure?*
42. *An invalida sit etiam Electio Compromissariorum per Sortes facta?*
43. *An Sorti committi possint Lites Ecclesiasticæ, & Beneficiales?*
44. &c. *Quid sint Sortes Divinatoriæ, & an illæ sint licitæ?*
46. &c. *Pœnæ Sortilegorum.*
49. *Quid sit Magia, & quotuplex?*
50. *An Magica, vel Superstitiosa censeri debeant etiam illa, quæ speciem pietatis præferunt, ut sunt verba, & signa Sacra?*
51. *Quis sit Judex in crimine Magiæ, & Sortilegii.*
52. 53. *Pœna Magorum, Divinatorum &c.*

1 POst Falsi Crimen sequuntur *Sortes*, quòd etiam ipsæ falsi speciem, & non rarò etiam malitiam in se contineant: non quidem omnes, sed illæ maximè, ex quibus vani, & superstitiosi homines de futuris eventibus, aliisque rebus omnino reconditis conjicere solent. Quod cùm species superstitionis sit, idcirco, antequam ad Sortes digrediar, pauca aliqua de superstitione præfari libet.

2 Quæritur 1. quid sit *superstitio*? Rs. *superstitio* juxta S. Thom. 2. 2. *q.* 92. *art.* 1. est *vitium Religioni oppositum, secundùm excessum*; quia nimirum illâ exhibetur cultus Divinus creaturæ, cui non debetur, vel DEO, cui debetur, & modo, quo exhiberi non debet. Dicitur autem *secundùm excessum*, non quidem quoad circumstantiam *Quantum*; nam nihil potest esse secundùm se nimium in materia Religionis: sed secundùm alias circumstantias; ut ex dicendis constabit.

3 Est autem quadruplex superstitio teste S. Thom. *l. cit.* 1. quando Deo exhibetur cultus modo indebito: & hæc appellatur *superstitio indebiti modi colendi Deum.* 2. quando cultus Divinus exhibetur creaturæ, eam loco DEI adorando: & hæc appellatur *Idololatria.* 3. quando homo petit à creatura instructionem, quæ à solo DEO haberi potest, atque ita hunc cultum Divinum creaturæ tribuit, volens per ipsam instrui de futuris, aut de præteritis, aut præsentibus occultis: & hæc appellatur *Divinatio.* 4. quando homo in suis actibus omittit dirigi à DEO, ut petit Cultus Divinus, hunc tribuens creaturæ, petendo directionem ab ipsa: & hæc appellatur *superstitio vanæ observantiæ.* De secunda superstitionis specie, seu de Idololatria nihil hic attinet dicere.

4 Dub. 1. quomodo peccetur per *superstitionem indebiti modi Cultûs* Divini; Rs. peccari potest dupliciter 1. quando cultus est falsus, ac proinde pernicious 2. quando est superfluus. *Cultus falsus* juxta S. Thom. 2. 2. *q.* 93. *art.* 2. contingere potest dupliciter. 1. quando cultus est falsus *ratione rei significatæ*, ut siquis ritibus, & cæremoniis Judaicis modò coleret DEUM; nam tunc significatio Cultûs discordat à re significata: erant enim cæremoniæ Veteris Testamenti præfiguratio Christi adventuri, quo adveniente exspirabant, nisi quòd aliquæ ex certa, & rationabili causa etiam in novo Testamento à Summis Pont. retentæ, receptæque sint, qualis est Purificatio post partum c. um.

um. de purif. post part. Et 2, quando est falsus *ex parte colentis*: quod accidit, quando quis nomine Ecclesiæ adhibet aliquid ad colendum DEUM contra ipsius institutum; sicut enim falsitatis vitium incurrit proponens ex parte cujuspiam aliqua ab ipso minimè commissa, ita idem vitium incurrit, qui in persona Ecclesiæ contra ejus mentem aliquo cultu DEUM afficit. Sanch. *l. 2. mor. c. 37. n. 2.*

5 *Cultus superfluus* juxta S. Thom. *art. 2. cit.* est, qui eis cæremoniis exhibetur, quæ judicio proborum, & sapientum nec ad DEI gloriam, nec ad excitandum spiritum, aut illecebras carnis domandas quidquam conferunt, ut siquis in oratione, aut Missa certum numerum, colorem, aut situm candelarum pro certo aliquo effectu obtinendo adhibeat; si velit dici Missam à Sacerdote, qui vocatur Joannes; si præter Rubricas Breviarii, & Missalis, aliquid dicat in Missa, vel Officio Divino, quod dicendum non est, & hoc non ex errore, sed ex fine aliquid propterea obtinendi. Huc pertinet, quod fit alicubi à vinitoribus, qui si Festo S. Urbani serena tempestas sit, statuam hujus Sancti floribus coronatam inter tripudia in popinam inferunt; si verò ea die sint pluviæ, demergunt in puteum: item quod alicubi in pagis apud rudem plebem est usitatum, ut sanctam Crucifixi, vel aliam Imaginem certis diebus butyro deliniant &c. quæ omnia, & his similia à locorum Parochis, & Ordinariis, tanquam superstitiosa, prohibenda & removenda esse præcipit Trid. *sess. 22. in Decret. de observ. & evitand. in celebr. Miss. ℣. postremò.*

6 Dub. 2. quid sit *Divinatio*, & quot modis contingat? ℣. *Divinatio*, hoc loco dicitur *significatio occultorum ex pacto cum Dæmone.* Dicta autem est *Divinatio*, quasi Divinitatis æmulatio, & qui huic studebant, *Divini* appellabantur; quia *Divinitate plenos se esse simulant, & astutâ quadam fraudulentiâ hominibus futura conjectant*, ut ait D. Augustinus relatus *can. igitur 1. caus. 26. q. 3.* ubi etiam varia Divinationum, & Divinatorum genera, ut incantatores, ariolos, aruspices, augures &c. commemorat, & describit: de quibus S. Scriptura *Lev. 19. v. 31.* inquit: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini*, S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 1.* Azor *p. 1. l. 9. c. 12.* Valent. *D. 7. q. 12. p. 1.* Suar. *de Relig. l. 2. de superst. c. 7. n. 1. & 2.* Less. *l. 2. de J. c. 43. n. 22.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 1.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 3. n. 4.* Engl. *hic n. 9.*

7 Porro Pactum cum Dæmone in Divinatione aliquando est *Expressum*, quando homo expressam, seu explicitam voluntatem habet aliquid sciendi à Dæmone; aliquando verò *Implicitum*, quando pro cognitione rerum occultarum signum aliquod vanum adhibetur, vel inspicitur: Quale signum, cùm ex se non habeat potestatem à DEO, vel natura id, quod desideratur, significandi, neque boni Angeli aliquid hominibus revelent absque DEI voluntate, & jussu sequitur, quòd ab alia substantia intelligente, videlicet à Dæmone talis significatio implicitè, sive opere ipso petatur. Less. *n. 24.* Sanch. *n. 12.* Laym. *n. 2. ℣. Divinatio duplex est.* Engl. *n. 10.*

8 *Prior*, seu illa, quæ fit per pactum expressum, generali nomine appellatur *Necromantia*: ejúsque novem sunt species. 1. *Præstigium*, quando Dæmon variis apparitionibus superstitioforum oculos perstringit, se illorum aspectibus objiciens, & occulta docens. 2. *Divinatio per somnia*, quando instructio Dæmonis per somnia speratur. 3. *Necromantia* specificè accepta, quando adhibitis sanguine, & certis carminibus videntur mortui resurgere, loqui, & docere. 4. *Divinatio per Pythones*, quando Dæmon per homines arreptitios. 5. *Geomantia*, quando per signa in corporibus terrestribus, e. g. ligno, metallo, lapide &c. apparentia. 6. *Hydromantia*, quando per signa apparentia in aqua. 7. *Aëromantia*, quando per apparentia in aëre. 8. *Pyromantia*, quando per apparentia in igne. 9. *Aruspicium*, quando per apparentia in extis animalium ipsi sacrificatorum docet, Sanch. *l. cit.*

9 *Posterior*, seu illa, quæ fit per pactum implicitum, duplex est. *Una* est, quando cognitio occultorum vanè procuratur ex consideratione alicujus dispositionis, aliàs existentis in quibuscunque rebus. *Altera*, quando quæritur ex dispositione eorum, quæ homines consultò faciunt, causâ ejus cognitionis adipiscendæ. *Illam* S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 3.* dividit in novem species. Nam 1. est *Genethlia*, quando cognitio hæc quæritur ex siderum motu aut situ. 2. *Augurium*, quando ex animalium vocibus, aut ex hominum sternutatione. 3. *Auspicium*, quando ex avium volatu, aut quorumvis animalium motu. 4. *Omen*, quando ex hominum vocibus, præter intentionem prolatis. 5. *Oneiroscritica* quando ex somniis. 6. *Physiognomia*, quando ex totius corporis humani signis. 7. *Spatulamantia*, quando ex spatulæ signis. 8. *Metoposcopia*, quando ex fronte. 9. *Chiromantia*, quando ex inspectione manuum, harúmque lineis cognitio futurorum quæritur. Al-

10 Alterum divinandi modum S. D. *l. cit.* in duas dividit species. *Prima* est *Geomantia*, cùm ex punctorum protractione cognitio quæritur. *Secunda* dicitur *Divinatio per sortes*, quando cognitio futurorum quæritur ex signis resultantibus ex plumbo liquefacto, & in aquam projecto, vel ex consideratione festucæ ex duabus oblatis electæ, vel ex schedulis projectis in urnam, projectione taxillorum, consideratione ejus, quod aperienti librum occurrit &c.

11 Dub. 3. quid sit *superstitio vanæ observantiæ?* R. *superstitio vanæ observantiæ*, ut colligitur ex S. Thom. *2. 2. q. 96. art. 1. & 2.* est, quando per media inutilia, & à Divina Providentia minimè ad hoc ordinata procuratur aliquis effectus, e. g. consecutio alicujus boni, vitatio mali, aut damni illatio alteri facta. Dicitur autem *Vana observantia*, quia vel non consequitur effectum intentum, vel si consequatur, plus noxæ, quàm commodi affert; commodum enim affert in corporalibus, & temporalibus, detrimentum verò est animæ. Quare differt à Divinatione, quòd divinatio ordinetur solùm ad cognitionem occultorum, indebito modo comparandam; Vana autem observantia ad effectum externum tendat. Sanch. *l. 2. mor. c. 40. n. 1.*

12 Fieri potest & ipsa dupliciter, scilicet per pactum expressum cum Dæmone, & per pactum implicitum duntaxat, & tacitum. *Prior* est, quando quis à Dæmone expressè invocato, aut in commercium adducto aliqua incognita media addiscit, quæ naturales causæ sunt ad effectus producendos, vel quibus applicatis Dæmon occultè operatur: quod fieri potest dupliciter, scilicet Dæmonem verbis invocando, vel facto ipso, quando quis, sciens Dæmonem per id medium vanum operari, illud usurpat. *Posterior* tribus modis contingit. 1. quando alicujus calamitatis, vel prosperitatis cognitio per vanam Divinationem procuratur, ut ea cognitione homo edoctus aliquid faciat, aut vitet. 2. quando adhibentur preces vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus vanis aliquibus circumstantiis, ex quibus appareat illas preces minimè ad DEUM referri, ut vel sic ab illo exspectetur effectus. 3. quando vanè adhibentur aliqua media, tanquam efficaces alicujus effectus causæ, sive sint naturalia, ut herbæ, sive artificialia, ut characteres, figuræ, quæ inefficaces causæ sunt ad eum effectum producendum.

13 Porro Superstitio vanæ observantiæ, in qua intervenit pactum expressum cum Dæmone, semper est peccatum mortale gravissimum, sive deinde effectus speratus excedat naturalem Dæmonis potestatem, sive illam non excedat: nec inter fideles potest aliquis excusari per ignorantiam; quia res ista præ se ipsa fert suam malitiam. Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 17. & c. 40. n. 12.* Illa verò, quæ fit per pactum implicitum duntaxat, licèt & ipsa ex genere suo peccatum mortale sit (quia est contraria Religioni, & cultui DEO debito) ex diversis tamen capitibus potest fieri peccatum veniale scilicet 1. propter ignorantiam vincibilem quidem, sed non crassam, & affectatam. Valent. *2. 2. D. 6. q. 13. p. 3.* Sanch. *c. 40. cit. n. 13.* 2. ex parte intentionis, ut si quispiam superstitiones istas exerceat, non quasi efficaces, sed tanquam vanas ex levitate quadam. Valent. Sanch. *l. citt.* 3. ut vult Valent. *l. cit.* ex parvitate materiæ: sed melius negatur, in hoc genere posse dari parvitatem materiæ; quia usurpatio talium mediorum, seclusâ ignorantia, gravem deordinationem continet in quacunque materia, si seriò adhibeantur: secus, si joco, & ad experiendum effectum causâ curiositatis; tum enim qui semel uteretur hujusmodi superstitione, Sanch. *l. cit.* putat esse veniale.

Quæritur 2. an, & quale peccatum sit *Divinatio?* R. Divinatio, quæ fit per pactum expressum cum Dæmone, semper peccatum mortale est, sive pactum hoc verbis fiat, sive facto ipso: neque excusat fidelem ignorantia, ut *n. præc.* dictum est de Vana observantia. Illa verò, quæ fit cum pacto implicito, licèt & ipsa ex genere suo peccatum mortale sit, nec parvitate materiæ excusari possit, à peccato tamen mortali excusari potest vel ratione ignorantiæ, non affectatæ, & nimis crassæ, vel ex intentione Divinantis non superstitiosa, quia scilicet ea divinatione utitur joci causâ ad se objectandum. Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 17. & tribus seqq.* Similiter venialis est vanitas, quando observantur somnia, auguria, sortes, haruspicia & reliqua, per quæ divinatur, si iis utens non adhibeat illis certam fidem, sed formidinem tantùm ex iis concipiat. Less. *l. 2. de J. & J. c. 43. n. 53.* Sanch. *c. 38. cit. n. 21.* Laym. *l. 4 tr. 10. c. 3. n. 10.* Palao *tr. 17. D. 8. p. 8. n. 4.* Engl *hic n. 17.* & alii ab his *citt.* Optimè cum Delrio *l. 4. disquis. Mag. c. 2. q. 7.* advertit Sanch. *l. cit.* esse rem valde periculosam juxta hæc actiones dirigere illis minimè credendo; quia Dæmon per hujusmodi sæpe in pejora pertrahit, & in magis seriis decipit. 14

Dub. 1. an, & quatenus illicita sit *Astrologia?* R. distinguendo; nam Duplex Astrologia apud DD. est. Una *Naturalis*, quâ ex siderum situ, cursu, 15

motúque conjectantur ea, quæ naturaliter contingunt, ut sunt Eclipses, pluviæ, grandines, venti, anni fertilitas, morbi, morborum curationes, & similia, ex siderum influxu dependentia. Altera *Judiciaria*, quâ ex Astrorum inspectione prædicuntur futuri eventus fortuiti, & à libero arbitrio hominis dependentes, vel præterita, aut præsentia prorsus occulta manifestantur v. g. Titium esse, aut fore homicidam, furem, contracturum matrimonium cum tali persona, hoc tempore &c. *Prior* non est illicita; est autem *posterior*, cujus ratio est: quia hæc conjectatio vel fundatur in Astris tanquam in causis actuum liberorum; & tunc tollitur libertas liberi arbitrii, utpote quod in actibus suis exercendis supponeret causam necessariam: vel fundatur in astris, tanquam in signis: & tunc cùm signa naturalia effectuum istorum non sint necesse est, ut sint signa ex institutione, quæ institutio cùm non sit à DEO, vel Angelis bonis, erit cons. à Dæmone: & sic intervenit pactum cum isto tacitum.

16 Quæ causa est, ob quam Astrologiam hanc utrumque Jus gravissimè interdixerit: Civile quidem *l. Mathematicos 10. C. de Episcop. audient. l. artem 2. l. nemo 5. l. & si 7. C. de Malefic. & Mathemat.* ubi nomine Mathematicorum non illi accipiuntur, qui honestas, & utiles Matheseos disciplinas docent, sed qui Astrologiam Judiciariam dicto modo exercent, & hujusmodi occulta ex astris, tanquam causis, aut signis illorum necessariis nuntiant *Canonico autem can. igitur 1. caus. 26. q. 3. can. non liceat 3. caus. cit. q. 5. can. illud 6. caus. ead. q. 2.* & novissimè in *Motu proprio Sixti V.* quem refert Quarant. *Bullar. V. Astrologia Judiciaria*, ubi etiam in specie damnantur facientes judicia, & Nativitates hominum, qui *Genethliaci*, vel *Horoscopici* dicebantur, teste *Augustino* relato in *can. igitur cit.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de superstit. c. 11. n. 5. & 12.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 27. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 43. n. 32. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 5. ℣. verum tamen* Palao *tr. 17. D. 1. p. 4. n. 1. & seqq.* Engl *hic n. 12.* König *ibid. n. 5.*

17 Dub. 2. quid conjectari, & prænuntiari possit ex avium volatu, vel garritu, motibus animalium, vel hominis, ejúsque voce? R. ex avium volatu, animalium motibus, horúmque voce prænuntiari licitè, & absque superstitione possunt aliqua futura evenientia, quorum illa signa sunt, ut pluvia, tempestas, serenitas; quia revera horum signa sunt. S. Thom. 2. 2. *q. 95. art. 7.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 15. fin.* Less. *l. 2. de Just. c. 43. n. 45.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 38.* Imò quia una, eàdémque causa cælestis, eadémque Constellatio movet animalia, & inclinat homines ad effectum aliquem, ex his animalium vocibus, ac motibus probabiliter conjici possunt etiam aliqua ad homines pertinentia: sed ut bene cum *Valentia* advertit Sanch. *l. cit. n. 39.* conjectura hæc tenuissima est; tum quia hi effectus non necessariò ab eadem communi causa procedunt in homine, à qua in Brutis; tum verò etiam quia homo est dominus passionum suarum, quæ à causis cælestibus concitari quidem possunt, non tamen vinci, si homo non velit. Hinc superstitiosum est, signa ista extendere ad prædicendum ex illis plus, quàm illa indicent, S. Thom. *l. cit.*

18 Multò adhuc debilior conjectura sumi potest ex motibus humani corporis; tum quia motus isti sæpe non ab impressione cælesti, sed à libera voluntate proficiscuntur; tum etiam, quia cùm reliqua animalia quietiorem phantasiam habeant, signa cælestium impressionum certiora edunt. Valent. 2, 2. *D. 6, q. 12. p. 3. ℣. & idem etiam.* Sanch. *l. cit. n. 41.* Et quidem si ex iis, quæ prorsus fortuitò contingunt, v. g. ex sternutatione, ruptione corrigiæ calcei, occursu funeris, aut certorum animalium &c. conjectare aliquis velit, quidpiam sibi, vel alteri feliciter, vel infeliciter eventurum, manifesta est superstitio, & peccatum ex genere suo mortale, nisi excusatur per simplicitatem, aut ignorantiam, vel fides hujusmodi signis adhibeatur solùm dubia, & cum formidine. Azor. *c. 22. q. un.* Less. *n. 62. & seqq.* Sanch. *n. 42.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 10.* Engl *hic n. 14.*

19 Ex vocibus hominum, quatenus significant, nulla de effectibus contingentibus potest conjectura sumi; quia cùm significent ad placitum, non ex cæli constellatione, sed ex ratione proveniunt: quare Divinatio per illas est semper superstitiosa: nisi cognitio tunc exspectetur à DEO; nam quandoque per aliquam vocem humanam, præter intentionem dictam, licèt exspectare cognitionem à DEO: nec tunc erit omen superstitiosum. S. Thom. *à 7. cit. ad 3.* oportet tamen eo casu percipere Divinum lumen, aut præceptum ad hæc, & non ex sola hac facili credulitate, & fiducia moveri ad opus, ut notat. Cajet. *art. cit. fin.*

20 Dub. 3. an, & quando Superstitiosa sit conjectura ex hominum partibus, & manuum lineis? R. duplicem à DD. Physiognomiam, & Chiromantiam dici: una est *Naturalis*, altera *Astro-*

Astrologica. *Hæc* superstitiosa est ; quia ex partium corporis dispositione, & manuum lineis prædicit prosperos, & adversos hominis eventus, & multa alia, quæ inde sciri non possunt. Azor. *p. 1. l. 9. c. 16. fin.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 45. & 47.* Contrà *illa*, seu *Naturalis*, per quam ex inspectione membrorum, & lineamentis corporum conjectura aliqua fit de hominis complexione, ingenio, corporis temperie, bona vel mala valetudine, propensione quoad morbos, aut mores, non est prohibita : quamvis circa mores talis conjectura sit valde fallibilis, cum educatio hominis, societas, regimen vitæ, & rationis multa contra naturalem inclinationem mutare soleant ; & quod subinde dispositio unius membri malum indicat, per dispositionem alterius membri in eodem corpore corrigitur. Hinc cautè in istis est procedendum : nec major hujusmodi signis, quàm par est, adhibenda fides. Laym. *n. 5. ℣. altera species.* Engl *n. 14.* König *n. 5.*

81 *Ex quo sequitur*, non esse licitum de bona, vel mala fortuna interrogare Ægyptios : eritque istud peccatum mortale, quando interrogantur animo firmiter credendi illorum dictis. Secus, quando hoc fit, prout fit communiter, ob curiositatem, & animo ridendi ; tunc enim esset vanitas venialis, prout cum *Navar*, *Alcozer*, *Ludov. Lopez*, & aliis monet Sanch. *l. cit. n. 48.* nisi tamen interrogans talis esset, ut videntibus grave scandalum generaret. Sanch. *l. cit.*

82 Dub. 4. an, & quo pacto licita sit observatio somniorum ? ℣. licèt aliquando DEUS viris Sanctis, vel etiam aliis ad finem aliquem specialem per somnium revelet aliquid, sicut exempla habentur de Josepho Patriarcha *Gen. 20.* de Josepho Christi Nutritio, & Magis. *Matth. 1. & 2.* de quo non potest dari certa Regula, sed ex materia somni, & ad quem finem tendat, item ex qualitatibus somniantis, aliisque circumstantiis interpretatio est facienda à viris probis, & in hoc genere somniorum per specialem DEI gratiam excitatis. Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 52.*

83 Ordinariè tamen ex ipsis SS. Literis observatio somniorum prohibita est, ut patet *Lev. 19. v. 26. Deut. 18. v. 10. & Eccl. 34.* nisi quòd aliquando ad colligendam dispositionem corporis somnia, præsertim à Medicis observari possunt ; quia juxta abundantiam humoris Cholerici, Phlegmatici, Melancholici, Sanguinei diversa somnia causantur in homine. Quare ex somniis colligere bonam, vel malam corporis affectionem, nihil Superstitionis continet : contrà Superstitiosum est significationem illorum extendere ad ea, quæ ex liberi arbitrii libertate pendent ; cùm enim somnia horum causa non sint, nullam cum his effectibus connexionem habent. Sanch. *c. 38. cit. n. 49. & seqq.* Less. *c. 43. n. 50. & seqq.* Laym. *c. 3. cit. n. 6.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 5. n. 2. & seqq.* Engl *n. 15.* König *n. 5.*

Dub. 5. quid sit *Sortilegium*, & quotuplicis generis dentur *Sortes* ? ℣. Sortilegii nomen dupliciter solet accipi : aliquando *propriè*, & *specialiùs*, & in hoc sensu *Sortilegium* est Divinatio, quâ per Sortes Divinatorias, & falsa signa ope Dæmonis futura, & occulta manifestantur. Aliquando *generaliùs* : & tunc nomine Sortilegii veniunt omnes Superstitiones, Divinationes, & Magiæ, ut bene advertit Engl *hic n. 1.* In præsenti titulo Sortilegii nomen significat usum Sortium, quæ aliquando licitæ, aliquando illicitæ sunt ; nam triplicis generis Sortes inveniuntur apud S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 8.* scilicet Divisoriæ, Consultoriæ, & Divinatoriæ. 84

Quæritur 3. quid sint *Sortes Divisoriæ* ? ℣. *Divisoriæ sortes* sunt, quibus jus indivisum, aut dubium, pluribus competens, inter eos dividitur, aut uni applicatur. Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3 n. 8.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 2.* Vivian. *in c. 1. b. tit. pr.* Gonzal. *in c. 3. ibid. n. 7.* Pirhing *n. 1.* Hoc Sortium genus ex communi doctrina per se licitum est, ut rectè advertunt Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de Superst. c. 12. n. 3. & 4.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 43. n. 58.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 27.* Barbos. *in c. fin. b. tit. n. 4. & 5.* Wagnereck *ibid. V. unum elegistis.* Vallens. *hic n. 2.* & alii passim cum S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 8. in Corp.* & S. August. relato *can. sors 1. caus. 26. q. 2.* ibi, *Sors non aliquid mali est.* 85

Ratio est, quia nec in se malæ sunt, cùm nullam contineant Superstitionem ; nec in damnum ullius injustum cedunt, cùm usurpentur ex mutuo consensu, & conventione plurium, æquale jus habentium ; nec ullo Jure prohibentur : imò Civili apertè approbantur *l. in tribus 13.* junct. *l. seq. ff. de Judic. l. si quis 5. ff. famil. herciscund. l. si duobus 3. C. communia de Legat.* Et ita olim sorte divisa inter Israëlitas est terra promissionis. *Num. 33. v. 54. & Jos. 15. v. 1.* *Excipitur*, nisi ob circumstantiam aliquam accidentariam, & extrinsecam hujusmodi Sortes fiant illicitæ, vel Jure positivo specialiter, & expressè sint prohibitæ. Pirhing *hic n. 5.* 86

Et

Et ita prohibitæ sunt in Electione ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, prout dicetur *infrà n. 38.*

27 Dub. 1. quibus casibus licitum sit adhibere Sortes Divisorias? R. adhiberi possunt, & solent 1. si inter hæredes, socios, vel commilitones dividenda sint bona hæreditaria, vel communia, aut præda ex hoste relata.

2. Quando de una, & individua re inter duos, vel plures lis est, & quia æquale omnium jus est, ea lis aliter definiri non potest; tunc enim adjudicari uni per sortes potest. Et hoc verum est, etsi ad ejusmodi causam Civilem, & temporalem per Sortes determinandam authoritas Superioris non accedat; quia in his res, de qua litigatur, potest per privatum pactum litigantium alteri adjudicari, adeóque in illis, etiam per Sortes potest lis dirimi. Pirhing *n. 14.* cum aliis.

28 3. Licitæ sunt Sortes Divisoriæ in Electionibus ad Officia Sæcularia; quia nusquam id reperitur interdictum; quamvis enim *c. fin. h. tit. fin.* videatur eas indistinctè in Electionibus prohibere, ibi, *Sortis usum in Electionibus perpetua prohibitione damnantes;* tamen, ut cum aliis rectè advertit Sanch. *c. 38. cit. n. 58.* verba illa intelligenda sunt juxta subjectam materiam, de qua textus ille tractabat, nempe in Electionibus Ecclesiasticis. Addo tamen cum Abb. *in c. fin. cit. n. 3.* etiam in Officiis Sæcularibus conferendis melius abstineri à Sortibus. Imò ejusmodi Offi i rum per Sortes collatione interdum potest peccari graviter contra Justitiam Distributivam, si Sortes mittantur temerè, & promiscuè inter promovendos, sive digni sint, sive indigni; id enim repugnat rectæ administrationi Reip. ejúsque communi bono. Itaque ut hujusmodi Electiones per Sortes licitè fiant, caveri debet, ut non mittantur, nisi inter illos, qui digni sunt, & idonei ad officium, ad quod eliguntur per Sortes, ita saltem, ut non appareat manifestus, & notabilis excessus inter illos; tunc enim vitabitur periculum, ne Sors cadat super indignum, vel notabiliter, & apertè minùs dignum, & idoneum Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de superst. c. 12. n. 15.* Sanch. *c. 38. cit. n. 67.* Pirh. *hic n. 11.*

29 4. Sorte designari possunt periculosæ Stationes in bello, & aliæ periculosæ functiones; nam ita habet usus passim receptus: Sic enim milites inter se sorte dividere solent, quæ Legio prior hostem, vel civitatem invadere debeat. Sic tempore pestis dirimi potest, quis ex Sacerdotibus, vel Medicis ad curam corporum, vel animarum exponendus sit. Sic in periculo communis naufragii, si necesse sit ad alleviandam navim aliquos in mare prosilire, vel projici, ne omnes pereant, sorte ex omnium consensu decidi potest, quinam ejiciendi sint: imò etiam quibusdam invitis, reliqui navigantes sortiri possunt, & sortis eventum exequi; vel etiam Navarchus eligere potest tale medium ob commune bonum. Less. *c. 43. n. 58.* Sanch *n. 59. & n. 62.* Vivian. *in c. 1. b. tit. post med.* Pirhing *n. 6.*

30 5. Quando plures sunt rei criminis, nec omnes puniri, aut impunitos dimitti expedit, uni eorum pœna mortis, vel alia per Sortes decerni potest, prout in militia est praxi receptum. Less. *n. 58. cit.* Sanch. *n. 60.* Laym. *tr. 10. cit. c. 3. n. 8.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 3.* Vallens. *hic n. 2.* Engl *n. 3.* Wiestner *n. 2.* Reiffenst. *n. 5.* ubi tamen duo sunt advertenda. 1. ut omnes rei sint, & de hoc constet; nam si de persona, quæ delictum commisit, non constet, nullatenus licet eam sortibus indagare; quia præter Divinationem ibi admixtam est periculum puniendi innocentis, si sors in ipsum cadat, aut rei, non legitimè probato ejus delicto. Sanch. *n. 61.* 2. ut æqualis sortientium culpa sit; quia aliàs iniqua esset sortitio quoad minùs nocentes. Sanch. *n. 60.* Ratio autem, quare in casu, quo omnes sortientes in æquali sunt culpa, est, quia in tali sortitione nemini fit injuria, cùm omnes mortem sint meriti; sed potiùs singulis fit favor, quatenus eis spes offertur evadendi mortem. Pirhing *n. 6.*

31 6. Denique quotiescunque nulla ratio apparet, cur in aliquo commodo, vel incommodo alter alteri præferendus sit, sorte res definiri potest. Less. *n. 58.* Pirhing *n. 6. fin.*

32 Dub. 2. quænam conditiones requirantur, ut Sortes Divisoriæ licitæ sint? R. requiri quatuor maximè. 1. ut eventus sortis exspectetur à DEO, non à Dæmone, nec ab Astris, fato, aut fortuna. 2. ut Sors fiat simplici animo, & cum debita reverentia, sine admixtione alicujus superstitionis, vel abusu rerum Sacrarum, seu S. Scripturæ. 3. ut illi, qui sortiuntur, æquali jure nitantur, aut æquali sint pœnâ digni. 4. ut præcipua sortientium intentio non sit inquirere voluntatem DEI modo extraordinario, sed tantùm litium, discordiarum, sive invidiarum ablatio. Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 64. & seqq.*

33 Ex harum circumstantiarum defectu Sortes redduntur illicitæ: sed diverso malitiæ gradu; nam ex defectu *primæ* est grave peccatum; quia simul miscetur superst-

perſtitio. Ex defectu *ſecundæ* erit vel grave, vel leve peccatum, prout gravis, vel levis committitur irreverentia. Ex defectu *tertiæ* injuſtitiam continent, & pro hujus gravitate peccatum ſunt. Ex defectu *quartæ* continent peccatum vanitatis; quia carent debito fine; etenim finis non debet eſſe inquirere voluntatem DEI modo extraordinario, eò quòd modus iſte ſit omnino incertus, utpote nulli DEI promiſſioni innitens. Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 7.*

34 Quæritur 4. quid ſint *Sortes Conſultoriæ?* R. *Sortes Conſultoriæ ſunt*, quibus occultæ veritatis manifeſtatio, vel ancipitis conſilii directio à DEO poſtulatur. Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 56.* Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* Gonzal. *in c. 3. ibid. n. 7.* Pirh. *hic n. 1.* Engl *ibid. n. 4.* Et ſic olim per hujusmodi ſortes deprehenſum eſt furtum Achan *Joſ. 7. v. 14.* Saul electus in Regem *1. Reg. 12. v. 20.* Matthias pro Juda Proditore ſuffectus in Apoſtolatum. *Act. 1. v. 26.* juxta illud: *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Prov. 16. v. 33.*

35 Dub. 1. an Sortes Conſultoriæ ſint licitæ? Videntur licitæ eſſe ob exempla *n. præc.* allata. Sed exempla iſta nihil probant; quia in relatis caſibus ex ſpeciali DEI inſtinctu adhibitæ ſunt. *Hinc dicendum*, extra caſum, quo urgente neceſſitate, Divina Voluntas aliâ viâ inveſtigari non poteſt, regulariter eſſe illicitas, prout patet ex *can. ſortes 7. cauſ. 26. q. 5.* ubi ſub gravibus pœnis prohibentur: & meritò; quia ſunt quædam tentatio DEI, & iis utentes exponunt ſe periculo, ne DEO permittente, à Diabolo decipiantur. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 12. n. 25.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 43. n. 60.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 85.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 9.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 10.* Vivian. *in c. 1. h. tit. circ. med.* Engl *hic n. 4.* Pirhing *n. 4.* König *n. 10. v. ſortes Conſultoriæ.* Wieſtner *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 4.* cum S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 8.*

36 Non tamen in his Sortibus ſemper peccatur graviter, ſi non expreſsè petatur, vel exſpectetur revelatio futurorum, aut occultorum à Dæmone, vel à fato quodam ſidereo caſu, aut, qui non reducantur ad DEUM; fiunt enim ſæpe ex vanitate, aut curioſitate, de qua ſi taliter ſortientes interroges, reſpondebunt, ſibi nihil eſſe cum Dæmone, fato, vel caſu, quæ à Divina Providentia non proveniant: quamvis ſaltem leviter hoc modo delinquant, quòd ejusmodi Sortibus Divinam Providentiam ſine juſta cauſa ſubjiciant, ejúsque conſilia quaſi expiſcari velint. Wagnereck *in c. 1. h. tit. art. 2.*

Imò ſi quatuor ſequentes conditiones concurrant, abſolutè ſunt licitæ Sortes Conſultoriæ. 1. neceſſitas ſpiritualis, aut temporalis perſonæ, vel etiam rerum, ad magnum damnum vitandum. 2. ut cum debita reverentia ad DEUM mittantur Sortes. 3. ut ſervetur modus proportionatus, ne ſcilicet Sanctorum Reliquiæ, aut Divina Oracula convertantur ad Sæcularia, vel temporalia lucra, ſecus ad damnum vitandum. 4. ut ſint circa debitam materiam, ſeu talem, circa quam Sortes non ſint prohibitæ, prout ſunt Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica. Sanch. *c. 38. cit. n. 85.* Verùm de his ulteriùs 37

Dub. 2. an Sortes Conſultoriæ, & Diviſoriæ adhiberi poſſint in Electionibus ad Prælaturas, Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica? R. negativè, ut clarè patet ex *c. fin. h. tit.* & notant Sanch. *l. cit. n. 71.* Laym. *n. 9.* Palao *n. 5.* Vivian. *in c. 1. h. tit. circ. med.* Gonzal. *ibid. n. 9.* Barboſ. *in c. fin. cit. n. 1. & 2.* Vallenſ. *hic n. 3. v. hinc prohibitum eſt.* Engl *ibid. n. 4.* *Proceditque* hoc etiam caſu, quo duo electi habent paria Vota, & neutra eligentium pars vult cedere; quia *c. fin. cit.* ſortium uſus in Electionibus ad Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica abſolutè, & ſine reſtrictione damnatur, Sanch. *l. cit. n. 74.* Palao *p. 6. n. 6.* Gibalin. *de negot. tom. 2. l. 4. c. 9. art. 2.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 8.* Pirhing *hic n. 10.* Reiffenſtuel *n. 7. ibid.* 38

Ratio eſt, quia Electio perſonarum Eccleſiaſticarum ad Dignitates, & Officia debet fieri ex delectu, & cum ratione, attendendo ad capacitatem perſonarum, & merita illarum: unde illa non eſt caſui, & cæcæ fortunæ temere ſubjicienda, ne contingat eligi minùs dignum, & minùs habilem. Itaque in diſcordia Electorum, cùm duo paria Vota habent, res per Compromiſſarios determinanda eſt, vel Superior adeundus, qui Electores compellere poteſt ad concordandum, vel certum terminum eis præſcribere ad eligendum, quo elapſo poteſtas eligendi ad ipſum devolvatur, ut docet Gloſſ. *in c. pen. V. teneatur de Reſcript. in 6.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de ſuperſt. c. 12. n. 7.* Sanch. *c. 38. cit. n. 74.* Pirh. *hic n. 10.* 39

Dub. 3. quo Jure Sortes ab Electione removeantur? *Ratio dubitandi* eſt, quia Sorti committentes Electionem, exponunt Eccleſiam periculo, ne 40

loco digni accipiat Pastorem indignum, quem præfici Jus Naturale prohibet. *Sed distinguendum est*, an in Electionem, per Sortes faciendam, veniant digni cum indignis, an digni tantùm, sicut factum est in Electione S. Matthiæ, ubi cum ipso propositus est Joseph, qui cognominabatur *Justus*. *Si primum*, ratio dubitandi allata rectè probat, Electionem per Sortes Jure naturali prohibitam esse. *Si Secundum*, illicita solùm est Jure positivo humano per *c. fin. cit.* Ratio est, quia tali casu nullam dedecentiam Juris naturalis continet. Cajet. *Summ. V. Sors ad fin.* Valent. *2. 2. D. 6. q. 12. p. 3. §. ex eodem capite.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 21. q. un. §. at verò in Electionibus.* Suar. *l. 1. de Superst. c. 12. n. 3.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 82.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 5.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 5. fin.* Zœs. *hic n. 4.* Pirhing *n. 12.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 10.*

41 Estque Electio talis, per Sortes facta, ipso Jure nulla, ut notat Abb. *in c. fin. cit. n. 5.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 9.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 9.* Zœs. *hic n. 5.* Engl. *n. 4.* Reiffenstuel *n. 8.* Ratio est, quia est contra formam Electionis, *in c. quia propter 42. de Elect.* præscriptam; nam in hoc *cap.* statuitur, ut Electio fiat per formam Scrutinii, vel Compromissi, vel Inspirationis, &decernitur, quòd formâ ibidem præscriptâ non observatâ, Electio futura sit ipso Jure invalida. Non debet tamen prohibitio hæc extendi ultra Electiones propriè dictas: & hinc si dubium sit, quis ex pluribus præsentari aut promoveri debeat ad Beneficia, non electiva, & omnes illi sint æquè digni, poterit id Sortibus committi per *Reg. Odia 15. in 6.* Wagnereck *in c. fin. V. Sortis usum not. 2.*

42 Dub. 4. an etiam invalida sit facta per Sortes Electio Compromissariorum, quibus deinde committatur Prælati Electio? R. probabiliùs eam Jure subsistere, ut notant Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de Superst. c. 12. n. 11.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 83.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 9.* Passerin. *de Elect. c. 18. q. 5. n. 11.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 3.* Pirhing *hic n. 13.* Wiestner *ibid. n. 7.* quia *c. quia propter cit.* solùm irritatur Electio Prælati aliter, quam ut ibi præscriptum est, facta, nulla facta mentione Electionis Compromissariorum. Accedit, quia *c. fin. cit.* Honorius III. Electionem istorum, per Sortes factam, reprehensione quidem dignam pronuntiat, & in posterum vetuit; at sine Decreto irritante: imò eandem Authoritate Apostolica confirmavit.

Dub. 5. an Sorti committi pos- 43
sint Lites Ecclesiasticæ, & Beneficiales? R. mutuo collitigantium consensu, & accedente authoritate Legitimi Superioris, posse: & tunc is, cui sors favet, Jus ad Beneficium non à collitigante, qui id propria authoritate in alterum transferre non valet *c. admonet 4. de renunt.* sed à Superiore obtinet, *arg. c. nisi essent 21. de Præb.* & *c. quæsitum 5. de rer. permut.* Suar. *l. 2. de Superst. c. 12. n. 11.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 78.* Laym. *tr. 10. cit. c. 3. n. 8. §. denique.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 7.* Gonzal. *in c. fin. cit. n. 8.* Pirhing *hic n. 14.* Engl *n. 6.* Wiestner *n. 8.* Secus est, si hoc fiat auctoritate propria; tunc enim erit prohibitum uti sortibus *Sanchez l. cit.* cùm enim neuter litigans possit alteri sua authoritate, & pacto conferre titulum legitimum Beneficii, nec constet, uter litigantium habeat titulum Beneficii, periculum est, si fortè alter litigans titulo justo carebat, ne possideat Beneficium absque illo. Accedit, quia omne pactum, initum authoritate propria circa Beneficium Ecclesiasticum litigiosum, est Simoniacum *c. fin. de pact.*

Quæritur 5. quid sint *Sortes Divi-* 44
natoriæ, & an licitæ illæ sint? R. *Sortes Divinatoriæ* sunt, quæ ad cognoscenda futura contingentia, aliáque occulta v. g. ad furti, aut homicidii authorem detegendum adhibentur. Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* Gonzal. *in c. 3. ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 1.* Sortes istæ non tantùm, quando per invocationem Dæmonis expressam, sed etiam, quando per verba, scripturam, signa &c. cum eventu, aut alia re occulta nullam connexionem habentia, fiunt, illicitæ & superstitiosæ sunt. S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 8. in Corp.* Abb. *in c. 1. h. tit. not. 1.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. de Superst. c. 12. n. 28.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 43. n. 27. & seqq. ac præcipuè n. 61.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 88.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 9. §. Divinatoria.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 6. n. 12.* Conzal. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Wagnereck *in c. 2. ibid.* Vallens. *hic n. 3.* Pirhing *n. 2. & 3.* Wiestner *n. 9.* Reiffenstuel *n. 3.* & patet ex *can. non liceat 3. can. siquis Episcopus 5. can. sortes 7. &c. caus. 26. q. 5.* & *c. in talibus 1. h. tit.* Ratio est, quia cùm sint medium improportionatum, & vanum ad talem finem, vel effectum (DEUS enim nuspiam promisit, se temperaturum Sortes ad præsignificanda futura, vel

vel occulta aperienda) ideo admixtam habent saltem tacitam Dæmonis invocationem, ut Sortes regat, & occultum manifestet.

45 *Neque obstat*, etsi ad tale Sortilegium S. scriptura, vel alii Libri Sacri adhibeantur, ut si v. g. ex recitatione quorundam versiculorum S. scripturæ unà cum aliis signis adjunctis inquiratur de furto, vel alio delicto hominis; nam nihilominus illicitum, & sub pœna Excommunicationis damnatum est *can. aliquanti 6. &c. caus. 26. q. 5.* & *c. in talibus cit.* talis enim Scripturarum applicatio à SS. PP. vana, & temeraria reputatur: proinde DEUS per eam non facit revelationem, vel miraculum; sed potiùs Diabolus, qui gaudet tali peccato hominum, in contemptum SS. Litterarum, transfigurans se in Angelum lucis, sub ficta pietate decipit, & ad hanc deceptionem non curat etiam S. scripturâ uti: sicut habetur exemplum in Evangelio *Matth. 4.* ubi Dæmon, tentando Christum in eremo, allegavit illum versiculum *Psalm. 90. quia Angelis suis mandavit de te &c.* Engl *hic n. 7.*

46 Dub. 1. quæ pœnæ in Sortilegos Jure Civili decretæ sint? R. hoc Jure in eos bonorum publicatio, imò aliquando ignis supplicium à Constantino Imp. *l. nullus 3.* & *l. nemo 5. C. de malefic.* decretum est. Hodie pro qualitate delicti, & circumstantiarum istius coërcentur pœnâ arbitrariâ, nempe carceris, relegationis, & aliquando etiam ultimi supplicii, ut videre est apud Brunnem. *ad l. citt. à n. 1.* Pirh. *hic n. 18.* ℣. *denique*, Wiestner *ibid. n. 10.*

47 Dub. 2. quæ pœnæ in Sortilegos Clericos latæ sint à Jure Canonico? R. hoc Jure jubentur ab Officio, & Beneficio deponi, & ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudi in Monasterium *can. non oportet 4.* & *duob. seqq. caus. 26. q. 5. cap. in talibus 1.* & *c. seq. h. tit.* Gloss. *fin. in c. 1. cit.* Abb. *ibid. n. 2.* Barbos. *in c. 2. h. tit. n. 4.* Pirhing *hic n. 17.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 14.* Imò eos degradandos, & Curiæ Sæculari tradendos, desumi videtur ex *can. admoneant 15. caus. cit. q. 7.* quem tamen textum rectè Pirhing, & Wiestner *l. citt.* cum Diaz *pract. crim. can. V. Sortilegi c. 111. n. 2.* monent intelligendum non de Degradatione reali, sed verbali tantùm, seu depositione ab officio, & Beneficio, nisi Divinationes, & Sortilegia saperent Hæresin, & negaretur DEO, vel tribueretur Diabolo, quod DEO soli competit, & reservatum est; tunc enim has exercentes pœnis Hæreticorum forent obnoxii, de quibus actum est *suprà Tit. 7. à n. 86.*

Dub. 3. quâ pœnâ coërcendi sint Laici Sortilegi? R. in hos quando Hæresis suspicio abest, ferè procedit Curia Sæcularis Abb. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Clar. §. *Hæresis n. 25.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 92.* Wiestner *hic n. 12.* Reiffenstuel *ibid. n. 13.* Potest tamen in eosdem etiam procedere Judex Ecclesiasticus: & quidem, si admoniti se non emendent, & servi, aut viles existant, verberibus, & cruciatibus castigandi sunt, liberi verò, & honestiores in perpetuum carcerem sunt relegandi *can. contrà 10. caus. 26. q. 5.* imò etiam excommunicandi *can. admoneant. cit.* Possent etiam ab Episcopo turpiter dehonestari, impresso stigmate, atque è Diœcesi ejici *can. Episcopi 12. q. cit.* ac insuper, si Magiæ rei sunt, Curiæ Sæculari tradi, per Bullas *infrà n. 52.* allegandas. 48

Quæritur 6. quid, & quotuplex sit *Magia*? R. *Magia* est ars, seu ratio operandi mira. Dividitur in *Naturalem*, & *Superstitiosam*, seu *Diabolicam*. *Illa* est, quâ per causas naturales absque Dæmonis ope quædam producuntur mirabilia: *Hæc verò* seu *Superstitiosa* est, quæ Dæmonis ope mira facit: & habet duplicem finem, videlicet *primò* propriam ostensionem, vel aliud proprium, aut alienum commodum, ope Dæmonis consequendum; & *secundò* noxam alteri, Dæmonis ope inferendam: quæ noxa sic illata vocatur *Maleficium*, vel *Veneficium*. Reiffenstuel *hic n. 12.* Ex quo sequitur differentia Magiæ à Divinatione; nam per Divinationem petitur occultæ veritatis cognitio, per Magiam autem alicujus operis effectio. Engl. *n. 16.* 49

Dub. 1. an Magica, vel Superstitiosa censeri debeant etiam illa, quæ speciem pietatis præferunt, ut sunt verba, & signa sacra? R. Si his aliqua misceantur vana, & inutilia, quæ ad DEI cultum non pertinent, v. g. quòd Sacra verba dici debeant ad aures jumenti ægrotantis, quòd Signum Crucis debeat formari characteribus ignotis, quòd ligatura fieri tribus funiculis &c. usurpationem horum signorum, & rerum non immeritò pro Superstitiosis, & magicis habendam esse; nam ut post S. Thom. *2. 2. q. 95. art. 2.* & *4.* pro regula tradunt DD. Catholici, quidquid præter Ecclesiæ consuetudinem adhibetur ad operationem aliquam secuturam, si talem operationem efficiendi vim naturalem non 50

habet, ad Magiam superstitiosam pertinet. Engl *hic n. 16.*

51 Dub. 2. quis sit Judex in crimine Magiæ, & Sortilegii? R. crimen hoc mixti fori est, ita, ut non tantùm Clericos, sed etiam Laicos, hujus criminis reos, judicare, & punire Judex Ecclesiasticus possit *arg. can. contra Idolorum 10. caus. 26. q. 5.* Abb. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Clar. §. *Hæresis n. 25.* Sanch. *l. 2. mor. c. 38. n. 92.* Palao *tr. 17. D. 1. p. 13. n. 6.* Pirhing *hic n. 19.* Reiffenstuel *ibid. n. 18.* Estque Jurisdictio in Sortilegos, & Magos &c. Ecclesiasticis Judicibus specialiter attributa per *Bullam Sixti V.* incipit *Cœli, & terræ*, quæ est septima hujus Papæ, & habetur *tom. 2. Bullar. Cherubin.*

52 Dub. 3. quæ sit pœna Magorûm, Divinatorum, & eorum, qui libros, de tali materia tractantes, edunt, vel legunt? R. de *Jure Canonico*, præterquam quòd incurrant infamiam *can. constituimus 9. caus. 3. q. 5.* afficiuntur Censuris Ecclesiasticis, item pœnâ incarcerationis, aliisque similibus, pro qualitate delicti: aliquando etiam Curiæ Sæculari traduntur castigandi. Potestque Judex Ecclesiasticus hujusmodi extraditionem facere absque ullo periculo Irregularitatis, & sine obtenta speciali facultate Papæ Jure ordinario, ita tamen, ut si Clericus Curiæ Sæculari tradendus sit, priùs degradetur, ut bene advertit Delrio *Disquis. Mag. l. 5. sect. 16.* ubi etiam formam Sententiæ contra Maleficos ferendæ, & traditionis ad Curiam Sæcularem faciendæ exhibet. Videantur speciales Constitutiones Pontificiæ de hoc editæ, præcipuè *Innocentii VIII.* incipit *Summis tom. 1. Bullar. Cherub. Leonis X.* incipit *Honestatis tom. 1. cit. Gregorii XV.* incipit *Omnipotens tom. 3.* & *Sixti V. cit.*

De *Jure Civili* pœna gladii constituta est *l. nemo 5. C. de malefic.* Ex *Constit. crim. Carol. V.* autem facienda est distinctio; nam juxta illam Magiam exercentes cum damno tertii, igne cremandi; sine aliorum damno autem ejusdem rei arbitrariâ Judicis pœnâ v. g. relegationis, vel etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniuntur. Carpz. *pract. crim. q. 49. n. 1.* & *q. 50. n. 49.* & *seqq.* Engl *hic n. 18.* Reiffenstuel *ibid. n. 17.* & patet ex *art. 109. Const. cit.* 53

TITU-

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit* Colluſio?
2. *Quot modis poſſit contingere?*
3. *Inter quos?*
4. 5. *Et in quibus cauſis?*
6. 7. 8. *Quid de hac in Jure ſtatutum ſit?*
9. 10. 11. *Quomodo Accuſatio, vel Inquiſitio in caſu factæ Colluſionis repeti adversùs Colluſorem poſſit?*

SOrtilegiis **Colluſio** jungitur; nam & ipſa Falſi ſpecies eſt. De hac proinde

Quæritur 1. quid ſit *Colluſio*? R. 1 eſt latens, & fraudulenta conventio inter Actorem, & Reum. Gloſſ. *in c. audivimus 3. V. colluſione h. tit.* Sylv. *V. colluſio n. 1.* Hoſt. *Summ. h. tit. n. 1.* Vivian. *in c. 3. cit. pr.* Fagnan. *ibid. n. 4.* Gonzal. *in c. fin. tit. eod. n. 3.* Barboſ. *ad Rub. hic* ℣. *colludere.* Wagnereck *ibid. pr.* Vallenſ. *n. 1.* Pirh. *n. 1.* König *n. 1.* Wieſtner *n. 1.* Reiffenſt. *n. 1.*

Quæritur 2. quot modis Colluſio 2 poſſit contingere? R. contingere poteſt maximè duobus modis. *Unus* eſt, quando Actor, vel Accuſator Rei accuſati partes tacitè adjuvat, veras probationes celando, vel omittendo, aut falſas Rei exceptiones, vel defenſiones admittendo, ut pœnam reus evitet, & Judicium publicum reddatur illuſorium *c. ſcripta 1.* & *c. fin. h. tit.* Hoſt. *l. cit.* Engl *hic n. un.* Pirhing *n. 1.* König *n. 2.* Wieſtner *n. 2.* *Alter*, quando Accuſator ab accuſatione ob eundem finem omnino deſiſtit. *text.* & DD. *citt.* Priori modo facta colluſio à Civiliſtis dicitur *Prævaricatio*, & colludentes *Prævaricatores*; poſteriori *Tergiverſatio*, & ejus Rei *Tergiverſatores*: de quibus dictum *ſuprà Tit. 2. à n. 23.* Præſumitur Colluſio, ſi Accuſator, & Reus repentè redierint in gratiam, qui antea erant Adverſarii. Wagnereck *in c. 1. h. tit. in not.* qui addit ex *Barboſa*, ex ſola amicitia non præſumi colluſionem; ſunt enim multi boni amici, qui ultra Aram amici eſſe nolunt.

Quæritur 3. inter quos contingere 3 Colluſio poſſit? R. contingere poteſt tam inter Clericos, quàm inter Laicos, & quidem non tantùm inter principales, ſed etiam per Advocatos, & Procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium ſui principalis cum altero principali, vel ejus Advocato colludit manifeſtando ei ſecreta, vel diſſimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaciores omittendo &c. Vallenſ. *hic n. 1. fin.* König *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 4.* ubi tamen notandum, Advocatum ita malè procedendo non dici propriè Colluſorem, ſed impropriè tantùm *arg. l. prævaricator 1. §. is autem 1. ff. de Prævar.* ibi, *Cæterum Advocatus non propriè Prævaricator dicitur.* Unde etiam potiùs Falſarius, quàm Colluſor dicitur, & pœnis falſi ſubjacet, per dicta *Tit. 20. n. 22.*

Quæritur 4. in quibus cauſis com- 4 mitti poſſit Colluſio? R. juxta Hoſt. *in Summ. hic n. 1.* Vallenſ. *n. 1.* Pirhing *n. 1.* Wieſtner *n. 1.* & alios committi crimen hoc poteſt tam in criminalibus, quàm in Civilibus, tam in Spiritualibus, & Eccleſiaſticis, quàm in temporalibus, ac profanis cauſis. Alii autem cum Maſcard. *de Probat. concl. 322. n. 2.* Barboſ. *ad Rubr. h. tit.* ℣. *colludere*, König *n. 5.* Reiffenſtuel *n. 3.* contendunt locum huic crimini ſolùm eſſe in Criminalibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis, minimè verò in Civilibus *Rationem* dant, quia in Civilibus licita eſt Transactio concordia, & amicitia collitigantium, vel totalis litis ſublatio, hoc ipſo, quòd agatur tantùm de privato intereſſe ipſorum: dum econtra in Proceſſu criminali agitur de bono communi, exigente, ne delicta maneant impunita. Ego utrique Sententiæ aliquid tribuo, & cum prima concedo, Colluſionem contingere poſſe etiam in Civilibus cauſis, quando lis agitatur per Procuratores, & Advocatos, vel per principalem ex una parte, & Procuratorem, vel Advocatum ex altera: nego autem, cum ſecunda in his cauſis locum Colluſioni eſſe, ſi utrinque principales per ſeipſos litigent, niſi tum, quando iſti inter ſe colludunt in cauſa matrimoniali, vel in præjudicium tertii.

In materia Beneficiali factæ Col- 5 luſionis caſus habetur *c. audivimus 3. h. tit.* & eſt, quando Clericus Beneficiatus ſuper Beneficio à ſe poſſeſſo litem confingi, aut ſibi moveri patitur, ut Actor probans, quòd ſibi in illud jus competat,

in illo succedat, & possessor quidem, dum vivit, Beneficium retineat, sed Actori solvat pensionem: qua arte à Clericis Anglicanis Beneficia in suos Consanguineos transmissa, & quasi hæreditaria aliquando reddita fuisse patet ex *c. cit.* & notat *ibidem* Gonzal. *n. 1.*

6 Quæritur 5. quid de ejusmodi Collusionibus in Jure sit constitutum? R. tria hoc Titulo statuuntur. 1. si circa Beneficium Ecclesiasticum facta sit, & probetur facta esse, eo privandus est uterque *c. audivimus 3. h. tit.* idque non solùm, ut delicta non maneant impunita, sed etiam, & multò magis, ne colludentium fraus, ipsis lucrosa, & damnosa Ordinariis, ac Patronis sit, cùm istis hoc modo præcludat viam ad collationes, & præsentationes, quæ iisdem aliàs competit. Gloss. *fin. in c. cit.* Vivian. *ibid. pr.* Fagnan. *n. 1. & 2.* Barbos. *n. 1. & 3.* Gonzal. *n. 10.* Wagnereck *ibid. in Summ.* Vallens. *hic n. 2.* Pirhing *n. 6.* König *n. 8.* Wiestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 9.*

7 2. Si accusator in Judicio ab accusatione desistat, Judicis erit ex officio inquirere, an id fecerit ex Charitate, & propter resipiscentiam accusati, quod tolerari potest: an verò ob præmium, h. e. pecuniam acceptam; & hoc posterius si factum deprehendatur, ita colludentibus imponenda est pœna arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum *l. sciendum 2. ff. de Prævaricat.* ibi, *sciendum, quòd hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria*, juncta *l. accusatorum 7. §. fiquis 7.* & *l. in privatis 3. ff. ad S. C. Turpill.* Insuper incurrunt infamiam *l. si is 4. ff. de prævaricat.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 8.* In reum autem denuo inquiri, & juxta merita causæ procedi potest *c. scripta 15.* & *c. seq. h. tit.* ne delicta maneant impunita contra textum *c. ut famæ 35. de Sent. Excomm.* Vivian. *in c. 1. cit. circa fin.* Barbos. *ibid. n. 1.* Engl *hic n. un.* Pirh. *n. 2.* Reiffenst. *n. 5.*

8 3. Etsi aliàs reus super crimine, à quo per sententiam legitimè absolutus est, accusari amplius nequeat, per textum *c. de bis 6. de accusat.* & dicta *Tit. 1. n. 93.* casu tamen, quo absolutus solùm est per Collusionem, nova in ipsum Accusatio, vel Inquisitio institui potest *arg. c. fin. h. tit. l. prævaricationis 3.* §. *nam si 1. ff. de Prævaric.* junct. *l. fiquis 11. C. de Accusat.* Abb. *in c. fin. cit. n. 5.* Barbos. *ibid. n. 1.* Gonzal. *n. 2.* Wagnereck *fin.* Vallens. *hic n. 2.* Pirhing *n. 3. 4. & 5.* König *n. 8.* Reiffenstuel *n. 6.* Sed de hoc

Quæritur 6. quomodo Accusatio, vel Inquisitio repeti quoad sic absolutum possit? 9 Videtur non posse repeti. 1. quia sententia Judicis absolutoria crimen sic tollit, ut de eo quæri non amplius possit. *c. de bis 6. de accusat.* & *l. si cui 7.* §. *iisdem 2. ff. eod.* 2. abolitione sopitur crimen *l. qui potentatus 1. C. de general. abolit.* ergo multo magis extinguitur transactione, vel compositione cum Accusatore facta. 3. transactio non minorem authoritatem habet, quàm res judicata *l. non minorem 20. C. de transact.* & *l. jusjurandum 2. ff. de Jurejur.* Sed per sententiam absolutoriam omnino tollitur crimen: ergo etiam transactione,

Sed aperta in contrarium stat Juris decisio, qua permittitur Judici inquisitio 10 ex officio *c. scripta 1. c. crimina 2.* & *c. fin. citt.* & alteri accusatio Rei sic absoluti *l. prævaricationis 3.* §. *nam si 1. ff. de Prævar.* & *l. fiquis 11. C. de Accusat.* ne delicta maneant impunita, & reus ex malitia sua commodum referat.

Neque contrarium probant Argu- 11 menta allata in oppositum. *Ad 1.* id verum est, quando sententia absolutoria valida est, secus, si invalida, qualis est, quæ per Collusionem obtenta est *l. cùm non 3. ff. h. tit. l. præses 5. C. de Pignor. Ad 2.* abolitione sopitur crimen quoad transigentem, non verò perimitur quoad alios: unde formari potest Inquisitio ex officio à Judice. Gonzal. *n. 6. Ad 3.* Sententia, & Transactio non in omnibus æquiparantur; nam super crimine publico, non capitali, judicari potest, non tamen transigi. Super capitali autem transigi quidem potest *l. transigere 18.* junct. Gloss. *V. capitali C. de Transact. cùm ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit*, prout dicitur *l. in capitalibus 1. ff. de bon. eor. qui ant. sentent.* sed Transactio hæc solùm transigentem ab Accusatione denuò faciendа arcet, non verò alium, nec Judicem ab Inquisitione instituenda. Clar. §. *fin. q. 58. n. 4.*

TITU-

TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Infantes, Pueri, Puberes?*
2. *Quinam perfectè puberes, vel proximi Infantiæ.*
3. *aut pubertati?*
4. &c. *An puniri possint infantes, amentes, furiosi?*
5. &c. *Quid dicendum de proximis Infantiæ?*
9. &c. *Vel pubertati?*
12. &c. *Quid de Minoribus pubertatem adeptis?*
14. &c. *An pueri teneantur etiam crimine Adulterii, & aliis Delictis carnalibus?*
16. &c. *An pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare Pater?*

REcensuimus hactenus diversorum Delictorum pœnas: discutiendum nunc est, an iisdem etiam teneantur *Pueri*?

1 Quæritur 1. quinam hìc veniant *puerorum* nomine? R. hoc nomine veniunt, qui infantiam, h. e. septimum ætatis annum egressi sunt *l. in sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* & *c. un. de Desponsat. impuber. in 6.* & nondum impleverunt annum 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Menoch. *de arbitr. cas. 57. n. 2. & 10.* Farin. *prax. crim. q. 92. n. 6.* Paul. Zacchias *Q. Q. Medico. Leg. l. 1. tit. 1. q. 4. n. 11.* Valleni. *hic n. 1. ℣. dicitur*, Wiestner *ibidem n. 1.* nam qui Septimum ætatis annum nondum egressi sunt, *Infantes*; qui verò 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint, jam impleverunt, *Puberes* appellantur *c. pueris 1. h. tit.* ibi, *Nisi ab annis 14. cùm pubescere cœperint.* Et hi quidem *Posteriores* usque ad annum 25. ætatis, à quo virilis ætas incipit, vocari solent *Minores* Zacch. *l. cit. q. 6. n. 9.* Farin. *n. 3. & seqq.* Wiestner *n. 1.*

2 Multùm autem refert in delictis considerare etiam vicinam ad aliquam ex his ætatibus: hinc Jura, & Interpretes distinguunt inter Infantes, & infantiæ proximos; inter puberes, & pubertati proximos; & inter eos, qui plenam pubertatem dicuntur adepti. *Pubertas plena* in fœminis datur ab anno 14. in mare ab anno 17. vel 18. Farin. *l. cit. n. 20. Infantiæ proximi* dicuntur, qui septennium non multùm excesserunt: tempus verò hoc nonnulli cum Gomez *de Delict. c. 1. n. 57. ℣. & dicitur proximus infantiæ* extendunt usque ad 10. annum cum dimidio, si masculus sit, si verò fœmina, usque ad annos novem cum dimidio. Menochius verò *de arbitr. cas. 57. cit. n. 12. & seqq.* contendit, Infantiæ proximum dici ab anno 7. usque ad octavum, & inde suprà Judicis arbitrio.

Circa *Proximos pubertati*, quinam 3
tales dicendi sint, non conveniunt DD. prout notavi *Libr. 4. Tit. 2. n. 44.* Nam Gloss. *in §. pupillus V. Infantiæ. Inst. de inutil. stipul.* Navar. *l. 4. cons. 39. n. 11. edit. 1.* Gomez *de Delict. c. 1. post n. 57.* Odd. *de restit. in integr. p. 2. q. 80. n. 46.* & alii apud Sanch. *l. 1. de Matr. D. 51. n. 24.* & Farin. *l. cit. n. 9.* contendunt, tunc masculum censeri pubertati proximum, quando excedit decimum, & dimidium annum; fœminam verò, quando nonum, & dimidium. Paulò magìs tempus hoc contrahit Gonzal. *in c. continebatur 6. de Desponsat. impub. n. 5.* à Jure Ecclesiastico fœminam quidem censeri regulariter pubertati proximam anno undecimo ætatis saltem ad finem vergente, & sub initium duodecimi marem verò sub finem decimi tertii, & initium decimi quarti. Alii arctiorem adhuc statuunt terminum: & aliqui quidem cum *Baldo*, *Cotta &c.* apud Farin. *n. 12.* pubertati proximum voluerunt dici eum, qui per sex menses; alii verò cum Host. *in c. continebatur cit.* qui per tres dies à pubertate distat. Veriùs alii, ut *n. 44.* annotavi, istud relinquunt determinandum arbitrio Judicis, cùm contingat alios aliis citiùs rationis usu, & judicio pollere: quam sententiam hodie magìs receptam ait Pirhing *hic n. 3. not. 3.* In materia criminali, ut notant König *hic n. 3.* Reiffenstuel *ibid. n. 5.* discrimen ætatis inter marem, & fœminam nullum fit, sed in utrisque pubertas habetur exacto anno 14. quod etiam innuere videtur *Constit. crim. Carol. V. art. 164.* ubi indistinctè decernitur reum hac ætate minorem non capitali, sed mitiori pœnâ plectendum.

Quæritur 2. an puniri possint Infan- 4
tes, amentes, furiosi &c. *Ratio dubitandi est* 1. quia ex mente S. August. *can. adhuc 31. de Pœnit. dist. 3.* & S. Hieron. *can. si enim 40. §. eligat. ℣. nos autem de Pœnit. dist. 2.* nec infans unius diei esse fine

ne peccato potest. 2. quia teste S. Gregorio *l. 4. Dial. c. 19.* quinque annorum infans propter blasphemias è parentum manibus à Diabolo est abreptus. 3. quia hodiernis temporibus etiam minores septennio doli capaces esse satis demonstrat experientia, ex qua patet, infantes hodie melius scire ad taxillos ludere, & alios decipere, quàm majores 30. annorum.

5 *Sed dicendum*, in eos nec Civili, nec Criminali pœnâ posse animadverti. Farin. *prax. crim. q. 92. n. 46. & seqq.* Barbos. *in c. 1. b. tit. n. 2.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 8.* Pirhing *hic n. 1.* König *n. 1.* Reiffenstuel *n. 1.* & constat *l. sed & si §. & ideo 2. ff. ad Leg. Aquil. l. quod infans 60. ff. de R. V. l. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* ubi dicitur, quòd infans, vel furiosus, si damnum fecerint, vel aliquem occiderint, non teneantur ad pœnam: & ratio *l. infans cit.* additur, quia *alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat.* Concordat *Clem. un. de Homicid.* Ratio est quia propter defectum sufficientis usûs rationis doli capaces non sunt, & quid agant, ignorant.

6 Neque aliquid aliud probant Argumenta allata. *Ad 1.* id intelligendum est de pronitate ad malum, ut in *can. adhuc cit.* notat. Barbos. *n. 3.* vel ut cum Turrecr. *in can. cit.* vult Gonzal. *in c. fin. n. 14.* de peccato Originali, quod nobiscum in lucem hanc ferimus, & circumferimus, nisi Baptismi lavacro purgemur. *Ad 2.* in puero illo vel malitia prævertit ætatem, vel si doli adhuc incapax erat, ea arreptione DEUS puniit parentum conniventiam, & malam educationem, ut post *Card. Aman. & alios* notavit Farin. *q. 92. cit. n 50. Ad 3.* licèt quandoque doli capaces infantes fuisse compertum fuerit, tales tamen casus in consequentiam trahendi non sunt, nec propterea dicendum, infantes ex delictis suis puniri posse. Farin. *l. cit.*

7 Quæritur 3. an puniri ob delicta possint infantiæ proximi, seu qui septennium non multùm excesserunt? *Certum est*, ob delicta puniri non posse, si doli nondum capaces sint. Farin. *prax. crim. q. 92. n. 46.* quia & ipsi, quid agant, ignorant, & non multùm distant à furioso *§. sed quod 10. Inst. de inut. stipul.*

Dubium duntaxat est de iis, qui doli capaces sunt: & *rationem dubitandi* facit *c. pueris 1. h. tit.* ubi Gregorius I. pronuntiat, puerilem ætatem, sicut à peccato, ita à pœna quoque saltem mitiori immunem non esse.

8 Verum hic textus, ut communiùs eum intelligunt Interpretes, & DD. accipi debet de ætate puerili, quæ pubertati proxima est. *Hinc dicendum*, etiam illos, qui infantiæ proximi sunt, quamvis usum aliquem rationis habeant, à pœna eximi. Farin. *q. 92. cit. n. 56.* Carpzov. *pract. crim. q. 143. n. 130.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Gonzal. *in c. fin. 9.* Pirhing *hic n. 1.* König *n. 2.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2.* Ratio est, quia in his ob infirmitatem Judicii dolus non consideratur.

Addo tamen, etiam istos, si quid delinquant, præsertim ubi doli capacitas haud obscuris signis in iisdem conspicitur, severiùs nonnunquam compescendos esse, ne delinquere assuescant. Odd. *de restit. in integr. p. 2. q. 80. n. 45.* König *n. 2. cit.*

Quæritur 4. an à pœna immunes 9
sint pueri, qui infantiæ proximi non sunt, sed ab ea ad pubertatem jam magis accesserunt? Videntur generaliter immunes esse 1. ob textum *c. referente 2. h. tit.* ubi Alexander III. nullo facto discrimine, *in pueris*, inquit, *relinqui solet insultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ Leges dicunt severiùs corrigendum.* 2. idipsum habetur *l. impuberem 22. pr. ff. de Leg. Corn. de fals. & l. quoniam 1. §. impuberes C. de fals. monet.* ubi ratio redditur; *quia ætas eorum, quid videat, ignorat*: & propterea dolus malus in eam non cadit. 3. ex ratione: quia pupilli sine authoritate Tutoris obligari, & conditionem suam deteriorem facere non possunt *l. contra 28. pr. ff. de Pact. & l. obligari 9. ff. de author. Tutor.* hoc autem fieret, si Delictorum pœnis tenerentur.

Sed respondendum est, distinguen- 10
do inter peccata commissionis, & omissionis. Nam *ob peccata commissionis*, ut sunt homicidia, furta, mendacia puniri possunt, sed pœnâ mitiori, quàm alii. Clar. *§. fin. q. 60. pr.* Menoch. *de arbitr. cas. 329. n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 92. n. 64. & seqq.* Vivian. *in c. 1. h. tit. §. puniuntur*, & *in c. 2. eod. pr.* Gonzal. *ibid. n. 11.* Vallens. *hic n. 1. §. quodsi*, Engl *n. 1.* Pirhing *n. 2. & 3. not. 3.* König *n. 3.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 3.* & clarè decisum est *c. pueris 1. h. tit.* & *l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan.* ibi, *Nam is puer nec multùm à puberi ætate aberat.* Ratio est, quia ob defectum judicii, & prudentiæ minùs malitiosè, & dolosè delinquere præsumuntur, quàm ætate perfectiores; & ideo mitiùs etiam quàm isti puniuntur *arg. l. ferè in omnibus 108. ff. de R. J.* adeò ut, etsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possint; nec etiam torqueri *l. cùm aliter 1. §. impuberi 33. ff. de S. C. Syllan.*

Contrà *ex Delictis omissionis* ad pœ- 11
nam pueri non tenentur, ut aliis *citt.* vo-

lunt

sunt Farin. *l. cit. n. 69. & 72.* Engl *n. 2.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 6.* Ratio est, quia in hujusmodi Delictis etiam Minores illæsi servantur *l. licèt 2. C. si adverss. Delict.* & *l. minoribus 6. ff. de his, quib. ut indign.* quòd imprudentiâ potiùs, quàm malitiâ omisisse præsumantur: ideóque locus sit *Reg. ferè in omnibus cit. Excipitur*, nisi probetur, quòd in omissione intervenerit dolus; nam iste si probetur, pueri à pœna non omnino eximuntur, prout constat ex *l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan.* Farin. *n. 78.* Reiffenstuel *n. 6. cit.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* in *c. fin. cit.* inultum dicitur, quod non perfectè, h. e. infra Legis rigorem punitur, ut notant Gloss. & Host. *ibid. V. inultum.* *Ad 2.* Lex illa solùm intelligenda est de Delicto omissionis; nam Delicta commissionis etiam in pueris puniuntur: & hinc furti, ex Lege Aquilia, & ex quavis injuria tenentur *l. sed & si 5. §. & ideo 2. fin. ff. ad Leg. Aquil. l. impuberem 23. ff. de Furt l. illud 3. §. sanè 1. ff. de Injur. & l. pupillum 111. ff. de R. J.* & Clericum percutientes Excommunicationem Canonis incurrunt *c. super eo 1. & c. fin. de Sent. Excomm.* *Ad 3.* id tantùm procedit in Contractibus, Jure sic disponente, ut velle, & nolle in damnum proprium sine Tutoris authoritate non habeant, ne cum aliis contrahendo ab his facilè decipiantur.

12 Quæritur 5. an similis pœnæ mitigatio etiam observanda sit in Minoribus, qui pubertatem adepti, adhuc tamen 25. annis minores sunt? R. hi quidem ob delicta commissionis puniri pœna ordinariâ possunt *arg. l. si ex causa 9. §. nunc videndum 2 ff. de Minor.* ibi, *Placet, in delictis minoribus non subveniri.* quod repetitur *l. auxilium 37. §. sed & 1. ff. eod.* tamen regulariter loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, Judex minores mitiùs punire potest, & solet, quàm majores *arg. §. sed & cit.* ibi, *In Delictis autem minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Judicem produxerit.* Concordat *l. ferè in omnibus 108. ff. de R. J.* ibi. *Ferè in omnibus pœnalibus Judiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur.* Clar. *§. fin. q. 60. n. 3.* Menoch. *de arbitr. cas. 329. n. 12. & seqq.* Farin. *prax. crim. q. 92. n. 41. & seqq.* Barbos. *in c. 1. n. 3. & in c. fin. n. 6. h. tit.* Wagnereck *in c. 2. eod. in Exeg.* Vallens. *hic n. 1. ℣. quodsi.* Pirhing *n. 4.* König *n. 4.* Reiffenstuel *n. 5.*

13 Judex igitur his ob minorennitatem pœnam ordinariam mitigare potest, *R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.* videlicet pœnam mortis qualificatam convertendo in Simplicem, & hanc in pœnam fustigationis, aut relegationis, modò hujus mitigationis justam, & probabilem causam habeat. Carpzov *pract. crim. q. 123. n. 80. & seqq.* Non enim in omnibus casibus doctrina hæc obtinet; nam 1. *excipiuntur* Delicta Spiritualia, prout est crimen Hæresis, & Simoniæ: nam in his non puniuntur minores mitiùs; quia in Spiritualibus major 14. annis habetur pro majore. Hinc ordinariâ pœnâ puniendi sunt, nisi eos Delicti commissi pœniteat; tunc enim pœnitentia serviet ad minuendam pœnam. Farin. *q. 92. n. 180.* & ab hoc *citt.* 2. Si crimina sint prorsus enormia, nec spes emendationis appareat, uti in Veneficiis; nam hæc committentes ultimo supplicio possunt affici *arg. l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan.* & *Const. crim. Carol. V. art. 164.* Farin. *n. 107.* Engl *n. 2.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 4.* quod locum habere putat *Decianus* etiam in Crimine læsæ Majestatis apud Farin. *n. 107.* ubi tamen idem *Farinacius* vult duo concurrere; *unum* est, ut delinquens sit major 14. annis; *alterum*, ut super hoc consulatur Princeps: & sic in Urbe idem *Farinacius* advertit, nunquam minores 20. annis fuisse morti traditos, nisi Principe consulto. 3. nisi aliqua nova Constitutione statueretur, ut Minor ordinariâ pœnâ puniatur; talis enim Constitutio servanda est. Farin. *n. 182. &c.*

Quæritur 6. an Pueri teneantur 14
etiam Crimine Adulterii, & aliis Delictis Carnalibus? Videntur non teneri ob textum *c. pueris 1. h. tit.* ubi ab hujusmodi Criminum pœna, & culpa videntur absolvi.

Sed respondendum est, si malitia præveniat ætatem, & ante hanc ad copulam carnalem habiles reperiantur, eos etiam de his Delictis teneri, quamvis mitiori pœna afficiendi sint, quàm reliqui puberes. Gomez. *de Delict. c. 1. n. 59.* Odd. *de Restit. in integr. p. 2. q 81. n. 22.* Farin. *prax. crim. q. 92. n. 77. & seqq.* Gonz. *in c. 1. cit. n. 13. fin.* Wiestner *hic n. 8.*

Habetur pro hac responsione ex- 15
pressus textus *l. si minor 36. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ibi, *Si minor annis adulterium commiserit, Lege Julia tenetur; quoniam tale crimen post pubertatem incipit:* & *l. si adulterium 38. §. fratres 4. ff. eod.* ibi, *Cùm aliàs adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate.* Item *l. auxilium 37. § sed & 1. ℣. sed ut ff. de Minor.* ubi Tryphoninus generaliter loquitur de omnibus capitibus, sub *Lege Julia de Adulteriis* comprehensis.

Unde ex *c. 1. cit.* in contrarium plus non probatur, quàm quòd ejusmodi Delicta à puèris perpetrata non præsumantur, nisi probetur, quòd malitia ætatem prævenerit.

16 Quæritur 7. an pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare pater? Videtur teneri saltem ob Delictum filii puberis. 1. ob textum *c. fin. h. tit.* ubi Pater absolvitur à præstanda pœna pecuniaria filii impuberis. igitur tenebitur ad pœnam filii puberis. 2. quia ita alicubi Statuto receptum esse testis est Fachin. *l. 9. contr. c. 52.* 3. quia aliàs filius ex Delicto suo frustra conveniretur, & condemnaretur.

17 Sed dicendum, si Pater non fuit Delicti particeps, aut in filii correctione negligens, ipsum ad ejusmodi pœnam non teneri. Ita Abb. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 9.* Manz. *de Legitima q. 15. n. 10.* Pirhing *hic n. 5. & 6.* Wiestner *n. 11. ibid.* tum quia generaliter constitutum est, neminem alienæ culpæ debere fieri succedaneum *l. crimen 26. ff.* & *l. sancimus 22. C. de Pœnis;* tum verò quia *l. neque 1.* & *l. si filius f. 3. C. ne filius pro patr. &c.* specialiter habetur de patre, quòd ex delicto filii conveniri non possit, nisi in quantum factus est locupletior ex filii delicto *l. licèt 3. §. ex furtiva 12. ff. de Pecul.* Accedit, quia vivente patre legitima non potest separari à bonis Patris *l. hic titulus 1. §. si impubere 21. ff. de collation.* & quamvis pater teneatur filium alere, tamen æs alienum pro eo solvere non cogitur *l. siquis 5. §. si mater fin. ff. de Liber. agnosc.*

Neque aliud evincunt Argumenta, 18 opposita. *Ad 1.* Argumentum à sensu contrario contra expressam Juris dispositionem non valet, hic autem datur talis dispositio Juris. *Ad 2.* statuta hujusmodi, & consuetudo, cùm occasionem præbeant filio degeneri facultatibus spoliandi Patrem, non videntur satis esse consentanea rationi. Host. *in c. 2. h. tit. V. consuetudinem.* Abb. *ibid. n. 2.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 2.* Clar. *V. Homicidium n. 19.* Menoch. *Cons. 100. n. 119.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 8.* Harppr. *in §. fin. Inst. de noxal act. n. 12.* Pirhing *hic n. 7.* Wiestner *ibid. n. 11. Ad 3.* non frustra ex Delicto suo convenitur, aut condemnatur filius; nam satisfacere cogitur ex peculio suo Castrensi, vel quasi Castrensi: vel si tale non habeat, aliter, quàm mulctâ pecuniariâ plectendus erit, ut peccatum suum teneat Authorem.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

NUMERUS MAJOR TITULUM, MINOR NUMERUM TITULI INDICAT.

A.

Abbas.

Quando accusare eundem Religiosi subditi possint? I. 64
Unde ipsi subministrari debeant expensæ litis, quando accusatur à subdito, & se defendit? 67
V. Prælatus.

Abigeatus.

Quid sit? XVIII. 137
Quod sit ejus objectum? 138
Quis dicatur Abigeus 139. 140
Pœna istius criminis. 141

Abortus.

Abortus procuratus quando præsumatur? X. 25
Quibus pœnis subjaceant parentes, & alij Abortum procurantes? 28
Utrum ad hoc, ut quis Irregularitatem incurrat ratione Abortûs procurati, requiratur, ut per seipsum procuret? XII. 154.
Quando eam incurrat mandans Abortum? ibid.
Aut consulens? 155

Absens.

An accusari possint absentes? I. 80

Absolutio, Absolutus.

An accusari iterum de crimine possit, qui de eo per sententiam est absolutus? I. 92
An Absolutio à peccatis, & Censuris materiam Simoniæ constituat? III. 170
Quis absolvere ab Hæresi, & Excommunicatione per eam incursa possit? VII. 187
Quid requiratur, ut Episcopus possit absolvere ab Hæresi occulta pro foro conscientiæ vi Tridentini? 191
An facultas hæc ipsis concessa à Trid. per bullam Cœnæ sit revocata? 195
Quid nunc Episcopi post Bullam Cœnæ possint quoad absolutionem ab Hæresi? 200
Quam facultatem absolvendi ab Hæresi habeant Regulares? 204
An ab ista absolvere possint Confessarij vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi? 207
Quis absolvere ab illa possit in articulo mortis? 209
Vel quando adiri non potest Pontifex? 210

Accusatio, Accusator.

In notorijs non est opus Accusatione. I. 8
Quid sit Accusatio? 21
Modus eam proponendi. 24
An exprimi in ea debeat etiam dies commissi delicti? 27
Quid si in Libello Accusationis propositum tempus, locus, aut qualitas non sit probata? 30
An in Libello Accusationis faciendo hodie sit Inscriptio? 33
Quando arrestari possit Accusatoris persona? 34
An, & quando Libellus Accusationis continere debeat conclusionem in causa? 35
Quinam accusare possint? 37
Et qui accusari? 72
An accusari possint absentes? 80
An unus à pluribus? 83
An accusari aliquis possit de crimine, de quo ille nullâ laborat infamiâ? 85
An præcedere debeat monitio secreta? 88
An accusari de crimine iterum possit, qui de eo per sententiam jam semel est absolutus? 92
Quæ sint partes Judicis in admittenda Accusatione? 99
An quis ad accusandum obligetur? 103
Ac desistere liceat ab inchoata jam Accusatione? 106
Quis sit Effectus Accusaionis ex parte Judicis? 110
Ex parte Accusatoris? 114

Et ex parte accusati? 117
Modi quibus extinguitur Actio Criminalis. 121
An, pendente Inquisitione, reus inquisitus accusari possit? 230
Quis Accusator esse in Crimine Simoniæ possit? 319
Quis accusari de eo possit? 320
In causa sanguinis accusans quando Irregularitatem incurrat? XII. 85
An Irregularitatem evitet, si interponat protestationem, quòd pœnam sanguinis non intendat? 106
An licitè quis acceptare possit Duellum sibi oblatum ab Accusatore, vel Detractore suo injusto? XIV. 12
Quando cesset Accusatio Adulterij? XVI. 80
An conjux innocens accusare possit adulterium conjugis? 81
Quis ordo observandus inter eos, qui adulterium accusare volunt, & possunt? 84

Actio Criminalis.

Quando eidem præscribatur? I. 77
Quibus modis extinguatur? 121

Actio Furti.

Quod sit, & quotuplex? XVIII. 79
Cui competat? 80
Contra quem? 82
Quod sit ejus objectum? 86
Effectus istius Actionis? 890
Probatio quæ requiratur? 9
An post executionem pœnæ criminalis adhuc sit locus Actioni Furti pecuniariæ? 120

Adoptivus.

Occidens Patrem Adoptivum non punitur ut Parricida. X. 14
Non est reus Incestûs, qui cum Cognata Legali per Adoptionem, vel Arrogationem delinquit. XVI. 100

Adulterium.

Quando Minores admittantur ad accusandum Adulterium? I. 43
An liceat occidere Patri filiam, aut marito uxorem, vel adulterum deprehensum in adulterio? XII 78
Quid sit adulterium? XVI. 62
Ejus malitia in quo consistat? 63
An purgetur per consensum alterius conjugis? 64
Quotuplex sit adulterium? 65
An committatur cum uxore putativa, vel Sponsa alterius? 67
Pœna adulterij. 69
Causæ ab his excusantes. 75
Quo tempore accusatio ejusdem cesset? 80
An Conjux innocens agere contra alterum de adulterio possit? 81
An uxor accusare adulterium mariti? 82
Quis ordo observandus inter eos, qui possunt hoc accusare? 84
An illius accusare etiam possit minor 25 annis? 86
Quinam accusari de illo possint? 87
Quid sit Lenocinium, quæ & illius pœna? 90
Quænam probatio requiratur, & sufficiat ad probandum adulterium? 91
Quis sit Judex competens in causa illius? 95
An qui criminaliter egit de illo, postea de illo agere possit civiliter, & vicissim?
An pueri teneantur etiam crimine adulterij, & alijs delictis carnis? XXIII. 14

Administratio Sacramentorum.

V. Sacramentum.

Advocatus.

Quando dicatur prævaricari? II. 24.
Advocatus accusatoris, si accusatus ad mortem vel mutilationem condemnetur, Irregularis fit. XII. 86.
Non tamen Advocatus reum defendens. 92
Imò nec Advocatus accusatoris, si reipsa non sequatur mors, vel mutilatio. 93
Irregularis fit Advocatus accusatoris qui injustè accusavit si iste propterea, reo absoluto, puniatur pœnâ talionis. 95
Advocati quorum patrocinio in Judicio, vel extra, scienter exiguntur Usuræ, vel non restituuntur cùm repetuntur, tenentur ad earum restitutionem XIX. 168
Crimen falsi quando committatur ab Advocato? XX. 13
Pœna istius. 22

Ægyptij.

An liceat hos interrogare de bona, vel mala fortuna. XXI. 11

Aëromantia.

Quid sit? XXI. 8

Aggressor.

Quando aggressorem injustum sit permissum occidere? XII. 22. V.

Homicidium justum.

Agitatio Taurorum.

Sub qua pœna prohibita sit? XIII. 10.

Alimenta.

A quo ali debeat proles, ex stupro, vel alio concubitu illegitimo procreata? XVI. 55.

Alumnus.

Non potest accusare Educatorem. I. 52

Am-

Amens.

V. Furiosus, Mente captus.

Amotio Termini.

V. Termini amotio.

Anatocismus.

Quid sit? XIX. 216
An sit licitus? 219

Annexum Spirituali.

Quotuplicis generis sit? III. 212

Annona.

In crimine fraudatæ Annonæ ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 58

Anticresis.

An Usurarium sit Pactum Anticreseos? XIX. 75

Apostasia.

In crimine Apostasiæ procedi adversùs delinquentem potest, infamiâ criminis non laborantem? I. 108
Quid sit Apostasia, & quotuplex? IX. 1
Quid sit Apostasia à Fide? 2
Quale sit peccatum? 3
Quot modis committatur? 4
An pro Apostata habendus sit etiam qui coactè Idolis sacrificat &c. 5
Pœnæ Apostatarum à Fide. 6
Quid sit Apostasia Inobedientiæ? 7
Ejus Pœna. 8
Quid sit Apostasia à Religione? 11
Requisita, ut aliquis constituatur verus Apostata à Religione. 12
An pro Apostata habendus sit etiam, qui ad Urbem recurrit pro gravamine, sibi illato per Superiores? 16
Vel qui discedit à Religione sua animo ingrediendi aliam? 19
Pœna Apostatarum à Religione. 22
Quid sit Apostasia ab Ordine? 26
An pro Apostata ab Ordine habendus sit etiam, qui Ordinibus solùm minoribus, vel primâ Tonsura initiatus est? 27
Pœna hujusmodi Apostatarum. 30
Quando hæ locum habeant? 33

Apostolicæ Litteræ.

Quinam dicantur Falsarij Litterarum Apostolicarum? XX. 28
Quas pœnas incurrant? 29
Quinam has pœnas incurrant? 32
An pœnas istas incurrat etiam ille, qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid? 36
Aut qui Litteras Apostolicas radit in unâ Syllabâ vel paucis Litteris? 38
Vel qui eas corrigit ad mentem Papæ? 42

Appellatio.

In casu notorij non est locus Appellationi. I. 12
An pro Usuris restituendis conventus, possit appellare? XIX. 290

Arbiter.

Causæ criminales coram Arbitris proponi nequeunt. I. 22

Arbor.

Quænam actio competat ob arbores, vites &c. furtim cæsas? XVIII. 160

Archiepiscopus.

Quando teneatur edere Professionem Fidei? VII. 26

Aruspicium.

Quid sit? XXI. 8

Ascendentes.

Non possunt accusari à Descendentibus. I. 52
Parricidij reus est, qui Ascendentem occidit, & contrà in infinitum. X. 5

Assassini, Assassinium.

In Assassinij crimine ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 58
Pœna Assassinij. XII. 104
Quid circa pœnas has advertendum? 206

Assessores.

Assistentes Judici, sententiam mortis, aut mutilationis proferenti, Irregulares fiunt. XII. 84

Assistentia.

An accipi, vel peti aliquid possit pro assistentia Matrimonij? III. 182

Astrologia Judiciaria.

An, & quale peccatum sit? XXI. 15

Asylum.

An reus Homicidij præmeditati privetur Asylo? XII. 194
An eodem privetur reus Homicidij perpetrati ex insidijs? 201
Asylo non gaudent Latrones publici, & grassatores viarum. XVII. 71

Augurium.

Quid sit? XXI. 9

Auspicium.

Quid sit? XXI. 9

Auxilium.

Auxilium dans ad parricidium parricidij pœnas incurrit. X. 9
Furti reus est, qui auxilium furi præstat XVIII. 27
Quâ pœnâ afficiendi sint auxiliatores in furti crimine? 114

Azyma.

Prohibentur Christiani vesci Azymis Judæorum. VI. 11

B.

Baccalaurei.

Unde dicti, & qui nomine isto veniant? V. 1

Ballistarii.

V. Sagittarij.

Balneum.

Prohibetur Christianis ingressus, & usus ejusdem balnei cum Judæis. VI. 21.

Bannitus.

An liceat cuivis occidere Bannitum? XII. 74.

Baptismus.

Per susceptionem Baptismi non tollitur Accusatio criminis antè commissi. I. 58
An collatio Baptismi constituat materiam Simoniæ? III. 169
An ab Ecclesia procedi possit adversùs invalidè baptizatum? VI. 31. 40.
An Judæi, Sarraceni, & alij Infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum? 51
An ad Hæresin incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus? VII. 9
An licitum sit Catholico filium Hæretici ex Baptismo suscipere? 216
An reus Incestûs sit, qui delinquit cum Cognata Spirituali ex Baptismo, & Confirmatione? XVI. 100

Bellum.

An liceat Principi Catholico contra Hæreticos ob solam Hæresim Bellum gerere, eósque Bello adigere, ut Hæresim deserant, & veram Religionem amplectantur? VII. 71
Quodnam sit Bellum justum, & quotuplex? XII. 127
An Irregulares fiant, qui pugnant in Bello justo defensivo? 128
Quid dicendum de Clerico pugnante in bello justo offensivo? 134
Quinam in Bello injusto incurrant Irregularitatem? 137
An eam incurrant, qui milites animant ad pugnam? 143
An liceat suscipere Duellum ex causa dirimendi belli? XIV. 3. 7. 8

Benedictio.

An res consecratione, vel benedictione Ecclesiæ affectæ vendi saltem possint secundùm materiam, & ejus æstimationem? III. 161
Quid in harum venditione observandum? 163

Beneficiatus, Beneficium.

Quotupliciter Simonia committi possit circa Beneficia? III. 36
An Simonia Confidentialis locum habeat in beneficiorum permutatione? 43. 44
An Simonia sit dare beneficium Ecclesiasticum Benefactori temporali? 56
An beneficiatus possit exigere stipendium pro functionibus Beneficii sui? 95
Qualis committatur Simonia quando pro collatione beneficij Ecclesiastici datur, exigitur, vel accipitur aliquid temporale? 203
An beneficia Ecclesiastica vendi sine Simonia possint? 212
Pœna Simoniæ commissæ in collatione, vel obtentione beneficij Ecclesiastici. 265
An beneficia Ecclesiastica concedi possint sub annuo Censu? IV. 1.
Provisi de beneficio quando debeant edere Professionem Fidei? VII. 25
An beneficia antè obtenta ob Hæresim amittantur ipso jure? 209
An Usurarius sit, qui in compensationem mutui accipit beneficium Ecclesiasticum? XIX. 29
Quid si det mutuum eo pacto, ut mutuatarius ipsi beneficium tale procuret? 34

Bestialitas.

Quid sit? XVI. 112

Bona.

Bona Hæreticorum confiscantur. V. Fiscus.
An liceat occidere aggressorem injustum pro defensione bonorum temporalium? XII. 59

Bulla Cruciata.

An vi illius ab Hæresi absolvere possint Confessarij? VII. 207

Bullati Doctores.

An gaudeant, Doctorum privilegijs. V. 33

C.

Calumnia, Calumniator.

Pœna per Calumniam accusantis. I. 115
Quis dicatur calumniari, & esse Calumniator? II. 1

Casus,

Discrimen inter Calumniam veram, & præsumptam. 2
Casus, in quibus liberatur Accusator à Calumnia præsumpta. 3
Quod sit Officium Judicis, quando accusator in probatione criminis delati succubuit? 9
Quæ pœna Calumniatoribus in Jure statuta sit? 11
Utrum Pœna Talionis locum de facto in foro habeat? 16
Quousque hodie in puniendis Calumniatoribus Judex possit procedere? 19
Calumniæ Juramentum. V. Juramentum Calumniæ.

Cambium.

Quid sit Cambium? XIX. 84
Utrum Usuram sapiat? 85
Tituli, ex quibus in Cambio accipi aliquid ultra sortem possit? 86

Canonicus.

Provisi de Canonicatu quando debeant edere Professionem Fidei? VII. 25

Canonicum Jus.

V. Jus Canonicum.

Canonista.

An ad Præbendam Theologalem ab Episcopo admitatus valeat? V. 41

Capellania, Capellanus.

An Capellanus possit exigere stipendium pro functionibus Capellaniæ suæ? III. 99
An vendi sine Simonia Capellania possit? 226

Capitulum.

Sede vacante potest cognoscere in causa Hæresis? VII. 178

Captura, Carcer.

Posita accusatione, Judex capere accusatum potest. I. 110
Quis Judex capturam possit decernere? 111
Per quos executio capturæ fieri. ibid.
Quomodo accusatus carceris relaxationem impetrare possit? 112
Doctores non possunt in carcerem mitti propter æs alienum. V. 7

Carnis Delicta.

Quando in his tollatur actio criminalis præscriptione? I. 121
An pueri teneantur crimine Adulterij, & alijs carnis delictis? XXIII. 14

Casuale Homicidium.

V. Homicidium Casuale.

Catechumeni.

Catechumenus renuens baptizari non potest puniri pœnis Hæreticorum. VI. 43
An fiat Hæreticus, si à Fide, quam animo recepit, recedat? VII. 11

Cautio.

Quæ cautio præstanda, ut accusatus carceris relaxationem impetrare possit? I. 113

Censura.

An absolutio à Censuris materiam Simoniæ constituat? III. 170

Census

In crimine fraudati Census ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur? I. 58
Utrum sub annuo Censu concedi possint Prælaturæ, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa potestas spiritualis? IV. 1
An sub tali Censu concedi possit Jurisdictio temporalis? 5
Diversa Censûs acceptio, & definitio. XIX. 154
Modi, quibus ille constitui potest. 155
Divisio in Reservativum, & Consignativum. 156
Consignativi Emptitij in Realem, Personalem, & Mixtum. 158
In Pecuniarium, & Fructuarium. 161
In Perpetuum, & Temporalem 163
In Redimibilem, & Inredimibilem. 164
An permitti, & ab Usura absolvi possit Census Emptitius realis? 165
Et qualis? 173
An licita sit etiam Emptio Censûs personalis, inspecto Jure naturæ? 180
Quid de hoc statutum Jure Ecclesiastico? 188
An licita sit Emptio Censûs Vitalitij, vel ad certum tempus? 191
Quænam alia pacta adjici possint constitutioni Censûs emptitij? 195
Conditiones Jure naturali requisiti ad licitam constitutionem Censûs emptitij. 200
Conditiones requisitæ per Jus Ecclesiasticum. 205
Notanda circa has conditiones. 209
Super quare possit constitui Census? 212

Cessio bonorum.

An Usurarius habeat benficium Cessionis bonorum, ut alij debitores? XIX. 286

Chirographum.

An Chirographa, & debita immatura emi sine Usura possint minore pretio, quàm sit summa debita? XIX. 72

Chirurgus.

Non possunt Christiani uti Chirurgo Judæo. VI. 22

Christiani.

An, & quomodo communicare cum Paganis, & Judæis Christiani possint? VI. 8
An licitè inter eos tolerentur Judæi? 13
Quænam Christianis Jure Canonico interdicta sint circa Sarracenos, seu Paganos, & alios Infideles? 45
An liceat Principi Christiano cum his inire fœdus auxilij contra Fideles ferendi causâ? 48
An exercitium artis Sagittariorum prohibitum sit Christianis? XV. 2
Quale peccatum sit, & quâ pœnâ afficiatur commercium carnale viri Christiani cum fœmina Judæa, vel Pagana, & viciſſim? XVI. 111

Citatio.

In notorijs non est opus Citatione. I. 10
Posita accusatione, citare Judex accusatum potest. 110

Clericus.

Quando Clerici accusare Laicos possint? I. 56
Quando contra eosdem agere? 63
Quando possint accusare Episcopum, vel Prælatum suum? 64
An possint convenire de stipendio pro functionibus Spiritualibus? III. 89
An Clerici, vel Religiosi Irregulares fiant, si spectatores sint supplicij capitalis? XII. 124
An Torneamenta sint Clericis licita? XIII. 6
Quæ sit pœna Clerici, committentis Sacrilegium carnale? XVI. 108

Coadjutoria.

An vendi sine Simonia possit? III. 228

Cœmeterium.

Cœmeterium Judæorum violare non licet VI. 33

Cohabitatio.

Prohibentur Christiani cohabitare cum Judæis. VI. 20

Collatio Beneficij.

Num vendi possit. III. 172
Qualis committatur Simonia, quando pro collatione beneficij Ecclesiastici datur, accipitur, vel exigitur aliquid temporale? 203

Collecta.

Doctores eximuntur à Collectis solvendis. V. 8

Collusio.

Quid sit Collusio? XXII. 1
Quot modis possit contingere? 2
Inter quos? 3
In quibus causis? 4
Quid de ejusmodi Collusionibus in Jure sit constitutum? 6
An absolutus per Collusionem possit denuo accusari? 8
Quomodo accusatio, vel inquisitio repeti quoad sic absolutum 9

Comes Palatinus.

Potest creare Doctores: & quando? V. 21

Commenda.

Commendæ Spirituales an vendi sine Simonia possint? III. 227

Commendatio.

An dari aliquid possit pro commendatione ad Beneficium? III. 101

Commodatum, Commodatarius.

Commodatarius, si re commodata contra Domini voluntatem aliter, vel diutius utatur, committit furtum. XVIII. 24
Non potest rem furtivam condicere. 70
Competit tamen illi Condictio incerti, si ei sublata sit res commodata. 71
An competat ei Actio furti? 81

Compensatoriæ Usuræ.

Quid sint? XIX. 92
Tituli, ex quibus licitæ sunt V. Damnum, Lucrum, Sors.
Usuræ Usurarum licitæ sunt, si sunt Compensatoriæ. 218
Ex Usuris jam solutis capiendæ. 219
Quid si nondum solutæ sint? 220

Communicatio.

An, & quomodo Christiani cum Judæis, Sarracenis, & Paganis communicare possint? V. Christianus, Judæus, Sarracenus, Paganus.
Qualiter communicari cum Hæreticis possit? VII. 213

Conclusio.

An in Libello Accusationis sit apponenda Conclusio, seu petitio pœnæ determinatæ? I. 35
An per ejus appositionem Libellus vitietur? 36

Concubinatus.

Quotupliciter sumatur? XVI. 8
Differentia illius à Simplici Fornicatione. 9
Non minus, quàm ista, imò magis prohibita est. 10
Pœna illius. 12

Con-

Condemnatoria Sententia.

An deprhenso in flagranti sine prævia sententia possit infligi pœna? I. 20
Cautelæ, & modus in ferenda, & publicanda Sententia condemnatoria. 120. *V.* Sententia.

Condictio furtiva.

Quid sit, & quotuplex? XVIII. 69
Cui competat? 70
Adversùs quem? 72
Quod sit ejus objectum? 76
Quid in ea deducenda probandum? 78

Conditio.

An Simonia sit dare, promittere, legare &c. aliquid temporale sub conditione rei, aut operis Spiritualis? III. 82

Conductor.

Non potest rem furtivam condicere. XVIII. 70
Competit tamen ei Condictio incerti, si sublata est res locata. 71
An competat ei etiam Actio furti? 80

Confessarius.

An ab Hæresi absolvere possint Confessarij vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi? VII. 207
An fiat Irregularis Confessarius, si absolutionem deneget Judici, non volenti condemnare reum ad mortem, quem ex Officio duberet, vel si cogat reum fateri crimen, de quo Judicè interrogatur? XII. 99

Confessio.

Per spontaneam Confessionem in Judicio factam, & non revocatam inducitur notorium Juris. I. 1
Per eandem probatur crimen Usurarum. XIX. 300

Confirmatio.

An Confirmationis actus materiam Simoniæ constituat? III. 169
An Confirmatio in Beneficio? 172
Confirmatio in Beneficio Simoniacè facta est ipso Jure nulla. 266
An qui bis Sacramentum Confirmationis alicui contulit, vel qui bis illam suscepit, Irregularitatem incurrat? IX. 39

Confiscatio.

V. Fiscus.

Consanguineus.

Quousque homicidium factum inter Consanguineos reputetur Parricidium? X. 7

Consecratio.

An materiam Simoniæ constituat? III. 169

Consensus.

Quando Irregularitatem incurrat consentiens in Homicidium voluntarium injustum? XII. 156
An adulterium purgetur per consensum alterius conjugis? XVI. 64
An Raptûs crimen, & pœnæ illius incurrantur Raptu faminæ liberè, & sponte consentientis in sui abductionem? XVII. 28
Quid si Parentes puellæ inviti sint? 32

Consilium.

An sine periculo Simonia pretium possit exigi pro Consilio vel Responso Theologico, aut Canonico? V. 54
Consulens Parricidium Parricidij pœnas incurrit. X. 9
Quando Irregularitatem incurrat consulens Homicidium voluntarium injustum? XII. 155
An ab hac excusetur consulens, si revocavit consilium? 170
Consilium dans in causa Duelli Excommunicationem incurrit latæ Sententiæ. XIV. 36
Furti reus est, qui consilium furi præstat, si furtum secutum sit. XVIII. 27
Quando adversùs consulentes furtum, Condictio furtiva competat? 75
Quando actio furti? 52
Ad restitutionem tenetur, qui consulit, & persuadet alicui, ut sub Usuris mutuet, aliàs gratis mutuaturo. XIX. 266

Consultoriæ Sortes.

V. Sors.

Consuetudo.

Quomodo tolerari consuetudo possit, quâ passim pecunia offertur à Fidelibus, imò exigitur à Parochis pro Missis, Sepultura, administratione Sacramentorum &c. III. 182
Quid possit Consuetudo in materia Simoniæ? 309
Potest consuetudine induci certa quantitas, quæ nomine damni emergentis lucri cessantis &c. possit exigi. XIX. 20
Non autem, ut aliquid exigi supra sortem possit titulo solius mutui. 21
Etiam in favorem causæ piæ 6. pro 100, ubi consuetudo ista accipiendi viget? 153

Contestatio litis.

In victorijs non est opus Contestatione litis. I. 9
Post litis contestationem accusator tenetur accusationem prosequi. 116

Contractus.

Quicunque Contractus oneros. & reciprocus, & omnis Conventio tam tacita, quam expressa, vi cujus spirituale pro temporali, tanquam pretio, datur, vel promittitur, est Simoniacus. III. 45

An vitietur Contractus, addito Pacto Usurario? XIX. 324

Conventicula.

Occulta ad arcendum periculum Hæresis prohibentur. VII. 62
Prohibentur Christiani Judæos invitare ad Convivia, & ab his præparata accedere. VI. 32

Cooperantes.

Utrum Parricidij culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium? X. 8
Cooperantes ad sententiam mortis, vel mutilationis ferendam, aut exequendam Irregulares fiunt. XII. 87
Qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis? 96
Quid dicendum de cooperantibus ad cædem injustam? 174
Furti reus est, qui quocunque modo cooperatur ad furtum. XVIII. 27
Adversùs illos, quorum operâ & consilio furtum, aut rapina est perpetrata, datur Condictio furtiva. 75
Quinam, & quo pacto cooperantes ad Usuram teneantur, ad restitutionem? XIX. 263

Corpus Delicti.

Quomodo constare debeat de Corpore Delicti, ut procedi ad Inquisitionem specialem possit? I. 212

Correctio Fraterna.

V. Denuntiatio Evangelica.

Credentes Hæreticorum.

Incurrunt istorum pœnas. VII. 92
Sunt vitandi. 211

Creditor.

Creditori, cui pignus surreptum est, competit Condictio incerti. XVIII. 71

Crimen.

Crimen notorium. V. Notorium.
Crimen occultum. V. Occultum.
Crimen falsi. V. Falsum.
Publici criminis accusatio permittitur cuivis de populo. I. 39
Qui accusare possint de crimine privato? ibid.
Quænam sint crimina publica, & privata? 40
In crimimbus atrocissimis admittuntur ad accusandum, qui aliàs prohibentur. 58

Culpa.

Culposum Homicidium quid sit? XII. 9
Utrum Irregularitatem incurrat occidens, quando hic vacat omnino culpa? 207
Quid si quis operam rei licitæ, sed quia non adhibuit diligentiam debitam, secutum est homicidium, vel mutilatio? 210
Quid, quando quis dedit operam rei illicitæ, sed nullam omisit diligentiam ad homicidium præcavendum? 216
Qualis culpa præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex Homicidio causali? 221
Quæ obligatio detur ex incendio culpâ dato? XVII. 89

Curator.

Curator Minori accusato est dandus. I. 74
Potest iste rem furtivam condicere loco minoris in cura existentis. XVIII. 70

D.

Damnum.

Quid intelligatur nomine Damni emergentis? XIX. 93
An ex hoc titulo accipi aliquid ultra sortem possit? 108
Quando? 109
An istud deduci in pactum possit? 111
Requisita, ut ex hoc titulo possit aliquid ultra sortem accipi. 113

Debitum.

An Simoniaca sit pactio solvendi debita, ab antecessore in Beneficio nomine Ecclesiæ contracta? III. 126
An Usurarius sit, qui mutuum dat ea conditione, ut aliunde sibi ex Justitia debitum à mutuatario vicissim accipiat? XIX. 32
An Chirographa, & debita immatura emi possint minore pretio, quàm sint ipsa debita? 72

Defensio.

Filius occidens Patrem justæ defensionis causâ, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, non est Parricida, nec Parricidij pœnas incurrit? X. 15
Licet in defensionem vitæ injustum aggressorem occidere. XII. 22
Quod procedit etiam, quando defendenda est vita aliena. 25
Quid requiratur, ut tali casu occisio liceat? 30
An ita occidens incurrat Irregularitatem? 35
An istam incurrat, qui occidit, cùm potuisset fugere? 50
An liceat occidere injustum invasorem famæ, & honoris? 55
An pro defensione rerum temporalium? 59
An pro defensione vitæ, & fortunarum licitum sit offerre vel acceptare Duellum? XIV. 9

Defensores.

Defensores Hæreticorum incurrunt istorum pœnas. VII. 95
Defensores Schismaticorum incurrunt Excommunicationem majorem. VIII. 17

Deliberatum Homicidium.

V. Homicidium injustum.

Delictum.

Delictum notorium. V. Notorium.
Delicti Corpus. V. Corpus Delicti.
Quo tempore tollatur actio criminalis in carnis Delictis? I. 128

Denuntiatio.

In notorijs non est opus Denuntiatione. I. 8
Discrimen accusationis à Denuntiatione. 23
Denuntiatio criminis, à quocunque fiat, admittitur. 102
Si sola Denuntiatione Reip. per crimen læsæ consuli potest, ad accusandum nemo obligatur. 104
Quid sit Denuntiatio? 126
Denuntiator in causa capitali Irregularis fit. XII. 85

Denuntiatio Canonica.

Hujus Definitio, & Divisio. I. 164
Quis ad eam faciendam admittatur? 165
Quis sit illius effectus? 166

Denuntiatio Civilis.

Ejus Definitio, & Divisio. I. 167
In privatam. 168
Et publicam. 169
Forma hujus Denuntiationis. 170
Et effectus. 171

Denuntiatio Evangelica.

Quid sit, & in quibus Delictis locum habeat? I. 127
Quis ita denuntiare possit? 128
An etiam ille, qui juravit se nolle denuntiare? 129
Modus in hac Denuntiatione adhibendus. 130
An Modus iste ex præcepto sit observandus? 131
An ordini in hac observando renuntiari possit? 138
An Superiori denuntiari possit delictum Religiosi jam emendatum? 143
Quomodo in praxi gerere se Superior debeat, post factam sibi Denuntiationem Evangelicam? 148
Quis sit Effectus hujus Denuntiationis, & usus? 150

Denuntiatio Judicialis.

Hujus Definitio. I. 151
Divisio in generalem, & specialem. 152
Differentia à Denuntiatione Evangelica. 153
Quænam Crimina denuntiari judicialiter possint? 157
An Socius criminis admitti possit ad denuntiandum socium? 160
Quando Denuntiationi Judiciali sit locus in foro Canonico? 163

Depositum, Depositarius.

Depositarius, si Depositio contra domini voluntatem utatur, furtum facit. XVIII. 24
Non potest rem furtivam condicere. 70
An ei competat Actio furti? 80
Usuram non committit, qui mutuum dat ea conditione, ut mutuatarius sibi restituat Depositum. XIX. 32
Contrà Usurarius est, qui à Depositario aliquid exigit pro usu pecuniæ, apud ipsum depositæ. 35

Deprehensus in flagranti.

An contra hunc procedi possit, Juris ordine non observato? I. 17
An ita deprehenso infligi pœna sine prævia sententia? 20

Descendentes.

Ab his accusari ascendentes eorum non possunt. I. 52

Dies.

Dies commissi criminis an exprimendus in accusationis Libello? I. 28
An dies accusationis instituta? 29

Dignitas.

Pendente accusatione, vel denuntiatione, non potest accusatus, vel denuntiatus promoveri ad Dignitates. I. 117
Obtentis tamen uti non prohibetur. 118
Requisita, ut incupax fiat Dignitatum consequendarum. 119
An Dignitates Ecclesiasticæ concedi possint sub annuo Censu? IV. 1
Præreliquis ad Officia, & Dignitates sive Ecclesiasticas, sive Sæculares admovendi sunt Doctores. V. 6

Dimissoriæ.

An accipi aliquid possit pro Litteris Dimissorijs? III. 178

Discipulus.

Non potest accusare Magistrum. I. 52

Dispensatio.

An Dispensatio in Votis, Juramentis, Impedimentis Ordinum, vel Matrimoniorum, & in Legibus Ecclesiasticis materiam Simoniæ constituat? III. 170. 192
Quis possit dispensare in materia Simoniæ? 309
Quis in Irregularitate incursa Baptismum iteratum? IX. 38
Quis in Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio? XII. 245

Disputatio.

Laicis prohibetur disputatio de Mysteriis Fidei. VII. 64

Distributiones Quotidianæ.

Has lucrantur, qui docent S. Theologiam, vel Jus Canonicum, pro illa die, quâ legunt. V. 13

Divinatio.

Quid sit? XXI. 6
Quot modis contingat? 7
Quale peccatum sit? 14
V. Superstitio, Sors, Sortilegium, Vana observantia.

Divinatoriæ Sortes.

V. Sors.

Divisoriæ Sortes.

V. Sors.

Divortium.

Est pœna Civilis criminis adulterij. XVI. 69
Quibus modis hæc pœna cesset? 80
Quando conjux adversùs conjugem agere ad divortium possit? 81
Quis sit Judex competens ad desernendum divortium? 96

Doctores.

Eximuntur à Tortura. I. 189
Quibus privilegijs gaudeant? V. 4
Ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu. 16
Penes quos resideat potestas illos creandi? 19
Quinam creari Doctores possint? 22
Quæ sit forma illos creandi? 28
Quid observandum circa sumptus Inaugurationis? 30
An Doctorum privilegia competant malè promotis? 32
An Doctoribus Bullatis? 33
An Licentiatis? 35

Dolus.

Non præsumitur. XVII. 91

Dolosum Homicidium.

V. Homicidium injustum.

Dominus.

Dominus Creditori clàm auferens rem à se oppignoratam, aut Usurario, vel Usufructuario rem in usum, vel usumfructum concessam, furtum censetur facere. XVIII. 23

Donatio.

An Simoniæ sit dare quodcunque donum absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis? III. 53
An aliquando committatur Simonia per solam gratuitam donationem? 65
Donatio propter nuptias in pœnam adulterij amittitur. XVI. 69
Quibus modis hæc pœna cesset? 80
Quis sit Judex competens ad decernendam amissionem Donationis propter nuptias? 96
An ad istius amissionem agi possit, etiam finita actione criminali adulterij? 97
An committat Usuram, qui donum admittit, à Mutuatario sibi sponte, & ex mera liberalitate oblatum? XIX. 31
An ita datum mutuans teneatur restituere? 243

Dormientes.

Qui in somno occidit, non incurrit Irregularitatem. XII. 208

Dos.

An ob Hæresim mariti confiscetur Dos, & bona uxoris? VII. 142
Stuprator corruptam ducere, aut dotare debet. XVI. 26
An sufficiat, si vel ducat, vel dotet? 28
Quando alterutrum sufficiat? 30
Penes quem tunc sit electio? 33
An dotare, vel ducere Stuprator teneatur puellam, quam suasionibus, blanditijs, precibus, vel muneribus induxit ad consensum in stuprum, sine alia tamen vi, fraude, vel minis? 38
Utrum ad ducendam, vel dotandam corruptam teneatur in conscientia, & ante sententiam condemnatoriam? 45
Ad quid teneatur post sententiam? 46
Quomodo eximi possit, ne ad Dotem præstandam condemnetur? 47

Adulter amittit Dotem, & Donationem propter nuptias. XVI. 69
Quibus modis hæc pœna cesset? 80
Quando conjux adversùs conjugem agere possit ad lucrum Dotis? 81
Quis sit Judex competens ad decernendam amissionem Dotis? 96
An ad hujus amissionem agi etiam possit, finita actione criminali de adulterio? 97
Raptor mulierem raptam decenter arbitrio Judicis dotare debet. XVII. 22

Dubitans.

Dubitans de Fide an sit Hæreticus? VII. 5
An pro Irregulari habendus, qui dubitat, an ex Homicidio Irregularitatem incurrerit? XII. 240
Dubitans, quo animo occasione mutui aliquid ipsi datum sit ultra sortem, an acceptum teneatur restituere? XIX. 245

Duellum.

Quid sit? XIV. 1
Ejus divisio in publicum, & privatum. 2
Causæ, ob quas iniri Duella solent. 3
Casus, in quibus licitè iniri non possunt. 4
Casus, in quibus possunt iniri licitè. 7
An licitè iniri possit, si illud oblatum sit ab accusatore, vel detractore injusto, qui aliter ab injuria cessare non vult, nisi Duellum invitatus admittat? 12
Quid si non acceptans propterea non modicam honoris jacturam facturus esset? 15
Quo Jure prohibitæ Duella sint? 21
Quomodo se gerere debeat provocatus? 25
Utrum illicita sint Duella etiam non fatalia? 28
Aut ficta sine animo offendendi? 29
An in casibus, in quibus Duellum est licitum, licitum quoque sit apponere conditionem, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat? 32

E.

Ebrietas.

An Irregularitatem incurrat, qui aliquem occidit in Ebrietate? XII. 228

Ecclesia.

Ecclesiarum Violatores qui sint? *V.* Violatores Ecclesiarum.

Electio.

Electio ad Beneficium Ecclesiasticum num vendi possit? III. 172
Simoniacè facta est ipso Jure nulla. 266
In Electione ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas prohibentur Sortes Consultoriæ. XXI. 38
Quo Jure? 40
An invalida sit etiam Electio Compromissariorum per Sortes facta? 42

Emptio.

Quid nomine Emptionis Venditionis Simoniacæ veniat? III. 45
Qui rem furtivam scienter emit, furti reus est. XVIII. 28
Qui rem aliquam emit eo pacto, ut eandem post tempus restituat venditori, recipiendo aliquid ultra sortem, Usurarius est. XIX. 36
Quid dicendum de Contractu, quo res ob anticipatam solutionem emitur minore pretio? 57
An Chirographa, & debita immatura emi possint minore pretio, quàm sit summa debita? 72
An permitti, & ab Usura absolvi possit Census Emptitius? *V.* Census.
Quando Episcopi accusari possint à suis familiaribus? I. 54
Quando teneantur edere Professionem Fidei? VII. 26
An, & quomodo possint dare facultatem legendi Libros prohibitos? 39
Cognoscere potest Episcopus in causa Hæresis? 177
Absolvere ab Hæresi, & quibus casibus? 190
Item ab Excommunicatione propter abortum procuratum incursa? X. 33
Dispensare in Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio casuali occulto. XII. 249
Non verò in illa, quæ oritur ex Homicidio voluntario sive justo, sive injusto. 250
Exceptiones. 251
An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex mutilatione voluntaria, si hæc occulta sit? 255
An in ea, quæ orta est ex delicto, deducto ad forum contentiosum, Judicio per sententiam finito? 264
Quid circa pœnas Duellantium possit Episcopus, & alij privilegiati? XIV. 40

Error.

An pœnâ ordinariâ Homicidij puniendus sit, qui volens occidere unum, per errorem occidit alterum? XII. 237

Evangelica Denuntiatio.

V. Denuntiatio Evangelica.

Evangelicum.

An Judæi, & alij Infideles cogi possint ad audiendam prædicationem Evangelij? VI. 55

Examen, Examinatores.

An Examinatores possint aliquid gratis oblatum acceptare à venientibus ad Concursum pro Parochia? III. 68
Promotioni ad Gradum Litterarium præmittendum est rigorosum Examen. V. 28

Exceptio.

An de Crimine, proposito per viam Exceptionis, denuo aliquis accusari possit? I. 95
Quotupliciter viâ exceptionis crimen in Judicium deduci possit? 241
An casu quo civiliter opponitur crimen, reus de eo condemnari ad pœnam possit 244
Quis sit effectus Exceptionis, quâ accusatori, vel testi crimen opponitur criminaliter? 248
Quam effectum habeat Exceptio criminis oppositi ad impediendam Consecrationem, Ordinationem &c. 251.
Quid præsumendum sit, quando dubitatur, an crimen oppositum per Exceptionem sit civiliter, vel criminaliter? 253
An repetenti Usuras possit per Exceptionem opponi, quòd etiam ipse Usuras acceperit? XIX. 284

Excommunicatio, Excommunicatus.

Excommunicatus accusare non potest I. 51. 60

Expensæ.

Unde subministrandæ Clerico, vel Religioso accusanti suum Prælatum? I. 65. 66
Unde Prælato accusato, se defendenti? 67
An Simoniaca sit pactio solvendi expensas, pro Beneficio litigioso, ab Antecessore factas? III. 129
Quas expensas compensare debeat occisor, aut vulnerator? XII. 269
An Magistratui restituendæ sint expensæ in furis capturam &c. XVIII. 67

Expositus.

Si filius à Patre fuit Expositus, & major factus eundem occidat, non incurrit Parricidij pœnas. X. 13
Quale peccatum sit exponere infantes, & languidos? XI. 2
Quæ pœna sit exponentium? 6
An is, qui infantem, & languidum expositum suscipit, aut sustentat, in ejus personam aliquid, Juris acquirat? 12
Unde subministrari alimenta infanti exposito debeant, si nemo privatus illius curam suscipiat? 15
A quo alenda sit proles, quæ in uno loco exposita, in alio nata, & baptizata est? 18
An pro legitimis, vel illegitimis habendi sint Expositi, & alij, quorum parentes ignorantur? 25

F.

Fœmina.

V. Mulier.

Falsum.

In testimonij falsi crimine ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 58
Item in crimine falsatæ monetæ. ibid.
Fraudatæ annonæ, censûs, aut pecuniæ publicæ. ibid.
Calumnioſus accusator tenetur falsi pœnis. II. 13
Crimen falsi furto simillimum est. XX. 1
Falsi triplex acceptio. 2
Definitio. 3
Requisita ad crimen falsi. 4
Est crimen gravissimum. 9
Publicum, & exceptum. 10
Divisio in species subjectas. 11
Dicto committitur à Teste, Advocato, & Judice. 13
Modi, quibus contingere Crimen falsi potest circa testimonium. 14
Pœna testis falsi. 17
Pœna Advocati. 22
Et Judicis committentis falsum. 23
Modi, quibus crimen falsi committitur scripto. 25
Pœna falsarij Litterarum Apostolicarum. 29
Quinam pœnas istas incurrant? 32
An pœnas istas incurrat etiam ille, qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid? 36
Aut qui Litteras Apostolicas radit in una Syllaba, vel paucis Literis? 38
Vel qui eas corrigit ad mentem Papæ? 42
Modi, quibus crimen falsi committitur facto. 45
Quinam censeantur falsarij Monetæ? 49
Pœna illorum. 51
Pœna tondentium, radentium, aut tingentium monetam. 56
Pœna cudentium monetam justam authoritate privata. 58
Quid dicendum de ijs, qui monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico? 61
Modi, quibus falsi crimen committitur Usu. 62
Pœna istorum. 63

Fama.

An liceat occidere invasorem injustum famæ? XII. 55

Familiares.

Quando accusare possint? I. 54

Familiares.

Quando accusare possint? I. 54

Famulus.

Prohibentur Christiani famulari Judæis. VI. 24
Liberantur ab obsequio domini in Hæresim lapsi ejusdem famuli. VII. 158
An & qualiter dominus famulo ægrotanti teneatur providere de necessaria cura, & alimentis? XI. 21
An eidem tempore infirmitatis teneatur præstare salarium, seu mercedem? 24
Famuli Usurarij quando teneantur ad restitutionem? XIX. 268

Fautores.

Fautores Hæreticorum incurrunt istorum pœnas. VII. 94
Sunt vitandi. 211
Fautores Schismaticorum Excommunicationem incurrunt. VIII. 17

Feudum.

An etiam Jus Feudi confiscetur ob Hæresim? VII. 139

Fictio.

An committatur Simonia per pactum onerosum, ex parte unius fictum? III. 49
An licita sint Duella ficta sine animo offendendi? XIV. 29

Fideicommissum.

An jus Fideicommissi confiscetur ob Hæresim? VII. 138

Fidejussor.

In quibus delictis admittatur Fidejussor? I. 112
An Usuratarium sit accipere aliquid pro obligatione solvendi à fidejussore suscepta? XIX. 141

Fides.

An Judæi, & alij Infideles possint cogi ad suscipiendam Fidem Christianorum? VI. 51
An Hæresis liberet à fide servanda Hæretico? VII. 160

Filius.

An possit accusare Patrem? I. 44. 52
An ob Hæresim parentum Filij eorum Irregulares fiant? VII. 115
Quid de his dicendum in Germania? 119
Filij Hæreticorum non sunt infames. 125
Quale peculium Filiif. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? 140
Qua sit pœna filij Parricidæ? X. 18
An pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem teneatur præstare pater? XXIII. 16

Finis.

An sit Simonia dare, vel facere aliquid spirituale ad acquirendum temporale, ceu finem? III. 75

Fiscus.

Procurator Fiscalis quando liberetur à calumnia præsumpta? II. 3
Hæreticorum bona confiscantur. VII. 135
Quænam bona cadant sub confiscationem ob Hæresim? 136
An publicatis bonis Hæretici, etiam publicetur Jus Patronatûs, Majoratûs, Fideicommissi, Emphyteusis, Feudum? 137
An, & quale peculium Filijf. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? 140
An propter Hæresim marito um confiscentur etiam Dotes, & bona uxorum? 142
Cui applicari debeant bonatum Clericorum, tum Laicorum confiscata ob Hæresim? 147
An Hæreticus, qui confiscationem bonorum suorum ipso Jure incurrit, ante sententiam declaratoriam criminis teneatur ea fisco tradere? 151
Schismatici puniuntur confiscatione bonorum. VIII. 19
An rem, apud furem inventam, vindicare sibi possit Magistratus Jure fisci? XVIII. 65

Fornicatio.

Hujus triplex acceptio. XV. 1
Est illicita Jure Divino. 4
Et naturali? 5
Differentia à Concubinatu. 9
Pœna. 11

Fortunæ.

An liceat occidere invasorem injustum fortunarum? XII. 60

Frater.

Non potest accusare fratrē: & quando possit? I. 53
Frater occidens fratrem, vel sororem, Parricidii reus est. X. 6

Fratres Conversi.

Quando accusare suum Prælatum possint? I. 64

Fraterna Correctio.

V. Denuntiatio Evangelica.

Fuga.

An Irregularis sit, qui pro sui defensione occidit invasorem injustum, à quo illatam vim declinare potuisset fugiendo? XI. 50

Quid si occidat invasorem injustum, omissâ fuga, qui periculum morale nullum videt fore in fuga. 51

Fur, Furtum.

Furti Etymologia. XVIII. 1

Definitio. 2

Varietas. 4

Requisita, ut commissum dicatur furtum? 14

Casus, in quibus non committitur. 15

Casus, in quibus commissum censetur. 22

An furti reus sit, qui rem alienam accipit, vidente illius domino? 30

Aut qui furem non indicat. 33

Vel debitori aufert, quantum hic ipsi debet? 36

Qui detinet rem inventam? 40

Vel aufert in necessitate? 45

An furti objectum sit liber homo? 52

Quæ obligatio nascatur ex furto? 54

Cui, adversùs quem, & quando occasione furti competat rei vindicatio? 55

Quo Jure Furtum prohibitum sit? 56

In quantum fur, aut possessor rei furtivæ obligetur ad restitutionem? 57

An ad restitutionem obligetur etiam, qui in necessitate rem alienam accepit? 60

An rem, apud furem inventam, vindicare sibi possit Magistratus jure Fisci? 65

An huic saltem restituendæ sint expensæ factæ in furis capturam &c. 67

Condictio furtiva quando competat? V. Condictio furtiva.

Quando competat Actio furti? V. Actio furti.

Pœna Furti. 91

An rectè illi statuta sit pœna capitalis? 95

An hæc incurratur per furtum primum, simplex, & magnum? 97

An per secundum? 100

Qualia debeant esse furta tria, ut locus sit pœnæ capitali? 101

An aliquid faciat locus; in quo commissum est furtum? 104

Quæ sit pœna furti Jure Carolino? 106

Causæ, ob quas mitigari pœna ordinaria furti debeat? 110

Qua pœnâ afficiendi sint auxiliatores furum? 114

Et complices? 117

An post executionem pœnæ criminalis adhuc sit locus Actioni furti pecuniariæ? 120

An res apud furem inventa præbeat sufficiens indicium furti? 123

Ad furtum pertinet Sacrilegium. V. Sacrilegum.

Plagium. V. Plagium.

Peculatus V. Peculatus.

Abigeatus. V. Abigeatus.

Crimen de Residuis. V. Residuum.

Expilatæ Hæreditatis. V. Hæreditas.

Sepulcri violati. V. Sepulcrum.

Termini moti. V. Terminus.

Furtum Tigni. V. Tignus.

Furtum arborum. V. Arbor.

Furiosi.

Non admittuntur ad accusandum. I. 49

Nec accusari possunt. 73

Eximuntur à tortura. 188

Occidens Patrem, vel Matrem in furore non sit reus parricidij, nec ejus pœnas incurrit? X. 12

Neque Irregularitatem si occidant in furore. XII. 208

G.

Gabella.

Doctores eximuntur à Gabellis, quando Libros, vel alias res transferunt ad suæ habitationis, seu Studiorum Locum. V. 8

Gener.

Gener occidens Socerum, aut Socrum, & vice versâ, parricidij reus est. X. 5

Genethliaci.

Quinam tales dicantur? XXI. 9

Geomantica.

Quid sit? XXI. 8. 10

Gradus Litterarius.

Quot sint Ordines Graduatorum. V. 1

V. Doctores, Licentiati, Baccalaurei Magistri.

Grassatores viarum.

Non gaudent Asylo. XVII. 71

Gratitudo.

An Simonia sit dare temporale ex sola spe gratitudinis exhibendæ ab altero per donum Spirituale? III. 53.

Quid si obligatio gratitudinis, pro exhibito Spirituali præstandæ, deducatur in pactum? 60

An Usuram committat mutuans, qui pro mutuo à se dato accipit aliquid sibi à mutuatario oblatum ultro ad ostendendam gratitudinem? XIX. 31

Quid si mutuans aliquid petat sibi præstari titulo gratitudinis? 50

Grex.

Gregis nomine quid veniat, & de quibus animalibus dicatur? XVIII. 138

H

Hæres, Hæreditas.

Ad quid teneantur Hæredes accusati, isto defuncto? I. 124

Judæi & alij infideles prohibentur institui Hæredes

des à Christianis. VI. 28
Condictio furtiva datur etiam adversùs Hæredes furis. XVIII. 73
Non verò Actio furti, nisi lis cum defuncto priùs sit contestata. 83
An postquam fur ultimo supplicio affectus est, domino rei furtivæ actio Civilis pecuniaria competat contra Hæredes furis ad damnum, vel interesse, quod prætendit sibi deficere? 120
Quid sit crimen expilatæ Hæreditatis? 147
A quo committatur? 148
An actione hac conveniri possit uxor? 149
An Noverca, aut Vitricus? 150
Pœna illius. 151
Actio de Termino moto non datur adversùs Hæredes. 157
Utrum ad restitutionem Usurarum compelli possint etiam Hæredes Usurariorum? XIX. 251
Qua actione compelli possint? 255
An deficiente uno ex pluribus Hæredibus, singuli teneantur in solidum? 258

Hæresis, Hæreticus.

An Hæretici possint accusare Catholicos? I. 55
An Hæresis crimine admittitur ad accusandum, qui aliàs prohibetur. 58. 61. 62
De hoc crimine accusari etiam mortui possunt. 76
Et torqueri, qui aliàs exempti sunt à tortura. 190
In eodem procedi ad Inquisitionem specialem potest adversùs reum infamiâ criminis non laborantem? 208
Quid sit Hæresis? VII. 1
In quo consistat ejus malitia? 3
An Hæreticus sit, qui dubitat de Fide? 5
An ad Hæresim incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus? 9
Utrum Hæreticus censendus sit, qui errat in Fide per ignorantiam? 12
Qui discredit alicui revelationi sibi privatim factæ? 17
Aut qui negat Propositionem Theologicam deductam ex una propositione naturaliter evidente, & altera revelatâ? 19
Quænam causæ excusent à peccato Hæresis? 22
Quæ cautelæ per SS. Canones inductæ sint, ne Hæresis spargatur per personas de hac suspectas? 25
An & sub qua pœna prohibita sit lectio librorum Hæreticorum? 27. V. Liber Hæreticus
An Hæretici ab Ecclesia cogi possint ad abjurationem erroneorum dogmatum? 68
An ad Hæresim deserendam possint compelli armis? 171
Institutio S. Officij Inquisitionis contra Hæreticam pravitatem. V. Inquisitio Hæreticæ pravitatis.
Quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint? 86
Quænam pœnæ Spirituales in eos sint latæ? 89
Quinam istas incurrant? 91
Conditiones requisitæ, ut incurrantur. 97
Pœna sepelientium Hæreticos &c. contra Ecclesiæ prohibitionem. 101
An Irregularitas, ob Hæresim contracta hâc relictâ, perseveret? 104
Quis in ea dispensare possit? 106
An Beneficia ante obtenta ob Hæresim amittantur ipso Jure? 109
An Irregularitatem istiam, & inhabilitatem incurrant etiam filij & nepotes Hæreticorum? 115
Quid de his dicendum in Germania? 119
Hæretici incurrunt infamiam. 123
Et quidem ipso jure. 124
Non tamen eâ notantur ipsorũ filij & nepotes. 125
Fiunt intestabiles tam activè, quàm passivè. 128
De quibus bonis? 129
An Successione priventur tanquam incapaces, an tanquam indigni? 132
Confiscantur ipsorum bona. 135
Quænam? 136
An etiam Jus Patronatûs? 137
Majoratûs, aut Fidei commissi? 138
Emphyteusis, & Feudi? 139
Quale peculium Filij f. comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? 140
An ob Hæresim mariti confiscetur etiam Dos, & bona uxoris? 142
Aut vicissim bona mariti ob Hæresim uxoris? 146
Cui applicari debeant bona confiscata ob Hæresim? 147
An Hæreticus bona confiscata tradere teneatur fisco ante sententiam declaratoriam criminis? 151
Si in Hæresim lapsus liberos habeat, amittit in hos patriam potestatem. 154
Servi ab obsequio domini Hæretici liberi fiunt. 156
An Hæresis etiam liberet à fide servanda Hæretico? 160
Si pœnis istis insuper habitis, non resipiscant, traduntur Curiæ Sæculari. 163
A qua puniri possunt pœna capitali. 164
Num pœnæ hactenus relatæ afficiant etiam Hæreticos in Germania? 171
Quis sit Judex competens in causa hæresis? 175
An de illa cognoscere possit etiam Judex Sæcularis? 181
An cùm Hæretici puniendi ad hunc remittuntur, examinare Processum ab Ecclesiastico Judice institutum? 183
An Judex Sæcularis Hæreticos possit capere? 185
Et pœnas per SS. Canones latas exasperare? 186
Quis absolvere possit ab Hæresi, & Excommunicatione per eam incursa? 187
Quid requiratur, ut Episcopus possit absolvere ab Hæresi occulta pro foro conscientiæ vi Tridentini? 191
An facultas hæc Episcopis concessa per Trid. per Bullam Cœnæ sit revocata? 195
Quid nunc Episcopi post Bullam Cœnæ possint quoad absolutionem ab Hæresi? 200
Quam facultatem absolvendi ab hæresi habeant Regulares? 204
An ab ista absolvere possint Confessarii vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilei? 207
Quis absolvere ab illa possit in articulo mortis? 209
Vel quando adiri non potest Pontifex? 210
An hæretici eorúmque credentes &c. sint vitandi? 211
Quæ communicatio cum his sit permissa? 213

Quæ prohibita? 218
An Principes Catholici possint recipere, vel tolerare in suis territoriis hæreticos, & ritus eorum? 221
An & qualiter cum ijs inire fœdus, uti ipsorum auxilio, &c. 224

Hastiludia.

V. Torneamenta.

Homicidium.

Definitio Homicidii in genere. XII. 1
Varietas. 3
Ut pœnæ homicidii voluntarij incurrantur, requiritur animus occidendi, & ipsa mors 10
Unde in dubio sit colligendus animus occidendi? 14
In irregularitate quæ oritur ex Homicidio quocunque, potest dispensare Pontifex. 245
Episcopus solùm in ea, quæ oritur ex homicidio casuali occulto. 249
Non verò in ea, quæ oritur ex homicidio voluntario sive justo, sive injusto. 250
Exceptiones. 251
Quando censeatur homicidium adhuc esse occultum? 259
Quando dici possit deductum ad forum contentiosum? 261
An Episcopus dispensare possit in irregularitate, quæ orta est ex Delicto, deducto ad forum contentiosum, Judicio per sententiam finito? 264
Quam potestatem dispensandi in hujusmodi irregularitate habeant Prælati Regulares? 266
Aut alij privilegiati? ibid.
An & quatenus occisor vel vulnerator teneatur compensare damnum per homicidium, aut vulnerationem illatum? 269
Quid requiratur ut ille ad hoc teneatur? 273

Homicidium casuale.

Quid sit? XII 4
Quot modis possit contingere? 8
Utrum Irregularitatem incurrat occidens, quando hic vacat omni culpa? 207
Quomodo punitur homicidium casuale culposum, secutum ex actione aliàs licita? 210
An Irregularitatem incurrat dans operam rei illicitæ, sed nullâ debitâ diligentiâ omissâ ad Homicidium præcavendum?
Qualis culpa præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex homicidio casuali? 221
An irregularitatem incurrat, qui aliquem occidit in ebrietate? 228
An qui correptus irâ occidit, propterea puniri possit? 233
An pœnâ ordinariâ puniendus sit, qui volens occidere unum, per errorem occidit alterum? 237
An pro Irregulari habendus sit, qui dubitat, an ex homicidio irregularitatem incurrerit? 240
Quis dispensare possit in irregularitate, quæ oritur ex homicidio casuali? 245

Homicidium injustum.

Quid sit?
Quotuplex sit? XII. 5
Quot modis possit contingere? 6
Quid requiratur ad homicidium voluntarium injustum, ejúsque pœnam incurrendam? 7
Quæ sit pœna homicidii voluntarii injusti simplicis? 10
Jure Ecclesiastico Laicus excommunicatur, Clericus deponitur. 146
Fit inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda. 147
Et contrahit Irregularitatem. 148
Quis Irregularitatem istam incurrat? 149
Quando illam incurrat mandans homicidium? 150
Consulens? 154
Consentiens. 155
An illam incurrat ratum habens homicidium nomine ipsius factum? 156
Vel illud non impediens? 157
Corollaria. 158
In quibus casibus ratione mandati mandans incurrat Irregularitatem? 161
An consulentem ab Irregularitate excuset, si revocavit consilium? 164
Quid de cooperantibus ad eadem injustam? 170
Quid Juris, quando dubitatur, an vulnus lethale fuerit? 174
Quæ sit pœna homicidij præmeditati? 181
Facti per insidias? 193
Proditorij? 200
Assassinij? 202

Homicidium justum.

Quid sit & quotuplex? XII. 5
Licet occidere injustum invasorem vita aut propria. 22
Aut alienæ. 25
Cum moderamine inculpatæ tutelæ: ubi, quid ad hoc requiratur? 30
Neque ita occidens incurrit Irregularitatem. 35
Explicatur istud per casus particulares. 43
An Irregularitatem incurrat, qui occidit aggressorem injustum, à quo illatam vim declinare fugiendo potuisset? 50
An liceat occidere invasorem injustum famæ & honoris? 55
Aut fortunarum? 60
An licitè, & justè ad mortem condemnentur malefactores? 69
An aliquando liceat se ipsum occidere, aut mutilare? 71
An liceat cuivis occidere Bannitum? 74
An Patri filium, aut marito uxorem, vel adulterum deprehensum in adulterio? 78
An Irregularitas incurratur propter homicidium justum, secutum ex sententia condemnatoria? 81

A qui-

A quibus hac incurratur? 83
Quinam ex hoc capite Irregularitatem incurrant? 88
Qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis? 96
Quando Irregularitatem iucurrat Prælatus Ecclesiasticus causas sanguinis demandans alteri? 102
An eam evitet Accusator interponens protestationem, quòd pœnam sanguinis non intendat? 106
An similis protestatio juvet civiliter agentem de crimine: 110
Qualis debeat esse hæc protestatio? 117
Quid dicendum de teste in causa sanguinis? 121
Quid de Supplicij capitalis Spectatoribus? 124
Quid de illis, qui occidunt in pugna? V. Bellum.
Quis dispensare possit in Irregularitate incursa ob Homicidium justum? 245. & seqq.

Homicidium Proditorium.

Quid de hoc Jure Canonico constitutum sit? XII 202

Homicidium Voluntarium.

Quid sit? XII. 3
Quotuplex? 5
Quot modis possit contingere Homicidium deliberatum, seu Præmeditatum? 7
Pœna Homicidij Præmeditati, 193
An hujus reus privetur Asylo? 194
Quale Homicidium censeri debeat præmeditatum? 199

Homo Liber.

An furti objectum esse possit? XVIII. 52

Honor.

An liceat occidere invasorem injustum honoris? XII. 55
An liceat acceptare Duellum ab alio oblatum, si non acceptans propterea non modicum honoris jacturam facturus esset? XIV. 15

Hospitalia.

An vendi sine Simoniæ possint? III. 130

Hydromantia.

Quid sit? XXI. 8

Hypotheca.

An bona Usurarij sint tacitè Hypothecata pro solvendis Usuris? XIX. 279

I.

Idololatria.

Quid sit? XXI 3

Ignorantia.

Utrum Hæreticus censendus sit, qui errat in Fide per ignorantiam? VII. 12
Quæ ignorantia excuset à Parricidio, & hujus pœnis? X. 13
Quænam excuset á pœnis Adulterij? XVI. 77

Illegitimi.

An possint creari Doctores? V 23

Impedimentum.

An Dispensatio in impedimentis Ordinum, vel Matrimoniorum materiam Simoniæ constituat? III. 170

Imperator.

Non potest accusari. I 78
Potest creare Doctores. V 19
Non potest Lege sua facere Usuras licitas. XIX 11

Impuberes.

Non possunt accusare. I 43
Eximuntur à tortura. 188
An Raptus pœna subjaceat, qui rapuit Virginem adhuc impuberem? XVII. 48
Impuberes furti rei regulariter non suspendio, sed mitiùs puniuntur. XVIII 112

Inauguratio Doctoralis.

V. Doctores.

Incendium, Incendiarij.

Quinam sint, & dicantur Incendiarij? XVII. 82
Quotuplicis sint generis?
Incendium potest contingere casu. 88
Culpâ 89
Dolo. 90
Dolus nunquam præsumitur. 91
In dubio præsumitur incendium casu fortuito contigisse. 92
Quæ probatio requiratur, ut dicatur contigisse culpâ? 95
Quis obligetur ad reparandum damnum, si culpa alicujus probata est; 96
Quæ sit pœna incendij excitati culpâ? 99
Pœna illius excitati dolo. 100
In quibus personis, & casibus pœna ordinaria Incendiariorum locum habeat? 104
Quibus casibus ista sit mitiganda? 109
An exasperanda propter frequentiam? 112
Quæ sit pœna rapientium res, tempore incendij foras projectas? XVIII. 162
Quæ actio detur adversùs sic rapientem? 163

Incestus.

Quid sit? XVI. 99
Casus, in quibus non committitur. 100
Est gravius crimen adulterio. 101
Pœna illius in foro Sæculari? 102
Pœna ejusdem in foro Canonico. 105

Index.

Quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum? VI. 56

Infamia.

Infames quando admittantur ad accusandum? I. 45
An accusari aliquis possit de crimine, de quo ille nullâ laborat infamiâ? 85
An Inquisitionem debeat præcedere infamia? 191
Quibus casibus speciali Inquisitioni locus sit adversùs reum criminis, infamia non laborantem? 202
Infamiam incurrunt condemnatus de calumnia. II. 14
Prævaricator. 25
Tergiversator. 27
Committens Simoniam in receptione ad Religionem. III. 253
Hæretici. VII. 123
Schismatici. VIII. 20
Apostatæ ab Ordine. IX. 31
Condemnatus furti. XVIII. 91
Usurarij. XIX. 304
Testis deponens in Judicio falsum, vel supprimens veritatem. XX. 17

Infantes.

Non possunt accusare. I. 60
Nec accusari. 71
Quinam veniant nomine Infantium. XI. 1
Infantes non incurrunt Irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione. XII. 208
Infantes quinam dicantur? XXIII. 1
Quinam dicantur Infantiæ proximi? 2
An puniri possint Infantes? 4
Aut infantiæ proximi? 7

Infanticidium.

Quando præsumatur in matre? X. 25

Infidelis, Infidelitas.

Infidelitatis species. VI. 1
Infideles non fiunt Irregulares ob sententiam sanguinis prolatam, aut executioni datam. XII. 89. *V.* Judæus.

Inimicus.

Non potest accusare eum, quem aversatur. I. 55
Quis talis esse præsumatur? ibid.
Quando admittatur ad accusandum? 61

Injuria.

An liceat suscipere Duellum ad vindicandam injuriam illatam? XIV. 5
An utrique conjugi agere permissum sit actione injuriarum ex causa adulterij? XVI. 81

Injustum Homicidium.

V. Homicidium injustum.

Inquisitio.

Discrimen Inquisitionis ab Accusatione. I. 21
Ejus Definitio. 172
Ratio illam introducendi. 173
Divisio in Generalissimam, Specialem, & Mixtam. 174
Alius divisionis modus. 177
Tribus maximè modis fieri solet. 179
Differentia inter hos modos. 180
Differentia Inquisitionis ab accusatione, & Denuntiatione. 182
Quis Inquisitionem facere possit? 185
De quo crimine? 186
Et contra quem? 187
Quinam eximantur ab Inquisitione severa? 188
An Inquisitionem specialem debeat præcedere Infamia? 191
Qualis ad hanc requiratur diffamatio? 199
Maximè si inquirendus sit Prælatus Ecclesiasticus? 200
Casus, in quibus inquiri potest in delinquentem, infamia non laborantem? 202
Alia requisita ad Inquisitionem specialem. 211
An, & quomodo constare debeat de Corpore delicti? 215
Quibus casibus tempus, & locus non debeat exprimi? 219
Quid observandum sit in Examine, & Interrogatorijs Inquisitorialibus? 221
Quæ sit forma Inquisitionis severæ? 224
An pendente Inquisitione, Inquisitus accusari possit? 230
Effectus Inquisitionis Generalis. 232
Et specialis. 233
Effectus Inquisitionis severæ. 235
An crimen, detectum per viam Inquisitionis, pœnâ ordinariâ puniri possit? 237

Inquisitio Hæreticæ pravitatis.

Institutio S. Officij Inquisitionis. VII. 74
Inquisitorum Fidei Jurisdictio probabilius est delegata. 75
Qualis esse debeat, cui committitur Inquisitionis Officium? 79
Quomodo Inquisitores debeant procedere? 82
An ipsi, aut eorum Commissarij, vel Consultores Irregulares fiant ob sententiam sanguinis secu-

secutam in eos, qui de Hæresi convicti in S. Officio sunt? XII. 90

Inscriptio.

v. Pœna Talionis.

Institutio.

Institutio in Beneficio an materiam Simoniæ constituat. III. 172
Simoniacè facta est ipso Jure nulla. 266

Instrumentum.

Per Instrumentum publicum, productum in Judicium, inducitur notorium Juris. I. 1

Intercessio.

An dari aliquid possit pro Intercessione apud Patronum, vel Collatorem Beneficij Ecclesiastici? III. 101
Usurarius est, qui ex vi mutui à mutuatario exigit Intercessionem apud Principem &c. XIX. 33

Inventio.

An furti reus sit, qui detinet rem inventam? XVIII. 40

Investitura.

An Investitura in Beneficio materiam Simoniæ constituat? III. 172

Ira.

An qui correptus Irâ occidit, propterea puniri possit? XII. 233

Irregularis, Irregularitas.

Irregularis fit condemnatus de calumnia. II. 14
Prævaricator. 25
Tergiversator. 27
Hæretici. VII. 89
Utrum Irregularitas, contracta ob hæresim, hac relicta, vel ejuratâ, perseveret? 104
An eam incurrant etiam filij, & nepotes Hæreticorum? 115
An Schismatici? VIII. 20
Apostatæ ab Ordnie? IX. 31
An Irregularis fiat, qui occidit aggressorem injustum? XII. 35
An Irregularitas incurratur propter homicidium justum, secutum ex sententia condemnatoria? 81
A quibus hæc incurratur? 83
Quinam ex hoc capite eam non incurrant? 88
Qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis? 96
An Irregularitatem incurrat Prælatus Ecclesiasticus, causam sanguinis committens alteri? 102
Accusator cum protestatione, quòd non intendat pœnam sanguinis? 106
Civiliter agens de crimine cum simili protestatione? 110
Qualis hoc casu fieri debeat protestatio, ut ab Irregularitate liberet? 117
Utrum Irregularitatem incurrat Laicus in foro sæculari deponens contra reum? 121
An eam incurrant spectatores supplicij capitalis? 124
Pugnantes in bello justo? 128
Quid de pugnantibus in bello injusto? 137
Quid de animantibus milites ad pugnam? 143
Quinam incurrant Irregularitatem propter homicidium voluntarium injustum? 150
Irregularitatem incurrunt Duellantes. XIV. 35
Furti condemnatus. XVIII. 92
Usurarij. XIX. 306

Judæus, Judaismus.

Judæus non potest accusare Christianum. I. 55
Non possunt Judæi creari Doctores. V. 25
Quid sit Judaismus? VI. 3
An, & qualis communicatio cum Judæis prohibita Christianis sit in Divinis? 8
An licitè inter Christianos tolerentur Judæi, horum Synagogæ, & ritus? 13
Quomodo prohibita Christianis sit communicatio cum Judæis in humanis, & Politicis? 20
Quænam Judæis, Christianorum Principum potestati subjectis, sint interdicta? 27
Quænam Jura iisdem, in tutelam legitimè receptis, concessa sint, & quæ contra illos fieri prohibita? 31
Quomodo, & à quo Judæi delinquentes possint, & debeant puniri? 36
Quænam Christianis Jure Canonico interdicta sint circa Infideles? 45
An Judæi, & alij infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum? 51
Et audiendam prædicationem Evangelij? 55
An Judæi irregulares fiant ob sententiam sanguinis prolatam, aut executioni datam? XII. 89
Utrum ad restitutionem Usurarum compelli possint etiam Judæi? XIX. 248
An valeat Testamentum Judæorum, qui sunt Usurarij notorij? 323

Judex.

Utrum in notorijs adstringatur ad observantiam Ordinis Judiciarij? I. 7
Quæ sint partes Judicis in admittenda accusatione? 99
Quis sit effectus accusationis ex parte Judicis? 110

Qualis Judex facere Inquisitionem possit? 158. 211
Quod sit officium Judicis, quando accusator in probatione criminis delati defecit? II. 9
Quousque hodie in puniendis Calumniatoribus Judex possit procedere? 19
Quis possit esse Judex in crimine Simoniæ? II. 319
Quinam sint Judices competentes in causa Hæresis? VII. 175
Judex sententiam mortis, aut mutilationis dictans, aut proferens fit Irregularis. XII. 83
Non tamen, si reum Curiæ Sæculari puniendum tradat. 91
Irregularis efficitur Judex, qui mandat, ut reo denegentur alimenta, vel ut ille detrudatur in carcerem, in quo verisimiliter intra paucos dies moriturus credebatur. 94
Quis sit Judex in causa Stupri? XVI. 49
Quis in causa adulterij? 95
A quo Judice puniri Raptores possint? XVII. 54
Ad quid teneatur Judex, cujus ministerio exiguntur Usuræ, vel non restituuntur, cùm repetuntur? XIX. 268
Quis sit Judex criminis Usurarum? 292
Crimen falsi quomodo committatur à Judice? XX. 13
Quæ sit illius pœna? 23
Quis sit Judex in crimine Magiæ, & Sortilegij? XXI. 51

Judicialis Denuntiatio.

V. Denuntiatio Judicialis.

Juramentum.

In notorijs non est opus Juramento calumniæ? I. 9
An dispensatio in Juramentis materiam Simoniæ constituat? III. 170

Jurisconsultus.

Non fit Irregularis, qui consultus de aliquo reo, generatim respondet, & explicat, quid Juris sit? XII. 98

Jurisdictio.

Actus Jurisdictionis Spiritualis an vendi possint? III. 170
An actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ? 173
Quando exercitium Jurisdictionis Spiritualis constituat materiam Simoniæ? 190
An Simoniacum sit accipere aliquid pro actu Jurisdictionis qui proximè versatur circa materiam Politicam? 205
An concedi Jurisdictio Ecclesiastica possit sub annuo Censu? IV. 1
An vendi aut sub annuo Censu locari possit Jurisdictio temporalis? 5
Non potest Judæis committi Jurisdictio in Christianos. VI. 27

Jus Canonicum.

An accipi, vel peti aliquid possit pro actu docendi Jus Canonicum? V. 49

Jus Patronatûs.

An vendi sine simonia possit? III. 213
An etiam Jus Patronatûs confiscetur ob Hæresim? VII. 137

Justum Homicidium.

V. Homicidium Justum.

L.

Labor.

Pro quali Labore Clerici exigere possint stipendium? III. 97

Laicus.

Laicus prohibetur accusare Clericum. I. 55
Nisi in crimine dilapidationis rerum Ecclesiæ, vel Monasterij 59
Laicis prohibetur prædicatio Verbi Divini. VII. 63
An Judex Laicus cognoscere possit in causa Hæresis? 181
An examinare processum ab Ecclesiastico judice institutum, quando Hæretici ad hunc puniendi transmittuntur? 183
An Judex Sæcularis Hæreticos possit capere? 185
Et pœnas per SS. Canones, latas exasperare? 186

Languidus.

Quinam in Jure dicantur Languidi? XI. 1
V. Expositus.

Latro, Latrocinium.

In Latrocinij crimine ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 18
In eo ex sola confessione Socij in Socium inquiritur. 197
Latrones non gaudent Asylo. XVII. 71

Lectores.

V. Doctores, Professores.

Legatum, Legatarius.

Legatarius non potest rem furtivam condicere, si res legata subrepta ei sit ante factam traditionem. XVIII. 70

Legatus.

Legatus Imperatoris non potest accusari. I. 79
Legatus à Latere cognoscere potest in causa Hæresis. VII. 176

Legitimi.

An pro Legitimis sint habendi Expositi, & alij, quorum parentes ignorantur? XI. 25

Lenocinium.

Quid sit Lenocinium, & quæ illius pœna? XVI. 90

Lex.

An Dispensatio in Legibus Ecclesiasticis materiam Simoniæ constituat? III. 170
Potest Lege induci certa quantitas, quæ nomine damni emergentis, lucri cessantis &c. possit exigi. XIX. 20
Non autem, ut aliquid supra sortem possit accipi titulo solius mutui. 21
Etiam in favorem causæ piæ. 24

Libellus.

In notorijs non est opus Libello. I. 9
Quid in Libello accusationis sit exprimendum? 25
Libello oblato, an possit deseri accusatio jam inchoata? 106
Si Libello oblato, inscriptio facta est, accusationem prosequi accusator tenetur? 116

Liber Hæreticus.

An, & sub quæ pœna prohibita sit Lectio Librorum Hæreticorum? VII. 27
Quinam incurrant Excommunicationem latam occasione istorum Librorum? 32
Quæ conditiones requirantur, ut incurratur hæc Excommunicatio? 36
An eam incurrat, qui ejusmodi Libros legit animo errores in eo contentos refutandi? 44
Quomodo oporteat legere talem Librum, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cœnæ? 47
An incurrat illam, qui auscultat legenti? 48
Vel qui legit Librum Hæretici, in quo dogma Hæreticum incidenter solùm refertur? 51
An eam incurrat etiam, qui legit, vel penes se retinet Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum, quod Hæresim continet. 53
Quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum. 56
An prohibitio hæc in Germania secundùm rigorem suum recepta sit? 59
Quid agendum cum Libris Hæreticis, aut suspectis de Hæresi? 61

Liber Homo.

An furti objectum sit Liber Homo? XVIII. 52
Est subjectum Plagij. 128
Quando? 129

Liberi.

Liberi, qui occidunt proprium patrem, aut matrem, etiamsi Vitricus, aut Noverca sit, Parricidij rei sunt. X. 3
Liberi fraudolosè, & lucri faciendi causâ contrectantes rem Patris, furtum faciunt. XVIII. 25
Actio furtiva non datur parentibus contra Liberos, nec Liberis contra parentes, si aliquid sibi invicem auferant. 84
Extraordinariâ pœnâ furtum inter hos factum vindicandum est. 112

Libertus, Libertinus.

Prohibentur accusare Patronos suos I. 44. 52
Liberantur ab obsequio Patroni in Hæresim lapsi. VII. 158
Occidens Patronum reus est Parricidij. X. 7

Licentiati.

Qui sint, & quibus Licentia ista concedi soleat? V. 2
An gaudeant Doctorum privilegijs? 85
Utrum sine Simonia accipi, vel peti aliquid possit pro docendi licentia? 42

Lis, Litis Contestatio.

An sorti committi possint Lites Ecclesiasticæ, & Beneficiales? XXI. 43
V. Contestatio Litis.

Litteræ.

Dimissoriæ. *V.* Dimissoriæ.
Testimoniales. *V.* Testimonium.
Apostolicæ. *V.* Apostolicæ Litteræ.

Lucrum.

Lucratoria Usura quid sit? *V.* Usura.
Quomodo intendi debeat Lucrum, quod speratur occasione mutui, ut Contractus reddatur Usurarius? XIX. 38
Quid intelligatur nomine Lucri cessantis? 94
An ex hoc titulo accipi aliquid ultra Sortem possit? 118
Quando? 119
An possit obligatio ista deduci in pactum? 121
Requisita, ut ratione Lucri cessantis aliquid accipi ultra sortem possit? 123
Usuræ Usurarum illicitæ sunt, si Lucratoriæ mere sunt. 217

M.

Magia.

Quid sit, & quotuplex? XXI. 49

An Magicæ, vel superstitiosa censeri debeant etiam illa quæ speciem pietatis præferunt, ut sunt verba, & signa Sacra. 50
Quis sit Judex in crimine Magiæ, & Sortilegij? 51
Quæ sit pœna Magorum &c. 52

Magister.

Discipulus non potest accusare Magistrum. I. 52
Quinam dicantur Magistri? V. 3
Quæ sint istorum privilegia? 4. V. Doctores.
Ex Decreto Conc. Later. constituendi sunt Magistri ad instituendam juventutem. 37
Ubi? 38
Quid constituerit de his Tridentinum? 39
Unde hujusmodi Magistro subministranda vitæ subsidia? 40
An ad Prabendam Theologalem ab Episcopo admitti valeat etiam Canonista? 41

Magistratus.

An admittatur ad accusandum? I. 47
An, & quando accusari possit? 79
Magistratus majores eximuntur à tortura. 189
Magistratus Sæcularis quid possit in causa Hæresis? VII. 181

Majestas.

In Majestatis læsæ crimine admittuntur ad accusandum, qui aliàs prohibentur. I. 58
Non potest super hoc crimine transigi. 122
In hoc torqueri possunt etiam, qui aliàs exempti à tortura sunt. 190
In eodem ex sola confessione Socij in Socium inquiritur. 197
Et procedi potest ad Inquisitionem, infamiâ non præcedente. 208
Et inquisitione pendente, super eodem crimine inquisitus accusari? 231

Majoratus.

An etiam Jus Majoratûs confiscetur ob Hæresim? VII. 138

Malefactores.

An licitè condemnentur ad mortem? XII. 69

Mancipia.

Non permittuntur Judæi retinere mancipia, & servos Christianos. VI. 29

Mandans.

Mandans Parricidium Parricidij pœnas incurrit. X. 8
Quando Irregularitatem incurrat mandans homicidium voluntarium injustum? XII. 154
An illam incurrat etiam, qui mandat alicui, ut alium non defendat à cæde? 161
In quibus casibus ratione mandati mandans incurrat Irregularitatem? 164
Furti reus est, qui illud fieri mandat. XVIII. 27

Maritus

An ob Hæresim mariti confiscetur Dos, & bona uxoris? VII. 142
Aut vicissim ob Hæresim uxoris bona mariti? 146
Maritus occidens uxorem parricidij reus est, & contrà, X. 6
Maritus innocens accusare uxorem potest, de adulterio, XVI. 81
An conjugi contra conjugem Actio furti competat? XVIII. 85

Matrimonium.

Non possunt fideles cum infidelibus contrahere Matrimonium. VI. 20
Cum Hæreticis Catholici Matrimonium illicitè contrahunt. VII. 219
Quando consistere Matrimonium inter Raptorem, & Raptam possit? XVII. 20

Medicus.

V. Doctor.
Non possunt Christiani uti Medicis Judæis, aut medicinis, quas hi præparârunt. VI. 22
Si Medicus ratione stipendij, quod accipit à civitate, teneatur curare ægrotos, & aliquem culpabiliter omittat curare, quem potuisset, isque moriatur, Irregularis efficitur. XII. 162

Membrum.

Quid sit? XII. 17
An irregularis sit, qui debilitat membrum, & reddit inutile? 185
Vel qui inutile, & debilitatum abscindit? 187
V. Mutilatio.

Mente captus.

Non admittitur ad accusandum. I. 49
Nec accusari potest. 73
V. Furiosus.

Meretrix.

Quando præsumatur rea abortûs procurati, aut infanticidij? X. 25
Accusari Adulterij potest etiam publica meretrix. XVI. 88
An pœnæ raptûs subjaceat, qui rapuit fœminam inhonestè viventem? XVII. 50

Merx.

Quæ sit Merx Simoniaca? VIII. 153

Spi-

Spiritualia, quæ *Mercem Simoniæ constituunt*, *sunt quadruplicis generis.* 155
Spiritualia in se, & per essentiam, ut Gratia sanctificans &c. absque dubio mercem Simoniæ constituunt. 156
An, & qua ratione mercem Simoniacam constituant Sacramenta? 157
Sacramentalia? 160
Officia Divina? 165
Prophetia, patratio miraculi. 168
Actus Ordinum. 169. 174. & seqq.
Et Jurisdictionis Spiritualis. 170. 190. & seqq.
Admissio ad Novitiatum, & Professionem Religiosam? 171. 193. & seqq.
Electio, præsentatio, Collatio &c. Beneficij Ecclesiastici? 172, 203
Actus Jurisdictionis Ecclesiastica? 173
Jus Patronatûs? 213
Sepultura Ecclesiastica? 217
Beneficia? 222
Capellaniæ? 226
Commendæ Spirituales? 227
Coadiutoriæ? 228
Præstimonia? 229
Hospitalia? 230
Pensiones. 231
Merces tempore belli non possunt deferri ad Infideles. VI. 46

Metoposcophia.

Quid sit? XXI. 9

Metus.

An Simoniacum sit dare Beneficium, vel aliam rem Spiritualem propter metum gravem injustè incussum, si nullum interveniat pactum? III. 118
Ad quid teneatur, qui metu puellam induxit ut consentiret in Stuprum? XVI. 40

Miles.

Quando miles admittatur ad accusandum? I. 49
Milites eximuntur à tortura. 189
Doctores eximuntur ab onere hospitandi milites. V. 8

Ministri.

Ministri Justitiæ, sententiam capitalem exequentes, Irregulares fiunt. XII. 87

Minores.

Quando admittantur ad accusandum? I. 43
Quando accusari possint? 74
Quando possint accusare adulterium? XVI. 86.
Quinam dicantur Minores? XXIII. 1
An pœna mitigari possit, aut debeat, quando delinquens Minor est? 12

Miraculum.

An patratio Miraculi constituat mercem Simoniacam? III. 168

Missa.

An Parochi aliquid accipere possint pro Missis? III. 182
An Usurarium sit in compensationem mutui exigere Sacrificium Missæ. XIX. 29

Moderamen inculpatæ tutelæ.

Debet observari, quando occiditur aggressor injustus: ubi, quid ad hoc requiratur? XII. 30

Modus.

An Simonia sit dare, promittere, vel legare aliquid Spirituale sub modo, vel conditione re, aut operis Spiritualis? III. 82

Mollities.

Quid sit? XVI. 112
Quæ sit illius pœna? 119

Moneta.

In crimine falsatæ Monetæ ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 58.
In eo ex sola Confessione Socii in Sociam inquiritur. 197
Quinã censeantur Falsarii monetæ? XX. 49
Qua pœnâ plectendi sint? 51
Pœna illius, qui tondet, aut radit monetam, vel tingit auro, ut aurea appareat. 56
Pœna cudentium monetam justam authoritate privata. 58
Quid dicendum de iis, qui monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico? 61
Quam pœnam incurrant, qui adulterinam monetam colligunt, & expendunt? 66

Monialis.

An, & quando accipi aliquid possit in Monialium ad Novitiatum, & Professionem admissione? III. 196
Quomodo puniatur Sacrilegium carnale commissum cum Moniali. XVI. 109

Monitio.

An accusationem præcedere debeat monitio secreta? I. 88
Privata monitio debet præcedere Denuntiationem Evangelicam. 130
Quando? 131

si Denuntiatio fit à publicis Ministris, non est opus monitione. 169

Monomachia.

V. Duellum.

Mons Pietatis.

Montes Pietatis quid sint? XIX. 80
An Usurariam iniquitatem contineant? 81

Moratoriæ Usuræ.

Quid sint? XIX. 91
An sint licitæ? 96
Quid requiratur ad earum licentiam? 103
Quando solvendæ sint? 107

Mors.

Morte accusatoris tollitur actio criminalis: & quomodo? I. 123.
Item morte delinquentis. 124.
Quis in articulo mortis absolvere possit ab Hæresi? VII. 209
An malefactores licitè, & justè condemnentur ad mortem? XII. 69

Mortuus.

An accusari possit? I. 76

Motivum.

An Simonia sit dare temporale pro Spirituali, non ut pretium, sed solùm ut motivum? III. 71

Mulier.

Non potest accusare. I. 42
Prægnans eximitur à tortura. 188
Excusatur à calumnia præsumpta, etsi crimen non probaverit. II. 7
Est incapax Doctoratûs. V. 22
Non licet Christianis mulieribus nutrire, & lactare liberos Judæorum. VI. 25
An pœnas Raptûs incurrat mulier rapiens virum? XVII. 23

Munus.

Pretium Simoniacum frequenter appellari solet munus. III. 110
Quod triplex est. 111
Munus à manu. 112
Munus ab obsequio. 113
Munus à lingua. 114
Quando munus, vel obsequium constituat pretium Simoniacum? 115
Doctores eximuntur à muneribus tam realibus, quam personalibus. V. 8

Muti.

Surdi, & muti non admittuntur ad accusandum, si tales sint à nativitate. I. 50. 60
Eximuntur à tortura. 188

Mutilatio.

Est amputatio alicujus membri. XII. 16
Quis dici mutilatus possit? 18
An liceat aliquando seipsum mutilare? 71
Qui voluntariè mutilat, aut obtruncat membrum alienum, Irregularis efficitur. 153
Idem dicendum de illo, qui facit hoc per alium. 154
Quid dicendum de eo, qui debilitat membrum, & reddit inutile? 185
Vel qui tale abscindit? 187
Aut notabiliter alterum deformat vulnerando? 189
An Irregularitas mutilationis sit distincta ab Irregularitate Homicidii? 191
An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex mutilatione voluntaria, si hæc occulta sit? 255
Quando censeatur Homicidium, vel mutilatio occulta esse? 259

Mutuum.

Usura locum duntaxat habet in mutuo. XIX. 28
Hinc non committitur, quando nullum intervenit mutuum. 30
Usurarius est, qui mutuat alteri ea conditione, ut iste se obliget ad ipsi remutuandum, quando indiguerit. 36
Quod explicatur magis. 44
Ad quid reddendum obligetur mutuatarius, quando inter ipsum, & mutuantem non est expresse conventum, ut restitutio fiat in eadem mensura, an verò in eodem valore, & pretio si interea rei illius pretium crevit, vel diminutum est? 70
An Usurarium sit accipere aliquid ultra sortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus? 136
Utrum in Germania, secluso omni alio titulo, accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat? 144
Quomodo accipientes excusari ab Usura possint? 146
An quinque pro centum exigi valeant, si ista mutuatario concedantur, retenta facultate post semestre repetendi sortem? 149
An mutuatarius teneatur solvere Usuras meræ lucratorias promissas Usurario? 223

N.

Naufragium.

Quomodo puniantur, qui Christianos, naufragium passos, rebus suis exspoliant? XVII. 72

Quæ

Quæ sit pœna rapientium res ex naufragio? XVIII. 162

Necessarium Homicidium.

V. Homicidium Justum.

Necessitas.

An furti reus sit, qui rem aufert in necessitate? XVIII. 45
An teneatur ad restitutionem? 60
Quando necessitas tollat, aut minuat pœnam furti? 113

Necromantia.

Quid sit, & quæ ejus species? XXI. 8

Nepotes.

An ob Hæresin progenitorum Irregulares fiant? VII. 115
Quid de his dicendum in Germania? 119
Nepotes Hæreticorum non sunt infames. 125
Nepotes, & neptes occidentes avum, vel aviam parricidii rei sunt. X. 5

Nobiles.

Eximuntur à tortura. I. 189
Doctores nobilibus annumerantur. V. 5

Nominatio.

An materiam Simoniæ constituat Nominatio ad Beneficium Ecclesiasticum? III. 172

Notarius.

Quantum accipere possit pro Dimissoriis, & Testimonialibus Litteris? III. 180
Scribens sententiam capitalem Irregularis fit. XII. 87
Faciens scienter Instrumentum, in quo sub specie liciti Contractûs palliatur Usura, ita, ut ex eo reipsa mutuatarius cogatur solvere Usuras, tenetur ad restitutionem. XIX. 167

Notorium.

Quot modis aliquod Delictum fieri possit notorium notorietate Juris? I. 1
Quid sit notorium notorietate facti, & quotuplex? 2
Quid sit notorium in genere? 3
Requisita, ut crimen aliquod dici possit notorium notorietate facti? 4
In notoriis Judex non adstringitur ad observantiam Ordinis Judiciarii. 7
Hinc in iisdem non est opus accusatione, vel denunciatione. 8
Libello, contestatione litis, vel juramento calumniæ. 9
Aut citatione. 10
Vel Sententiâ condemnatoriâ in scriptis prolatâ. 11
Nec locus est eo casu Appellationi. 12
Vel Recusationi Judicis. 13
Requisita, ut ratione criminis notorii Judex procedere adversùs reum possit, Ordine Judiciario non observato. 14
An, & quomodo procedi possit adversùs deprehensum in flagranti? 17

Noverca.

Privignus occidens Novercam parricidii reus est. X. 3
Ut & Noverca occidens Privignum, vel Privignam. 4
Potest Noverca conveniri actione expilatæ Hæreditatis. XVIII. 150

Novitiatus.

Admissio ad Novitiatum an materiam Simoniæ constituat? III. 171
An, & quando occasione admissionis ad Novitiatum possit aliquid accipi? 193

Nutrix.

Judæi prohibentur habere Nutrices Christianas. VI. 25. 27

Nurus.

Occidens Socerum, vel Socrum parricidii rea est, & vice versa. X. 5

O.

Obsequium.

An Simonia sit exhibere obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis exhibendæ per collationem rei Spiritualis? III. 13

Observantia vana.

V. Vana observantia.

Occidere.

V. Homicidium, Parricidium.

Occultum.

Quid occultum dicatur, & quot sint ejus species? I. 3
Quid interfit inter notorium, & occultum? 7
An possit denuntiari crimen omnino occultum? 158

Ad arcendum periculum Hæresis prohibentur occulta conventicula. VII. 62
An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio occulto? XII. 249
Vel in ea, quæ oritur ex mutilatione occulta? 255
Quando censeatur Homicidium, aut mutilatio occulta esse? 259

Officium Divinum.

An, & sub qua ratione mercem Simoniacam constituant Divina Officia? III. 165

Officium S. Inquisitionis.

V. Inquisitio Hæreticæ pravitatis.

Olla Fortunæ.

Quid sit? XIX. 87
An sapiat Usuram? 88

Omen.

Quid sit? XXI. 9

Omissio.

An Simonia sit omissio actuum Spiritualium, si hæc fiat, accepto pretio? III. 207
Utrum qui dat operam rei aliàs licitæ, sed quia non adhibet diligentiam ad præcavendum homicidium, vel mutilationem alterius, Homicidium sequitur ratione talis homicidii casualis immunis à pœna sit? XII. 210
Utrum Irregularitatem incurrat, qui dat operam rei illicitæ, & ita occidit, sed nullâ adhibitâ diligentiâ omissâ ad homicidium præcavendum? 216

Onyromantia.

Quid sit? XXI. 9.

Opifices.

Non fiunt Irregulares Opifices, qui fecerunt gladium, ressim furcam &c. quo occiditur reus ad mortem condemnatus XII. 200
Non est Usurarius, qui Opifici volenti mutuare pecuniam, eam tribuit eo pacto, ut pro illa operas præstet, vel opus aliquod conficiat? XIX. 30

Oratio.

An aliquid accipi possit pro Orationibus, quæ ex Ecclesiæ institutione publicè, privatimque fiunt. III. 65
An Usurarium sit in compensationem mutui exigere Orationem? XIX. 29

Ordo, Ordinans.

An Ordinans ab Ordinato possit aliquid accipere gratis oblatum? III. 68
An Actus Ordinum materiam Simoniæ constituant? 169
Quorum Ordinum actus constituant materiam Simoniæ? 174
Pœnæ Simoniæ commissæ in susceptione, & collatione Ordinum. 357

Ordo Judiciarius.

In notoriis non est observandus. I. 7

P.

Pactum.

An Simonia Confidentialis committatur etiam sine pacto? III. 40
Quid nomine Pactionis Simoniacæ veniat? 45
An committatur Simonia per pactum onerosum, ex parte unius fictum? 49
An Simonia sit dare temporale ex sola spe gratitudinis exhibendæ ab altero per donum Spirituale? 53
Vel contrà dare Beneficium Ecclesiasticum Benefactori temporali? 56
Quid si obligatio gratitudinis, pro exhibito Spirituali præstandæ, deducatur in pactum? 60
An Aliquando committi Simonia possit per solam gratuitam donationem? 65
Quid dicendum, quando temporale pro Spirituali datur, non ut pretium, sed solùm ùt motivum? 71
Vel contrà, quando datur Spirituale ad acquirendum temporale, ceu finem? 75
An Simonia sit dare, promittere, legare &c. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei, aut operis Spiritualis? 82
Quid sentiendum de pactione, quâ Clericus convenit de stipendio, antequam in se suscipiat obligationem ministrandi Spiritualia? 89
Quinam Clerici petere, vel accipere tale stipendium possint? 93
Pro quali labore? 97
An Simoniam committat, qui temporale dat, vel promittit pro intercessione, commendatione, precibus &c. apud Patronum, vel Collatorem Beneficij interponendis? 161
An Usurarium sit pactum Anticreseos? XIX. 75

Paganismus.

Quid sit? VI. 2
An, & qualis communicatio cum Paganis prohibita sit Christianis? 8
Pagani dictantes, vel exequentes sententiam sanguinis, non incurrunt Irregularitatem. XII. 89

Pallium.

An Pallij concessio materiam Simoniæ constituat? III. 172

Parentes.

Parentes qui occidunt filium, aut filiam, etiamsi Privignus, aut Privigna sit, parricidii rei sunt. X. 4
Pœna istorum. 23
Et eorum, qui tenellos infantes, in suo lecto collocatos, opprimunt. 27
Actio furti non datur parentibus contra liberos, aut liberis contra parentes, si aliquid sibi invicem auferant. XVIII. 84

Parochus.

An possit exigere stipendium pro functionibus suis Parochialibus? III. 95. 182. & seqq.
An pœnas Raptûs, infautores decretas, incurrat Parochus assistens Matrimonio, inter Raptorem, & Raptam inito? XVII. 51

Parrcida, Parrcidium.

Est crimen gravissimum. X. 1
Ejus Definitio. 2
Quinam Parricidarum nomine veniant? 3
Utrum Parricidij culpa & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium? 8
Quinam casus, & causæ excusent à culpa, & pœna Parricidij filios, si parentes occidant? 12
Pœna decretæ in filios, qui occiderunt suos parentes. 18
Pœna parentum interficientium Liberos. 23
Pœna procurantium abortum. 28
Pœna Parricidij impropriè talis. 34

Partus.

Partum alienum supponens incurrit Crimen falsi. XX. 45

Pater.

An hunc possit accusare Filius? I. 44
Quando a Liberis accusari possit? 62
Lapsus in Hæresim amittit Jus patriæ potestatis. VII. 154
Pater mulieris ad accusandum adulterium admittitur. XVI. 85
Non incidit in crimen Plagij, si in extrema necessitate vendat filios suos. XVIII. 130
An pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare Pater? XXIII. 16

Patriarchæ.

Quando teneantur edere Professionem Fidei? VII. 26

Patrinus.

An Catholicus possit esse Patrinus in Baptismo filij alicujus Hæretici, vel Hæreticum in Patrinum filij sui eligere? VII. 216
Patrini Duellantium quam pœnam incurrant? XIV. 36

Pauperes.

Quando admittantur ad accusandum? I. 48

Peccatum,

Absolutio à peccatis an materiam Simoniæ constituat? III. 170

Peculatus.

In crimine Peculatûs Actio criminalis tollitur quinquennio. I. 121
Quid sit Crimen Peculatûs? XVIII. 133
Quot modis committatur? 134
Pœna illius. 135

Peculium.

Quale Peculium Filijf. comprehendatur sub confiscatione bonorum ob Hæresim? VII. 140

Pecunia.

In crimine fraudatæ pecuniæ publicæ ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. I. 58
Quid veniat nomine Pecuniæ? XVIII. 133
Ad pompam, & ostentationem pecuniæ concedi sine Usura, petito certo pretio, potest. XIX. 30

Pensio.

Pensiones an vendi sine Simonia possint? III. 231
An absque Simonia redimi pecuniâ? 234
An sub annua pensione concedi possint Prælaturæ, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica? *V.* Census.

Perduellio.

De hac accusari etiam mortui possunt. I. 76
Filius occidens Patrem perduellem non incurrit Parricidij pœnas. X. 16

Periculum Sortis.

V. Sors.

Permutatio.

An Simonia confidentialis locum habeat in Beneficiorum permutatione? III. 43
An in dicta permutatione habeant locum pœnæ ejusdem Simoniæ? 274

Pertinacia.

Requiritur ad Hæresim, & in quo consistat? VII. 3

Physognomia.

Quid sit? XXI. 9
An, & quando superstitiosa sit? 20

Pignus.

Dominus auferens Creditori rem oppignoratam furtum facit. XVIII. 23

Item Creditor, si pignore contra Domini voluntatem aliter, & diutiùs utatur. 24
An pignoris fructus percipi à Creditore etiam nequeant in favorem causæ piæ? XIX. 77

Plagium.

Definitio Plagij. XVIII. 128
Casus in quibus committitur. 129
Pœna illius. 131

Pœna.

An crimen detectum per viam Inquisitionis pœnâ ordinariâ puniri possit? I. 237
An casu, quo per viam Exceptionis civiliter opponitur crimen, reus de eo ad pœnam condemnari possit? 244
Pœna Calumniatorum. II. 11
Prævaricatorum. 25
Tergiversatorum. 27
Dantium, vel accipientium munera ab Ordinatis. III. 181
Simoniacorum. 243
Concedentium Regimen, & potestatem Spiritualem sub annuo Censu. IV. 8
Legentium Libros Hæreticos. VII. 27
Hæreticorum. 16. & seqq.
Sepelientium Hæreticos contra Ecclesiæ prohibitionem. 101
Schismaticorum. VIII. 17
Apostatarum. IX. 22. & seqq.
Rebaptizantium, & Rebaptizatorum. 36
Filiorum, qui occiderunt parentes suos. X. 18
Parentum interficientium Liberos. 23
Procurantium abortum. 28
Parricidij impropriè talis. 34
Seipsos occidentium. XII. 71
Aut vulnerantium animo occidendi. 72
Homicidij voluntarij injusti simplicis. 146
Præmeditati. 193
Perpetrati ex insidijs. 200
Proditorij. 202
Assassini. 204
Torneamentorum in casu prohibito. XIII. 7
Duelli illiciti. XIV. 34
Sagittariorum in casu prohibito. XV. 3
Fornicationis. XVI. 11.
Concubinatûs. 23
Stupri. 20
Adulterij. 69
Polygamiæ. 74
Lenocinij. 90
Incestûs. 102
Sacrilegij carnalis. 108
Sodomiæ. 113
Bestialitatis. 118
Molliciei. 119
Raptûs personarum. XVII. 11
Rapinæ rerum. 61
Incendij, & Incendiariorum. 99
Violatorum Ecclesiæ. 115
Furti. XVIII. 91
Furti Sacrilegi. 124. & seqq.
Plagij. 131
Peculatûs. 135
Abigeatûs. 141
Criminis de residuis. 145
Expilatæ Hæreditatis. 151
Sepulchri violati. 154
Termini moti. 156
Arborum furtim cæsarum. 161
Rapientium res ex naufragio, vel incendio. 162
Usurariorum. XIX. 304
Testis falsi. XX. 17
Advocati, & Judicis committentis falsum. 22. & seqq.
Falsarij Literarum Apostolicarum. 29
Falsarij monetæ. 51
Tondentium, radentium, aut tingentium monetam. 56
Cudentium monetam justam authoritate privata. 58
Committentium falsum usu. 63
Sortilegorum. XXI. 46
Magorum, Divinatorum &c. 52
Collusionis. XXII. 6

Pœna Capitalis.

An Hæretici pertinaces puniri possint pœna Capitali? VII. 164

Pœna Talionis.

Inscriptio ad pœnam talionis hodie ferè recessit à Jure. I. 23
Pœna talionis irroganda est accusatori calumnioso. II. 12
Utrum locum de facto in foro habeat? 16

Polygamia.

Quæ sit istius pœna? XVI. 74

Pontifex.

Non potest accusari. I. 78
Potest creare Doctores. V. 19
Potest dare facultatem legendi libros prohibitos. VII. 39
Potest judicare de Hæresi. 175
Et ab ista absolvere. 189
Non incurrit Irregularitatem, etiamsi dictet pœnam sanguinis, vel mutilationis. XII. 88
Potest dispensare in Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio quocunque. 45
Non potest Usuras Lucratorias viâ Dispensationis licitas facere. XIX. 13

Possessor.

Bonæ fidei possessor potest rem furtivam condicere. XVIII. 70

Potestas Spiritualis.

An concedi possit sub annuo Censu? IV. 1

Prædicatio.

An Judæi, & alij Infideles cogi possint ad audiendam Prædicationem Evangelij? VI. 55.

Lai-

Laicis prohibetur Prædicatio Verbi Divini. VII. 63

Prælatus, Prælatura.

Quando accusari Prælatus possit à suis familiaribus? I. 54
Quando à Clericis, vel Religiosis subditis? 59 64
Unde huic subministrandæ expensæ litis. 67
Quid requiratur, ut Inquisitio institui possit adversùs Prælatum? 200
An Prælaturæ concedi possint sub annuo Censu? IV. 1
Quando teneantur Prælati edere Professionem fidei? VII. 27
Quam potestatem habeant cognoscendi in causa Hæresis? 179
Quando Irregularitatem incurrat Prælatus Ecclesiasticus, causas sanguinis demandans alteri? XII. 102
Quam potestatem dispensandi in Irregularitate, orta ex Homicidio, vel mutilatione, habeant Prælati Regulares, & alij privilegiati? 266

Præmeditatum Homicidium.

V. Homicidium Voluntarium.

Præpositus.

V. Prælatus.

Præscriptio.

Quando præscriptione tollatur Actio criminalis? I. 121

Præsentatio.

Præsentatio ad Beneficium an materiam Simoniæ constituat? III. 172

Præstigium.

Quid sit? XXI. 8

Præstimonia.

An vendi sine Simonia possint? III. 229

Præsumptio.

Quid sit notorietas Præsumptionis? I. 1
Ad probationem Adulterij sufficiunt etiam præsumptiones. XVI. 92
Et quænam illæ? 93

Prævaricatio, Prævaricator.

Quis dicatur prævaricari? II. 23
Quotuplicater prævaricatio possit contingere? 24
Pœna Prævaricatorum. 25

Preces.

An dari aliquid possit pro precibus apud Patronum, vel Collatorem Beneficij interpositis? III. 101

Pretium.

In Simoniâ necessariò debet intervenire pretium. III. 108
Quid hoc nomine intelligatur in Simoniâ? 109
Triplex communiter dicitur. 3
Munus à manu. 112
Munus ab obsequio. 113
Munus à lingua. 114
Quando munus, vel obsequium constituat pretium Simoniacum? 115
An pretij Simoniaci rationem habere possit etiam res spiritualis? 120
Aut cessio Beneficij prius obtenti, facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur? 124
An Simoniaca sit pactio solvendi debita ab Antecessore in Beneficio nomine Ecclesiæ contracta? 126
Vel expensas, pro Beneficio litigioso ab eodem factas? 129
Utrum rationem pretij Simoniaci habeat, quod datur ad redimendam vexam, quâ quis impeditur à Beneficio obtinendo, vel obtento pacificè possidendo? 134
Quid requiratur, ut redemptio vexæ in Beneficio accepto sit licita? 139
An qui injustè impeditur ab acquirenda possessione sibi collati, possit pecunia vexationem redimere? 142
An dari absque Simoniâ pecunia possit Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum? 146
Quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretij Simoniaci? 149

Primates.

Quando teneantur edere Professionem Fidei? VII. 26

Princeps.

Supremus Princeps non potest accusari. I. 78
Potest creare Doctores. V. 19
An liceat Principi Christiano cum infidelibus inire fœdus auxilij contra fideles ferendi causâ? VI. 48
An Principes Catholici possint recipere vel tolerare in suis territorijs Hæreticos, & ritus eorum? VII. 221
An, & qualiter cum ijs inire fœdus, uti ipsorum auxilio &c. 224
An Irregularis fiat Princeps, vel alius Dominus temoralis condens Statuta, vel leges, in quibus pœna sanguinis propter certa delicta statuitur? XII. 96

Princeps incurrit Excommunicationem latæ sententiæ, qui Duellantibus in terris suis locum concedit. XIV. 36
Quando ab excommunicatione hac excusetur? 47
An Princeps, vel alius Dominus in cujus territorio facta est depræda tio, & Robbaria teneatur damnum resarcire viatori? XVII. 78
In crimen Plagij non incidunt Principes, qui donant sibi invicem Pigmæos &c. XVIII. 130
Non potest Princeps Lege sua Usuras lucratorias licitas facere. XIX. 11
Hinc graviter peccat, si authoritate sua concedat vel præcipiat ut Christiani qui mutuò acceperunt pecunias à Judæis, vel alijs Infidelibus, Jurisdictioni suæ subjectis, Usuras eisdem solvant vel si Leges, aut Statuta condunt, quibus jubentur promissas solvere. 14
Pœna talium Principum. 15
Tenentur ad restitutionem. 265

Privilegium.

Quibus Privilegijs gaudeant Magistri, seu Doctores Theologiæ Juris, & Medicinæ? V. 4
An ijs gaudeant malè promoti? 32
Doctores Bullati? 33
Et Licentiati? 35

Probatio.

Per plenas Probationes Judiciales inducitur notorium Juris. I. 1
Qualis probatio requiratur, & sufficiat ad probandum crimen Simoniæ? III. 321
Quomodo probandum Stuprum? XVI.
Quænam probatio requiratur, & sufficiat, ut quis condemnari, tanquam reus Adulterij, possit? 91
Quomodo probetur Incendium culpâ datum? XVII. 95
Quid sit probandum in deducenda Condictione furtiva? XVIII. 78
Quid in deducenda Actione furti? 90
An res apud furem inventa præbeat sufficiens indicium furti? 123
Quibus modis probetur aliquis esse Usurarius manifestus? XIX. 299

Procurator.

Procurator fiscalis quando liberetur à Calumnia præsumpta? II. 3
Procurator quando dicatur prævaricari? 24
Procuratores, quorum ope in Judicio vel extra scienter exiguntur Usuræ, vel non restituuntur, cum repetuntur, tenentur ad earum restitutionem. XIX. 268

Prodigus.

Non admittitur ad accusandum. I. 49

Proditio.

In proditionis crimine torqueri possunt etiam, qui aliàs exempti sunt à tortura. I. 190

Professio Fidei.

Redemptioni ad Gradum Litterarium est permittenda. V. 29
Quinam obligentur ad Professionem Fidei emittendam? VII. 25

Professio Religiosa.

Admissio ad istam num vendi possit? III. 171
An, & quando occasione admissionis ad Professionem Religiosam aliquid accipi, vel peti possit? 193

Professores.

Tenentur edere Professionem Fidei. VII. 26
Non sit Irregularis Professor, in scholis docens Leges pœnales in genere, seu speculativè. XII. 97
Privilegia Professorum. *V.* Doctores.

Professus.

Quæ sit pœna Religiosi Professi, Sacrilegium carnale committentis? XVI. 108

Prophetia.

An vendi possit? III. 168

Protestatio.

Protestatio, quòd non agatur ad pœnam sanguinis, quando liberet accusatorem, vel actorem ab Irregularitate? XII. 106
Qualis fieri in hunc finem protestatio debeat? 117
An ficta sufficiat? 118

Puberes.

Quando admittantur ad accusandum? I. 43
Quinam dicantur Puberes? XXIII. 1
Pubertas plena quando contingat? 2
Quinam dicantur pubertati proximi? 3
An puniri possint pubertati proximi? 9

Pueri.

Quinam dicantur. XXIII. 1

An à pœna immunes sint pueri, qui infantiæ proximi non sunt, sed ab ea ad pubertatem jam magis accesserunt? 9
An pueri teneantur crimine Adulterij, & alijs Delictis carnalibus? 14
V. Impuberes.

Punitoriæ Usuræ.

V. Moratoriæ Usuræ.

Purgatio Canonica.

Clerico, qui suspectus vel diffamatus est de crimine Adulterij, indicenda est Purgatio Canonica. XVI. 71

Q.

Querela.

Simplex Querela hodie successit accusationi. I. 26
Quid in ea exprimendum? ibid.
Querela, à quocunque porrigatur, admittitur. 102

R.

Rapina.

Rapina triplex acceptio. XVII. 55
Definitio Rapinæ propriè dictæ. 56
Pœna Raptorum, Jure Civili prodita, quando illi conveniuntur civiliter. 61
Pœna illorum criminalis. 64
Casus in quibus eidem est locus. 66
Casus, in quibus illa est mitiganda. 67
Quæ pœna sit infligenda illi, qui simul furti, & rapinæ reus est? 68
Quæ sit pœna Raptorum Jure Ecclesiastico? 70
Quomodo puniantur, qui Christianos, naufragium passos, rebus suis exspoliant? 72
Causæ excusantes à Censura in istos lata. 74
Quid dicendum de præbentibus ad hoc consilium, vel auxilium? 75
Quid de reliquis Piratis maritimis? 76
An Dominus territorij teneatur resarcire damnum Viatori spoliato? 78

Raptus.

In crimine Raptûs quando Actio criminalis tollatur præscriptione? I. 121
Quid sit Raptus personarum? XVII. 1
Conditiones adhunc requisitæ. 2
Differentia à stupro. 8
Pœnæ in Raptores statutæ de Jure Civili. 11
Pœnæ Juris Canonici antiqui. 16
Pœna in Raptores statutæ per Jus novissimum Trid. 20
An Pœnas istas incurrat etiam fœmina rapiens virum? 23
An rapiens fœminam liberè, & sponte consentientem? 28
Quid si consentiente ipsa, parentes invitisint? 32
An Conciliari Decreto, & pœnis afficiatur etiam ille, qui Sponsam de futuro propriam rapit? 37
Aut qui non Matrimonij contrahendi, sed libidinis tantùm liberiùs exercendæ causâ rapuit? 41
Quid si fœmina, quæ in abductionem sui consensit, postea invita carnaliter cognoscatur? 46
Aut contrà, quæ invita abducta est, postea liberè consentiat in copulam? 47
An Raptûs pœnæ subiaceat, qui rapuit Virginem adhuc impuberem? 48
Conjugatam? 49
Vel inhonestè viventem? 50
An pœnas Raptûs, in fautores decretas, incurrat Parochus assistens Matrimonio, inter raptorem, & raptam inito? 51
Quam pœnam incurrat raptor alienæ Sponsæ? 52
An sicut Matrimonium, ita etiam Sponsalia de futuro, inter raptorem, & raptam inita, invalida sint? 53
A quo Judice puniri Raptores possint. 54

Ratihabitio.

An Irregularitatem incurrat ratum habens homicidium nomine ipsius factum? XII. 157

Receptatores Hæreticorum.

Incurrunt istorum pœnas. VII. 93
Receptatores Schismaticorum incurrunt Excommunicationem majorem. VIII. 17

Recusatio.

In notorio non admittitur Recusatio Judicis tanquam suspecti. I. 13

Redemptio Vexæ.

V. Vexa.

Rei Vindicatio.

Cui, adversùs quem, & quando occasione furti competat? XVIII. 55

Religio, Religiosus.

Quando Religiosi accusare Laicos possint? I. 56
Quando accusare possint Prælatum suum? 64
Pœna Simoniæ commissæ circa ingressum in Religionem. III. 251
V. Novitiatus Professio.

Quam facultatem absolvendi ab Hæresi habeant Regulares. VII. 204
An Religiosi spectatores supplicij capitalis Irregulares fiant? XII. 124
Quis sit Apostata à Religione? V. Apostata.

Remuneratio.

An Simonia sit dare quodcunque donum vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione intuitu renumerationis per donum Spirituale exhibendæ? III. 53

Residuum.

Crimen de Residuis quid sit? XVIII. 143
Quomodo committatur? 144
Pœna illius. 145

Resignatio.

Resignatio Beneficij cum reservatione accessûs, ingressûs & regressûs est Simoniaca. III. 38
An Simoniaca sit Resignatio Beneficij priùs obtenti, facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur? 124

Responsum.

An sine periculo Simoniæ pretium possit exigi pro Responso Theologico, aut Canonico? V. 54

Restauratoriæ Usuræ.

V. Compensatoriæ.

Restitutio.

Promotus Simoniacè ad Beneficium restituere tenetur fructus, ex Beneficio ita obtento comparatos. III 267
Quomodo restituenda sint illa, quæ accepta sunt Simoniacè? 282
Cui facienda sit restitutio pretij Simoniaci? 297
An Simonia mentalis obliget ad restitutionem? 305
An, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur compensare damnum per homicidium, vel vulnerationem illatum? XII. 269
Quid requiratur, ut ille ad hoc teneatur? 273
An stuprator aliquid teneatur restituere patri puellæ corruptæ? XVI. 41
Ad quid obligetur, qui incendij causam culpâ suâ dedit? XVII. 95
Quis obligetur ad reparandum damnum, ex tali incendio datum? 96
Ad quid obligetur fur? XVIII. 54
Unde oriatur obligatio restituendi rem furtivam in fure? 57
Quamdiu maneat hæc obligatio? 58
An teneat etiam rei furtivæ possessorem? 59
An qui in extrema necessitate alienam rem absumsit, obligetur ad restitutionem? 60
Ad quid teneatur Usurarius Mutuatario, qui Usuras eidem solvit. XIX. 239
An, & quando ad restitutionem teneatur Usurarius solùm mentalis? 241
Utrum ad restitutionem Usurarum compelli possint etiam Judæi? 248
Et hæredes Usurariorum? 251
Qua actione isti compelli possint? 255
An deficiente uno ex pluribus hæredibus, singuli teneantur in solidum? 258
Quinam, & quo pacto cooperantes teneantur ad restitutionem? 263
Cui restitui Usura debeant? 269
Quænam restitui debeant ab Usurario? 272
An restitutio fieri debeat etiam ex rebus in tertium aliquem alienatis? 275
An bona Usurarij sint tacitè Hypothecata pro solvendis Usuris? 279
Causæ excusantes à restitutione Usurarum. 282
An Usurarius habeat beneficium Cessionis bonorum, ùt alij debitores? 286
An pro Usuris restituendis conventus possit appellare? 290

Revelatio.

An Hæreticus sit, qui discredit alicui revelationi sibi privatim factæ? VII. 17

Reus.

Cum deprehenso in flagranti quomodo procedendum? I. 17

Rixa.

An omnes Irregulares efficiantur, qui in rixa subitò exorta non ex condicto, occidunt? XII. 176
An in Irregularitate orta ex Homicidio in rixa facto possit Episcopus dispensare? 253

Robaria.

V. Rapina.

S.

Sacramenta.

An, & sub qua ratione mercem Simoniacam constituant? III. 157
An Parochus aliquid accipere possit pro administratione Sacramentorum? 182

Sacramentalia.

Quotuplicis generis sint? III. 160
An, & sub qua ratione constituant mercem Simoniacam? ibid.

Sacrilegium.

In Sacrilegii crimine admittitur ad accusandum, qui aliàs prohibetur. I. 58

Simonia est species Sacrilegii. III. 11
Quid, & quotuplex sit Sacrilegium carnale? XVI. 107
Pœna ejusdem. 108
Quæ pœnæ statutæ sint in fures Sacrilegos? XVIII. 124
Furtum Sacrilegum est crimen mixti fori. 127

Sagittarij.

Quinam hoc nomine veniant? XV. 1
Utrum artis istius exercitium prohibitum sit Christianis? 2
Quæ sint pœnæ utentium arte ista in casu prohibito? 3

V. Stipendium.

Salvus Conductus.

Quid sit, & quando dandus reo accusato? I. 113

Sarraceni.

Unde dicti, & qui tales sint? VI. 2
An, & quatenus fidelibus interdicta sit communicatio cum Sarracenis? 8

V. Judæus.

Schisma, Schismatici.

Quid sit Schisma? VIII. 1
Differentia à Seditione, & Hæresi. 2
Varietas. 4
Potest dari sine Hæresi, sed non diu. 5
Quinam sint Schismatici? 7
Requisita, ut aliquis dicatur verè Schismaticus. 10
Quinam non sint verè Schismatici? 11
Quale peccatum sit Schisma? 16
Quæ ejus pœna? 17

Senes decrepiti.

Eximuntur à tortura. I. 188

Sententia.

Per sententiam, quæ in rem judicatam transiit inducitur notorium Juris. I. 1
In notoriis non est opus Sententiâ condemnatoria in scriptis prolata? 11
An reo deprehenso in flagranti infligi pœna sine prævia sententia possit? 20

Sepulchrum, Sepultura.

An actus sepeliendi materiam Simoniæ constituat? III. 169
An Parochus aliquid possit accipere pro Sepultura? 182
An vendi sine Simonia Sepultura possit? 217
Hæretici privantur Sepulturâ Ecclesiastica VII. 89
Eâdem privantur occumbentes in Torneamentis prohibitis. XIII. 8
Et morientes in Duello. XIV. 36
An ut morienti in Duello Ecclesiastica Sepultura denegetur, Sententia Judicis requiratur? 55
An adhuc Sepulturâ Ecclesiasticâ privetur occumbens in Duello, etiamsi constiterit, quòd decesserit pœnitens? 59
An Sepulturâ Ecclesiasticâ gaudeant Raptores, in ipsa depræda interfecti? XVII. 71
Quid sit Sepulchri violatio? XVIII. 152
Quot modis fiat? 152. 153
Pœna istius criminis. 154
Usurarijs denegatur Sepultura Ecclesiastica. XIX. 305

Servus.

Non admittitur ad accusandum. I. 44
Quando accusare possit? 69
Quando accusari? 75
Accusare potest in crimine Simoniæ. III. 319
Non permittuntur Judæi retinere mancipia, & servos Christianos. VI. 29
Servi ab obsequio Domini Hæretici liberi fiunt. VII. 156
Quando Plagium committatur in Servum? XVIII. 129

Simonia.

In Simoniæ crimine admittitur ad accusandum, qui aliàs prohibetur. I. 58
In eo torqueri possunt etiam, qui aliàs exempti sunt à tortura. 190
Est crimen gravissimum. III. 1
Ejus origo. 2
Definitio. 3
Est peccatum ex genere suo mortale. 4
In quo consistat ejus malitia? 5
Cui virtuti opponatur? 7
An sit species Sacrilegij? 11
An admittat parvitatem materiæ? 14
Casus, in quibus datio rei temporalis occasione rei Spiritualis excusatur à Simoniæ peccato. 18
Dividitur Simonia in eam, quæ est Juris Divini, & illam, quæ est Juris positivi Ecclesiastici. 19
Quando utraque committatur? 22
An Simonia Juris Ecclesiastici sit propriè, dicta Simonia? 24
Simoniæ subdivisio. 27
Quando committatur Simonia mentalis? 28
Quomodo hæc possit contingere? 31
Quid requiratur, ut commissa censeatur Simonia Conventionalis? 32
Ejus subdivisio 33
Requisita ad Simoniam Realem. 34
Quotupliciter Simonia committi possit circa Beneficia? 36
Definitio Simoniæ Confidentialis. 37
Ejus species præcipuæ 38
An committi possit sine pacto expresso? 40
An locum habeat etiam in Beneficiorum permutatione? 43

Quænam pactio constituat Simoniam? V. Pactum.
Quid intelligatur nomine pretij Simoniaci? V. Pretium.
Quæ res constituant mercem Simoniacam? V. Merx.
Quales pœnæ in Simoniacos sint constitutæ? 243
Per quam Simoniam hæ incurrantur? 244
Quæ pœnæ Juris incurrantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem? 251
Per Ordines Simoniacè susceptos, vel collatos? 257
Aut in collatione, vel obtentione Beneficij Ecclesiastici? 265
Quæ pœnæ incurrantur per Simoniam Confidentialem? 270
An pœnæ in Simoniacos latæ incurrantur etiam ab illis, qui committunt Simoniam contra Jus naturale? 274
An pœna aliqua ipso facto incurratur per Simoniam commissam in alijs materijs extra Beneficia, Ordines Ecclesiasticos, & ingressum Religionis? 277
Quomodo restituenda sint illa, quæ accepta sunt Simoniacè? 282
Cui facienda sit restitutio pretij Simoniaci? 297
An Simonia mentalis obliget ad restitutionem? 530
Quid possit Dispensatio, vel consuetudo in materia Simoniæ? 309
Quis accusator, testis, & Judex esse in crimine Simoniæ possit? 319
Utrum sub annuo Censu concedi possint Prælaturæ, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa potestas spiritualis? IV. 1
An vendi, aut pro Censu annuo locari possit Jurisdictio temporalis? 5
An Prælatus à Vicario, sibi substituto in Beneficio incorporato Ecclesiæ suæ, possit accipere, vel exigere pensionem annuam sub titulo absentiæ? 6
Pœnæ istorum. 7
Utrum sine Simonia accipi, vel peti aliquid possit pro docendi licentia? V. 42
Vel pro ipso actu docendi? 48
Præsertim in Theologia, vel Jure Canonico? 49
An sine periculo Simoniæ pretium peti possit pro Consilio, vel Responso Theologico, vel Canonico? 54

Simplex Homicidium.

V. Homicidium injustum.

Socer, Socrus.

Socer, aut Socrus occidens Generum, aut Nurum, & vice versa Parricidij rei sunt. X. 5

Societas JESU.

Quis in hac sit denuntiandi modus? I. 140
Rector Collegij Romani, & Germanici ibidem possunt creare Doctores. V. 21
Præpositus Generalis Societatis, & facultate ab eo communicata Provincialis, extra Italiam, & Hispaniam, possunt absolvere ab Hæresi. VII. 204
Idem possunt reliqui ejusdem Superiores, & quibus ipsi communicaverint. 205
Idem superiores possunt cum subditis suis Regularibus dispensare in Irregularitate orta ex delicto occulto, etiam homicidij, mutilationis, & enormis sanguinis effusionis. XII. 266

Socius criminis.

An admitti possit ad denuntiandum Socium? I. 160

Sodomia.

Ejus definitio, & divisio. XVI. 112
Pœnæ Sodomiæ perfectæ in foro seculari. 113
Pœna ejusdem in Jure Canonico. 115
Pœna Sodomiæ imperfectæ. 117

Somnium.

Divinatio per somnia quid sit? XXI. 8
Quo pacto licita sit observatio somniorum? 22

Soror.

Soror occidens fratrem, vel sororem parricidii rea est. X. 6

Sors.

Quando censeatur esse periculum sortis? XIX. 95
Utrum ratione periculi in recuperanda sorte possit aliquid exigi ultra sortem? 127
An Usurarium sit accipere aliquid ultra sortem ob periculum sortis in se susceptum? 131
Quotuplicis generis dentur sortes? XXI. 24
Quid sint sortes Divisoriæ, & utrum sint licitæ? 25
In quibus casibus licitæ sint? 27
Quænam conditiones ad hoc requirantur? 31
Quid sint Sortes Consultoriæ? 34
An licitæ sint? 35
Quomodo in ijs peccetur? 36
Prohibentur in Electionibus ad Dignitates, & Beneficia Ecclsiastica. 38
Quo Jure? 40
An invalida sit etiam Electio Compromissario rum per sortes facta? 42
An sorti committi possint Lites Ecclesiasticæ, & Beneficiales? 43
Quid sint Sortes Divinatoriæ, & an illa sint licita? 44

Sortilegium.

Quid sit? XXI. 24

pœna Sortilegiorum. 46
Judex in crimine Sortilegij quis sit? 51
V. Sors.

Spatulamantia.

Quid sit? XXI. 9

Spectatores.

Spectatores Supplicij capitalis an Irregulares fiant? XII. 124
Spectatores Duelli quas pœnas incurrant? XIV. 36
Quid requiratur, ut has incurrant? 49

Spes.

An Simonia sit dare quodcunque donum, vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per Spirituale donum exhibendæ? III. 53
An Simoniacus sit, qui spem hanc explicat illi, cui dedit temporale? 54

Spirituale.

An pretij Simoniaci rationem habere possit etiam res spiritualis? III. 120
Quidnam veniat nomine rei Spiritualis in materia Simoniæ? 153

Sponsus, Sponsa, Sponsalia.

Sponsus occidens Sponsam parricidij reus est, & contrà. X. 6
Fornicatio commissa cum Sponsa alterius de futuro non est adulterium. XVI. 67
Secus si committatur cum Sponsa alterius de præsenti. ibid.
Peccans cum consanguineâ Sponsa de futuro non committit incestum. 100
An pœnis Raptûs afficiatur, qui Sponsam futuro propriam rapit? XVII. 37
Quam pœnam incurrat Raptor alienæ Sponsæ? 52
An sicut Matrimonium, ita etiam Sponsalia de futuro rapta inita invalida sint? 53

Spurij.

An possint creari Doctores? V. 23

Stipendium.

An Clericus pacisci possit de stipendio, antequam in se suscipiat obligationem ministrandi Spiritualia? III. 89
Quinam Clerici petere, & accipere tale stipendium possint? 93
Pro quali labore? 97
An stipendium accipi possit pro Verbi Divini prædicatione, & pro Orationibus, quæ ex Institutione Ecclesiæ in Choro, Processionibus &c. publicè, privatimque fiunt? 165

Stuprum.

Ejus Definitio. XVI. 16
Et requisita, ut tale dicatur. 17
Factum vi, fraude, vel metu continet malitiam injustitiæ. 18
Factum volenti à Simplici fornicatione non differe specie. 19
Pœna Stupri Jure Civili. 20
Pœna ejusdem Jure Canonico. 25
Sufficit si Stuprator corruptam ducat vel dotet. 28
Quando alternatio hæc locum habeat? 10
Penes quem sit electio? 33
Quibus casibus ad nihil teneatur Stuprator? 35
Ad quid teneatur si puella ad stuprum inducta est suasionibus blanditijs &c. 38
Aut metu? 40
An Stuprator aliquid teneatur restituere patri puellæ? 41
Quæ sit obligatio ipsius in conscientia antesententiam? 45
Quando per sententiam condemnatus ad dotandum, teneatur corruptam dotare? 46
Modi, quibus ab obligatione hac liberare se potest. 47
An ita liberatus etiam sit immunis à pœna? 48
Quis sit Judex in causa Stupri? 49
Quomodo istud probandum, & à quo? 50
A quo ali debeat proles, ex Stupro, vel alio concubitu illegitimo procreata? 55

Successio.

Hæretici privantur Successione hæreditaria: & quomodo? VII. 228. 132

Superior.

An Superiori denuntiari valeat delictum Religiosi jam emendati? I. 143
Quomodo Superior se gerere debeat post factam sibi Denuntiationem Evangelicam? 147

Superstitio.

Ejus Definitio. XXI. 2
Divisio. 3
Quomodo peccetur per Cultum falsum? 4
Quomodo per Cultum superfluum? 5
Quid sit Divinatio? V. Divinatio.
Quid sit Superstitio Vanæ observantiæ? V. Vana observantia.
An, & quale peccatum sit Astrologia Judiciaria? 15
Quid prænuntiari possit ex avium volatu, vel garritu, motibus animalium? 17
Vel hominis? 18
Aut ejus vocibus? 19

An, & quando Superstitiosa sit conjectura ex hominum partibus, & manuum lineis? 20
Vel ex somnijs? 22
Quid sit Sortilegium, & quotuplicis generis dentur Sortes? V. Sors, Sortilegium.
Quid sit Magia? V. Magia.
Quis sit Judex in crimine Magiæ, *& Sortilegij?* 51
Pœna Magorum, Divinatorum &c. 52

Surdus.

Surdi, & muti non admittuntur ad accusandum, si tales sint à nativitate. I. 50. 60
Eximuntur à tortura. 188

Sustentatio.

An aliquid pro administratione Sacramentorum possit accipi titulo sustentationis? III. 189
Sustentatio unde Magistro Theologali subministranda? V. 40

Synagoga.

An liceat Christianis ingredi Synagogas Judæorum? VI. 12
An istorum Synagogæ inter Christianos licitè tolerentur? 13
Non possunt novi excitari, aut antiquæ funditus eversæ ibi, ubi steterunt, extrui. 16
Possunt tamen antiquæ ijsdem relinqui, & ad pristinam formam reparari. 17
Non licet Architectis, vel fabris Christianis Laborare in ædificandis, vel restaurandis Synagogis Judæorum, aut Delubris Paganorum. 18

T.

Taurorum agitatio.

Sub qua pœna prohibita sit? XIII. 10

Templum.

An liceat adire Templa Hæreticorum? VII. 214

Tergiversatio.

Quid sit tergiversari? II. 26
Pœna istius criminis. 27. 28

Termini amotio.

Quid sit? XVIII. 155
Pœna illius. 156
Actio de Termino moto non datur adversùs Hæredes. 157

Testamentum, Testari.

Hæretici fiunt intestabiles tam activè, quàm passivè. VII. 128
De quibus bonis? 129
Usurarij contrahunt intestabilitatem activam. XIX. 307
An valeat Testamentum conditum ab Usurario notorio, saltem quoad relicta ad causas pias? 313
An Testamentum illius invalidè conditum, restitutis ante mortem Usuris, vel cautione de restituendo præstita, convalescat? 116
An si Usurarius manifestus, cum Testamentum vellet condere, restituit Usuras, vel saltem de illis restituendis cautionem præstitit, sed post conditum Testamentum denuo occultè Usuras exerceat, hoc ejus Testamentum persistat validum? 320
An si quis ante, vel post conditum Testamentum Usuras exercuit sed postea desinat eas exercere, non tamen restituit, seu cautionem præstitit ante mortem, Testamentum ejus sit validum? 322
An Testamenta Judæorum, qui sunt notorij Usurarij, sint nulla? 323

Testis, Testimonium.

Per depositionem duorum testium omni exceptione majorum in Judicio inducitur notorium Juris. I. 1
In testimonij falsi crimine ad accusandum admittitur, qui aliàs prohibetur. 58
An accipi aliquid possit pro Litteris Testimonialibus? III. 178
Quis possit esse testis in crimine Simoniæ? 319
Testes, deponentes contra reum in causa sanguinis, Irregulares fiunt. XII. 87
Utrum Irregularitatem incurrat Laicus, aspirans ad Clericatum, & in foro Sæculari deponens contra reum? 121
Quomodo circa Testimonium contingat crimen falsi? XX. 14
Pœna Testis falsi. 17

Theologia, Theologus.

Theologiæ Lectores, quamdiu publicè docent, etiamsi absint à suis Ecclesijs, Beneficiorum suorum fructus percipiunt integros. V. 13
Quid dicendum de Distributionibus Quotidianis? ibid.
Quam præeminentiam inter cæterarum Facultatum Doctores habeant Doctores Theologiæ? 16
Quid, si quis pluribus Gradibus ornatus sit? 18
Quis possit creare Doctorem Theologiæ? 19
In quibus Ecclesijs constituendus sit Magister Theologus? 38
Unde hujusmodi Magistro subministranda vita subsidia? 40
An ad Præbendam Theologalem admitti valeat etiam Canonista? 41
Utrum accipi, vel peti aliquid possit pro docenda Theologia. 49

Vel pro Responso Theologico? 54

Tignus.

Furtum Tigni quando committatur? XVIII. 158
An actio de Tigno juncto detur etiam adversùs fabros lignarios, qui aliena junxerunt Tigna, ædificium tamen non possident? 159

Torneamenta.

Quid sint? XIII. 1
Quot modis fieri possint? 2
An, & qua ratione sint prohibita? 3
An licita sint Clericis? 6
Pœna Torneamentorum in casu prohibito. 7
Ea celebrantes, si in illis occumbant privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ, non tamen S. Viatico. 8
Quinam immunes sint ab ista pœna? 9

Tortura.

Quinam eximantur à Tortura? I. 188
Quando procedi ad Torturam possit? 214
Quomodo ad hanc possit procedi? 225
Quid in ea observandum? 226
Quis sit effectus Torturæ? 235
Doctores an torqueri possint, quando? V. 9

Transactio.

Liberatus ab accusatione per viam Transactionis denuo accusari potest. I. 96
Per Transactionem tollitur actio criminalis? 122
Quando permissum sit transigere de crimine? ibid.

Tutor.

Liberatur à calumnia præsumpta. II. 3
Potest rem furtivam condicere loco pupilli. XVIII. 70

V.

Valetudinarij.

Eximuntur à Tortura. I. 188

Vana Observantia.

Quid sit? XXI. 11
Quot modis fiat? 12
Quale peccatum sit? 14

Vasallus.

Non potest accusare Dominum. I. 52
Liberatur ab obsequio Domini sui in Hæresim lapsi. VII. 158

Vectigalia.

Doctores quando ab his eximantur. V. 8

Venditio.

Quid nomine Emptionis, Venditionis Simoniacæ veniat? III. 45
An res Consecratione, vel Benedictione Ecclesiæ affectæ vendi saltem possint secundùm materiam, & ejus æstimationem? 161
Quid in harum venditione observandum? 163
An Usuræ condemnari possit Contractus, quo res ob dilatam solutionem venditur majori pretio? XIX. 53
Qui diversis Contractibus rem eandem duobus vendit, incurrit crimen falsi. XX. 46

Veneficium.

Veneficij nomine quid veniat? XII. 7

Verberatio.

Verberatio Clericorum an, & quando locum de facto habeat? II. 15
An Irregularitatem incurrat, qui mandavit aliquem verberari, si mandatarius excedat fines mandati, & omnino occidat? XII. 164

Verbum Divinum.

An accipi, vel peti aliquid possit pro prædicatione Verbi Divini? III. 165
Laicis prohibetur Verbi Divini prædicatio. VII. 63

Vexa.

An rationem pretij Simoniaci habeat, quod datur ad redimendam Vexam, quâ quis impeditur à Beneficio obtinendo, vel obtento pacificè possidendo? III. 134
Quid requiratur, ut redemptio Vexæ in Beneficio accepto sit licita? 139
An qui injustè impeditur ab acquirenda possessione Beneficij sibi collati, possit pecunia vexationem redimere? 142
An dari absque Simonia possit pecunia Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum? 146

Vicarius.

An valeat pactum, quod init Vicarius perpetuus cum Monasterio, cui Parochia est incorporata, ut Pensionem annuam 100. fl. quam ex proventibus Parochiæ debet solvere, statim ab initio redimat 500. fl. III. 241
An Prælatus à Vicario suo possit accipere, vel exigere Pensionem annuam sub titulo Absentiæ? IV. 6

An Vicarius Generalis Episcopi cognoscere possit in causa Hæresis? VII. 180

Vindicatio Rei.

V. Rei Vindicatio.

Violatores Ecclesiarum.

Quinam tales esse censeantur, & quæ eorum pœna Jure Imperiali antiquiore? XVII. 115
Recentiori Ordinationis Carolinæ? 116
Ecclesiastico? 117
Quid requiratur, ut incurrant Excommunicationem? 118
An sint ad pœnitentiam admittendi? 119

Visitatio

Annua ab Episcopis institui debet. VII. 67

Vita.

Quando liceat aggressorem vitæ occidere? XII. 22

Vitalitium.

An licita sit Emptio Censûs Vitalitij? XIX. 191

Vitricus.

Privignus occidens Vitricum parricidij reus est. X. 3
Uti & Vitricus occidens Privignum, vel Privilegium. 4
Potest Vitricus conveniri actione expilatæ hæreditatis. XVIII. 150

Voluntarium Homicidium.

V. Homicidium Voluntarium.

Votum.

An Dispensatio in Voto materiam Simoniæ constituat? III. 170

Usura, Usurarius.

Ejus Definitio. XIX. 1
Divisio in internam, & externam, & hujus in Mentalem, & Realem. 3
In Expressam, & Tacitam. 4
Usuræ Lucratoriæ sunt graviter prohibitæ, non tantùm Jure Ecclesiastico. 5
Sed etiam Divino, & Naturali 6
Non potest Princeps Lege sua, aut Pontifex viâ dispensationis eas licitas facere, licet exigente bono communi, illas possit permittere. 11
Potest Lege, vel consuetudine induci certa quantitas, quæ nomine damni emergentis, lucri cessantis &c. possit exigi. 20
Non autem, ut aliquid exigi supra sortem possit titulo solius mutui. 21
Etiam in favorem causæ piæ. 24
Non est per se illicitum mutuum sub Usuris accipere, aut istas solvere. 26
Casus, in quibus nulla committitur Usura etiamsi accipiatur, vel petatur aliquid supra sortem? 28
Casus in quibus certò committitur usura. 33
Quomodo intendi debeat Lucrum quod speratur occasione mutui, ut Contractus reddatur Usurarius? 38
An usurarium sit pactum, quò quis pecuniam mutuam dat ea lege, ut mutuatarius eidem remutuet, Scholas ejusdem frequentet &c. 44
An Usuram committat, qui ista sibi præstari petit titulo Benevolentiæ, vel gratitudinis? 50
An usurarium sit vendere pro majori pretio ob dilatam solutionem? 53
Vel ob hanc anticipatam emere pro minori? 57
Quid dicendum de Pacto, quo mutuum datur frumentum in autumno, ut tantundem reddatur in vere? 60
Vel quo triticum vetus, ut reddatur novum? 64
Vel quo mutuat aliquis vinum, ut casu, quo decreverit ejus pretium, tantundem addat, usque dum adæquetur valor ejusdem prælens? 66
Ad quid reddendum teneatur mutuatarius, quando inter ipsum, & mutuantem non est expressè conventum, de quantitate restituenda? 70
An minori pretio emi possint Chirographa, & debita immatura? 72
An Usurarium sit Pactum Anticreseos? 75
An usuram sapiant Montes Pietatis? 80
Cambium? 84
Olla fortunæ? 87
Causæ, ex quibus occasione mutui accipi aliquid ultra sortem potest. 90
Quid sint usuræ Moratoriæ? *V.* Moratoriæ Usuræ?
Quid sint usuræ Compensatoriæ? *V.* Compensatoriæ Usuræ, Damnum, Lucrum Sors.
An usurarium sit accipere aliquid ultra sortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus? 136
Aut pro obligatione solvendi à Fidejussore suscepta? 141
Utrum in Germania, secluso omni alio titulo accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat? 144
An 5. pro 100. exigi valeant, si ista mutuatario concedantur retentâ facultate post semestre repetendi sortem? 149
An licitum sit accipere 6. pro 100. ubi consuetudo ista accipiendi viget?
An, & quando usura committatur in constitutione Censûs? *V.* Census. 216
Quid sint usuræ usurarum? *An*

An sint licita? 217
An mutuatarius teneatur solvere usuras meræ Lucratorias, promissas usurario? 223
An solutarum usurarius acquirat dominium? 225
Quid dicendum de rebus, ex pecunia, vel aliare usuraria comparatis ab usurario? 233
Ad quid teneatur Usurarius Mutuatario ob solutas sibi usuras? V. Restitutio.
Quis sit judex criminis usurarum? 292
Quis usurarius manifestus? 296
Modi, quibus probatur aliquis esse usurarius manifestus. 299
Pœna usurariorum. 304
Requisita, ut pœnæ hæ contrahantur. 310
Quomodo usurario tollatur Testamenti factio? V. Testamentum.
An etiam alij Contractus, vel actus vitientur per additum Pactum usurarium? 324

Usus, Usurarius.

Dominus, auferens usuariorem in usum concessam, furtum facit. XVIII. 23

Ususfructus, Usufructuarius.

Furtum committit dominus, qui usufructuario auferт rem in usumfructum concessam. XVIII. 32
Usufructuario, si fructus jam ad maturitatem producti sint, competit condictio incerti. 71

Vulnus.

Vulnerans lethaliter alterum irregularis fit, licèt vulneratus ab alijs dein omnino sit inter: emptus. XII 152
An pro Irregulari habendus, qui vulnus inflixit, de quo dubitatur, an lethale sit? 181
An pro tali habendus, qui notabiliter deformat alterum vulnerando? 189
An, & quatenus vulnerator teneatur compensare damnum per vulnerationem illatum? 269
Quid requiratur, ut ille ad hoc teneatur? 273

Uxor.

An ob Hæresim mariti, confiscetur etiam Dos, & bona uxoris? VII. 142
Aut vicissim bona mariti ob Hæresim uxoris? 146
Uxor occidens maritum parricidij rea est, & contrà. X. 6
An adulterium committat, qui peccat cum uxore alterius putativa? XVI. 67
An Uxor ad pœnam Legalem de adulterio accusare maritum possit? 82
An pœna Raptûs subjaceat, qui rapuit uxorem alterius? XVI. 49
Uxor, quæ de rebus mariti fraudulenter aliquid subegit furtum facit. XVIII 26
An contra eam marito actio furti competat? 85
An, & quando conveniri possit actione expilatæ Hæreditatis? 149

Omnia ad Majorem DEI, DEIparæque Virginis Gloriam, & Honorem.

SCHMALTZGRUEBER
AD DECRETALES
LIB: IV & V

Th
481a